

SA
23

TOM

SUMMA THEOLOGICA
S. THOMAE
AQUINATIS
QUINTI ET ANGELICI ECCLESIAE DÖCTORIS
ORDINIS PRAE DICATORUM
EDITIO RECENTS PART HENOPHEJA
CETERIS CUNCTIS ACCL ATIUS A MENDIS EXPURGATA,
Appendicibus pro Ecclesia Sancta Dei Venerabilis P. SE.
CAPPONI A PORRECTA,

Notis historicis, ac dogmaticis P. JOANNIS NICOLAJI,
Dissertationibus critico-apologeticis P. BERNARDI MARIE DE RUBEIS,

*Ejusdemque Annotationibus variantem alicubi Textus lectionem
signantibus, nec non Indicibus copiosissimis, & appositiissimis
aucta, ornata, illustrata.*

PARTIS PRIMAE TOMUS PRIMUS.



N E A P O L I M D C C C L X I I .
Expensis GREGORII, & MICHAELIS STASI
Typis JOSEPHI RAYMUNDI
SUPERIORUM FACULTATE, AC PRIVILEGIO.



UNIVERSIDAD COMPLUTENSE



5319650373

Digitized by Google

କେତେବେଳେ:

REVERENDISSIMO . PATRI .
FR. JOANNI . THOMAE .
DE . BOXADORS .

ORDINIS . PRAEDICATORUM . MAGISTRO . LXIV .

GENERE . VIRTUTE . STUDIO .

RELIGIONE . PRUDENTIA . VIGILANTIA .

REI . THEOLOGICA . GEOGRAPHIAE .

IVRIS . NAT . GENT . CIVILIS . ET . ECCLESIASTICI .

VARIARVMQVE . LINGVARVM . SAPIENTIA .

C L A R O .

MVLTIS . ANTE . SVSCEPTVM . INSTITVTVM . DOMINICANVM .

MAGNISQVE . IN . RE . PVBLICA . MVNERIBVS .

EGREGIE . PERFVNCTO .

INDE . IN . ORDINEM . COOPTATO .

RECTAQVE . SCHOLA . CASANATENSI .

ET . PRAEFECTVRA . PROVINCIAE . ARAGONIAE .

PRAECLARE . GESTA .

MERITO . SVO .

MAGISTRATVM . ORDINIS . SVPREMVM . ADEPTO .

O B .

DEFENSA . ADSERTA . LATISSIMEQVE . PROPAGATA .

S. THOMAE . AQUINATIS .

QVINTI . ECCLESIAE . DOCTORIS .

D O G M A T A .

SVMMAM . THEOLOGICAM . DOCTORIS . EJVSDDEM ANGELICI .

NO .

NOVIS . FORMIS . NEAPOLI . AN. MDCCCLXII .

E X C V S A M .

CVRATOR . EDITIONIS .

PATRI . OPTIME . DE . SE . MERITO .

D E D I C A V I T .



PRAE-

P R A E F A T I O.

I. **Q**ued plerique omnes faciunt Editores operum alienorum, ut de Authoribus primis, tum de operibus ipsis in Praesatione copiose dicant, id mibi totum intelligo esse pretermittendum. Tanta enim est S. Thomae Aquinatis fama nominis, atque celebritas, ut de rebus ab eo praeclare gestis, Librisque editis moneri Lectores sine ipsorum injuria nequire arbitrur. Injuriuns namque Lectoribus est tam ignaros rerum, tamque imperitos existimari, ut ne ea quidem novent, que sunt trita sermones vulgi, quam injurium homini sanis oculis est, si a quoquam lucere soleat meridie doceatur. Quod si minus ipsis fortasse laederem, si de Summa Theologica Sancti ejusdem Doctoris cuiusmodi sit, quantasque Christianae Republice attulerit, atque afferat utilitates, ostenderem: at laederem tamen; cum credibile nullo modo sit, eos qui Summam ipsam legere instituerint ignorare, iam inde a XIII. Seculo, quo Thomas floruit, ad huc usque tempora Theologos maximo numero annotationes in eam, commentariosve scripsisse, nullumque sere Scriptorem aut Philosophum, aut Theologum; juris autem nature, ac gentium vix ullam investigatorem fuisse, qui non illius cum laude summa meminerit; atque a primordiis typographicis artis plus eam centies fuisse novis formis in Italia, Gallia, Hispania, Germania excusans, & publicatam. His igitur, ut ajebam, que ad Authorum, Opusque pertinent, pretermisssis, ad ea describenda veniam, que ipsi in hac editione praestitimus.

II. Neque multis Lectorem morabor. Principio id maximo nos opere conati sumus, ut textum quam accuratissime primigenie locutioni sue restituueremus. Venetani autem in primis editionem Joannis Francisci Bernardi de Rubeis Ordinis Predicatorum Clarissimi Viri opera perfectam sequuti sumus, propter quod omnium castigatissima haberetur, & esset. Quod si quid erroris vitio typographorum in eam irreperat, illud nos, quam fieri diligentissime potuit, emendavimus.

III. Retinendas preterea duximus annotationes, quibus vir idem Clarissimus Bernardus de Rubeis suis locis opportune variantes Lectiones indicavit, quas in probatis codicibus repererat, quasque prospexerat, lectoribus usui aliquando fore. Nequid vero in hac nostra desideraretur, quod Venetæ illi editioni decus attulisset, & ornamentum, singulas Rubei ejusdem Dissertationes, quas typographus admonitiones præbias inscripserat, singulis voluminibus nostris præfiximus. Quin etiam quuno ob rerum, quas ipsi persequuti sumus, majorem copiam, augendus nobis numerus voluminum fuerit, usile quoque, putavimus, Lectori futurum, si ex Dissertationibus, quas de gestis Scriptisque S. Thomae plenas eruditiois, atque doctrine Rubens ipse perscripserat, unoque volumine in folio comprehenderat, vulgaratque Venetiis anno 1750. eas feligeremus, suisque locis inseruveremus, que ad illustranda, vel vindicanda capita quedam doctrina Thomistica conferre posse viderentur. Quo in confilio eo certe magis confirmati sumus, quo probatum Authori eidens Dissertationum fuisse intellexerimus.

bres.

IV. Jam vero singulis cuiusque Questionis articulis notationes, ut fieri potuerit brevissimas adposuimus, ex quibus perspiciatur, quibus aliis in locis sanctorum operum Angelicus Doctor iisdem de rebus disputet. Notationes item Joannis Nicolai Doctoris Sorbonici Ordinis Prædicatorum, que testimonia præcipue Veterum quibus locis continentur, demonstrare, in banc nostram e Lugdunensi Summae bujus anno 1686. perfecta, transstulimus: usque studiosis Theologie rem gravam, atque utilem faceremus, Venarabilis Viti Seraphini Capponi Ordinis Prædicatorum Appendices articulis quorunque questionum adjiciendas judicavimus, quibus quidem Appendicibus, que a S. Thomae constituta sunt, Patrum, Synodorum, Pontificum denique Maximorum auctoritate firmantur.

V. Extremo volumine sex ipsos Indices complexi sumus, quorum est prior de S. Scriptura locis, quibus Doctor idem Angelicus usus est; alter de locis communibus Doctrinae Thomisticae; tertius de rebus præcipuis, quo Summa hac Theologica continentur; quartus de Sententiis, que ad explicanda Dominicanorum, ceterorumque festerum dierum Evangelia pertinent; quintus de locis Doctrinae Thomisticae, que conferre ad oppugnandas hereses poterunt; postremus de Conciliis, O. Authoribus, quorum sententius S. Thomae in Summa ipsa Theologica usus est. Atque hac sane erant, de quibus moneri Lectores oportere existimaram, que si probata ipsis esse cognovero, arbitrabor non minimum me iulisse laborum, O. vigiliarum fructum.



FR. JO: FRANCISCI BERNARDI MARIE
D E R U B E I S
ORDINIS PRÆDICATORUM
DISSERTATIO PRÆVIA

De Summa Theologica, genuino certissimoque Sancti Thomæ Aquinatis Opere, adversus Joannem Launojum, & Petrum de Alva, & Astorga: deque supplemento Tertiæ Partis: ac etiam tempore, quo idem Opus elucubravit Aquinas: ejusque versione Græca, Armenica, aliisque.

C A P U T L

*Imperita Joannis Launoji censura. Natalis Alexandri, & Jacobi Echardi apologetica
scripta. Aquinati Summam Theologie adjudicant Prothomaeus de Luca, &
Bartholomeus Logotbeta, Protonotarius Regni Siciliae.*

- I.  Reuentissimum Theologice Summe Opus , quod Angelico Praeceptoris maximam apud omnes Christiani orbis Academias , omnesque sacrae Theologiæ addicatos Viros autoritatem conciliavit , veluti dubium fœtum (quis crederet ?) habuerant nonnulli , plagiisque manifesto ex parte defloratum ex aliorum lucubrationibus putarunt alii . Joannes Lau- nojas , sacrae Facultatis Parisiensis Magister , Socius Navarricus ; Opus sculum Parisiis edidit anno 1675. inscriptum , Veneranda Romana Ecclesie circa Simoniam traditio , apud Viduam Edmundi Martini in 8. ubi cap. lvii. in obser- gione octava sententiam , ac verba Divi Thomæ allegaturns : *Beatus Thomas* , inquit , *vel alias quis sub illius nomine* . Tum mentem suam , criticumque iudicium prodit : Porro autem , inquiens : dixi (*Beatus Thomas* , *vel alias quis sub ejus nomine* :) quia ut id dicere , effectus Clemens Papa VI. in sermone , quem de Beato Thoma recens numero Cxliitum adscriptio habuit . Petrus Rogerius , (postea Clemens VI. electus Avenio- ne die 7. Maii 1342. eodemque anno redimitus corona in ædibus sacris Fratrum Prae- dicatorum Avenionensium die 19. ejusdem Maii), in ipsa solemni sacrae apostoloseos die sermonem habuit de laudibus Beati Thomæ , coram Joanne XXI. dicto XXII. anno 1323. mense Julio . Incipit hic sermo , *Vir Dei es tu &c.* quo & nos hactenus usi sumus , genuina Aquinatis opera recensentes , ac vindicantes in Superioribus Differ- tationibus .

Eo in Sermone *Summam Theologicam Tripartitam* a Rogerio prætermissam existimat Launojas: indeque argumenta promit, quæ sequuntur, ut Opus illud in dubium revocet. 1. „Quomodo, inquit, opus tam grande, si Beati Thomæ fœtus est, fugere „potuit Clementis diligentiam, qui sibi sunspicit, Doctorem Sanctum a librorum, quos

DISSE R TAT I O PRÆVIA.

„ edidit , multitudine laudare ? Quomodo tam insigne opus prætermisisset , qui tot mihi „ nulla opuscula recenset ? 2. Deinde Clemens Parisiensis erat Theologus , Beato Thomae mæestate suppar , & forsitan natus antequam Thomas de vita decederet : & eam ob causam facile nosse potuit , quæ Thomas opera conscriperat , & cum primis Summam tripartitam , quæ ab eo sub extremo vitæ tempore edita fuisset . 3. Tum credibile non est , Clementem usque adeo accuratum librorum Thomæ texuisse catalogum inconsultis Dominicanis , a quibus quin adjugus fuerit viꝫ dubitari potest . Omisissent „ ne Summam , si hæc inter Opera illius tunc extitisset ? 4. Postremo non memini legere me , fuisse , qui tunc Clementem de imperfecto librorum Thomæ catalogo accusaverit . Accusatus esset sine dubio , quia intoleranda fuisset Clementis negligenteria . 5. Non me latet , in Præfatione librorum Durandi super Sententias , Summa mentionem fieri , eamque citari . Sed non me quoque latet , Durandi in Sententias esse scripta duo , quæ exstant in Bibliotheca Cœnobii Sancti Victoris ad Lutetiam . In Scripto priori nulla est præfatio : in posteriori est præfatio , quæ alterius esse postest , quam Durandi , cum ex aliis , tum ex eo quoque , quod in illis Scriptis Summa nominatum meminerit nusquam , etiam si Thomæ placita passim refellat . Deinde de si Durandi esset , diceretur verisimiliter , unum vel plures fuisse , qui statim atque Thomas in Sanctorum numerum relatus est , Summam ex variis Beati Thomæ commentariis jam consecerant , cum Durandus præfationem posteriori Scripto adtexuit : Durandus vero relationi Thomæ in Sanctorum numerum annis x. supervixit . „

Ex silentio , quod Petrum Rogerium , poitea Clementem VI. tenuisse putat , colligit Launojus , Theologicam Summam , quæ Sancto Thomæ attribuitur , nondum anni 1323. mense Julio , quo laudatum Rogerius habuit sermonem , produisse in lucem : conjectaque vir , ingenio suo genioque indulgens , intra decenium fortasse , quod Sancti Doctoris apotheosim sequutum est , opus illud ab uno vel pluribus consodalibus ex variis ab eodem elucubratis commentariis congestum , confarcinatumque fuisse . Addit vero oblationem , pro germano Thomæ fœtu habiturum se Tripartitam Summam , si vetusior Clemente VI. & ante ann. 1323. afferatur Scriptor , qui operum Thomæ catalogum texens , Summam ei adscriperit : Ceterum , inquiens , si vetusior Clemente Scriptor operum Thomæ catalogum composuit , eique Summam imdidit , illi potius , quam Clementi assentiar .

11. Id ultra offertenti Launojo satis ut faceret , sibi munus adsumpsit Natalis Alexander , anno 1675. Mense Junio , novus tunc renunciatus Parisiensis Doctor , edito Opusculo , quod inscribitur : Summa Sancti Thome vindicata , & eidem Angelico Doctoris asserta , contra præpostoram Joannis Launoji Parisiensis Theologi dubitationem : item contra Launojanas circa Simoniam observationes animalversio : Parisiis , typis Andreæ Cromoisy 1675. in 8. Omnia plausu exceptæ Doctissimi Viri vindiciae fuerunt . Author Dissertationis Launojanæ , quæ Tomo iv. operum Launoji habetur , refert Parte III. Responsionem ipsius Launoji ad Alexandri opusculum ad calcem pene perductam fuisse , & prelo committi ceptam , cum repente morbo correptus ille , vita mortali migravit die 10. Martii 1678. An hæc responsio partem dumtaxat illam Opusculi ab Alexandro cinnati impeteret , in qua Annatas , ut vocant , labe Simoniae purgandas Vir doctus susceperebat ; an alteram etiam partem , quæ Summam Theologicam Aquinari vindicabat , non constat . Opusculi sui exemplaria à longo tempore distracta cum essent , preium operæ existimavit clarissimus Author , illud ipsum in novam formam redactum , emendatum , novis etiam auctum observationibus , selectis dissertationibus in Historiam Ecclesiasticam XIII. seculi , quo floruit Thomas , & quartidecimi , quo in Sanctorum cœtum relatus est , inferere , ut ad posteros facilius transmitteretur . Prodierunt Dissertationes illæ Parisiis , typis Antonii Dezallier anno 1684. & 1687. in 8. & 1699. & 1714. in fol. itemque postea in Italia Venetiis , & Luca , eadem forma .

Novam solidissimam , omnibusque numeris absolutam molitus est apologiam Jacobus Echar-

DISSE

TATIO PRÆVIA.

111

Echardus, quam inscriptit, *Sancti Thoma Summa suo Authori vindicata*. Parisiis prodit opus anno 1708. in 8. apud Jo. Baptista Delespine. Launoji dubia vocat ad examen Sectione III. §. 1. eademque luculentissimis argumentis depellit. Hanc egregii Operis partem, novis documentis auctam, inferuit Author Tomo primo Scriptorum Ordinis Prædicatorum, qui Parisiis typis Jo. B. Christophori Ballard, & Nicolai Simart lucem vidit anno 1718. in Elogio Sancti Thoma. Tam ampla vero testium Clemente VI. antiquiorum fide, & autoritate rem petractat Alexander: tot alia plura peremptoria monumenta, ex vetustis Authoribus & Manuscriptis codicibus defumpta, addidit Echardus, ac omnia peragit diligentissima criti; ut sententiam dubio prorsus omni pro oblitera mutaret, ejuraretque pollicitatione Launojus.

Muneris etiam mei ratio postulat, ut ejusdem Doctoris Parisiensis dubia & ego pro virili disputatione: eademque probatissimis testibus, & argumentis validissimis elidam. Si nova proferre non liceat, dabo vetera meliore fortasse collocata ordine, novisque animadversionibus illustrata, ac munita. Illud vero mihi probandum adsum: *Theologiam Summam*, velut opus germanissimum Aquinatis, tum decennio illo, quod sacram ejus apoteoseum anno 1323. peractam sequutum est, laudatam celebratamque fuisse: tum etiam longe ante sermonem a Petro Rogerio in ipsis canonizationis solemnibus habitum, eidem Thome abs Scriptoribus synchronis supparibusque tributum, & in codicibus ætate illa manu exaratis nomine ejus inscriptum.

III. Primus adest luculentissimus testis, Ptolomæus Lucensis. Divo Thomæ mortalem vitam agenti familiarissimus ipse fuit: testaturque Libro XXIII. Hist. Eccles. capite VIII. ubi refert Aquinatis obitum, suam sepe confessionem Se audivisse, & cum ipso multo tempore conversatum esse familiari ministerio. Probatiorem testem vel ipse Launojus non exoptabit. Ad ipsam Ecclesiasticam Historiam libris 24. comprehensam quod attinet: perduxit eam Author vel ad annum 1295. ad ipsam usque Bonifacii VII. Summi Pontificis electionem, vel ut summum ad annum 1313. Plurium Codicum manus exaratorum fide, priorem de fine Historie ab Ptolomæo nostro adornatæ sententiam confirmat Jacobus Echardus: alteramque præferre videtur Ludovicus-Antonius Muratorius in amplissima Scriptorum Italie collectione Tomo xi. fide adhibita Codicis Patavini optimæ notæ. Hinc vero, quæ in aliquibus Ms. additamenta occurunt ad annum 1336. vel 1342. authorem non habent Ptolomatum. Ut ut sese res habeat: Chronicon adest, quod ante Aquinatis apoteoseum, habitumque a Petro Rogerio sermonem concinnatum fuit. Anno demum circiter 1322. vita illum migrasse, Echardus conjectat: adhuc ipsum egisse vitam anno 1325. ex monumentis Ecclesie Torcellanæ, cui præfuit Episcopus, satis patefactum legitur in ejusdem Ecclesie Tabulis apud Ughellum in Italia Sacra Tomo V. Venetæ editionis anni 1720. Sed ipsum jam anno 1327. vita functum, colligitur ex successione Bartholomæi de Piscialis, quam refert Ughellus: ad annum 1328. quo anno, sit, die 28. Mensis Februarii Sacro Collegio solvit subsidium: nimirum intra deceaniū, quod apoteoseum Thome sequutum est.

Probatissimi testis, omni majoris exceptione, jam accipe testimonium, quod ipse perhibet Libro XXII. Historie capite xxxix. „Hujus (Pontificis, Clementis IV. qui „a die 5. Februarii anni 1265. tenuit Sedem ad diem 29. Octobris anni 1268.) tem- „pore, dictus Doctor scriptit *Summam*, quam in tres partes divisit: videlicet *Natura-lem*, quia ibi definit de naturis rerum, & primo de Divina essentia, & secundo de rebus creatis. *Secundam partem* vocat *Moralem*, quæ divisit in duo *Volumina*. „Unum volumen accepit in universalibus materiis, quæ *Prima Secunda* vocatur respe- „ctu Philosophie (al. Scientie) *Moralis*. Alia vero pars principales materias conti- „net omnium virtutum & vitiorum, tota fundata & ornata Philosophorum dictis, & rationibus, ac Doctrinam sacrorum authoritatibus, quam *Secundam Secunde* respectu ejusdem materia appellamus. *Tertia autem pars Summe*, quæ est quartum *Volumen*, „*Sacramentalis* vocatur, quia in ea de Sacramentis agitur, & Incarnatione Verbi: & „ultimam.

DISSERTATIO PRÆVIA.

„ultima pars dicitur, quia ultimo facta, sive quia finis est aliarum,. Launoji votis cumulatissime factum satis. Synchronus nempe testis, Clemente VI. antiquior, Aquinatus adjudicat *Summam Theologicam*, eamque *Tripartitam*, ac secundam partem ejus in volumina duo distributam, quorum alterum *Prima Secunda*, alterumque *Secunda Secunda* jam tum appellabatur, postrema vita Thomæ periodo elucubratam.

Sequitur Bartholomæus de Capua, Logotheta & Protonotarius Regni Sicilie, in Procesu Canonizationis testis citatus & juratus, qui de vita, & moribus, ac Scriptis Divi Thomæ testimonium perhibuit anno 1319. die 8. Augusti: quatuor scilicet ferme annis ante Sermonem, quem habuit Rogerius, postea Clemens VI. in solemnibus apotheoseos. Latii testimonii fragmentum vulgavit Baluzius, quod in ejusdem Procesus capite nono desideratur apud Bollandianos num. 84. linea 20. post illa verba, quem dixerat ipse Dei electus. Opera Divi Thomæ eo in loco recensentur, ac inter alia *Tres partes Summae*. Rursum Fragmenti initio hæc habentur luculentissima: „Item dixit dictus testis. quod cum ipse legisset aliquibus annis in Scriptis dicti Fratris Thomæ, occurrit sibi quadam vice memorie, se legisse in eis: quod consuetudo populi Christiani pro lege servanda est. Et dum hæc verba idem tellis studiose perquireret per plures dies, cum essent sibi opportuna, nullo modo potuit illa invenire. Finaliter tamen idem testis genu flexit, & rogavit dictum Fratrem Thomam, quod revelaret sibi. Qui statim aperto libro *Secunde partis Secunda*, sine revolutione chartarum invenit ipsa verba in Tractatu de Jejunio. “Articulum quartum centesimæ quadraginta septimæ Quæstionis indicat Logotheta, ubi hæc habentur ad 3. In Jejunio autem Quadraginta interdicuntur universaliter etiam ova, & lacticinia: circa quorum abstinentiam in aliis jejuniis diversæ consuetudines existunt apud diversos, quas quisque observare debet secundum morem eorum, inter quos conversatur. Unde Hieronymus dicit, de jejuniis loquens: Unaquæque Provincia abundet in suo sensu, & præcepta majorum leges Apostolicas arbitretur; in epistola ad Lucinium num. 6. Splendide ergo constat, ante annum 1319. laudatam, vulgatamque fuisse Theologicam *Summam* Divi Thomæ, tres in partes tributam, ac *Secunde partis* volumen alterum appellari consueuisse *Secundam Secundæ*.

In eodem Procesus capite num. 79. sic ipse fari inducit Logotheta: „quod cum dicitus Frater Thogas celebraret Missam in dicta Capella Sancti Nicolai Neapoli, fuit mira mutatione condonatus; & post ipsam Missam non scripsit neque dictavit aliquid, imo suspendit organa inscriptionis in *Tertia parte Summae* in Tractatu de *Penitentia*. Disertissime commemorata habes & ipsam Theologicæ *Summarum* tertiam partem, veluti opus cuique notum vulgatumque, ante sacram Canonizationem Divi Authoris, habitumque sermonem a Rogerio. Id vero sibi a Fratre Joanne de Judice relaturn, Logotheta testatur, *Anagnia* in loco Fratrum *Prædicatorum*.. paullo antequam Dominus Papa Bonifacius (VIII.) caperetur. Captum *Anagniæ* Summum Pontificem Historiæ produnt, anno 1303. intempesta nocte Sabbati ante vii. idus Septembris: unde eodem anno 1303. manibus omnium *Summa* Divi Thomæ *tripartita* terebatur. Sed idem Logotheta denique testatur, rem hanc Joanni de Judice narratam fuisse a Fratre Reginaldo de Piperno, socio Aquinatis fidissimo, ejusque arcanorum omnium conscientia. Mortali fato functum Reginaldum inter annum 1285. & annum 1300. adnotat Echardus in ejus Elogio: unde merito colligat quisque, pro indubio Thomæ fœtu ante annum 1300. habitam fuisse *Tripartitam Theologicæ Summam*. Splendidius exoptari non potest rei testimonium, qua de agimus: fide dignissimum omni, si spectetur vel ab uno Logotheta latum: eoque magis luculentum probatumque, utpote Joannis de Judice, & Reginaldi Privernatis auctoritate munitum.

DISSERTATIO PRÆVIA.

C A P U T II.

*De germano eodem Sancti Thomæ factu testimoniū peribent Nicolaus Trivetus,
O Gulielmus de Tocco. Perperam in dubium vocat Antonius Pagius,
laudatum Gulielmum vulgariter scripsisse Aquinatis vitam.*

I. **N**icolaus Trivetus, rei qua de agimus, testis accedit tertius. Chronicon Regum Angliae a Dacherio in lucem editum perdixit ad annum usque 1307. vitamque suam egit ad annum 1328. teste Balzo, quem excipiunt Pitheus & Cavens apud Echardum: unde lucis usura fruebatur intra decennium a Launojo præstitutum, & ante illud conscripsisse Chronicon dicendus est. Ad annum 1274. de Thoma Aquinate agit: ipsumque cum vocet Venerabilem Doctorem Fratrem Thomam de Aquino sati indicat, hanc a se Chronicī partem elucubratam ante sacram ejusdem Canonizationem. Neque hominis, utpote Angli, respuenda fides: cum enim in Studio Parisiensi, ut ipse testatur in Chronicī prologo, diuturnam traxerit moram, litteras Theologicas accepturus, addiscere perquam facile potuit ibidem gesta Thomæ, compositosque ab eo libros. Tertis ergo probatissimi, contra quem exceptione intercedi nulla potest accipe verba loco citato: *Item (scriptit) Summam Theologie : quam in tres partes divisit: & Secundam in duas partes.*

Quartum locum tenet Gulielmus de Tocco. Testem scilicet advoco, præcipuum Canonizationis Divi Thomæ promotorem, Scriptoremque Vitæ ejus anno 1323. adhuc inter vivos agentem, his demum, quas postulabat Launojus, conditionibus munitus ornatumque. Quinimo synchronus Thomæ fuit, quem vidit scribentem, ut in Processu apud Bollandianos capite VII. num. 58. testatur ipse; & audivit prædicantem O legentem. Opera ejus, quæ noverat, capite IV. Vitæ recenset, & ait: „Præter opus, quod fecit super quatuor libros Sententiarum Summam fecit, quam distinxit libris; matrias quatuor librorum aliter ordinans: quam cum pluribus Articulis ampliavit subtilioribus rationibus, ipsas determinans Sanctorum authoritatibus.“

II. Dubium ingerit Antonius Pagius num istam, quam Bollandi Continuatores vitam Aquinatis ediderunt, confecerit Gulielmus de Tocco? Ad annum 1190. num. 10. sic habet: „Juvabit hic obiter observare, dubitandi locum esse an Gulielmus istius vita Scriptor fuerit, cum id tantum meritis conjecturis adstruatur: constetque ex ea, ipsum anno 1319. collaborasse, ut fieret processus Canonizationis Doctoris Angelici, quæ postea anno 1323. peracta fuit. Nam eo tempore Doctor subtilis scholam suam habebat, sicut Doctor Angelicus: & tamen in ea vita num. 17. legitur: *Est omnibus manifestum quod in toto mundo inter fideles catholicos, in Philosophia & Theologia, in omnibus Scholis nihil aliud legitur, quam quod de ejus Scriptis hauritur: quamvis multi alii Magistri ejus stylum scribendi, quo potuerunt studio, imitantur, quasi ex ejus (S. Thomæ) scriptis clavem habentes scientia, ingressi sunt divinorum secreta cellararia: & multa volumina scripsierunt suum exercitantes studium supra positum dicti Doctoris fundamentum: divina dispensatione mirabiliter permittente, ut quicumque ab hujus Doctoris Scriptura volunt divertere, contingat eos aut in fide, aut moribus aberrare.* Quod vere dici non potuit a Gulielmo de Tocco; cum anno 1320. Schola Scotistarum jam viguerit, ut manifeste ostendit Codex Manuscriptus Francisci Mayronis, Joannis Scotti discipuli, in primum librum Sententiarum, qui affervatur in Bibliotheca Conventus nostri Cesennæ, manuscriptis diviti, a me alias lectus. In illius enim Codicis fine legitur: *Explicit lectura super primum Sententiarum Fratris Francisci Mayronis de Provincia Provincia Ordinis Fratrum Minorum, reportata sub eo Parisis anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo . . .* „Qua-

DISSERTATIO PRÆVIA.

„ Quare cum Mayronius tam in illo codice , quam in aliis omnibus libris Theologis , cis in lucem editis , doctrinam Scotti propugnaverit , liquet Scholam Scotistarum jam „ ab eo saltem anno floruisse . “ Pergit num. 11. præfato tempore Scholam Scotistarum jam institutam ostendere : *Ex quibus , inquit , necessario sequitur , aut Guillelmum de Tocco non edidisse vitam S. Thome ipsi adscriptam , aut eum non vere scripsi , quæ superius ex eodem desumpta sunt .*

Mera & inani conjectura dubitare mihi Pagius videtur de vero vita Aquinatis parente : quem non meritis conjecturis , sed solidis rationibus , Guillelmum de Tocco habuerunt Bibliographi . Unum proculdubio , eumdemque fuisse Vita authorem , & promotorem Canonizationis , verba declarant , quæ num. 29. habentur : *De hujus Doctoris puritate mirabili , & inviolata , ac modernis temporibus inaudita , facta est revelatione cuidam Fratri devoto dicti Sancti , de quo inferius dicetur cum cogitasset ejus historiam texere , & de quibus posset ipsum virtutibus commendare . Qui cum prosequuturus predicti Doctoris Canonizationem , rediret ad Curiam , & esset in portu Asturii &c.* Quo loco idem ipse est , qui Canonizationis negotium agebat , cogitabatque Aquinatis vitam texere . Imo illam eodem tempore jam elucubratam servabat . Eo quippe in portu intolerabili tempestate detentus dum apparentem sibi Divum adloqueretur : *Magistr , inquit , ego scripsi totam historiam tuam : unum tamen mirabile est , de quo dicas mihi , si est ut scripsi , plenius veritatem .* Hæc acciderunt , cum ipse rediret ad Curiam , negotium scilicet Apotheoseos prosequuturus , ulterioreisque postulaturus miraculorum perquisitionem : quæ demum novis curis ut perageretur , iussit Pontifex das litteris Apostolicis Avenione Kal. Junii , Pontificatus anno v. Christi 1321. Mutuum Diploma referit Raynaldus ad eumdem annum num. 46. unde tempus denique constat , quo Vitam Aquinatis jam ille composuerat , qui Canonizationem ejus promovebat .

Quisnam ille fuerit , loca duo invicem collata splendidissime patefaciunt quæ sequuntur . Affero primum verba ex capite xiiii. vita , de qua agimus , num. 80. *Ad gloriam etiam dicti Sancti scribenda sunt miracula , quæ in prosecutione Canonizationis ejus divinitus contiguntur Fratribus , quibus commissa fuit inquisitio de miraculis a Deo meritis ejus factis cum dicti Fratres in quadam galea Provincialium plurimis cœrata , de Neopoli versus Romanam Curiam navigarent cum ad montem Argentarium ventus galeam impelleret &c.* Fratres adsunt , quibus de ulteriori miraculorum inquisitione commissum fuerat : quive maris iter fuerant aggressi , ut ad Romanam Curiam apud Avenionem proficerentur . Rem hanc pariter scripto reliquit Bernardus Guidonis in ea , quam ipse Vitam Aquinatis elucubravit : Fratresque predictos proprio nomine appellat . Verba accipe , quæ habentur Parte iii. capite 99. apud Bollandi Continuatores . Cum Frater Guillelmus de Tocco Ordinis Prædicatorum , Prior Conventus Beneventani , cum socio suo Fratre Roberto Lectore , venerit per mare ad Romanam curiam apud Avenionem , inventariis factis de miraculis Sancti Thome , de cujus Canonizatione tunc temporis tractabatur : accidit , ut ipsis navigantibus quadam nocte ... tempestate gravissima excitata in mari , galea , in qua cum aliis navigabat , ad montem Argentarium violencia ventorum nimia impellebatur &c. Utrumque modo conferas locum : compertumque fiet , illum eumdem , qui & Canonizationis Thomæ negotium præcipue urgebat , & Vitam ejus scriperat , Bernardi Guidonis fide & testimonio , fuisse Guillelmum de Tocco . Nomen scilicet suum , quod ipse præ modestia ubique reticuit , Bernardus Guidonis patefacit ; ut meritissimus illius vita author innotesceret .

Quidni vero laudatus Guillelmus , qui anno 1321. ut adnotavimus , vitam Aquinatis jam elucubraverat , scribere potuerit , in toto mundo inter fideles Catholicos in Philosophia & Theologia in omnibus Scholis nihil aliud legi , quam quod de ejus scriptis hauriretur ? Ipse Pagius loco citato num. xi. ultro fatetur : certum videri , doctrinam Doctoris Angelici ante annum 1300. communiter a Professoribus lectam fuisse . At subdit tamen ille : postquam anno 1304. Joannes Scotus lauream Doctoratus Parisiis accepit quam

DISSERTATIO PRÆVIA:

viii

quæplarimos doctrinam ejus professos esse : tandemque, ut quam tardissime, ante annum 1320. Theologiam & Philosophiam in duas Scholas divisam fuisse. Res ita se habeat. Quidni vero scribere Guillelmus de Tocco potuerit debueritque, doctrinam Aquinatis communiter ab Doctoribus traditam in Scholis fuisse, eo quidem tempore, quo vix emergerat Scotti Schola ? Satis hæc sunt superque, ut levi motum conjectura Pagium vocasse in dubium vitæ Aquinatis authorem, constet.

C A P U T III.

Testes accedunt Nicolaus de Freaville S. R. E. Cardinalis, & Joannes de Friburgo. Alii etiam consimiles. Itemque exteri, Galienus de Orto, Guillelmus de la Mare, S. Ludovicus Episcopus Tolosanus. Codices denique MSS.

I. **A**D alios cumulandos testes redit oratio, qui intra decennium, quod apotheosim Thomæ sequutum est, & ante ipsam apotheosim, *Theologicam Summam* pro germano habuerunt ejusdem Aquinatis factu. Quintum numero Nicolaum de Freaville, Conventus Rotomagensis alumnū, anno circiter 1296. a sacris Philippi Pulchri Regis Francorum confessionibus adscitum, ad purpuram petitione ejusdem Regis anno 1305. elevatum, vitaque mortali functum anno 1324. die 14. Februarii. Ornatussum teltem non respuit Launojus. Ultimæ voluntatis ejus Tabulas vulgavit Baluzius Tomo II. Paparum Avenionensium pag. 410. scriptas, confessasque anno *Nativitatis Domini M. CCC. XXI. Indictione IV. die xvi. Mensis Octobris*. Hæc in illis verba leguntur: „Item declaramus, quod libri, videlicet Biblia, Summa Decretalium in duobus voluminibus, Summa contra Gentiles, & Secunda Secunda, quos habebamus, antequam essemus facti Cardinalis, fuerunt dicti Conventus Ordinis Prædicatorum Rotomagensium.“ Opinionem Launoji evertit tam insigne testimonium. Putabat morosissimus censor, *Summam Theologicam* ejusque partes *confessas*, *confarcinataisque* fuisse a consimilibus Dominicanis intra decennium; quod apotheosim Thomæ excepit, ex variis Beati Thome Commentariis. At Secundam Secundam, Summam illius egregiam partem, ante annum 1305. jam possidebat Conventus Rotomagensis: ab eo anno commodatam habuit Nicolaus de Freaville, cum sacram purpuram induitus esset: eamdemque restituit demum anno 1321. integro fere biennio ante Canonizationem Thomæ.

Audiendus sexto loco venit Joannes de Friburgo, quem etiam *Theuthonicum* nuncupatum legimus, & Joannem Lectorem. Ipsum commendat Leander Albertus, utpote virum devotum, & litteratura præstantissimum: ejusque refert obitum ad anni 1314. sextum idus Martias. Dotibus ornatus adest, quas Launojus exposcit omnes. Factus ejusdem sunt *Quæstiones causales*, sive de causib[us]. An opus typis aliquando prodierit, incomptum mihi. Lucem vidit attamen eiusdem operis *Præfatio*, in alia ipsius Joannis elucubratione, quæ inscribitur, *Summa Confessorum*. Editione utorum Parisina, expensis Joannis Petri denuo impressa anno milleno CCCCC. XIX. idibus Januarii. Quæ sequuntur, accipe: „Prologus Fratris Joannis Lectoris in priorem libellum *Quæstionum causalium* . . . Sunt autem hæc collecta maxime de Libris horum Doctorum memorati Ordinis: videlicet Fratris Alberti quondam Ratisponensis Episcopi, Fratris Thome de Aquino, & Fratris Petri de Tarantasia. “ Ex appellatione, Fratris Thome de Aquino, collige operis elucubrati tempus, ante illius Apotheosim. Pergit ille: „Sed hic considerandum est, quod cum Secunda Pars Secunda de Summa Fratris Thomæ prædicti, quasi pro majori parte sit moralis & casualis, plurima de illa sumpta in hoc Opificulo posui: & ideo ubicumque solum dicitur, *Resp. Secundum Thomam in Summa*, vel simile, nullo addito; semper intelligendum est de Secunda Secunda, nisi alia pars specialiter exprimatur.“ Summam eo tempore, Tom. I. b quoq

DISSESTITO PRÆVIA.

quo a Launojo definitum est , ejusque partes , vulgatas jam quisque videt , laudataisque a Scriptoribus .

Sequitur in editione citata *Prologus ejusdem Fratris Joannis Lectoris in Summam Confessorum* . Hæc profero verba : „ Modum autem eumdem tenui in hac compilatione , „ quem in priori libello . Videlicet , quod cum nominatur hic *Summa Thomæ* , semper „ intelligitur de *Secunda parte Secunde* , nisi *alia pars* specialiter exprimatur . „ Constantissimo nempe Joannis de Friburgo testimonio evincitur , revinciturque de præcipiti & iniquo judicio Launojus .

Verba sequuntur , quæ digna sunt animadversione : „ Similiter cum nominatur hic „ *glosa* semper intelligendum est de *glosa* *Vilemī super Summam Raimundi* , nisi *alia glosa* specificetur : ut *glosa* *Innocentii* , vel *Hostiensis* , aut *Bernardi* , vel *glosa* *super aliquod decretum* . „ Quod argumentum est clarissimum , (verbis utor *Doctorissimi Echardi* ,) *Glossas super Summam S. Raimundi* opus esse *F. Guillelmi Redonensis* , easque falso in editis , *F. Joanni Lectori seu de Friburgo* adscribi . Viri utriusque Elo-gia consule apud ipsum .

II. Dominicanos testes , qui vel eadem , qua superiores , floruerunt ætate , vel etiam sequiori , tametsi probatissimos , advocare supersedeo , Bernardum Guidonis , S. Antoninum , Pignonum , & Valleletanum . Fidem vero Joannis de Columna ne confidentius urgerem , ea me permovit ratio , quod opus de *Viris illustribus* , abs synchroно quidem Scriptore confessum , interpolatrices tamen sequioris ævi manus passum est , ut argumentis luculentissimis in Dissertatione secunda ostendimus . Verba solum , quæ eodem in Opere habentur , describere liceat , ut iis pro ea , qua pollent autoritate , ut quisque valeat : *Scripsit . . . Summam Theologie* , quam *divisit in quatuor Volumina* .

III. Exteros audire testes aliquos præstat conditionibus insignitos abs Launojo postulatis , qui suffragium ferant . Galienus de Orto primus est . Virum fuisse votis religiosis adstrictum , notum est compertumque apud Jacobum Echardum ad annum 1288. inter Scriptores Ordinis Prædicatorum : ignotum vero cui nomen suum dederit Ordini . Codex Ms. membranaceus in Victorina Parisiensi Bibliotheca adseratur , cuius initium : *Incipit abbreviatio Fratris Galieni de Orto super Secundam Secunde Fratris Thomæ de Aquino* . Notam accipe in calce Codicis appositam : *Explicit anno Domini M. CC. octuagesimo VIII. Mense Aprili* . Jam ergo tot ante sacram apotheosim Thomæ annis , imo quartodecimo dumtaxat anno post ejus obitum , *Secunda Secunde* sub nomine *Fratris Thomæ de Aquino* in compendium redacta fuerat : quod est argumento , ante illius annum vulgatissimum fuisse egregium *Summa Theologie* opus , illudque Doctorum omnium manibus die noctuque tritum , versatumque .

Similem prætermittere nolim Dominicani licet Scriptoris lucubrationem , quam manu exarata in Bibliotheca Colbertina vidi , lustravitque diligentissimus Echardus , longe diversam ab ea , quæ Galienum de Orto authorem habet . Hæc affero verba , quæ idem Echardus descriptis in sua Sancti Thomæ Summa vindicata : „ *Explicit Summa utcumque abbreviata , & per quasdam decisiones dearticulata : excerpta de 2. 2. S. Thomæ de Aquino Ordinis Fratrum Prædicatorum* , per Fratrem Joannem Dominici „ *eiusdem Ordinis* , de expresso mandato Sanctissimi Patris & Domini nostri D. Joann „ *nis* divina providentia Sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Papæ XXII. „ *Completa in Avenione anno Domini M. CCC. XXIII. Pontificatus sui anno* „ *Sabato post Festum Venerabilis Doctoris S. Thomæ prædicti immediate subsequente* . „ *Annum intellige stylo novo 1324. quo hanc Epitomem complevit Joannes Dominici* : indeque certum argumentum prome de fusioris Theologicæ Thomæ Summæ existentia ante Canonizationem ejusdem . Qnomodo enim de opere , quod nondum extaret , ac post Sacram Apotheosim collectum fuerit , ut vana ac futile Launoji conjectura ferebat , abbreviando & in epitomen redigendo cogitari anno 1324. potuisse ?

Norū nemini non est opus *Guillelmi de la Mare* , Angli natione , professione Or- dinis

DISSERTATIO PRÆVIA.

ix

dis Minorum , quod inscribitur: Correctorium Fratris Thomæ de Aquino . Florebat au-
thor anno 1290. teste Wadingo: eodemque Seculo cadente decimo tertio Correctorium ,
quod vere Corruptorium dixerit vindices Thomæ , prodiit . Latiore sermone de homine
doctrinæ Divi Thomæ infenso agendum erit . Theses quamplures ex universis operibus
eius decerpserit inimica manus , quos in invidiam traduceret , ac præsertim ex Theolo-
gica Summa ; nempe novem & quadraginta ex Prima parte , ex prima Secundæ duo-
decim , & ex Secunda Secundæ sexdecim . Quam luculentum ergo testimonium , quod
primus ac vetustissimus hostis fert contra novissimum hostem Launojum , pro vendican-
do Aquinati Opere præstantissimo !

In calce *Sermonum de Sanctis* Divi Antonii Padiuani , legitur in editione ab Anto-
 nio Pagio curata *Testamentum S. Ludovici Episcopi Tolosani* , qui anno 1297 ad cœ-
 licies evolavit . In hocce monumento tam verbo Theologicam D. Thomæ Summaria
 laudari , ipse Pagius restatur . Verba ejus sunt ad an. 1190. num. xi. in *Critica ad*
Annales Baronii : „ Hic obiter Lectorem monebo , me ex eo (Testamento) demon-
 strasse , *Summam Theologicam* , cuius in eo mentio , genuinum foctum esse Doctoris
 „ Angelici . “

IV. Tam frequenti testimoni agmini , quo prælium cum Launojo commisimus , accen-
 dent vetustissimi Codices , quibus eadem infertur pugna ad interencionem , abs dili-
 gentissimo Echardo recensiti . Codices nempe sunt , suismet oculis accuratissime illustrati
 in Parisiensibus Bibliothecis , Navarra , Sorbonica , Victorina , Colbertina , aliisque :
 ipso tertiodecimo seculo cadente , quo floruit , docuit , scripti , obiitque Thomas , ma-
 da exarati : *Summam ipsam Theologicam* , ejusque singulas partes , sub ejusdem *Fratris*
Thomæ de Aquino nomine , præstantes . Plurimos ejus atatis , similisque optimæ notæ ,
 nullus dubito alias adservari Codices in Hispaniis , in Belgio , in Germania , in Italia :
 quos etiam in Indicibus librorum manuscriptorum præli beneficio in lucem editis me-
 moratos legimus . His vero sistema Launojanum quis non videat eversum plane , profi-
 gatumque ?

C A P U T IV.

Pater Rogerius , postea Clemens VI. quem Launojus imperite patavit , silentio
præterisse Theologicam Summam , amplissimis eam memorat verbis in
primo Sermone de laudibus Sancti Thomæ . Itemque in alio ,
quem eodem de argumento sermonem habuit .

I. Quid ergo aduersus tot luculentissima antiquitatis , longe majoris quam Launojus
 expereret , monumenta valeat illud Petri Rogerii , postea Clementis VI. in
 sua de laudibus D. Thomæ oratione silentium , quod unicum pro suo sistematicate lau-
 datus urget Launojus ? Verum & hocce telum infensissimo Censori eripiendum . Roge-
 ri verba sub oculos pono , quæ Censor desumpti ex Codice Ms. Caroli Mauritiæ
 Telleri Archiepiscopi Remensis , nunc Regio . Thema sermonis est : *Vir Dei es tu*
Oc. in eoque hæc habentur , quod attinet ad libros ab Aquinate elucubratos : „ Scri-
„ psit enim tam super Sententias , quam alias Questiones , xvi. volumina . „ Quo lo-
co diligenter animadverte numerum Voluminum , quæ sexdecim numerantur : ac ma-
teriam expende , argumentumque eorum , res nempe Theologicas , ut statim infra .
Numerata quippe universim volumina , sic recenserit singula : „ Scilicet quatuor scriptæ
„ super Sententias : quatuor libros in Summa contra Gentiles : (ita nempe legebat in
„ Codice Doctor Parisiensis Launojus :) questiones de Veritate : item questiones de Po-
“ tenie : item questiones de Anima : item questiones de Virtutibus : item questiones
“ de Spiritualibus creaturis : item undecim quodlibeta disputata . „ Commentarios ad-
 dit ,

DISSERTATIO PRÆVIA.

dit , quos super Bibliam scriptis , eosque numerat : tum opera super Philosophidm in-
memorat , quæ singula recenset : ac demum de Opusculis agit , item sunt parvula Opuscu-
la , inquiens , circiter XL .

Locum habes , ubi de *Summa Divi Thomæ Theologica* , authore Launojo , mentio
nulla , altumque silentium . Imo disertam Operis præstantissimi , expressamque mentio-
nem nemo non videat , qui mente & oculis captus non sit . Jam tene , quod animad-
vertendum proposuimus , *sexdecim* numerari *Volumina* ; quæ de rebus Theologicis con-
ficerit Aquinas . Atqui vero si lectioni adhæreas , quam exhibet Launojus : si *quatuor*
nempe libros in *Sententias* , itemque *quatuor* in *Summa contra Gentiles* , ac *septem*
quæ sequuntur *volumina* , in summam redigas , *quindecim* *Volumina* colligis , num-
quam *sexdecim* . Fac vero , post illa verba , *Quatuor in Summa* , & ante illa , *Contra*
Gentiles , punctum adesse : jam numerus prodit *sexdecim* *voluminum* : nempe super *Sen-*
tentias *quatuor* , in *Summa* *quatuor* , & contra *Gentiles unius* ; quod opus , tametsi
quatuor in libros tributum sit , uno semper volumine comprehensum recensuerunt ve-
teres . *Novem* jam adsunt *volumina* . Adde *septem* , quæ sequuntur : simulque collecta
sunt *sexdecim* . Utī vero conjectamus , habere se rem in Codicibus , Casimirus Oudinus
testatur : „ Ego , inquiens , qui Codicem tenui , ac volvi : lego illius meminisse legens
„ cum puncto , (typorum sphalma corrige , ac lege , memini me legisse cum puncto :)
„ *quatuor libros in Summa. Contra Gentiles* ; quomodo certe legendum , & punctuan-
„ dum est . Itaque recte de Joanne Launojo dicere possumus , quod de alio vulgus ef-
„ fatur : solo pro puncto cecidit *Martinus asello* . ”

Diligentiore adhibita crisi , Echardus rem hanc pertractat . Codicem Tellrianum ,
modo Regium , quo Launojus usus est , vidit ipse , iustravitque accuratissime : notat-
que , laudatum Rogerii sermonem bis in eodem Codice reperiri . In utroque ea pri-
mum habentur verba : *Scriptit enim tam super Sententias* , quam alias *questiones* , *sex-*
decim Volumina . Hic definitus voluminum numerus pro face habendus est , qua verbo-
rum sequentium , si quid insit obscuritatis , explorari sensus tuto valeat . Priore in
Sermone verba sequuntur : *Quatuor Scripta super Sententias* . *Quatuor libros contra*
Gentiles ; sed in altero : *quatuor scripta super sententias* . *Quatuor in Summa. Contra*
Gentiles ; cum puncto , prima sine dubio manu apposito . Collige plura . 1. Memoriz
lapsu Oudinum testari , se legisse in Codice : *Quatuor libros in Summa; contra Gen-*
tiles . 2. Ex utraque Codicis utriusque lectione tertiam conflasse Launojum : scilicet ,
Quatuor libros in Summa contra Gentiles . 3. Primo in Sermone desiderari . ro , In
Summa : in altero , ejusdem Sermonis exemplo Ms. ro *Libros* . 4. Facta porro utrius-
que Ms. exempli collatione , maximeque numero *sexdecim* , non librorum , sed *Volumi-*
nun inspecto , ita vere scripsisse Rogerium , ut S. Thomas ediderit *quatuor scripta*
(seu *Volumina*) *super Sententias* : itemque *quatuor Scripta* (seu *Volumina*) in
Summa : ac rursus *Volumen unum contra Gentiles* : quibus demum si addas *septem*
alia *questiōnū* *Theologicarum* *volumina* , *sexdecim* illa *volumina* prodeunt , que ante
omnia numeraverat Rogerius .

II. Nondum vero pro veritate satis , quam vindicamus . Bonis utique avibus , eo-
dem in Codice Sermonem aliym nactus est Echardus , ab ipso Rogerio habitum in
Parisiensi Fratrum Prædicatorum Templo sub duncipatione S. Jacobi , in primo Di-
vi Thomæ post sacram apotheosim Festo , anno 1323. stylo veteri , seu 1324. stylo no-
vo , die 7. Martii , coram Doctorum Parisiensem cœtu . Thema est : *Ecce plusquam*
Salomon hic O. c. Mirum est , Launoji , qui ipsissimum manu sua versavit Codicem ,
oculos fugisse alterum istum Sermonem : aut ab ipso insuper habitum , neglectumque .
Textitur in eodem brevis operum S. Thomæ elenchus , his verbis : „ In Theologia ,
„ *quatuor Scripta super Sententias* : post , tres *Summas* ; quarum *Scientiam* (lege ,
„ *Secundam* ,) tractantem de Virtutibus , in duas divisit ; fere loquentes de omni ma-
„ teria subtilissime , composuit : postea , de Veritate , O potestia Dei : de Malo : con-
tra *Gentiles* : qualibeta etiam determinavit . ” Quo splendidissimo in loco animad-
verte

verte , Opus contra Gentiles , quod etiam Summa appellari solet , longe diversum representari ab illis tribus Theologiæ Summis , quarum illa , quæ de virtutibus tractat , nempe Secunda , dividitur in duas . Cœcus esto , qui non videat , & agnoscat disertissime recensitam inter germana Thomæ opera Summam Theologicam , ac tres Operis præstantissimi partes , ac secundam partem demum in duas distributam . Hinc voces illas in ejusdem Sermonis textu , quarum Scientiam , librarii manu corruptas , emenda : ac lege : Quarum Secundam (Summam , seu partem Summa) tractantem de virtutibus &c. An ergo Petrus Rogerius , postea Clemens VI. elucubratam a Divo Thoma Summam Theologicam silentio præterierit ? Imo amplissimis utroque in Sermone verbis memorat eam , ac partes distinguit , itemque secundam partem in duas distributam notat . Qua de re si quis impotterum ambigat , næ se deridendum omnibus , & subilandum dabit .

C A P U T V.

Tertia Summa Theologicæ pars ad xc. usque questionem , veterum testimonio , & ipsius Thomæ fide , genuinus ostenditur ejusdem Aquinatis factus . Petri de Alva & Astorga dubia , & objecta depelluntur .

I. E Gregium , quod hactenus adversus Launojum vindicavimus Opus Doctori Angelico , Petri de Alva & Astorga in Tertia & postrema Parte effugere censuram non potuit . Hanc ille suppletam cum legeret , completamque post obitum Aquinatis , confidentius pronunciare ausus est : illi Tertia Parti non debere absolutam fidem praestari : imo , cum ignorenus , (ut inquit ,) ubi fuerit illud complementum , an in principio , fine , medio , totam Tertiam partem suspectam esse . Hæc ille , & similia in suo Sole Veritatis , quoque in Nodo & Funiculis , ac in Libello , quem inscripsit , Certum quid certissime falsitatis .

Quantum a vero deviaverit Alva , quam gravi mentis vertigine se in hocce negotio verti & circumagi siverit , luce meridiana clarius patefaciunt synchroni probatissimi Scriptores . Partem hanc Summa Theologicæ tertiam ab Sancto Thoma Aquinate elucubratam scribunt : tempus definiunt , quo eidem componendæ operam impendit : argumenta Questionum , quæ in eodem petractantur , satis indicant : ipsamque demum Questionem memorant , quam postremam reliquit mortali fato sublatus . Primus adest Ptolomæus Lucensis , cujus verba sunt Libro XXIII. Histor. Eccl. capite xi. Hic Doctor tempore hujus Pontificis (Gregorii X.) scriptis ultimam partem Summa , que Sacramentalis dicitur , quia de Sacrementis ibidem agitur , & de Incarnatione Verbi , in qua Articuli fidei continentur secundum ipsius humanitatem : sed non complevit morte preveniente . Tertiam , seu postremam partem diserte memoratam habes : imperfectam quidem , incompletamque morte preveniente relictam : sed quæ tamen Questiones completeretur De Incarnatione Verbi , deque Sacrementis : adeoque vulgo Sacramentalem appellatam : eamdemque demum ab Aquinato confectam tempore Pontificis Gregorii X. quem , cum absens foret , electum anno 1271. die 1. Septembris , coronatumque anno insequente 1272. die 27. Martii , nescit nemo .

Par est Nicolai Triveti , & Bernardi Guidonis testimonium . In Chronico apud Dacherium inquit ille : Item Summam Theologie , quam in tres partes divisi , & Secundam in duas partes : morte autem præventus , Tertiam totius & ultimam non complevit . Apud Echardum , & Oudinum hæc habet alter : Summam predictam in tres partes divisit : videlicet in Naturalem , Moralem , & Sacramentalem . . . Tertia autem pars Summa est quartum Volumen ejusdem , quæ ideo Sacramentalis vocatur , quia in ea agitur de Sacrementis Christi & Ecclesiæ , & de toto Mysterio Incarnationis Filii Duci : & inti-

DISSERTATIO PRÆVIA.

O ineitulatur ultima pars Summa, quia finis est aliarum, *O* ultima facta fuit: in qua scribenti, *O* vite sua finem fecit, *O* morte præventus incompletam reliquit. Mens fuerat Angelici Præceptoris Theologizæ Summam elucubrare, in tres partes tributam: partemque secundam distinxit in duas. Tertiæ Parti conscribenda applicuerit ne manum? Testes adsunt, qui perhibent, eam ab Aquinate confessam, incompletamque relictam: dubiumque nullum ut super sit, Tertiam, *O* ultimam Summae partem vocant, ac insuper quartum Volumen ejusdem. Quænam vero ab ipso argumenta pertractata fuerint? Satis voto faciunt laudati testes, inquietentes: in eadem Tertia parte agi de toto Mysterio Incarnationis filii Dei, & agi de Sacramentis Christi *& Ecclesie*. Manum ultimam operi suo non imposuit Thomas morte præventus: unde anno 1274. emortuali adhuc in eo elucubrando insudabat.

Sed hanc denique Tertiam partem eo usque ab Angelico Doctore deductam fuisse, prout in Codicibus Ms. omnibus, omnibusque editis exemplis prostat ipsa, luculentissimo docet testimonio *Magnificus Dominus Bartholomaeus de Capua, Logotheta & Protonotarius Regni Sicilia*, in Processu Canonizationis testis citatus *O* juratus, anno 1319. dieque 8. Augusti. Hæc ab ipso relata leguntur num. 79. apud Boliandi Continuatores ad diem vii. Martii: Item dixit idem Testis: quod cum dictus,, „Frater Thomas celebraret Missam in dicta Capella S. Nicolai Neapoli, fuit mira „mutatione commotus: & post ipsam Missam non scripsit, neque dictavit aliquid, „imo suspendit organa scriptionis in Tertia Parte Sur. me, in Tractatu de Pænitentia. „An luculentiora optari possint? Non ambigat ergo nisi caput infirmum elucubrari coepit ab Aquinate Tertiæ partem, perductum etiam opus ad Tractatum de Pænitentia, ipsumque incompletum ad eodem relictum prævento morte. Incepit in editis. & *Ms.* exemplis prædictus Tractatus de Pænitentia a quæstione 84. ac cœnit in quæstione 90. minime absolutus, completusque.

Fidem Logothetæ hæc referentis fides auget Joannis de Judice, & Reginaldi Pivernatis, fidissimi Sancti Thomæ Socii. Ex loco nāmque citato in Processu Canonizationis constat: Logothetam rem hanc accepisse a F. Joanne de Judice Anagnæ, paullo antequam Dominus Papa Bonifacius (VIII.) caperetur intempesta nocte diei Sabbati ante viii. idus Septembbris anno 1303. Fratremque Joannem rem eamdem didicisse a Fratre Raynaldo Pivernate, dum extremo circa annum 1300. morbo laboraret: coram demum palamque id a Logotheta vulgatum Fratri Guillelmo de Tocco, *& pluribus aliis Prædicatoribus*, *& postea fel. rec. Domino Benedicto Papa in Urbe moranti*, qui Bonifacio VIII. successit anno 1303 die 22. Octobris. Neque firmius adduci, neque optari testimonium potest, quod motum a Petro de Alva dubium dirimat, ac dissipet.

Quamquam demum & ipse Thomas postremæ sui Operis parti testimonium perhibet, tamquam genuino fœtui, quem mente concepit, propriaque manu conscripsit. Frequentius enī in hac Tertia parte ad Nonagesimam usque Quæstionem occurruunt indices, quibus ad ea se remittit, quæ Prima parte, & Prima Secundæ, & Secunda Secundæ pertractaverat, his verbis ac similibus, ut in prima parte, vel in secunda parte habitum est, dictum est *O*c. Adde, Commentarios in quatuor Sententiarum libros neminem haec tenus in dubium vocasse, num germani sint Aquinatis fœtus: cōdemque in hac Tertia Summa parte ita allegari, ut unus idemque utriusque Operis appareat Author, ipse tempore Thomas. Hæc verba legimus 3. par. Quæst. 9. Art. 4. Et ideo quamvis aliter alibi scripserim, dicendum est in Christo fuisse scientiam acquisitam *O*c. quibus sententiam revocat, quam in 3. Dist. 14. Quæst. 1. Art. 3. Qu. 5. ad 3. tradidérat: Per lumen intellectus agentis, inquietens, in Christo non fuit aliqua species, de novo recepta in intellectu possibili ejus: quo posito inferebat, scientiam acquisitam locum in Christo non habere. Similis revocatio sententiaz prostat in ejusdem Tertiæ partis Quæstione 70. & Articulo 4. ubi sic ait: „Aliū dixerunt, quod in

„Cir-

„ Circumcisione conferebatur gratia : sed quæ non sufficiebat reprimere concupiscentiam somnis , nec ad implendum mandata legis quod etiam aliquando mihi visum est . Sed diligenter consideranti appearat , hoc non esse verum , quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiae . “ Se némpe ad eam opinionem referat , quam in 4. Dist. 1. Quæst. 2. Art. 4. Q. 3. amplexus fuerat , docueratque his verbis : *Ad quod, (totaliter concupiscentiam reprimendam, & meritorie agendum,) gratia in Circumcisione data sufficere non valebat.*

II. Hæc ignorasse omnia Petrum de Alva oportet , cum Tertiæ Summæ Theologicæ Partem in suspicionem vocare ausus est . Quis enim sanx mentis fuerit , qui testimonia tam luculenta , & argumenta tam solida noverit ; simulque dubitationem moveat , num eadem Tertia pars ab Aquinate prodierit authore ? An graves aliz præsto illi fuerint hæsitandi rationes ? Suppletam , inquit , completamque Partem illam fuisse post obitum Thomæ , inficiatur nemo : *cum vero ignoremus, ubi fuerit illud complementum, an in principio, fine, aut medio, totam Tertiæ partem suspectam esse.* Accedit , (pergit ille opposita proferre argumenta ,) Partem eamdem laudari nuspiam ab Alberto de Brixia , a Nicolao Eymerico , a Girando Renerio , ab Ægidio Romano in Correctorio Corruptorii . En machinas omnes a Petro de Alva adhibitas . Quænam illis vires insint , experiamur .

Suppleta , inquis , completaque fuit Tertia Summæ pars post obitum Thomæ . Ita est . Prostat vero , quod alii confecerunt , *Supplementum in Codicibus Ms. ac editis exemplis* . Prima , quæ cietur quæstio , agit de partibus pænitentia in speciali , & primo de contritione , in tres Articulos divisa . Locum scilicet sibi vendicat post Quæstionem 90. ad quam usque calamus Thomæ pervenit ; quæ de partibus pænitentia in generali pertractat , in quatuor Articulos divisa . Integrum vero hocce Supplementum ex Quarto S. Doctoris in Sententias Commentario decerptum est . Hinc palam fit , ex eodem Supplemento ingeri nullam suspicionem posse contra Tertiæ Aquinatis partem ; imo solidissimum argumentum promi , quod Nonaginta priores Quæstiones ab ipso Aquinate scriptas , confessasque fuisse mirifice confirmatur .

Mirum est , silentium opponi Alberti de Brixia , Nicolai Eymerici , Girandi Renieri , Ægidii Romani ! Vita migravit Albertus anno 1314. Ad annum usque 1399. pervenit . Eymericus . Ante annum 1390. florebat Renerius . Hanc illustrat Echardus Chronographiam , quam Petrus de Alva turbaverat : ac plura castigat , & corrigit alia , quæ minus perite dixerat ille . Sileant vero laudati Scriptores . Quid inde ? Disertissime namque eloquuntur Synchroni , & suppare testes , Ptolœmus Lucensis , Nicolaus Trivetus , Bernardus Guidonis , Bartholomæus Logotheta , & his omnibus antiquior Reginaldus de Priverno , fidissimus ac individuus Thomæ Aquinatis socius . Quid ipsi vero testentur , jam recensuimus : confessam a Thoma Tertiæ partem : Quæstiones in ea pertractari de toto Mysterio Incarnationis Filii Dei , & de Sacramentis Christi & Ecclesia : ipsumque denique Thomam , dum Tractatum de Pænitentia scriberet , vita mortali migrasse inter Cœlites collocatum . Pudeat Alvam , levissimum Scriptorum , quos laudat , opposuisse silentium .

At minime silet Albertus de Brixia . Is vel Parisis , vel in Italia auditor fuit S. Thomæ . Opus elucubravit , cui titulus : *De officio Sacerdotis, sive Summa Casuum conscientiae* . Manuscriptum servant Bibliothecæ . Prologum in Authoris Elogio profert Echardus , ipsumque ante vulgaverat Alva in Sole Veritatis . Ea sunt inter alia animadversione dignissima verba : „ Ideo ego Frater Albertus de Brixia de Ordine Fratrum Prædicatorum hunc librum compilavi ex verbis , & questionibus , & Tractatibus Fratris Thomæ de Aquino , de Ordine prædicto Fratrum Prædicatorum . ” Codicem diligentius expendit Echardus : testaturque in recensione Supplementi ad 3. partem , compendio breviore collecta ab Alberto Brixiano fuisse , quæ omnia lato calamo dissensit in Tertia parte Thomas de Incarnatione Verbi , deque Sa-

eramentis Ecclesie. Si verbis ergo Tertiam partem non laudat Albertus Brixianus; factō certo, quod omnia verba superat, de eadem Tertia parte genuino Thomæ fons tu testimonium perhibet.

Abjudicandum ab Ægidio de Columna opus, quod Venetiis anno 1516. typis Octavianiani Scotti prodiit sub titulo, *Correctorum Corruptorii Fratris Thome*, censent Viri peritissimi: qua de re in alia Dissertatione. Quid interest vero, siue Ægidium, siue alium Operis illius Authorem *Tertia Summae Theologicæ partem* non laudasse? Guillelmum de la Mare inseguitur Author, qui Thomæ theses nonnullas, veluti damnatas traducebat, scilicet novem & quadraginta ex Prima parte desumptas, duodecim ex *Prima Secunda*, & ex *Secunda Secunda* sexdecim. Cur ergo aut Tertiam partem laudasset, aut tradita Theologica dogmata vindicasset, quæ intacta reliquit imprudens Lammarzi censura?

Silentium denique Girandi Renerii, qui ante annum 1390. florebat, & Nicolai Eymerici, qui ad annum 1399. vitam protraxit, quis non videat frustra ac irrito contumaciam opponi? Diligentius eorum lustrare opera non vacat, ut certiores reddamur, num *Tertiam* aliquando *partem* laudaverint, an eam præterierint? Nonne satis fuerint anterioris ævi testes luculentissimi, quos allegavimus? Sed accipe sequioris ætatis testimonia, quæ postulas. Joannem Bromiardum profero, qui anno 1390. florebat. In sua *Predicantium Summa* non pauca is decerpit ex *Tertia S. Thomæ Parte*: citatque Questionem 27. quam ab eodem Aquinate scriptam, superis tamen invitatis, dubitat Petrus de Alva. Acta etiam profero, quæ anno 1387. & inequentibus habita fuerunt Parisiis contra Joannem de Montesonum. Prostant ea Tomo I. *Judiciorum de novis erroribus*, quæ collegit Carolus Duplessis d' Argentrè: in quibus frequens *Tertia Summa Partis*, & Questionis 27. mentio. Vereor, ne si plura addiderim, & lectorum patientia abutar, & tempore.

G A P U T VI.

Supplementi ad Tertiam Partem author non videtur esse Albertus de Brixia: neque Petrus de Alvernia. Henrico de Gorcomio probabilius adjudicatur opus, ex Commentario in quartum Sententiarum librum confectum.

I. **S**Atius erit ultra procedere, ac investigare, quismam ille fuerit, qui memoratum *Supplementum Tertiae Partis* compilaverit, totum ac integrum ex *Commentario in librum quartum Sententiarum* decerpsum? Laudato Alberto de Brixia opus istud a Vincentio Bandello tribui, refert Petrus de Alva in *Sole Veritatis*. Tractatum Bandelli quem citat, *de Veritate Conceptionis gloriose Virginis Marie*, præ manibus non habeo, ut ipsum diligentius expendam, deque mente Authoris certiora documenta teneam. Equivocatione fortasse vel Bandellus, vel Alva laborat. Quod enim opus *de Sacerdotio officio* elucubravit Albertus, compilatum fatetur ipse in *Prologo ex verbis, & Questionibus, & Tractatibus Fraoris Thome de Aquino*. Compendio scilicet collecta eo in Opere prostant, quæ de *Incarnatione Verbi*, deque *Sacramentis Ecclesiasticis* fusæ pertractantur in *Tertia parte*: quæve cetera desiderantur, ex *quarto in Sententiarum libros Commentario*, pluribus quidem resecatis, totidem tamen omnia verbis, decerpta sunt. Hinc ansa data, ut Alberto quoddam attribueretur *Supplementum Tertiae Partis*: quod aliud ab illo est, de quo agimus.

II. Hunc laborem adscribi Petro de Alvernia in quodam Ms. codice Lovaniensis S. Martini Monasterii, prodit laudatus Alva. Codicis inscriptio est., „*Incipit comple-“ mentum, quod Petrus de Alvernia, Doctoris Sancti sequens vestigia, ex Quarto „Scripto ejusdem super sententias consummavit.*“ Et in calce hæc habentur: „*Ex-“ pli-*

DISSERTATIO PRÆVIA.

xv

„ plicit *Tertia pars Summa S. Thomæ de Aquino*, quam ipse morte præventus in-
„ completam reliquit. Deo aliqua melius de eo disponente : quam *Petrus de Alver-
nia*, Doctoris Sancti sequens vestigia, ex *Quarto Scripto ejusdem super Sententias*
„ consummavit “.

Virum eximium Ordini Prædicatorum frequentius accensent Nostrates, ac etiam Casimirus Oudinus ad annum 1280. & Dionysius Sammarthanus Tomo II. Galliæ Christianæ in Episcopis Claromontensis num. 69. Addunt postremi duo laudati Scriptores, ejusdem Ecclesiæ Claromontensis cathedralm ipsum tenuisse : quod ante traditum legimus a Ptolomæo Lucensi in Hist. Eccl. Libro XXIII. capite xi. Hanc ejus dignitatem pro dubia Echardus habet : Dominicanam vero professionem nihil hæsitans pernegat : ipsumque Collegio Canonicorum Ecclesiæ Parisiensis, ac Sociis Domus Sorbonice restituit. Thomæ Aquinati, ejusque doctrinæ addictissimus fuit : ejusdemque Commentarios Politicorum, de Cœlo & Mundo, deque Generatione, imperfectos reliatos, proprio marte supplevit, complevitque. Hac fortasse ratione ductus Notarius quispiam Petro de Alvernia adscriperit Supplementum Tertiæ partis, minime proprio alicuius marte confectum, sed ex Quarto Scripto Aquinatis super Sententias, totidem Quæstionibus, & Articulis, & verbis compilatum.

III. Tertius adest Henricus de Gorrichen, seu de Gorcomio, a loco natali in Batavia nuncupatus. Codices duo Petrus de Alva a se visos testatur Coloniz apud Regulares Cruciferos, quorum primus hunc præferebat titulum : *Sequuntur Quæstiones ex Quarto Scripto S. Thomæ de Aquino Ord. Præd. S. T. D. eximii*, per Ven. Mag. Henricum de Gorrichen Doctorem Theologum, pro completione materia in Tertiæ parte supradicti S. Doctoris declaranda, ut in principio patuit compilatae. In altero Codice ad calcem sic idem Alva legebat : *Explicit III. pars Summa S. Thomæ de Aquino Ord. Præd. quam ut intendebat, non complevit morte preventus: cuius suppletionem ex Scripto ejusdem Doctoris Magister Henricus de Gorrichen bone memoria compilavit.* Mirum est, hæc Alvam in Codicibus MSS. legisse ; proprio rursum addiscere potuisse experimento in prima Supplementi quæstione de partibus paenitentie in speciali, & primo de contritione agi ; ac nihilominus veluti se ignarum prodere, ubi fuerit illud complementum Tertiæ partis, an in principio, fine, medio; ipsamque totam Tertiæ partem in suspicionem vocasse ! Doctorem Theologum Coloniensem anno 1420. renunciatum ejusdemque Universitatis Vicecancellarium fuisse Gorcomium, & Gymnasiæ Burlæmontis collegam, inquit Alva, annuit Echardus.

Nam ergo ipse revera fuerit Supplementi compilator ? Id jam dixerat ante Alvam in sua Bibliotheca Belgica anno 1643. typis edita Valerius Andreas. Id ab ipso exceptum verisimile est ex Indice Codicum MSS. in Bibliothecis Belgii, vicinarumque Provinciarum anno 1500. adhuc extantium, quem Joannes Bunderius Ordinis Prædicatorum concianavit. Id antea fortasse tradiderat Guillelmus Cornificis ejusdem Ordinis Prædicatorum anno 1525. denatus, qui prædictorum Codicum titulos colligit, a Bunderio postea in ordinem redactos. Adde, Manuscriptos Codices nullos, teste Echardo, indicari posse, laudatum Supplementum præstantes, qui Seculo xiii. & xiv. exarati fuerint : unde neque Alberto Brixensi, neque Petro de Alvernia collectio illa adjudicari posse videtur. Atqui superiores duo Codices, ac tertius in Parisensi Navarrea Bibliotheca servatus, ad insequentem Seculum quintumdecimum spectant, quo etiam florebat Henricus de Gorrichen. Hujus ergo Authoris fuerit opus. Quod cum nihil aliud esse constet, quam *Commentarii in quartum Sententiarum librum partem*, totidem transcriptam verbis ; ulla certe ratio non erat, ob quam Nostrates, veluti Gorcomii gloriæ invidentes, Opus istud sibi vendicarent. Ita nihilominus, (an serio, an joco,) suspicabatur Petrus de Alva.

C A P U T VII.

*Scriptores nonnulli referuntur, qui Summam Theologiae a Thoma Juniore, & Commentarios in Sententias ab eodem Seniore confectos, arbitrati sunt.
Opposita chronographia vindicatur.*

I. Tempus jam innotescit, quo præstantissimum Opus elucubravit verus Author S. Thomas, extremis videlicet vitæ ejus annis. Certam chronographiam, inepto consilio ducti, nonnulli vexare ausi sunt. Refert eos Author Elucidarii Deipara in Defensione Cantabrica, qui laudatam Theologiae Summam opinati sunt a juniore Thoma confectam: ab eodemque jam ætate proiecto Commentarios in quatuor Sententiarum libros elucubratos. Tam absone adhæsit etiam opinioni Paulus Sherlogus in Anteloquio xi. in Canticum Canticorum. Sic ait Sect. 11. num. 14. „ In nupera editione Operum Bellovacensis, quæ studio Theologorum Vedastini Collegii Duacensis S. Benedicti prodiit, itum est in examine Elogii Bellarmini in eam sententiam, quæ a juvene Beato Aquinate compositam esse Summam autumat. Cujus opinionis aliquod esse valeat fulcimentum: quod Beatus Doctor, quam in 3. p. Qu. 27. Art. 2. sustinuit cogitationem de læsa Dei Genitrice a peccato originali, maturiori judicio senior retractavit in 1. Sent. Dilt. 44. Qu. 1. Art. 3. ad 3. Et talis inquit, fuit puritas Beatae Virginis, quæ peccato originali & actuali immunis fuit.“ Hinc num. 15. demum: certius esse, Vincentium a B. Thoma mutuatum esse, quando in Studiorum exordio Summam confecerit. Vedastini illi Monachi in Prologo, quem Duacenæ Speculi Vincentiani editioni anno 1624. accuratæ præfixerunt, Vincentium Bellovacensem ad annum 1274. pervenire potuisse putant, imo & Aquinati fuisse superstitem: qua posita chronographia, facilissime impacti sancto Doctori plagii, de quo in alia mihi agendum Dissertatione, maculam abstergi posse edisserunt. Hanc Vedastinorum Monachorum opinionem validissimis argumentis refellit Echardus, qui in eiusdem Bellovacensis elogio, tum obitum ejus ante annum 1263. non accidisse probat, tum ipsum clarissimum Virum insequente anno 1264. vita demum mortali migrasse. At ex anno Vincentii Bellovacensis emortuali, sive quem constituit Echardus, sive quem Monachi Vedastini definierunt, colligas numquam Theologiae Summam a juniore Thoma confectam esse. Commentum istud est, quod Author Elucidarii, & Paulus Sherlogus excogitarunt.

II. Otiosorum hominum sistema convellunt synchroni scriptores. Ptolomæus Lucensis rem diligentissime conficit omnem. Hæc habet Lib. XXII. Historiæ Eccl. capite xxxix. „ Hujus (Clementis IV. Summi Pontificis) tempore (a die 5. Mensis Februarii anno 1265. quo ad Summum Sacerdotium electus est,) dictus Doctor scripsit Summam: quam in tres partes divisit Istius ergo Summa tres partes quasi scripsit tempore istius Pontificis, & sequentis vocationis. “ Diem clausit extermum Clemens anno 1268. die 29. Novembris: vacavitque Romana Sedes ad annum usque 1271. diemque 1. Septembris: quo Gregorius X. cum absens foret, electus fuit, anno insequente 1272. die 27. Martii Diadema sacro redimitus. Hinc septem annos habes: quo temporis spatio, Summae suæ Theologicæ tres partes quasi scriperit, ipsius nempe operis partem majorem, Thomas Aquinas. Pergit namque Ptolomæus Libro XXIII. capite xi. sic adnotare: „ Tempore hujus Pontificis (Gregorii X.) scripsit ultimam partem Summae, quæ Sacramentalis vocatur; quia de Sacramentis ibidem agitur, & de Incarnatione Verbi, in qua articuli fidei continentur secundum ipsius humanitatem: sed non complevit, morte præventus“ (anno 1274. die 7. Martii.) Tempus innotescit, scilicet postremum vitæ decennium, quo Thomas Theologi-

et edendæ Summæ consilium cepit, ipsumque elucubravit opus. Dum versaretur in Italia, post annum 1265. manum admovit operi: in illud Parisis incumbebat, dum iterum anno 1269. regendam suscepit Sanjacobiæ Scholam: ipsumque ut ad complementum redigeret, in Italiam anno 1271. redux, insudabat: at morte prævento ultimam non licuit manum eidem imponere. Ita vero ad id opus conficiendum mentem operamque conferebat, ut simul & Scholas regereret, ubi diversabatur, & ab aliis edendis locubrationibus non cessaret, quas partim recensuitimus, ac porro notabimus alias.

Hanc eamdem temporis epocham indicant, confirmantque ceteri operum Thomæ vetusti Nomenclatores, qui diserte adnotant: *Tertiam Summae partem* fuisse incompleta ab eo morte prævento relictam. Trivetus ait: *Morte autem præventus, Tertiam totius (Operis) & ultimam (partem) non complevit*. Bernardus Guidonis: *In qua (Tertia parte) scribendi, & vita sua finem fecit: & morte præventus incompletam reliquit*. His vetustior, Reginaldus de Priverno, intimus Thomæ socius, insigne demum testimonium perhibet, a Bartholomæo de Capua allegatus in Processo Canonizationis apud Bollandi Continuatores num. 79. testaturque: *Suspendisse Aquinatem organa Scriptionis in Tertia Parte Summae in Tractatu de Pœnitentia*. A quæstione 84. initium sumit hic de Pœnitentia tractatus: idemque mancus, incompletusque definit in nonagesima quæstione. Quæ cum certissima & explorata haberi debeant, quis non miretur, dici ab Authore Elucidarii potuisse, *Juvensem Thomam elucubrassæ Theologicam Summam*; proiectumque & senem, *Commentarios edidisse in quatuor Sententiarum libros?* Maxima subit etiam miratio, eam Sherlogo insedit esse opinionem de nonnullis doctrinæ capitibus, quæ Thomas tradiderit in *Summa*, ac revocaverit in *Commentario!* Cerra sunt, ac nuga, & somnia vanissima.

C A P U T VIII.

*De Græca versione ejusdem Summae Theologicae. Quis fuerit auctor, inquiritur.
Versio, Armenica, aliæque vulgares.*

I. **D**RÆSTANTISSIMI OPERIS TOTIUS VERSIONEM GRÆCAM PRÆFANT CODICES M.S. PLURES, qui adservantur in Bibliothecis. VATICANOS NUMERAT JACOBUS ECHARDUS, REGIOS PARISIENSSES, COISLINIANOS, VINDOBONENSES, ANGLOS, VENETOS SANCTI MARCI. DILIGENTISSIMA EJUSDEM SCRIPTORIS RECESSIO OPERAM NOSTRAM PRÆVERTIT OMNEM, AC INHIBET. UNAM ILE EX TOMASINO PRIMAM SECUNDAM GRÆCE VERSAM INTER CODICES M.S. CARDINALIS BESSARIONIS MEMORAT: PARTEM ETIAM PRIMAM RECESSITAM LEGO IN GRÆCA DIVI MARCI BIBLIOTHECA CODICUM M.S. QUAE ANNO 1740. TYPIS PRODIIT VENETIIS, HOC MODO: CODEX CXLVI. IN SOL. CHARTACEUS, „S. THOMÆ AQUINATIS SUMMA THEOLOGIAE PRIMA pars, græce versa“. ADJICITUR NOTA: Επικράδη τῇ επαγγελικά τῷ Απρίλιο τῆς ἡπτανησιακῆς ἡμέρας τοῦ κατατάξιον τῶν παπανικούσων ποιῶν ἵτος: compleitus est die decimaquarta (decimaseptima) Aprilis Ind. prima anno 6871. (Christi 1363.) CODEX CXLVII. „IN SOL. CHARTACEUS . . . PRIMA SECUNDÆ PARTIS SUMMA THEOLOGICA. CODEX CXLVIII. IN 4. CHARTACEUS . . . PRIMA pars SUMMA THEOLOGICA. EPITOME PRIMA SECUNDÆ PARTIS SUMMA THEOLOGICA.“

EX CAESAREO-VINDOBONENSIS CODICE 204. CHARTACEO APUD LAMBECIUM LIBRO I. REFERT IDEM ECHARDUS, *THOMÆ DE AQVINO QUESITIONES DE DIVINA INCARNATIONE*: QUAE SUNT, INQUIT, VEL PRIORES QUESITIONES TERTIE PARTIS SUMMÆ S. THOMÆ, VEL QUESITIO INTER DISPUTATAS DE UNIONE VERBI INCARNATI. SED APUD NESELIUM COD. CXLIII. NUM. 4. & COD. CXLVI. NUM. 4. SIC TITULUS EFFERTUR: *EX SANCTI THOMÆ AQUINATIS LIBRIS QUATUOR DE VERITATE CATHOLICÆ FIDEI CONTRA GENTILES, & EX EJUSDEM SUMMA THEOLOGIAE, CAPITA MI-*

scellanea Quadragesima quinque. Primi capituli initium afferit Nesselius, quod sumptum constat ex Capite quadragesimo Libri quarti contra Gentiles. Vide, quæ adnotavimus in Dissertatione xxi. iis Libris præmissa.

In Codice Regio Parisiensi 2422. qui Secundam Secundæ continet, hæc latine ab Echardo versa legi, idem testatur Vir doctissimus: *Utinam, o Thoma, non in Occidente, sed in Oriente natus fuisses, ut essem orthodoxus, ac de Spiritu sancti processione sic recte sentires, ut de aliis preclare differis.* Itemque: *Sapiens est iste (Thomas,) excepto quod est Latinus, & Barlaamita, nisi potius Barlaam Thomista fuerit, & Lazarinus: cetera admirandus (ipse nempe Thomas.)* Barlaamus Monachus Calaber Græcus, pro versatili ingenio Latinis, & Græcis infensus, anno 1340. florebat. Duas prædictas adnotaciones ad ipsum Summæ Thomistica interpretem pertinere, verisimilimum putat Echardus: unde colligit, Græcam Summa Theologica versionem Demetrio Cydonio non adscribendam, qui Latinorum dogma de Spiritu sancti ex Patre Filio- que processione constanter tenuit.

II. Maximo Planudi, quem constat dogmatis ejusdem hostem acerrimum fuisse, Græcam istam versionem tribuendam censet. Conjecturam confirmat fide Codicis Ms. versionem prædictam continentis, in quo eadem translatio Maximo Planudi tribuitur. Codex est, inquit, *Bibliotheca Barocyniana (Barocianæ,)* quæ olim Venetiis erat, postea in Angliam translata. Indicem Codicum reliquit Tomasinus: quos ipse adnotat, *Jacobi Barocii Patricii Veneti non minori diligentia, quam sumptu conqueri- ros: & Thome Comitis Arundeliani are in Britanniam translatos.* Codicem, quo de agimis, his verbis recenset pag. 81. D. Thome Summa Theologia in Græcum translata a Maximo Planude: in bomb. fol. 412. Planudes florebat anno 1327. & adhuc anno 1353. lucis usura fruebatur, Guillelmo Cave, & Jo. Alberto Fabricio adnotantibus. Hinc animadverte in augmentum conjecturæ: Planudis ætati proximum esse Codicem, quem servat Veneta S. Marci Bibliotheca, anno 1363. completum: eidemque homini græco maxime convenire dicterium, quo Thomas Barlaamita vocatur.

III. Armenicam integræ Summa Theologica versionem debemus D. Michitar Sebaæno, Abbatii Monachorum e Congregatione S. Antonii. Hanc ipse Michitar, Vir Catholica fide, moribus antiquis, ac litterarum peritia conspicuus, anno 1712. instituit Methone in Peloponneso. In Peloponnesiaca clade a Turcis inlata, Venetias anno 1716. configurerunt Monachi: receptique sunt in Æstuariis prope Urbem in Insula Sancti Lazari anno 1717. Congregationem suam ad obitum usque, idest annum 1749. ipse Michitar prudentissime rexit primus Abbas. In laborioso confiendo opere sibi socium adscivit Joannem ejusdem Congregationis Monachum, qui vitam adhuc agit. Confectæ versionis plura, quæ vidi, adservant Volumina Ms. in 4.

Eamdem Summam Carminibus Armenicis expressit, sex in partes tributam, D. Ca- ciatur Arzerumensis, Doctor Theologus; qui Venetæ Armenorum Ecclesiæ plures annos præfuit. Primus Tomus, & secundus primæ partis prodierunt Venetiis anno 1729. typis Antonii Bortoli: lucemque vidit Tomus primus Secundæ partis anno 1734. Ceteri desiderantur.

Mutilum laudati Monachi S. Antonii servant Ms. Codicem, qui antiquorem, ut ajunt, præstat ejusdem Summa Theologica versionem Armenicam. An fuerit Bartholomæi, cognomento Parvi, ex Ordine nostro, Armenorum Apostoli ? Viri Sanctissimi, ad Armenorum reconciliationem a Joanne XXII anno circiter 1320. missi, vitaque mortali anno 1333. functi in Monasterio de Charnâ, elogium consule apud Echar- dum. Armenicam Summa contra Gentiles, & Summa Theologica Tertia partis versionem eidem attribuit Ambrosius de Altamura in Bibliothecæ Dominicanæ Centuria II. ad Annum 1333. Hæc sibi si constent, novus accedit pro Summa Theologica, genuino Aquinatis scetu, adversus imperitam Launoji censuram fide omni dignissi- mus testis.

Vul-

Vulgares etiam apud Europæos linguae ad idem opus exprimendum adhibitæ fuerunt ab Interpretibus, Authori sanctissimo addictis. Manuscriptam Hispanam *Prima partis* versionem ex Antonio Augustino, & ex Tamajo refert Echardus Tomo II. Scriptorum Ord. Pred. pag. 339. inter Anonymos Seculi sextidecimi. Gallicas aliquot, sive integras versiones totius Operis, sive epitomes, eorumque Authores, aut Editores recenset Antonius Touron in Aquinatis Vita Libro VI. Capite ix. Mirum vero, laborem hujusmodi ab Italorum nemine, quem sciam, suscepimus fuisse. Translationem Sinensem loco citato Touronius memorat, quæ confecta a P. Ruglo Siculo dicitur in Catalogo Patrum Societatis Jesu, qui post obitum S. Francisci Xaverii in Imperio Sinarum fidem propagaverunt, Parisis edito 1686. in 8.

Apud Marianum Armellini in Bibliotheca Benedictino-Casinensi, Parte II. pag. 121. Versio italica ejusdem Summae memoratur his verbis : „ *Prima parte della Somma di San Tommaso d'Aquino*, Dottore Angelico dell'Ordine de' Predicatori ridotta in lingua toscana in terza rima : divisa in tre parti principali, & otto Canti, a beneficio di Santa Chiesa, e de' Fedeli studiosi, l'anno 1595. *La Prima seconda di San Tommaso d'Aquino*, ridotta in rima sciolta toscana, in dialogo sotto il nome di Paolo, e Tommaso: divisa in sette Canti. Exarata in fol. servantur Bononiæ in Bibliotheca Monasterii S. Proculi . In Opere, quod *della Eloquenza italiana* inscripsit Justus Fontaninus Archiepiscopus Ancyranus in Edit. Rom. pag. 676. mentionem ingerit di un volgarizzamento a penna della Somma di San Tommaso d'Aquino, allora posseduto in Siena da Marcantonio Tolomei.... Marchio Scipio Maffejus in Opusculo de' Traduttori Italiani, sic ait V. S. Tommaso d'Aquino : *La Somma Angelica si regista nel Catalogo de' Giunti*. Nempe Summam Angelicam, sic nuncupatam ab Authoris nomine, Angelo Corletto de Clavafio, Ordinis FF. Minorum, deceptus intellexit Vir Doctor Thomas Aquinatis Theologicam Summam. Alia demum Italica versio tribuitur Philippo Magaluffo, Sacerdoti Romano, in Basilica Vaticana Beneficiario, qui mortem obiit anno 1689. coepitunque Opus reliquit imperfectum.



I N D E X

Q U A E S T I O N U M , E T A R T I C U L O R U M

Quæ in hoc Volumine continentur

P R I M A E P A R T I S

S U M M A E T H E O L O G I C A E .

Q U A E S T I O I .

De ipsa sacra doctrina , qualis sit , & ad
quæ se extendat .

A R T I C U L I .

- 1** **U**trum preter alias scientias doctrina theologica sit necessaria .
- 2 utrum sacra doctrina sit scientia .
- 3 utrum sit una scientia , vel plures .
- 4 utrum sit speculatoria , vel practica .
- 5 utrum sit dignior aliis scientiis .
- 6 utrum sit sapientia .
- 7 utrum Deus sit substratum hujus scientiae .
- 8 utrum sit argumentativa .
- 9 utrum uisi debeat metaphoris , vel symbolicis locutionibus .

Q U A E S T I O II .

De Deo an sit .

- 1** utrum Deum esse sit per se notum .
- 2 utrum Deum esse sit demonstrabile .
- 3 utrum Deus sit .

Q U A E S T I O III .

De simplicitate Dei .

- 1** utrum Deus sit corpus .
- 2 utrum in Deo sit compositio materiae , & formæ .
- 3 utrum in Deo sit idem Deus , & Deitas .
- 4 utrum in Deo sit compositio essentie , & esse .
- 5 utrum in Deo sit compositio generis , & differentie .
- 6 utrum in Deo sit compositio subjecti , & accidentis .
- 7 utrum Deus sit quocumque modo compositus , vel totaliter simplex .
- 8 utrum Deus veniat in compositionem cum aliis .

Q U A E S T I O IV .

De perfectione Dei .

- 1** utrum Deus sit perfectus .
- 2 utrum Deus universaliter sit perfectus , omnium in se perfectionem habens .
- 3 utrum creature possint esse Deo similes .

Q U A E S T I O V .

De bono in communi .

- 1** utrum bonum , & ens sint idem secundum rem .
- 2 utrum , supposito quod differant ratione tantum , quid sit prius secundum rationem bonum , vel ens .
- 3 utrum , supposito quod ens sit prius , omne ens sit bonum .
- 4 Ad quam causam ratio boni reducatur .
- 5 utrum ratio boni consistat in modo specie , & ordine .
- 6 utrum bonum dividatur convenienter per bonum , utile , & delectabile .

Q U A E S T I O VI .

De bonitate Dei .

- 1** utrum esse bonum conveniat Deo .
- 2 utrum Deus sit summum bonum .
- 3 utrum ipse solus sit bonus per suam essentiam .
- 4 utrum onania sint bona bonitate divina .

Q U A E S T I O VII .

De infinitate Dei .

- 1** utrum Deus sit infinitus .
- 2 utrum aliquid præter ipsum sit infinitum secundum essentiam .
- 3 utrum aliquid possit esse infinitum secundum magnitudinem .
- 4 utrum possit esse infinitum in rebus secundum multitudinem .

QUÆ-

Q U È S T I O VIII.

De existentia Dei in rebus.

1. utrum Deus sit in omnibus rebus.
2. utrum Deus sit ubique.
3. utrum Deus sit ubique per essentiam, presentiam, & potentiam.
4. utrum esse ubique sit proprium Dei.

Q U È S T I O IX.

De immutabilitate Dei.

1. utrum Deus sit omnino immutabilis.
2. utrum esse immutabile sit proprium Dei.

Q U È S T I O X.

De aeternitate Dei.

1. quid sit aeternitas.
2. utrum Deus sit aeternus.
3. utrum esse aeternum sit proprium Dei.
4. utrum aeternitas differat ab aeterno, & tempore.
5. utrum aeternum sit aliud a tempore.
6. utrum sit tantum unum aeternum, sicut est unum tempus, & una aeternitas.

Q U È S T I O XI.

De unitate Dei.

1. utrum unum addat aliquid supra ens.
2. utrum unum, & multa opponantur.
3. utrum Deus sit unus.
4. utrum Deus sit maxime unus.

Q U È S T I O XII.

De cognitione, & visione Dei.

1. utrum aliquis intellectus creatus possit videre essentiam Dei.
2. utrum essentia Dei videatur ab intellectu creato secundum aliquam speciem creatam.
3. utrum essentia Dei possit videri oculo corporeo.
4. utrum aliqua substantia intellectualis creata ex suis naturalibus sufficiens sit videre Dei essentiam.
5. utrum intellectus creatus ad videndum Dei essentiam indigeat lumine creato.
6. utrum videntium Dei essentiam unus alio perfectius videoas.
7. utrum aliquis intellectus creatus possit comprehen-

- bendere Dei essentiam.
8. utrum intellectus creatus videns Dei essentiam, omnia in ipsa cognoscat.
9. utrum ea, que ibi cognoscit, per alias similitudines cognoscat.
10. utrum simul cognoscat omnia que in Deo videntur.
11. utrum in statu bujus viæ aliquis homo possit essentiam Dei videre.
12. utrum per rationem naturalem Deum in hac vita cognoscere possimus.
13. utrum supra cognitionem naturalem in praesenti vita aliqua cognitio Dei habeatur per gratiam.

Q U È S T I O XIII.

De nominibus Dei.

1. utrum Deus sit nominabilis a nobis.
2. utrum aliqua nomina dicta de Deo prædicuntur de ipso substantialiter.
3. utrum aliqua nomina dicta de Deo proprie dicantur de ipso, an vero omnia ei attribuantur metaphorice.
4. utrum multa nomina dicta de Deo sint synonyma.
5. utrum aliqua nomina dicantur de Deo, & creaturis univoce, vel aequivoce.
6. utrum, supposito quod dicantur analogice, dicantur per prius de Deo, vel de creaturis.
7. utrum aliqua nomina dicantur de Deo ex tempore.
8. utrum hoc nomen, Deus, sit nomen naturæ, vel operationis.
9. utrum hoc nomen, Deus, sit nomen communicabile.
10. utrum accipiatur univoce, vel aequivoce, secundum quod significat Deum per naturam, per participationem, & secundum opinionem.
11. utrum hoc nomen, qui est, sit maxime proprium nomen Dei.
12. utrum propositiones affirmativa possint formari de Deo.

Q U È S T I O XIV.

De scientia Dei.

1. utrum in Deo sit scientia.
2. utrum Deus intelligat seipsum.
3. utrum Deus comprehendat se.
4. utrum suum intelligere sit sua essentia.
5. utrum intelligat alia a se.
6. utrum Deus habeat de rebus propriam cognitionem.
7. utrum scientia Dei sit discursiva.
8. utrum scientia Dei sit causa rerum.
9. utrum scientia Dei sit eorum que non sunt.
10. utrum scientia Dei sit malorum.

II. utrum

- 1 utrum scientia Dei sit singularium.
- 2 utrum scientia Dei sit infinitorum.
- 3 utrum scientia Dei sit futurorum contingentium.
- 4 utrum scientia Dei sit enunciabilium.
- 5 utrum scientia Dei sit variabilis.
- 6 utrum Deus de rebus habeat scientiam speculatoriam, vel practicam.

QUESTIO XV.

De ideis.

- 1 utrum sint ideæ.
- 2 utrum sint plures ideæ, vel una tantum.
3. utrum ideæ sint omnium quæ cognoscuntur a Deo.

QUESTIO XVI.

De veritate.

- 1 utrum veritas sit in re, vel in intellectu tantum.
- 2 utrum veritas sit in intellectu componente, & dividente.
- 3 de comparatione veri ad ens.
- 4 de comparatione veri ad bonum.
- 5 utrum Deus sit veritas.
- 6 utrum omnia sint vera una veritate, vel pluribus.
- 7 utrum veritas sit eterna.
- 8 utrum veritas sit immutabilis.

QUESTIO XVII.

De falsitate.

- 1 utrum falsitas inveniatur in rebus.
- 2 utrum falsitas sit in sensu.
- 3 utrum falsitas sit in intellectu.
- 4 utrum verum, & falsum sint contraria.

QUESTIO XVIII.

De vita Dei.

- 1 quorum sit vivere.
- 2 quid sit vita.
- 3 utrum vita Deo conveniat.
- 4 utrum omnia in Deo sint vita.

QUESTIO XIX.

De voluntate Dei.

- 1 utrum in Deo sit voluntas.
- 2 utrum Deus velit alia a se.
- 3 utrum quidquid Deus vult, ex necessitate velit.
- 4 utrum voluntas Dei sit causa rerum.

- 5 utrum voluntatis divine sit assignare aliquam causam.
- 6 utrum voluntas Dei semper impleatur.
- 7 utrum voluntas Dei sit immutabilis.
- 8 utrum voluntas Dei imponat necessitatem rebus volitis.
- 9 utrum voluntas Dei sit malorum.
- 10 utrum Deus habeat liberum arbitrium.
- 11 utrum sit distingenda in Deo voluntas signi.
- 12 utrum convenienter ponantur circa divinam voluntatem quinque signa.

QUESTIO XX.

De amore Dei.

- 1 utrum in Deo sit amor.
- 2 utrum Deus amet omnia.
- 3 utrum Deus magis amet unum quam aliud.
- 4 utrum Deus meliora magis amet.

QUESTIO XXI.

De justitia, & misericordia Dei.

- 1 utrum in Deo sit justitia.
- 2 utrum justitia Dei veritas dici possit.
- 3 utrum in Deo sit misericordia.
- 4 utrum in omni opere Dei sit justitia, & misericordia.

QUESTIO XXII.

De providentia Dei.

- 1 utrum providentia Deo conveniat.
- 2 utrum providentie divine subdantur omnia.
- 3 utrum providentia divina immediate sit de omnibus.
- 4 utrum providentia divina imponat necessitatem rebus provisis.

QUESTIO XXIII.

De prædestinatione Dei.

- 1 utrum Deo competit prædestinationem hominum.
- 2 utrum prædestinatione ponat aliquid in prædestinatione, & quid sit.
- 3 utrum Deo competit reprobatio aliorum hominum.
- 4 utrum prædestinati elegantur a Deo.
- 5 utrum merita sint causa, vel ratio prædestinationis, reprobationis, & electionis.
- 6 utrum prædestinati infallibiliter salventur
- 7 utrum numerus prædestinationis sit certus.
- 8 utrum

- 3 utrum predestination posse juvari precibus
Sanctorum.

QUESTIO XXIV.

De libro vite.

- 1 quid sit liber vite.
2 cuius vite sit liber.
3 utrum aliquis possit datur de libro vite.

QUESTIO XXV.

De potentia Dei.

- 1 utrum in Deo sit potentia.
2 utrum potentia Dei sit infinita.
3 utrum Deus sit omnipotens.
4 utrum possit facere quod ea que sunt praeterita, non fuerint.
5 utrum Deus possit facere que non facit, vel pratermittere que facit.
6 utrum Deus possit ea que facit, meliora facere.

QUESTIO XXVI.

De beatitudine Dei.

- 1 utrum beatitudo competit Deo.
2 utrum Deus dicatur beatus secundum actum intellectus.
3 utrum Deus sit essentialiter beatitudo cuiuslibet beati.
4 utrum in beatitudine Dei includatur omnis beatitudo.

QUESTIO XXVII.

De processione, sive origine divinarum personarum.

- 1 utrum processio sit in divinis.
2 utrum aliqua processio in divinis possit dici generatio.
3 utrum praeter generationem possit esse aliqua processio in divinis.
4 utrum illa alia processio possit dici generatio.
5 utrum sint in divinis plures processiones quam dñe.

QUESTIO XXVIII.

De relationibus divinis.

- 1 utrum in Deo sint aliquae relationes reales.
2 utrum illae relationes sint ipsa essentia divi-

- na, vel sint extrinsecus affixa.
3 utrum possint esse in Deo plures relationes realiter distincte ab invicem.
4 de numero harum relationum.

QUESTIO XXIX.

De personis divinis.

- 1 de definitione personæ.
2 utrum persona sit idem quod hypostasis, substantia & essentia.
3 utrum nomen personæ competit in divinis.
4 utrum nomen personæ in divinis significet relationem, vel substantiam.

QUESTIO XXX.

De pluralitate personarum in divinis.

- 1 utrum sint plures personæ in divinis.
2 Quæ sint personæ in divinis.
3 utrum termini numerales ponant aliquid in divinis.
4 utrum hoc nomen, persona, sic commune tribus personis in divinis.

QUESTIO XXXI.

De his quæ pertinent in divinis ad unitatem, vel pluralitatem personarum.

- 1 utrum in divinis sit Trinitas.
2 utrum Filius possit dici alius a Patre.
3 utrum dictio exclusiva, solus, sit addenda termino essentiali in divinis.
4 utrum dictio exclusiva possit adjungi termino personali.

QUESTIO XXXII.

De cognitione divinarum personarum.

- 1 utrum per rationem naturalem possit cognosci Trinitas divinarum personarum.
2 utrum sint aliqua notiones divinis personis attribuendæ.
3 utrum sint tantum quinque notiones in divinis, vel plures.
4 utrum liceat circa notiones diversimode opinari.

QUESTIO XXXIII.

De his quæ pertinent ad personam Patris.

- 1 utrum Patri competit esse principium Filii, vel Spiritus sancti.
2 utrum

- 2 utrum hoc nomen, Pater, sit proprium nomen personae Patris.
- 3 utrum hoc nomen, Pater, per prius dicatur in divinis personaliter, quam essentialiter.
- 4 utrum sit proprium Patri esse ingenitum.

QUESTIO XXXIV.

De verbo in divinis.

- 1 utrum verbum dicatur in divinis essentialiter, vel personaliter.
- 2 utrum verbum sit proprium nomen Filii.
- 3 utrum in nomine verbi importetur respectus ad creaturas.

QUESTIO XXXV.

De hoc nomine Filii, quod est imago.

- 1 utrum hoc nomen imago in divinis dicatur personaliter.
- 2 utrum imago sit proprium nomen Filii.

QUESTIO XXXVI.

De pertinentibus ad nomen Spiritus sancti.

- 1 utrum nomen Spiritus sancti sit proprium nomen alicujus divinae personae.
- 2 utrum persona illa que dicitur Spiritus sanctus, procedat a Patre, & Filio.
- 3 utrum Spiritus sanctus procedat a Patre per Filium.
- 4 utrum Pater, & Filius sint unum principium Spiritus sancti.

QUESTIO XXXVII.

De nomine Spiritus sancti, quod est amor.

- 1 utrum amor sit proprium nomen Spiritus sancti.
- 2 utrum Pater, & Filius diligant se Spiritu sancto.

QUESTIO XXXVIII.

De nomine Spiritus sancti, quod est dominum.

- 1 utrum dominum possit esse nomen personale.
- 2 utrum sit proprium nomen Spiritus sancti.

QUESTIO XXXIX.

De personis in comparatione ad essentiam.

- 1 utrum essentia in divinis sit idem quod persona.

- 2 utrum dicendum sit, quod tres Personae sunt unius essentie.
- 3 utrum nomina essentialia praedicanda sint de personis in singulis, vel in plurali.
- 4 utrum adjektiva nomina, aut verba, vel participia praedicari possint de nominibus essentialibus concrete acceptis.
- 5 utrum praedicari possint de nominibus essentialibus in abstracto acceptis.
- 6 utrum nomina personarum praedicari possint de nominibus essentialibus.
- 7 utrum essentialia attributa sint approprianda personis.
- 8 quod attributum cui personae debeat appropriari.

QUESTIO XL.

De personis in comparatione ad relationes, sive proprietates.

- 1 utrum relatio sit idem, quod persona.
- 2 utrum relationes distinguant, & constituant personas.
- 3 utrum abstractis per intellectum relationibus a personis, remaneant hypotheses distinctae.
- 4 utrum relationes secundum intellectum praesupponant actus personarum, vel e converso.

QUESTIO XLI.

De personis per comparationem ad actus notionales.

- 1 utrum actus notionales sint attribuendi personis divinis.
- 2 utrum hujusmodi actus sint voluntarii, vel necessarii.
- 3 utrum per hujusmodi actus persona procedat de aliquo, vel de nibilo.
- 4 utrum in divinis sit potentia respectu actuum notionarium.
- 5 utrum potentia generandi, vel spirandi significet relationem, vel substantiam.
- 6 utrum actus notionales ad plures personas terminari possint.

QUESTIO XLII.

De aequalitate, & similitudine divinarum personarum ad invicem.

- 1 utrum aequalitas locum habeat in personis divinis.
- 2 utrum persona procedens sit aequalis secundum eternitatem ei a qua procedit.
3. utrum sit aliquis ordo in Personis divinis.
- 4 utrum

- 4 *utrum persone divine sint aequales secundum magnitudinem.*
 5 *utrum una personarum divinarum sit in alia.*
 6 *utrum persone divine sint aequales secundum potentiam.*

Q U E S T I O X L I I I .

De missione divinarum personarum.

- 1 *utrum alicui persone divine conveniat mitti.*
 2 *utrum missio in divinis sit eterna, vel tantum temporalis.*
 3 *secundum quid persona divina invisibiliter mittatur.*
 4 *utrum cuilibet persone conveniat mitti, & precipue Patri.*
 4 *utrum invisibiliter mittatur tam Filius, quam Spiritus sanctus.*
 6 *ad quos fiat missio invisibilis.*
 7 *de missione visibili.*
 8 *utrum alia persona divina tantum mittatur ab ea a qua est.*

Q U E S T I O X L I V .

De prima causa omnium entium.

- 1 *utrum Deus sit causa efficiens omnium entium.*
 2 *utrum materia prima sit creata a Deo, vel sit principium ex aequo coordinatum ei.*
 3 *utrum Deus sit causa exemplaris rerum, vel sint aliqua alia exemplaria preter ipsum.*
 4 *utrum Deus sit causa finalis rerum.*

Q U E S T I O X L V .

De creatione.

- 1 *quid sit creatio.*
 2 *utrum Deus possit aliquid creare.*
 3 *utrum creatio sit aliquid in creatura.*
 4 *cui competit creari.*
 5 *utrum filius Dei sit creare.*
 6 *utrum sit commune toti Trinitati, aut pro-*

- prium alicujus personae.*
 7 *utrum in rebus creatis sit vestigium Trinitatis.*
 8 *utrum opus creationis admisceatur operibus nature, & artis.*

Q U E S T I O X L V I .

De principio durationis rerum creatarum.

- 1 *utrum creature semper fuerint.*
 2 *utrum eas incepisse, sit articulus fidei.*
 3 *quomodo dicatur Deus in principio cælum, & terram creasse.*

Q U E S T I O X L V I I .

De distinctione rerum in communi.

- 1 *utrum rerum multitudo, & distinctio sit a Deo.*
 2 *utrum rerum inæqualitas sit a Deo.*
 3 *utrum sit unus sanctum mundus, vel plures.*

Q U E S T I O X L V I I I .

De distinctione rerum in speciali. & primo de malo.


- 1 *utrum malum sit natura aliqua.*
 2 *utrum malum inveniatur in rebus.*
 3 *utrum bonum sit subjectum mali.*
 4 *utrum malum totaliter corrompat bonum.*
 5 *utrum malum sufficienter dividatur per cul- pam, & paenam.*
 6 *utrum plus habeat de ratione mali pena, quam culpa.*

Q U E S T I O X L I X .

De causa mali.

- 1 *utrum bonum esse possit causa mali.*
 2 *utrum summum bonum, quod est Deus, sit causa mali.*
 3 *utrum sit aliquid summum malum, quod sit causa omnis mali.*

D.THO-



D. THOMAE AQUINATIS DOCTORIS ANGELICI SUMMAE THEOLOGICAE

P A R S P R I M A,
P R O L O G U S.



UIA catholicæ (1) veritatis Doctor non solum proiectos debet instruere, sed ad eum pertinet etiam incipientes erudire (secundum illud Apostoli I. ad Corintb. III. i. *Tamquam parvulis in Christo, huc vobis potum dedi, non escam:*) propositum nostræ intentionis in hoc opere est , ea quæ ad christianam religionem pertinent , eo modo tradere secundum quod congruit ad eruditionem incipientium .

Consideravimus namque , hujus doctrinæ novitios , in iis quæ a diversis scripta sunt, plurimum impediri : partim quidem propter multiplicationem inutilium quæsitionum , articulorum , & argumentorum : partim etiam quia ea quæ sunt necessaria talibus ad sciendum , non traduntur secundum ordinem discipline , sed secundum quod requirebat librorum expositio , vel secundum quod se præbebat occasio disputandi : partim quidem quæ coruindem frequens repetitio & fastidium , & confusionem generabat in animis auditorum .

Hæc igitur , & alia huiusmodi evitare studentes , tentabimus cum confidentia divini auxilii , ea quæ ad sacram doctrinam pertinent , breviter ac dilucide prosequi , secundum quod materia patietur .

Sum. S. Th. l. P. A Q U A -

(1) Catholica dicitur , id est universalis ex græco καθολικης , quia ubique , quia semper , quia uniformiter ab omnibus credita , ut Vincentius Lyrinensis explicat : Vel quia universaliter perfecta est , quia in nullo claudicat , quia per totum orbem diffusa est , ut Augustinus de Catholica Ecclesia ibi super Genesim imperfecto in fine dicit : Vel quia sicca quadam medicamentorum genera sunt ita comparata , ut non in singulis tantum agrestinibus utilis sint , sed omnibus in commune medeantur , habentaque in se virtutem generalis auxilii , ita & fides Catholica non adversum singulas sanctas pestes , sed contra omnes mordaces operi medela communis imperit ; ut Hilarius lib. 2. de Trinit. ait , ubi & addit : Magnum est enim ut in ea una remedia esse quos morbi sunt , & eos veritas doctrinas quos sumo studio falsissimis . Hinc a Medicis usum patè loquutione medicamentum Catholicum non inumerit dici possit : Quidni & sua mode S. Thomas doctrina ? Quia confusas heresies omnes & convictas restatur Pius V.

Q U Ä S T I O P R I M A .

De sacra doctrina, qualis sit, & ad quæ se extendat,

In decem articulos divisa.



T ut intentio nostra sub ali-
quibus certis limitibus com-
prehendatur, necessarium est
primo investigare de ipsa sacra
doctrina, qualis sit, & ad quæ
se extendat.

Circa quæ querenda sunt
decem.

Primum de necessitate hujus doctrinæ.

Secundo, utrum sit scientia.

Tertio, utrum sit una, vel plures.

Quarto, utrum sit speculativa, vel practica.

Quinto de comparatione ejus ad alias scien-
tias.

Sexto, utrum sit sapientia.

Septimo, quid sit subiectum ejus.

Octavo, utrum sit argumentatiya.

Nono, utrum uti debeat metaphoricis,
vel symbolicis locutionibus.

Decimo, utrum scriptura sacra hujus do-
ctrinæ sit secundum plures sensus exponenda.

ARTICULUS PRIMUS. i

*Utrum sit necessarium præter philosophicas disci-
plinas aliam doctrinam haberi.*

a. 2. quest. ii. art. 3. & 4. & I. prol. art. 2.
& L contra gent. cap. iv. & vi. & ver.
quest. XIV. art. II.

AD primum sic proceditur. Videtur quod
non sit necessarium præter philosophicas
(¹) disciplinas aliam doctrinam haberi. Ad ea
enim quæ supra rationem sunt homo non de-
bet conari, secundum illud Eccli. III. 22. Al-
latora te ne questionis. Sed ea quæ rationi sub-

duntur, sufficienter traduntur in philosophi-
cas disciplinis. Superfluum igitur videtur præ-
ter philosophicas disciplinas aliam doctrinam
haberi.

2. Præterea. Doctrina non potest esse nisi
de ente: nihil enim scitur nisi verum, quod
cum ente convertitur. Sed de omnibus en-
tibus tractatur in disciplinis philosophicis,
& etiam de Deo: unde quædam pars Phi-
losophie dicitur Theologia, sive scientia di-
vina, ut patet per Philosophum in VI. Me-
taphys. (*comm. II.*) (²) Non sicut igitur
necessarium præter (^{*}) philosophicas disciplinas
aliam doctrinam haberi.

Sed contra est quod dicitur II. ad Timo-
th. III. 16. *Omnis scriptura divinitus inspi-
rata, utilis est ad docendum, ad arguendum,
ad corripondendum, ad erudiendum, ad iustitiam.*
Scriptura autem divinitus inspirata non per-
tinet ad philosophicas disciplinas, quæ sunt
secundum rationem humanam inventæ. Utilis
igitur est præter philosophicas disciplinas
esse aliam scientiam divinitus inspira-
tam.

Respondeo dicendum, quod necessarium
fuit ad humanam salutem esse doctrinam
quamdam secundum revelationem divinam
præter philosophicas disciplinas, quæ ratio-
ne humana investigantur. Primo quidem
quia homo ordinatur ad Deum sicut ad quem-
dam finem, qui comprehensionem rationis
excedit, secundum illud Isai. IX. 4. *Oculus
non vidit, Deus, absque te, que preparasti dilig-
entibus te.* (³) Finem autem oportet esse præ-
cognitionem hominibus, qui suas intentiones
& actiones debent ordinare in finem. Unde
necessarium fuit homini ad salutem quod ei
nota fierent quædam per revelationem divi-
nam quæ rationem humanam excedunt.

Ad ea etiam quæ de Deo ratione huma-
na investigari possunt, necessarium fuit ho-
minem instrui revelatione divina: quia ve-
ritas de Deo per rationem investigata, a
paucis, & per longum tempus, & cum
admixtione multorum errorum homini pro-
veni-

(1) *Physicos* quidam legunt, nec male; tum
quia scientie qualibet naturales *Physica* dici pos-
sunt. tum quia illa quæ *Physica* dicitur speciatim,
ea est potissimum ex qua in Dei notitiam per crea-
turas devenitur.

(2) Ubi tres ait esse *speculativas* *Philosophias*
(id est *Philosophia* partes) *Mathematicam*, *Physi-
cam*, *Theologiam* (sive *Theologicam* ut exprimit
græca vox,) & hanc *honorabilissimum scientiam* velut
circum *honorabilissimum genus* esse dicit: Unde pri-
mam *Philosophiam* ibidem vocat; ut & I. Meta-

phys. cap. 2. versus finem divinam scientiam (*θεωρίαν*)
imo *divinissimam* (*θεοτεχνίαν*) quia nempe aliam
non noverat.

(*) *Isa* edit. Rom. & Parisi. Nicolai. *Paseu.*
physicas: sic etiam *infra* *sepius*.

(3) *Expectansibus* ος (*έπεισμεν*) Sed Apofor-
sus I. ad Corinth. 2. vers. 5. *iiis qui diligunt illum*
(*αγαπῶσιν*) Etsi eodem sensu, quia expectabundi
præ ceteris propter dilectione rei desiderium ardens
ii maximie qui diligunt e.

veniret : a cuius tamen veritatis cognitione dependet tota hominis salus, quæ in Deo est. (1) Ut igitur salus hominibus & convenientius, & certius proveniat, necessarium fuit quod de divinis per divinam revelationem instruerentur. Necessarium igitur fuit præter philosophicas disciplinas, quæ per rationem investigantur, sacram doctrinam per revelationem haberi.

Ad primum ergo dicendum, quod licet ea quæ sunt altiora hominis cognitione, non sint ab homine per rationem inquirenda; sunt tamen a Deo revelata, suscipienda per fidem: unde & ibidem (Eccli. 111. 25.) subditur: *Plurima supra sensum hominum (2) offensa sunt tibi.* Et in huiusmodi sacra doctrina consistit.

Ad secundum dicendum, quod diversa ratio cognoscibilis diversitatem scientiarum inducit. Eamdem enim conclusionem demonstrat Astrologus, & Naturalis, puta quod terra est rotunda: sed Astrologus per medium mathematicum, idest a materia abstractum; Naturalis autem per medium circa materiam consideratum. Unde nihil prohibet de eisdem de quibus philosophicæ disciplinæ tractant, secundum quod sunt cognoscibilia lumine naturalis rationis, etiam aliam scientiam tractare, secundum quod cognoscuntur lumine divinæ revelationis. Unde Theologia, quæ ad sacram doctrinam pertinet, differt secundum genus ab illa Theologia quæ pars Philosophicæ ponitur.

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo: quomodo per rationem confundas hæresim Davidisgeorgii; seu Davidicorum imp̄iissime dicentium: Doctrinam omnem haec tenus a Deo per Moy sen, & prophetas, per Christum & Apostolos traditam, fuisse imperfectam, & ad salutem consequendam inutilem. Item hæresim Svensfeldii somniantis Scripturam sacram non esse verbum Dei: ergo secundum eum, ut videtur, non revelatam. Item etiam hæresim Hermanni Risiwich plusquam blasphemæ dicentis, nostram scripturam esse fatuam, flagram Bibliam, delirum, falsumque Evange-

lium, fidem fabulosam. Si res manque sic se haberet, ut hic imp̄iissimus blasphemæ: tunc profecto & non necessaria, & inutilis, & noxia esset hæc sacra doctrina. Secundo habes hinc: quomodo per eandem rationem demonstres, has justissime fuisse a Papa Innocentio in Concilio generali damnatas. Extra de summ. trin. & fid. cath. firmiter creditæ & simpliciter confitemur, &c. quod sancta Trinitas primo per Moy sen & sanctos prophetas, aliosque famulos suos, jussa ordinatissimam depositionem temporum doctrinata humano generi tribuit salutem, & tandem Unigenitus Deus filius Jesus Christus verus homo factus, viam vita manifestus demonstravit. Hæc ibi. Item etiam a conciliis omnibus de hac re tractantibus damnatas, dum omnia libros ipsos sacros, canonicosque appellarunt, pro talibusque suscepérunt. Novissime a Concilio Tridentino sess. 4. decr. 1. sic. *Qui ab ipsa synodo suscipiuntur, sunt infra scripti, quinque libri Mosis, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: deinde Ioseph, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, Paralipomenon duo, Esdra duo: primus scilicet, & secundus (qui & Nebenias) Tobias, Judith, Hester, Job, Psalmorum Davidicorum 150. Psalmorum, Parabole Salomonis, Ecclesiastes, Canticum Cantorum, Sapiensia, Ecclesiasticus, Ieremia, Hieremias, Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim prophetae minores, scilicet Osoa, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Nabum, Abacuch, Sophonias, Aggeus, Zaccarias, Malachias, duo Macabaeorum, primus, & secundus: Testamenti novi quatuor Evangelia, scilicet secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem, Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti: quatuordecim Epistola B. Pauli Apostoli, scilicet ad Romanos, Corinthios due, Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses, Thessalonicenses due, Timotheum due, Titum, Philemonem, Hebraeos: Petri Apostoli due, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judæ Apostoli una, Apocalypsis Joannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catolica legi consueverunt, & in veteri vulgata latina editione babentur, pro sacris, & canonicis, non suscepérit: Anathema sit. Statuit quoque, &*

A 2 decla-

(1) Ut in objecto & in fine juxta intentum præfens, quamvis etiam ut in principio salutis. Hier. 3. vers. 23. Unde cornu salutis Psalm. 17. vers. 3. Deus salutis vers. 47. virtus salutis. Psalm. 139. vers. 8. appellatur.

(2) Spiritualis id est intelligentiam; sive rationem

curiosius plura quam intelligentia capere possit. Unde pro illis verbis *Altiora se ne quiescere, græce γαλοτύπεια οὐ difficiliora quām tu assequi possit* vers. 22. Veterius vero codex. *Bαθύτερα, profundiora;* Sed & nonnulli quoque νηπλότερα ut hic, *Altiora.*

declarat sancta synodus, ut hac vetus vulgata editio, que longo tot seculorum usq; in Ecclesia ipsa probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, predicationibus aut expositionibus, pro authenticā habeatur, & ut eam nemo rejicere quovis pretextu audeat, vel presumat. Hæc ibi. Et merito quidem, quoniam, præterquamquod ea tanta annorum numerositate in sancta Ecclesia recepta est; inter alios factorum voluminum translationes & certior est, & rutiior, & fidelior. Cæterum, quoniam sensus scripturarum est anima literæ, a quo præcipuum fidei negotium pendet: ideo pro complemento declarandi presentis articuli de doctrina sacra facientis mentionem, Concilii ejusdem in proposito loquentis canonem in eadem sess. decreto secundo adducere necessarium duximus. Præterea (inquit) ad coercenda petulantia ingenia, decrevit sancta synodus, ut nemo suæ prudentiæ innexus, in rebus fidei, & morum ad edificationem doctrine christiana pertinentium sacram scripturam ad suos sensus contorqueat; aut contra eum sensum; quem tenet, & tenet sancta mater Ecclesia, (cuius est judicare de vero sensu, & interpretatione sanctorum scripturarum) aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam scripturam sacram interpretari audeat: etiam si hismodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contravenerint, per ordinarios declarentur, ex paenitentiæ jure statutis puniantur. Hæc ibi. Ex Concilio igitur hic damnatur Brentius dicens quemlibet posse pro suo arbitratu expondere sacram scripturam; nihil in ea difficile, nihil obscurum sibi persuasum habere. Item Sectarii, qui scripturæ sacræ intellectum catholicum non admittunt. Item Quintius, qui scripturæ sacræ germanum, ac simplicem sensum non approbat. Item Oecolampadius & Calvinus (Prat. Judæorum hæreses) quorum ille cùm Aquila Judæo scripturæ sacræ sensum Isa. 7. pervertit dicens: Ecce Juvenula concipiet. Hic vero testimonia de Trinitate, & Christi divinitate loquuntia cum iudicis depravat. Item Sibyllæ dicentes: Scripturæ sacræ textum nudum solum recipiendum, legendum in Scholis, atque populo, proponendum in Ecclesia absque ulla expositione, propterea quod omnes sumus divinitus edocti. (ob hoc sectarios crediderim ego motos ad temeritatem illam evomendam, scilicet quod scripturam sanctam, ac verbum Dei tractare licet Laicos, etiam mulieribus æque, ac Sacerdotibus.) Item Liberini: qui irrident sacram scripturam dicentes, se sequi spiritum vivificans.

cantem. Item Joannes Wiclef, Lutherus (Prat. Sectarii) dicentes: scriptura sacra adeo ex se est clara, ut nulla hominum de ea sit necessaria approbatio. Item Calvinus (Melchior Cano de locis theologicis lib. 2. cap. 6.) dicens Scripturæ sacræ judicandæ non esse potestatem penes Ecclesiam, quasi quod ab his nutu illius celitudo pendeat. Item Lutherus (Melchior ibidem cap. 7.) dicens scripturæ sacræ discernendæ a scriptura hominum, sive verbi Dei a verbis hominum, Ecclesiam habere quidem potestatem (contra Calvinum, ob hoc non damnatur Lutherus; at propter sequens, scilicet) sed proinde judicem non esse. Ex Concilio autem decreto primo, scilicet de Canonis libris supradicto, damnantur Ambrosius quidam, qui scripturæ sacræ utrumque testamentum rejectit. Item Carpocrates, Cerdon, Manichæi servus (Prateo Albanenses: Libertini:) qui totum vetus testamentum abiciunt. Item Lutherus (Alfonius Castr. script. fac. 2.) qui libros Machabæorum, eo quod tot suas de suffragiis mortuorum, de purgat. de indulgent. destruant hæreses, tollit. Item Marcion, Cerdon (Alfonius Castr. script. fac. 3.) qui Evangelium Matthei, Marci, Joannis. Item Cerinthus (Alfonius Castr. script. fac. 4.) qui Evangelium Marci, Lucæ, Joannis. Item Cerinthus Severus (Alfonius Castr. script. fac. 5.) qui librum Actuum Apostolorum. Item Basilides: qui Epistolas ad Titum, & Timotheum. Item Ebio: qui omnes Pauli Epistolas, quoniam suis positioni de observanda lege veteri cum nova contradicunt, negant. Item Apocryphi: qui folium Prophetas, & Apostolos recipiunt. Item Lutherus, qui Epistolas Apostoli Jacobi, secundam Petri, tertiam Joannis, Pauli ad Hebreos, Apocalypsim Joannis aufert. Item Alogianorum, qui Evangelium Joannis rejiciunt, & Apocalypsim. Item Bulligerius (Prat. Judæorum hæreses.) qui Canonem cum Judæis a Christianis habet distinctum, contendens duos libros posteriores Esdræ esse de Canone, & cum aliis Evangelicis rejiciens Machabæorum, & Ecclesiastici libros. Ex ejusdem Concilii demum codem primo decreto supradicto, ibi, scilicet cum omnibus suis partibus, prout &c. damnantur Apelletes: qui primæ Joannis cap. 4. rejiciunt illud, omnis spiritus, qui solvit Jesum (id est non confitetur, Jesum in carne venisse) ex Deo non est. Item Lutherus: qui scripturæ sacræ loca, seu particulas novemdecim partim mutilavit, partim depravavit, eo quod suis

uis erroribus contradicerent : Ecce ostende mihi fidem tuam sine operibus , epist. Jacobi cap. 2. corripuit sic : ostende mihi fidem cum tuis operibus . Hoc facit, ut bona de medio tollat opera . Certam vestram vocationem facias per bona opera . 2. Pet. 1. id totum scilicet per bona opera , sustulit simili intentione . Arbitravimus , hominem justificari per fidem, Rom. 3. addidit : solum , ut necessitatem operum excluderet . Factum ex muliere Galat. 4. adulteravit sic : natum ex muliere , ut veram Christi incarnationem ex B. Maria Virg. denigraret . Quomodo iterum convertimini ad egens elementa , Galat. 4. pervertit sic : ad leges mundi : ut ex hoc omnes leges civiles , forsitan & pontificias destrueret . Omnes peccaverunt , Rom. 3. legit sic : omnes sunt peccatores : ut actualitatem peccati ponendo in hominibus , cuncta hominum opera afferat esse peccata . Accipite armatum Dei , ut possitis resistere in die malo , & in omnibus perfecti stare Ephes. 6. abstulit perfecti , legendo sic , ut in omnibus , quæ agitis , possitis stare , ut nihil unquam perfecti affirmet esse in homine . Ut abstineatis vos a fornicatione Thess. 4. hoc omisit , ne sua opera carnalia destruerentur . Cum impositione manuum presbyteri 1. Timoth. 4. vult per Presbyteros , intelligi seniores laicos : ut libere sacerdotum ordinem laicos , etiam mulierculis , conserat . Per legem cognitio peccati , Rom. 3. corripuit addendo , solum : ut Mosaicam legem , de qua ibi Paulus , hoc modo minus dignam redderet . Illud 1. Timoth. de voti violati reis viduis quod primam fidem irritant fecissent , non de voto (ut tenet Christi Ecclesia ,) sed de fide in Christum violata , & abnegata , expungendum vult , ut suas sanctimonialium , monachorum , clericorumque sacrilegas excusat nuptias . Numquid non potestatem habemus sororem mulierculam circumducendi ? 1. Corinth. 9. detorquet in sororem conjugalem : ut carnis habenas effundat , ducendi passim in conjugem , quæcumque concupiscentia hominum placuerit , & forsitan ut suum etiam conjugium sacrilegum cum monacha sola licitum esse ostendat . Verbum caro factum est . Joan. 1. transtulit sic : verbum caro facta est . Ad quid , videlicet ipse . Verbum Domini manet in eternum . 1. Pet. 1. hoc amputavit , ut de seipso verificaretur illud . Si quis diminuerit de verbis libri hujus , auferet Deus partem ejus de libro vite . Ad horam orationis nonam Actor . 3. pervertit sic : sub horam nonam ad orandum ; ut statutas ab Ecclesia orandi horas

auferset . Non introibit in eam aliquid coquinatum Apocal. 24. legit sic : nihil commune in eam introibit , ne peccati coquinatio , quam ab homine numquam abesse vult , a cœlorum ingressu eum impedit . Quid admiramini , quasi nostra virtute , ~~ad~~ potestate fecerimus ? Act. 3. Judæis ait Petrus , cum sanasset claudum : corruptum sic . Quasi nostro fecerimus merito ; ut omne ab Apostolis etiam auferret meritum . Qui potest vos conservare sine peccato Epist. Judæi vastavit sic : Sine oppugnatione . Peccati patronus non vult , peccatum homini abesse . Tibi soli peccavi Psal. 50. ex Hebreo se vertere mentitur sic : tibi soli pecco (idest quicquid ago , pecco , teste Brentio : ut suam Lutherus perfidiam conservaret , qua hominem ita vilificat , ut omnem actum cuiuscunque dicat esse peccatum .) Alios censuratores nebulosos taceo sciens , quod stultorum infinitus est numerus , & lectoribus studiosis , quibus predicti , vel similes quoquo modo in dies occurrent , in memoriam illud Isa. 51. reducam . Attendite ad petram , unde excisi estis , & ad cavernam laci , de qua præcisi estis : Attendite ad Abram patrem vestrum , & ad Saram , que peperit vos . Pro agnoscenda tamen vel ignorantia mira , vel obstinatissima pertinacia Hæreticorum : vide canones Apostolorum antiquissimos , qui recepti sunt a sexta synodo , ut habetur in Decretis dist. 16. Placuit huic sanctæ synodo Ibi can. 84. Catalogum sacrorum librorum reperies : ubi inter alios , & libri Machabæorum , liber quatuor Evangelistarum , Epistolæ quatuordecim Pauli , Joannis tres , Petri duæ , Jacobi una , Judæ una recipiuntur . In concilio quoque Carthaginensi tertio in eadem sexta synodo approbato capitulo 47. , Canonem divinorum librorum idipsum dicentem leges . Sed Innocentium primum Papam in epistola tertia ad Exuperium Tholofanum Episcopum , cap. 7. vide libros eosdem esse de Canone admittentes . Consule de his summam , vel corpus magnum Conciliorum , & agnoce a tot seculorum curriculis codices continua successione pro Canonicis approbatos , non absque maximo sacrilegio , hæreticaque labore a Novatoribus istis infutulis labefactari potuisse . Tertio vides quomodo ex omnibus præmissis vicissim Angelici Doctoris præsens firmetur articulus . Quod in omnibus articulis intellige .

ARTICULUS II. 2.

Urum sacra doctrina sit scientia,

III. dist. XXXIII. quest. 1. art. 2. quest. 4. &
I. Sentent. prot. art. 3. quest. 2. & verit.
quest. XIV. artic. 9. ad 3. & Boet. tract. 1.
quest. II. art. 2.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod sacra doctrina non sit scientia. Omnis enim scientia procedit ex principiis per se notis. Sed sacra doctrina procedit ex articulis fidei, qui non sunt per se noti, cum non ab omnibus concedantur: *non enim omnium est fides*, ut dicitur II. Thessal. 111. 2. Non igitur sacra doctrina est scientia.

2 Præterea. Scientia non est singularium. (1) Sed sacra doctrina tractat de singularibus, puta de gestis Abrahæ, Isaac, & Iacob, & similibus. Ergo sacra doctrina non est scientia.

Sed contra est quod Augustinus dicit XIV. de Trin. (cap. 1. a med.) *Huic scientie attribuiunt illud tantummodo quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboraatur.* Hoc autem ad nullam scientiam pertinet nisi ad sacram doctrinam. Ergo sacra doctrina est scientia.

Respondeo dicendum, sacram doctrinam esse scientiam. Sed sciendum est, quod duplex est scientiarum genus. Quædam enim sunt quæ procedunt ex principiis notis lumine naturali intellectus, sicut Arithmetica, Geometria, (2) & huiusmodi; quædam vero sunt quæ procedunt ex principiis notis lumine superioris scientiæ, sicut Perspectiva procedit ex principiis notificatis per Geometriam, & Musica ex principiis per Arithmeticam notis. (3) Et hoc modo sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ, quæ scilicet est scientia Dei, & beatorum. Unde sicut Musica credit principia tradita sibi ab Arithmetico, ita doctrina sacra credit principia revelata sibi a Deo.

Ad primum ergo dicendum, quod prin-

cipia cujuslibet scientiæ vel sunt nota per se, vel reducuntur ad notitiam superioris scientiæ; & talia sunt principia sacrae doctrinæ, ut dictum est (in corp. art.)

Ad secundum dicendum, quod singularia traduntur in sacra doctrina, non quia de eis principaliter tractetur, sed introducuntur tum in exemplum vitæ, sicut in scientiis moralibus, tum etiam ad declarandum auctoritatem virorum per quos ad nos revelatione divina processit, super quam fundatur sacra scriptura, seu doctrina.

APPENDIX.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem conficias heresim prædictam (art. 1.) Hermani: si enim est scientia: proculdubio, cum scientia sit verorum primo Posteriorum, doctrina sacra non erit falsa. Item quomodo per rationem confundas heresim Raymundi Lul. (Directorium Inquisitorum 2. part. q. 9.) dicentis, omnes articulos fidei, Ecclesiæ sacramenta, potestatem Papæ, posse probari per rationes necessarias, demonstrativas, & evidentes. Hic enim Sanctus Thomas monstrat, quod sacra doctrina est scientia subalternata, idest credens sua principia, non demonstratione sciens. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, Hermanum iuste damnatum a scriptura sacra 2. Cor. 11. Extollentem se adversus scientiam Dei (idest Theologiam) & Osee 4. Quoniam tu repulisti scientiam, (idest divinitus prophetis revelatam, Glo.) ego repellam te. & Sap. 13. vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & in multis aliis locis. Item quomodo per rationem ostendas, Raymundum rite damnatum ab Apostolo Heb. 11. fides est, &c. non apparentium, & a Gregorio XI. eriam de consilio fratum suorum, tum quoad præmissum dictum, tum quoad totam doctrinam suam. Viginti namque volumina sua, ut vere hereticalia, condemnata sunt, diligenti examine præmisso, & tota doctrina sua generaliter interdicta. Vide Directorium supra. Tertio vides, quomodo &c.

ARTI-

(1) Colligitur ex libro I. Posteriorum cap. 25. ubi probatur catenæ non posse scientia per sensum comparari, quia singularium non est, quorum tantum est sensus. Idem æquivalenter ex 11. Metaphys. cap. 8. ut & ex Ethic. 6. cap. 6. græco lat. vel in antiquis cap. 5. co ligi potest:

(2) Arithmetica quidem sic dicta græce quia numeros, Geometria quia mensuras terræ considerat.

(3) Quippe cum ad objectum Perspectivæ five Opticæ disponentum (ex græca voce sic appellaturæ) necesse sit mensuras adhiberi, quas ex Geometria mutuantur; Sicut & ad Musica modos efformandos numeri requiruntur quos Arithmetica subministrat; puta Diæcessus (per quatuor) Diæpassus (per quinque) Diæpasos per omnes modulorum differentias &c.

ARTICULUS III.

Utrum sacra doctrina sit una scientia.

*Inf. art. 4. & I. prolog. art. 2. 3. & 4. &
& 5. ad 2.*

AD tertium sic proceditur. Videtur quod sacra doctrina non sit una scientia. Quia secundum Philosophum in I. Posteriorum (tex. xiiii.) una scientia est que est unius generis subjecti. (1) Creator autem, & creatura, de quibus in sacra doctrina tractatur, non continentur sub uno genere subjecti. Ergo sacra doctrina non est una scientia.

2. Præterea. In sacra doctrina tractatur de Angelis, de creaturis corporalibus, de moribus hominum. Hujusmodi autem ad diversas scientias philosophicas pertinent. Igitur sacra doctrina non est una scientia.

Sed contra est quod sacra Scriptura de ea loquitur sicut de una scientia: dicitur enim Sap. x. 10. *Dedit illi scientiam (2) Sanctorum.*

Respondeo dicendum, sacram doctrinam scientiam esse. Est enim unitas potentiarum, & habitus consideranda secundum objectum, non quidem materialiter, sed secundum rationem formalem objecti: puta, homo, asinus, & lapis convenienter in una formalis ratione colorati, quod est objectum visus. Quia igitur sacra Scriptura, (*) seu doctrina considerat aliena, secundum quod sunt divinitus revelata, secundum quod dictum est (art. præc.) omnia quæcumque sunt divinitus revelabilia, communicant in una ratione formalis objecti hujus scientiarum; & ideo comprehenduntur sub sacra doctrina sicut sub scientia una.

Ad primum ergo dicendum, quod sacra doctrina non determinat de Deo, & de creaturis ex aequali; sed de Deo principaliter, & de creaturis secundum quod referuntur ad

Deum ut ad principium, vel (3) finem. Unde unitas scientiarum non impeditur.

Ad secundum dicendum, quod nihil prohibet, inferiores potentias, vel habitus diversificari circa illas materias quæ communiter cadunt sub una potentia, vel habitu superiori, quia superior potentia, vel habitus respicit objectum sub universaliori ratione formalis; (4) sicut objectum sensus communis est sensibile, quod comprehendit sub se visibile, & audibile: unde sensus communis, cum sit una potentia, extendit se ad omnia objecta quinque sensuum. Et similiiter ea quæ in diversis scientiis philosophicis tractantur, potest sacra doctrina una existens considerare sub una ratione, inquantum scilicet sunt divinitus revelabilia; ut sic sacra doctrina sit velut quedam impressio divinitus scientiarum, quæ est una simplex omnium.

APPENDIX.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, sacram scripturam Sap. 10. recte loqui in singulari de Theologia tamquam de una scientia dicentem: *dedit illi scientiam sanctorum.* De tali etiam locutione circa Theologiam vide multas sententias supra ar. 2. & in pluribus locis scripturarum. Secundo vides: quomodo, &c.

ARTICULUS IV. 4

Utrum sacra doctrina sit scientia practica.

Inf. art. 5. c. & I. prolog. art. 3. quest. 1.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod sacra doctrina sit scientia practica. Finis enim practica est operatio, secundum Philosophum in II. Metaphys. (text. 3.) (5) Sacra autem doctrina ad operationem ordinatur, secundum illud Jacob. 1. 22. *Estate factores verbi, & non auditores tantum.* Ergo sacra

(1) *Vel unius generis tantum; quamvis & ex adjunctis eruitur additamentum illud subjecti iuxta grammaticam &c.*

(2) *Coniunctim non divisim, cum sit omnium finis æque ac principium; quamvis peculiari modo rationalium finis.*

(3) *Et quidem per se vel ex propria ratione, ut in hac ipsa parte quest. 77. art. 3. ad 4. explicatur: Sicut etiam quæ de sensu communi subjunctione, insinuantur lib. 3. de anima cap. 1.*

(4) *Ubi ait Philosophum recte vocari scientiam veritatis; quia speculative finis veritas est; practica autem finis est opus.*

(*) *Ita cod. Alcanistensis adnotante Thoma Magdalenæ in Crisi Thomistica anno 1719. Casaraugua-*

Sacra doctrina est practica scientia.

2 Præterea . Sacra doctrina dividitur per legem veterem , & novam . Lex autem pertinet ad scientiam moralem , quæ est scientia practica . Ergo sacra doctrina est scientia practica .

Sed contra . Omnis scientia practica est de rebus operabilibus ab homine , ut moralis de actibus hominum , & ædificativa de ædificiis . Sacra autem doctrina est principalius de Deo , cuius magis (1) homines sunt opera . Non ergo est scientia practica , sed anagis speculativa .

Respondeo dicendum , quod sacra doctrina , ut dictum est (art. præced.) una existens se extendit ad ea quæ pertinent ad diversas scientias philosophicas , propter rationem formalem quam in diversis attendit , scilicet prout sunt divino lumine cognoscibilia : unde licet in scientiis philosophicas alia sit speculativa , & alia practica ; sacra tamen doctrina comprehendit sub se utramque , sicut & Deus eadem scientia se cognoscit , & ea quæ facit . Magis tamen est speculativa quam practica : quia principalius agit de rebus divinis quam de actibus humanis : de quibus agit , secundum quod per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem , in qua æterna beatitudo consistit .

Et per hoc patet responsio ad objecta .

A P P E N D I X .

Hinc habes primo : quomodo ex ratione convicas hæresim Ætii , Eunomii (Prat. Anomii.) dicentium , quod Deus nihil aliud a nobis requirit , quam ut ipsum solum cognoscamus . Item hæresim Antinomorum blasphemantium , quod lex Dei sit prorsus inutilis , & quod neque ante , neque post justificationem necessaria . Si enim ista Theologia est practica modo , quo exponitur hic ; Deus utique , ultra quam quod cognoscamus ipsum , aliud a nobis requirit . Si autem practica sit , aut speculativa , vel utrumque simul , modo hic declarato , utique non erit lex Dei prorsus inutilis , & justificationi hominum non necessaria . Secundo habes : quomodo ex ratione demonstres , jure has a scriptura sacra Jacobi 1. fuisse predamnatas in hæc verba . *Etsi factores verbi , & non auditores tantum,*

fallentes vosmetipos , quia , si quis auditor est verbi , & non factor , hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis sue in speculo (consideravit enim se , & abiit ; & statim oblitus est , qualis fuerit) qui autem perspexit in lege perfectæ libertatis , & permanserit in ea , non auditor obliviosus factus , sed factor operis , hic beatus in facto suo erit . Ex Jacobo igitur Apostolo vides , quod lex Dei est , & utilis , & necessaria ad justificationem nostram (hæc est beatitudo quedam hic inchoata) & quod Deus plus a nobis requirit , quam quod cognoscamus eum . Item ab Apostolo Paulo jure damnatas Galat. 5. In Christo Iesu neque circumcisio aliquid vales , neque præputium , sed fides , quæ per charitatem operatur . Ecce fides facit , nos cognoscere Deum , & tamen revera non sufficit ad nostram salutem ; sed requirit Deus etiam a nobis opera per charitatem facta . Damnatas jure monstrabis per rationem , & a Concilio Tridentino sess.6. Canon. 19. Si quis dixerit : Nihil preceptum esse in Evangelio preter fidem , cetera esse neque precepta , neque prohibita , sed libera , aut decem precepta nihil pertinere ad Christianos : Anathema sit . Et Can. 20. Si quis hominem justificatum , & quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei , & Ecclesie , sed tantum ad credendum : quasi vero Evangelium sit nuda , & absoluta promissio vita æterna sine conditione observationis mandatorum : Anathema sit . Et Can. 21. Si quis dixerit , Christum JESUM a Deo omnibus datum fuisse , ut redemptorem , cui fidant , non etiam ut legislatorem , cui obediunt : Anathema sit . Hæc item universaliter de lege antiqua habet Apostolus Galat. 5. Testificor rursus omni homini circumcidens je , quoniam debitor est universæ legis faciens . Hoc tu etiam intellige de omni , qui baptizatur , respectu Evangelii . Prædicta etiam faciunt contra hæresim Lutheri dicentis , fidem solam justificare : & contra hæresim Ætii sub aliis verbis a præmissis idem sic dicentem , fidem solam absque ullo alio opere esse satis ad vitam æternam consequendam . Tercio vides : quomodo ex iis &c.

ARTI-

(1) Hinc intelligent illud magis adversativo sensu sepe sumi qui male sumunt 3. part. quæst. 10. ut ibi ex professo : *An enim Deus quoque opus hominum esse potest?* Sicut Eli 64, vers. 8. homi-

nes opus manuum ejus : *Etsi Deus etiam operationis humanae objectum est & finis ut adjuncta indicant :* Et ex hac parte Theologia ipsa practica dici potest .

A R T I C U L U S V .

Utrum sacra doctrina sit dignior aliis scientiis.

1. 2. quæst. lxvi. art. 3. ad 4. & I. prol.
art. 1. & II. con. c. iv. fin.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod sacra doctrina non sit dignior aliis scientiis. Certitudo enim pertinet ad dignitatem scientiarum. Sed aliae scientiarum, de quarum principiis dubitari non potest, videntur esse certiores sacra doctrina, cujus principia, scilicet articuli fidei, (1) dubitationem recipiunt. Aliæ igitur scientiarum videntur ista digniores.

2. Præterea. Inferioris scientiarum est a superiori accipere, sicut Musicus ab Arithmetico. Sed sacra doctrina accipit aliquid a philosophicis disciplinis: dicit enim Hieronymus in Epist. lxxxiv. (quæ incipit *Severum nostrum*, declinando ad fin. illius) ad Magnum oratorem Urbis Romæ, quod doctores antiqui instantum *Philosophorum doctrinam*, atque sententiis suos resperferunt (2) libros, ut nescias quid in illis prius admirari debebas, eruditionem feculi, an scientiam Scripturarum. Ergo sacra doctrina est inferior aliis scientiis.

Sed contra est quod aliae scientiarum dicuntur ancillæ hujus. Prover. ix. 3. *Misi ancillas suas vocare ad arcem.* (3)

Respondeo dicendum, quod cum ista scientia quantum ad aliquid sit speculativa, & quantum ad aliquid sit practica; omnes alias transcendent tam speculativas, quam practicas. Speculativarum enim scientiarum una altera dignior dicitur tum propter certitudinem, tum propter dignitatem materiae. Et quantum ad utrumque hæc scientia alias spe-

Summ. S. Th. T. L.

(1) Ex illis enim conclusiones omnes Theologicas deducuntur, ut vere ac proprie *theologica* dici possint.

(2) Potius referens, vel referrens, ut ex Hieronymi textu.

(3) Vel ex vulgata, ut vocarent: 70. porro dñs potius legunt; id est seruos, & Apostolos Athanasius intelligit in disp. contra Arium inter ejus opera tomo 1. Ancillas autem Beda dicit ait quasi despiciabiles, ac infirmos: & Saloni. tom. 1. Biblioteca Patrum propter *infipientiam*, *infirmatatem*, *pauperatum*.

(4) *Ils codex Alcan. Al.* quæ ad ulteriorem finem non ordinatur: *isem* quæ ad altiorem finem ordinatur.

(4) Ad ulteriorem finem non ordinatur, sed ad ipsam alia velut ad finem ordinatur: Et hoc appendice

culativas scientias excedit. Secundum certitudinem quidem, quia aliae scientiarum certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanae, quæ potest errare; hæc autem certitudinem habet ex lumine divinae scientiarum, quæ decipi non potest. Secundum dignitatem vero materiarum, quia ista scientia est principalius de his quæ sua altitudine rationem transcendunt. Aliæ vero scientiarum considerant ea tantum quæ rationi subduntur. Practicarum vero scientiarum illa dignior est, (*) quæ ad ultimiorem finem ordinatur, (4) sicut civilis militari. Nam bonum exercitus ad bonum civitatis ordinatur. Finis autem hujus doctrinæ, inquantum est practica, est beatitudo æterna, ad quam sicut ad ultimum finem ordinantur omnes alii fines scientiarum praticarum. Unde manifestum est secundum omnem modum eam digniorem esse aliis.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil prohibet id quod est certius secundum naturam, esse quoad nos minus certum (**) propter debilitatem intellectus nostri: qui se habet ad *manifestissimam naturam*, sicut oculus nouus ad lumen Solis, sicut dicitur in II. Metaphys. (5) Unde dubitatio quæ accidit in aliquibus circa articulos fidei, non est propter incertitudinem rei, sed propter debilitatem intellectus humani: & tamen minimum quod potest haberi de cognitione rerum altissimarum, desiderabilius est quam certissima cognitio quæ habetur de minimis rebus, ut dicitur in XI. de animal. (Lib. I. de partibus animalium cap. v. in princ.)

Ad secundum dicendum, quod hæc scientia accipere potest aliquid a philosophicis disciplinis, non quod ex necessitate eis indigat, sed ad maiorem manifestationem eorum quæ in hac scientia traduntur. Non enim accipit sua principia ab aliis scientiis,

B sed

restituta, quæ ut fieri solet oculorum excursu excidat, sensus integer & planus est, qui alioquin multos fallit; dum aut legendum putant ad ulteriore finem non ordinatur, aut ad aliis finem ordinatur.

(**) *Al.* debilitate.

(5) Seu secundum naturam, ut in Commentario S. Thomas explicat lect. 1. Non autem ut prius hic *manifestissima natura* propter dativum *oculus* ex quoce acceptum, quod ablativi locum habet, idemque significat quod *xerxè gñvñ*. Et est sensus quod quæ maxime natura sua intelligibilia sunt, nihilo minus obscura sunt quoad nos, nec pervia intellectui, sicut nocte invisibilis est Sol, quantumcumque natura sua visibilis.

sed immediate a Deo per revelationem . Et ideo non accipit ab aliis scientiis tamquam a superioribus , sed utitur eis tamquam inferioribus , & ancillis ; sicut architectonicæ utuntur subministrantibus , ut civilis militari . Et hoc ipsum quod sic utitur eis , non est propter defectum , vel insufficientiam ejus , sed propter defectum intellectus nostri , qui ex his que per naturalem rationem (ex qua procedunt aliaz (*) scientiaz) cognoscuntur , facilius manuducitur in ea que sunt supra rationem , quæ in hac scientia traduntur .

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo : quomodo per rationem (hæc ponitur in ad argumentum secundum) rejicias errorem Lutheri dicentis , quod scientiaz omnes speculativæ errores sunt . Item Arnoldi dicentis ; scientias omnes philosophicas esse damnandas . Item Bibliistarum dicentium ; scientias nullas philosophicas addiscendas . Secundo habes : quomodo per rationem (taceo Beati Hieronymi auctoritatem in secundo argumento) ostendas , quod hi eriores sunt merito damnati in decretis dist. 37. c. de quibusdam locis) a synodo Eugenii Papæ sic , Ab universis Episcopis &c. omnino cura , & diligentia habeatur , ut Magistri & Doctores constituantur , qui studia litterarum , liberaliumque artium dogmata assidue doceant , quia in his maxime divina manifestantur , atque declarantur mandata . Hæc ibi . Item (ibi , Relatum nobis) a Papa Clemente . Cum ex divinis scripturis integrum quisque , & firmam regulam veritatis suscepit ; non absurdum erit , si aliquid etiam ex eruditione communi , ac liberalibus studiis ad assertionem veri dogmatis conferat ; ita tamen , ut , ubi vera didicerit , falsa declinet . Hæc ibi . Item a Papa Leone X. in Concilio Lateran. sess. 8. Statuimus , ne quis in sacris ordinibus constitutus Philosophiae , aut poesis studiis publico audiendo ultra quinquennium post grammaticam , & dialecticam sine aliquo studio Theologie , aut juris pontificis incumbat . Verum exacto dicto quinquennio , si illis studiis infudare voluerit , liberum sit ei ; dum tamen simul , aut seorsum Theologie , aut sacris canonibus operam naverit . Hæc ibi . Ecce , quod Papa philosophiaz studium etiam in clero approbat : qui tamen in illa sessione plures errores damna-

bat . Item a decreto dist. c. 37. Turbat acumen legentium , & deficiere cogit , qui eos a legendis secularibus libris omnibus modis existimat prohibendos , in quibus , si qua inventa sunt utilia , quasi sua sumere licet . Alioquin Moyse , & Daniel sapientia , vel litteris Ægyptiorum , Chaldeorumque non patarentur erudiri , quorum tamen superstitiones horrebat & delicias ; nec etiam ipse magister genitum aliquot versus poetarum suis vel scripturis , vel dictis indidisset . Hæc ibi . De hoc ultimo dicto decreti andl Paulum ad Titum adducentem illud Pârmenidis poetæ : Cretenses semper mendaces , male bestie , ventres pigri , & 1. Corinth. 15. Menandri : corrupti bonos mores colloquia prava , & Act. 17. illud Arati : in ipso vivimus , movemur , & sumus . Item dist. 37. c. Qui de mensa . Discent ergo ea monte doctrinam Chaldaicam (id est philosophiam secundum contextum), qua Moyse omnem sapientiam Ægyptiorum didicerat . Item ibi . Si quando cognoscet &c. Tertio vides : quomodo &c.

ARTICULUS VI. 6

Utrum hæc doctrina sit sapientia .

I. prot. artic. 3. quest. 3. & II. prot. princ. & I. con. cap. iv. fin.

AD sextum sic proceditur . Videtur quod hæc doctrina non sit sapientia . Nulla enim doctrina que supponit sua principia aliunde , digna est nomine sapientiaz : quia sapientis est ordinare , & non ordinari : I. Metaph. (cap. ii. in proem.) Sed hæc doctrina supponit principia sua aliunde , ut ex dictis patet (art. 2. hujus quest.) Ergo hæc doctrina non est sapientia .

2. Præterea . Ad sapientiam pertinet probare principia aliarum scientiarum : unde & caput dicitur scientiarum , ut VI. Ethic. patet (cap. viii. paulo a princ.) (1) Sed hæc doctrina non probat principia aliarum scientiarum . Ergo non est sapientia .

3. Præterea . Hæc doctrina per studium acquiritur ; sapientia autem per infusionem habetur : unde inter septem dona Spiritus sancti connumeratur , ut patet Isa. xi. Ergo hæc doctrina non est sapientia .

Sed contra est quod dicitur Deuter. iv. 6. in prin-

(*) Al. deesse scientias .

(1) Sive scientiarum caput habens ut cap. 7. gra-

co lat. vel in antiquis cap. 6. videtur est , & apud S. Thomam lect. 6.

in principio legis : (1) *Hec est (*) nostra sapientia, & intellectus coram populis.*

Respondeo dicendum, quod haec doctrina maxime sapientia est inter omnes sapientias humanas, non quidem in aliquo genere tantum, sed simpliciter. Cum enim sapientis sit ordinare, & judicare; judicium autem per altiorem causam de inferioribus habeatur: ille sapiens dicitur in unoquoque genere qui considerat causam altissimam illius generis; ut in genere aedificii artifex, qui disponit formam domus, dicitur sapiens; & architector, respectu inferiorum artificium, qui dolant ligna, vel parant lapides: unde dicitur I. Cor. 11. 10. *Ut sapiens architector fundamentum posui.* Et rursus in genere totius humanæ virtutum prudens sapiens dicitur, inquantum ordinat humanos actus ad debitum finem: unde dicitur Proverb. x. 23. *Sapientia est viro prudentia.* Ille igitur qui considerat simpliciter altissimam causam totius universi, quæ Deus est, maxime sapiens dicitur: unde & sapientia dicitur esse divinorum cognitionis, ut patet per Augustinum de Trinit. (Lib. XII. cap. XIV. parum a princ.) Sacra autem doctrina propriissime determinat de Deo secundum quod est altissima causa: quia non solum quantum ad illud quod est per creaturas cognoscibile (quod Philosophi cognoverunt, ut dicitur Rom. 1. 19. *Quod notum est Dei, manifestum est (**) illis;*) (2) sed etiam quantum ad id quod notum est sibi soli de se ipso, & aliis per revelationem communicatum. Unde sacra doctrina maxime dicitur sapientia.

Ad primum ergo dicendum, quod sacra doctrina non supponit sua principia ab aliqua scientia humana, sed a scientia divina, a qua, sicut a summa sapientia, omnis nostra cognitionis (***) ordinatur.

Ad secundum dicendum, quod aliarum scientiarum principia vel sunt per se nota, & probari non possunt; vel per aliquam rationem naturalem probantur in aliqua alijs scientia. Propria autem hujus scientiæ cognitionis est quæ est per revelationem, non autem quæ est per naturalem rationem. Et ideo non pertinet ad eam probare principia aliarum scientiarum, (3) sed solum dicere de eis. Quidquid enim in alijs scientiis inventum veritati hujus scientiæ repugnans, totum condemnatur ut falsum. Unde dicitur II. Corint. x. 4. *Consilia destruentes, & omnem altitudinem (4) excellentem se adversus scientiam Dei.*

Ad tertium dicendum, quod cum judicium ad sapientem pertineat, secundum duplum modum judicandi, duplum sapientia accipitur. Contingit enim aliquem judicare uno modo per modum inclinationis, sicut qui habet habitum virtutis, recte judicat de his quæ sunt secundum virtutem agenda, inquantum ad illa inclinatur: unde & in XI. Ethic. (cap. V. parum ante fin. & Lib. III. cap. IV.) dicitur, quod *virtuosus est mensura, & regula actuum humanorum* (5). Alio modo per modum cognitionis, sicut aliquis instruens in scientia morali posset judicare de actibus virtutis, etiamsi virtutem non haberet. Primus igitur modus judicandi de rebus divinis pertinet ad sapientiam, quæ ponitur donum Spiritus sancti, secundum illud I. Cor. 11. 15. *Spiritualis homo judicat omnia &c.* & Dionysius cap. II. de divin. Nom. (par. I.) dicit: *Hierotheus doctus est non solum discens, sed & patiens divina.* (6) Secundus autem modus judicandi pertinet ad hanc doctrinam, secundum quod per studium habetur, licet ejus principia ex revelatione habentur.

(1) Puta secunda legis quam renovat Moyses ibi sic præmittens: *Observabis precepta & implebis operæ: Ac deinde subjungens: Hec est enim vestra sapientia, &c.* Non sicut prius in principio iest. *Hec est nostra sapientia:* Quamvis quatuor Manuscripta characteribus abbreviat legant in principio leg. ut & impressa quedam imitantur; alia vero simpliciter in principio lo. quasi de veræ lectione dubititia; Irdeque præpostula quispiam & corrupte iest. reposuit, iest. cum reponi deberet legis, alludendo ad ipsum Deuteronomii nomen græcum quod significat *secondam legem.*

(*) *Vulgata vestra.*

(**) *Vulgata in illis.*

(3) Ut Apostoli textus habet, quasi sit eis manifestum ex eo ipso quod illis inest, vel ex lumine

intrinseco, ut lect. 6. ibi explicat S. Thomas: *No habet prius tantum corruptio textu & minus pleno sensu manifestum est illis.*

(***) *Numquid originatur?*

(3) *Quia probari nisi ratione non possunt, &c.*

(4) De Gentilium sophisticis rationibus Chrysostomus explicat homil. 21. Hinc Augustinus de scientia Scripturarum lib. 2. de doctri. Christi. sub finem: *Quidquid homo extra didiceris, si noxiun est, ibi damnatur.*

(5) Non virtuosus tantum sed ipsa virtus (*ἥ αρνητι*) quamvis additur & vir bonus (*ἀγαθός*) ut videre est versus capituli finem.

(6) *Elegantius græce propter vocum allusionem, & μέντος μεντὸς ἀλλα ταῦτα, velut intimo quedam gustu vel affectu.*

APPENDIX.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem derideas hæresim Davidicorum dicentem: quod scriptura sacra est imperfecta: Item Sectariorum errorem, & Libertinorum, qui sacram scripturam irrident dicentes, se sequi spiritum vivificantem. Item Quintini, qui scripturæ sacræ sensum germanum, ac simplicem non approbat. Item hæretes illas, quas *in primo articulo* recentimus. Nam si sapientia & tanta quidem est scriptura hæc doctrina: & sapientia abique sensu germano, veroque non datur (ut patet, cum sensus verus sit ei, tamquam anima vivo corpori): constat ex hoc illos omnes errores profligari. Secundo habes quomodo jure illos damnatos suisse ostendas a Deuter. 4. ubi de sacra scriptura divinitus collata loquens Moyses Israeli dicit: *Hæc est vera sapientia, & intellectus coram populis.* Item a Prov. 1. ubi Salomon de scripturæ sacræ intelligentia excellenti loquens ait, *Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt, in quo libro etiam subinde sapientiam eamdem appellat.* Ergo stulti sunt & Davidici, & Sectarii, & Libertini, & Quintinius, & similes, qui de scriptura sacra minus, quam de sapientia vera sentiunt. Ceterum hæreticis omnibus sacræ litteris detrahere plus, vel minus semper familiare fuit. Nam eas pro libito suo, vel quoad dignitatem extenuant, ut prædicti, vel aliter, quam deceat, interpretantur, vel eas (si forte locus tam patens contra ipsorum vesaniam sit, ut nec eorum tenebris quantumvis extorsionibus depravari possit) mutilant, detruncant, e canone rejiciunt (*ut in artic. 1. append. prolixè narratum est*): & tamquam judices infantili in sella propriæ temeritatis contra sanctam Catholicam Ecclesiam sedentes, hoc suis erroribus apparenter (ut ipsi mentiuntur) subscribentes acceptant, illud tamquam indignum spiritu Paulino, Prophe-tico, Evangelico, vel hujusmodi (*ut adjungit*) reprobant. Et quantvis neque hic inter eos conveniat; dum unus liber ab aliis, aliis ab aliis rejiciatur, & qui rejicitur ab isto recipiatur ab illo: omnes tamen in hoc unum simul incumbunt, ut sa-

eræ scripturæ magnitudinem quoquo pacto diminuant. Canonicam enim scientiam mysticam turrim esse David, ex qua omnis armatura fortium, idest Catholicorum virorum pendet, hæretici, vel nolentes agnoscent: ideo eam labefactare conantur, ne arma habeamus, quibus virulenta ipsorum dogmata prosternere valeamus. Sed sapientia increata, a qua hæc nostra est sapientia, jam vicit malitiam. Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS VII. 7

Utrum Deus sit subjectum hujus scientie.

I. prol. art. 4. & V. Met. lect. vi.

AD septimum sic proceditur. Videtur quod Deus non sit subjectum hujus scientie. In qualibet enim scientia oportet supponere de subiecto quid est, secundum Philosophum in II. Posteriorum (non procul a princ.) (1) Sed hæc scientia non supponit de Deo quid est: dicit enim Damascenus (Lib. III. de orthod. Fid. cap. xxiv.) *In Deo quid est, dicere impossibile est.* Ergo Deus non est subiectum hujus scientie.

2. Præterea. Omnia quæ determinantur in aliqua scientia, comprehenduntur sub subiecto illius scientie. Sed in sacra Scriptura determinatur de multis aliis quam de Deo, pura de creaturis, & de moribus hominum. Ergo Deus non est subiectum hujus scientie.

Sed contra. Illud est subiectum scientie de quo est sermo in scientia. Sed in hac scientia fit sermo de Deo: dicitur enim Theologia, quasi sermo de Deo (2). Ergo Deus est subiectum hujus scientie.

Respondeo dicendum, quod Deus est subiectum hujus scientie. Sic enim se habet subiectum ad scientiam, sicut objectum ad potentiam, vel habitum. Proprie autem illud assignatur objectum aliquius potentie, vel habitus, sub cuius ratione omnia referuntur ad potentiam, vel habitum; sicut homo, & lapis referuntur ad visum, in quantum sunt colorata: unde coloratum est proprium objectum visus. Omnia autem pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei,

(1) Ubi duo dicuntur præcognosci debere quia est (ὃν εἰν) & quid est (τι τὸ λεγόμενον) quod non ad solum verbi significatum sicut modernus quidam, sed ad ipsum rei quidditatem referendum est.

(2) Ex græca voce θεολογία . Quidni etiam fa-

tiocinatio de Deo? cum & λόγος idem sit quod ratio: Hinc aliquando Græci Patres Theologiam stricte sumptam explicant quæ de sola divinitate tractat: Sed ad alia extenduntur considerata propter Deum.

Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum ut ad principium, & finem. (1) Unde sequitur quod Deus vere sit subjectum hujus scientiae. Quod etiam manifestum fit ex principiis hujus scientiae, quae sunt articuli fidei, quae est de Deo. Idem autem est subjectum principiorum, & totius scientiae, cum tota scientia virtute contineatur in principiis.

Quidam vero attendentes ad ea quae in ista scientia tractantur, & non ad rationem secundum quam considerantur, assignaverunt aliter subjectum hujus scientiae, vel res, & signa, (2) vel opera reparationis, vel totum Christum, idest caput, & membra: de omnibus enim ipsis tractatur in ista scientia, sed secundum ordinem ad Deum.

Ad primum ergo dicendum, quod licet de Deo non possimus scire quid est, utimur tamen ejus effectu in hac doctrina, vel natura, vel gratiae, loco definitionis ad ea quae de Deo in hac doctrina considerantur; sicut & in aliquibus scientiis philosophicis demonstratur aliquid de causa per effectum, accipiendo effectum loco definitionis causae (3).

Ad secundum dicendum, quod omnia alia quae determinantur in sacra doctrina, comprehenduntur sub Deo, non ut partes, vel species, vel accidentia, sed ut ordinata aliqualiter ad ipsum.

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, hanc doctrinam jure vocari Theologiam, idest scientiam de Deo. Nam etymologia hoc monstrat: a qua licet esse arguere ad rem, de qua tractatur, ostendit & Eugenius Papa, & Concilium Nicænum. Eugenius quippe decimalista quæstio. prima. c. Placuit, loquens de monachis, *sicut pisces sine aqua caret vita, ita sine monasterio monachus*. Agnoscat nomen suum; Mōros enim grece, latine est unus. "Ἄχος grece, latine est tristis. Unde dicitur monachus, idest unus tristis. Sedeat itaque solitarius, & taceat tristis, & officio suo vacet: quia mundo mortuus est, Deo autem vivit. Concilium au-

tem Nicænum eadem causa, & q. ca. placuit, sic ait, placuit omnibus residentibus in sancta Nicæna synodo, ut monachorum converatio, & vita secundum etymologiam nominis ab omnibus discrepet. Monachus enim græce, latine singularis dicitur. Unde monachum per omnia singulariter (idest non seculariter secundum glossam ibi) agere oportet. Hæc ibi. Concilium igitur cum Papa ab etymologia vult res cognosci; easque secundum illam regulari. Cum itaque Theologia secundum etymologiam dicatur latine sermo de Deo; & id, de quo fit in scientia sermo, dicatur a philosopho subjectum scientiae, patet & Concilio, & Papæ antedictis conformari illos, qui dicunt; quod subjectum sacrae Theologiae est Deus. Secundo vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S VIII. 8

Urrum hæc doctrina sit argumentativa.

I. prot. art. 5. & I. cont. cap. III. & VIII
& Boot. Tri. quest. III. art. 7.

AD octavum sic proceditur. Videtur quod hæc doctrina non sit argumentativa. Dicit enim Ambrosius in Lib. I. de Fide cathol. (cap. v. non longe a fin.) *Tolle argumenta ubi fides queritur*. Sed in hac doctrina precipue fides queritur: unde dicitur Joan. xx. 32. (4) *Hæc scripta sunt ut credatis*. Ergo sacra doctrina non est argumentativa.

2. Preterea. Si sit argumentativa, aut argumentatur ex auctoritate, aut ex ratione. Si ex auctoritate, non videtur hoc congruere ejus dignitati: nam *locus ab auctoritate est infirmissimus* secundum Boetium (ex comm. super Topica Cic. Lib. VI. non procul. a fin.) (5) Si etiam ex ratione, hoc non congruit ejus fini: quia secundum Gregorium (homil. xxvi. in Evang. in princ.) *fides non habet meritum, ubi humana ratio prebet experimentum*. Ergo sacra doctrina non est argumentativa.

Sed contra est quod dicitur ad Tit. I. 19^a de Episcopo amplectente cum (6) qui secundum doctri-

(1) Sensu jam supra indicato, quia omnium principium est, ut & omnium finis: Quamvis altera creature rationales ad illum finem quam irrationalis referantur.

(2) Res quidem, id est ea quae secundum se aliquid sunt nec ad significandum adhibentur; Sed si quis id est ea quae propter solam significationem in usu sunt ut expressius i. Sent. & plenius.

(3) Puta in demonstratione quae a posuerit, pro-

pterera dicitur, quia per posterius probat id quod prius est.

(4) Nempe *signa que fecit Jesus*, ut ex adjunctionis patet: Sed ad omnia quae in ista doctrina continentur, extendi potest.

(5) Ubi locum illum *artis experientem* a Cicerone dici notat.

(6) Sive *firmior inherentem* (*arrebatum*) quod insinuat etiam verbum *amplectendi*: Nam diligenter con-

doctrinam est, fidem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere.

Respondeo dicendum, quod sicut aliae scientiae non argumentantur ad sua principia probanda, sed ex principiis argumentantur ad ostendendum alia in ipsis scientiis; ita haec doctrina non argumentatur ad sua principia probanda, quae sunt articuli fidei; sed ex eis procedit ad aliquid ostendendum, sicut Apostolus I. ad Co. xv. ex resurrectione Christi argumentatur ad resurrectionem communem probandam (1). Sed tamen considerandum est in scientiis philosophicis, quod inferiores scientiae nec probant sua principia, nec contra negantem principia disputant, sed hoc relinquunt superiori scientiae; suprema vero inter eas, scilicet Metaphysica disputationat contra negantem sua principia, si adversarius aliquid concedit; si autem nihil concedit, non potest cum eo disputare, potest tamen solvere rationes ipsius. Unde sacra Scriptura, cum non habeat superiorem, disputat cum negante sua principia, argumentando quidem, si adversarius aliquid concedat eorum quae per divinam revelationem habentur; sicut per auctoritates sacre doctrinæ disputationamus contra haereticos, & per unum articulum contra negantes alium. Si vero adversarius nihil credit eorum quae divinitus revelantur, non remanet amplius via ad probandum articulos fidei per rationes, sed ad solvendum rationes, si quas inducit contra fidem. Cum enim fides infallibili veritati innitur, impossibile autem sit de vero demonstrari contrarium; (2) manifestum est probations, quae contra fidem inducuntur, non esse demonstrationes, sed solubilia argumenta.

Ad primum ergo dicendum, quod licet argumenta rationis humanæ non habeant locum ad probandum quae fidei sunt; tamen

Constringimus quae amplectimur, & ex dilectione fit complexus. Unde amplecti scientiam est ex dilectione cordis ei firmiter inherere, ait ibidem S. Thomas I. c. 3.

(1) Ut videre est vers. 22. ac deinceps. Proinde illam *disputationis disciplinam*, ad omnia genera questionum utilem esse dicit August. lib. 2. de doctr. Christ. cap. 31. quia & necessariam esse urget lib. 14. de Trinit. cap. 1. ut illud ipsum quod creditur contra impios defendatur, & piis optuletur ad salutem.

(2) Hinc etiam in Concil. Later. sub Leone 10. sess. 8. contra eos qui animam humanam esse mortalem astruebant, sic decerpitur: *Cum verum vero minime conteradicat, omnem assertiōnē veritatis illu-*

ex articulis fidei haec doctrina ad alia arguitur, ut dictum est (in corp. art.)

Ad secundum dicendum, quod argumentari ex auctoritate est maxime proprium humani doctrinæ eo quod principia hujus doctrinæ per revelationem habentur. Et sic oportet quod credatur auctoritati eorum quibus revelatione facta est. Nec hoc derogat dignitati hujus doctrinæ: nam licet locus ab auctoritate quae fundatur super ratione humana, sit infirmissimus; locus tamen ab auctoritate quae fundatur super revelatione divina, est efficacissimus. Utitur tamen sacra doctrina etiam ratione humana, (3) non quidem ad probandum fidem (quia per hoc tolleretur meritum fidei) sed ad manifestandum aliqua alia quae traduntur in hac doctrina. Cum igitur gratia non tollat naturam, sed perficiat, oportet quod naturalis ratio subleviat fidei, sicut & naturalis inclinatio voluntatis obsequitur caritati. Unde & Apostolus dicit II. ad Cor. x. 5. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. Et inde est quod etiam auctoritatibus Philosophorum sacra doctrina utitur, ubi per rationem naturalem veritatem cognoscere potuerunt, sicut Paulus Act. xvii. 28. inducit verbum Arati, dicens: *sicut & quidam poetarum vestrorum dixerunt: Genus Dei sumus. Sed tamen sacra doctrina hujusmodi auctoritatibus utitur quasi extraneis argumentis, & probabilibus.* (4) Auctoritatibus autem canonice Scripturæ utitur proprie ex necessitate argumentando; auctoritatibus autem aliorum doctorum Ecclesiarum quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter. Innititus enim fides nostra revelationi Apostolis, & Prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit aliis doctoribus facta. Unde dicit Augustinus in epistola ad Hieronymum (xix. cap. 1. prop. fin.) (5) *Solis eis Scripturarum libris qui can-*

minante fidei contrariam omnino falsam esse definimus.

(3) Ut in prima responione ad Ambrofii auctoritatem jam dictum est: Unde ipse in lib. 4. in Lucam super illud cap. 5. *Dux in altum* (quod Christus Petro dixit) *profundum disputationum interpretatur: Et retia explicat sinus quosdam orationis & disputationum recessus, qui quos ceperint non auferunt.*

(4) Vel ex necessariis arguendo, id est quibus necessarium sit assentiri, nec ullo modo contradicere possit.

(5) Ex qua idem refertur in Decretis dist. 9. cap. Ego solus, ubi tantum sentiunt, non sicut hic sentiunt vel scripserunt.

canonici appellantur, sicuti hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum auctorem eorum in scribendo errasse aliquid firmissime credam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque prepolleant, non ideo verum putem, quod ipsi ita senserunt, vel scripsérunt.

APPENDIX.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem retundas heresim Feliciani dicentis: In fidei disciplina rationibus potius, quam sacrae scripturæ auctoritatibus, & testimoniis, agendum esse. Docetur enim in responsione ad secundum totum oppositum. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hanc recte intelligi damnatam ab Urbano Papa, ut habetur in libro Decretorum, distinct. 37. *Omnem vim inventorum suorum in Dialectica disputatione ponunt heretici, qua ex philosophorum sententia definitur, non atriendi vim babere, sed studium destruendi; sed non Dialectica placuit Deo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Regnum enim Dei in simplicitate fidei est; non in contentione sermonis.* Hæc ibi. Ecce, quod Papa anteponit fidem rationi, quod est in disciplina fidei non esse potius rationibus, quam auctoritatibus scripturæ fidei (hæc est Biblia) agendum. Comparative autem, id est respectu sacrae Theologiae, Papa loquitur ibi, quando talia de dialectica dicit: & hoc sufficiat pro nunc; quoniam non agimus expositores Canonum; nisi pro quanto errores contrarios destruunt. Item a Leone Decimo in Concilio Lateranensi sessione 8. sic; *Dum tamen Theologia, aut sacris canonibus operam navaverint; ut in his sanctis, & utilibus professionibus inveniant Domini sacerdotes, unde infectiones philosophiae, & poesis radices purgare, & sanare valeant.* Hæc ibi. Vide, quod Papa cum Concil. potiorem tribuit locum scripturæ sacrae, quam rationi; dum per Theologiam humanas scientias posse ab infectione purgari determinat. Tertio vides: quomodo vicissim ex his firmetur Angelica doctrina.

(1) Ex persona Sapientie dictum, ut vers. 31. videre est, proindeque ad sensum hujus loci pertinens; ut & Sap. 7. vers. 23. emanatio quadam claritatis Dei sincera sensu non dissimili appellatur: Et ad

ARTICULUS IX. 9

Uerum sacra Scriptura debeat uti metaphoris.

I. prol. artic. 5. & dist. xxxiv. quest. iii.
artic. 1. & 2. & III. cont. cap. cl. & Tri.
art. 8. & quol. iv. quest. i. & opusc. ix.
cap. xi. fin.

AD nonum sic proceditur. Videtur quod sacra Scriptura non debeat uti metaphoris. Illud enim quod est proprium infima doctrinæ, non videtur competere huic scientiæ, quæ inter alias tenet locum supremum, ut jam dictum est (art. præc.) Procedere autem per similitudines varias, & representationes, est proprium Poeticæ, quæ est infima inter omnes doctrinas. Ergo hujusmodi similitudinibus uti non est conveniens huic scientiæ.

2. Præterea. Hæc doctrina videtur esse ordinata ad veritatis manifestationem: unde & manifestatoribus ejus præmium promittitur Eccli. xxiv. 21. (1) *Qui elucidant me, vitam eternam babebunt.* Sed per hujusmodi similitudines veritas occultatur. Non ergo convenit huic doctrinæ divina tradere sub similitudine corporalium rerum.

3. Præterea. Quanto aliquæ creaturæ sunt sublimiores, tanto magis ad divinam similitudinem accedunt. Si igitur aliquæ ex creaturis transumere regunt ad Deum, tunc oporteret tales transumptionem maxime fieri ex sublimioribus creaturis, & non ex infimis, quod tamen in Scripturis frequenter invenitur.

Sed contra est quod dicitur Osee xii. 10. *Ego visionem multiplicavi eis, & in manibus Prophetarum assimilatus sum.* Tradere autem aliquid sub similitudine, est metaphoricum. Ergo ad sacram doctrinam pertinet uti metaphoris.

Respondeo dicendum, quod conveniens est sacrae Scripturæ divina, & spiritualia sub similitudine corporalium tradere. Deus enim omnibus provideret, secundum quod competit eorum naturæ. Est autem naturale homini ut per sensibilia ad intelligibilia veniat: quia omnis nostra cognitio a sensu initium habet.

Unde

eundem symbolice referri potest quod in pectori Sacerdotis manifestatio & veritas (σημεῖον καὶ ἀλήθεια) Exod. 28. vers. 30. iuxta 70. poni jubebatur, ubi doctrina & veritas habetur in Vulgata.

(1) Unde convenienter in Sacra Scriptura traduntur nobis spiritualia sub metaphoris corporalium : & hoc est quod dicit Dionysius i. cap. celestis Hierarch. (circa med.) *Impossibile est nobis aliter lucere divinum radium,*
 (2) *nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum.* Convenit etiam sacre Scripturæ, quæ communiter omnibus proponitur { secundum illud ad Rom. 1. 14. *Sapientibus, & insipientibus debitor sum* } ut spiritualia sub similitudinibus corporalium proponantur, ut saltem vel sic rudes eam capiant, qui ad intelligibilia secundum se capienda non sunt idonei.

Ad primum ergo dicendum, quod (*) Poetica utitur metaphoris propter representationem : representatio enim naturaliter homini delectabilis est. Sed sacra doctrina utitur metaphoris propter necessitatem, & utilitatem, sicut jam dictum est (in corp. art.)

Ad secundum dicendum, quod radius divinæ revelationis non destruit propter figuræ sensibiles, quibus circumvelatur, ut dicit Dionysius (cap. 11. cœl. Hierar.) sed remanet in sua veritate, ut mentes, quibus sit revelatio, non permittat in similitudinibus permanere, sed elevet eas ad cognitionem intelligibilium, & per eos quibus revelatione facta est, alii etiam circa hæc instruantur. Unde ea quæ in uno loco Scripturæ traduntur sub metaphoris, in alijs locis expressius exponuntur. Et ipsa etiam occultatio figurarum utilis est ad exercitium studiosorum, & contra irrisiones infidelium : de quibus dicitur Matth. VII. 6. *Nolite sanctum dare canibus* (3).

Ad tertium dicendum, quod, sicut docet Dionysius cap. 11. celestis Hierarchiæ (non multum remote ante med.) magis est convenienter quod divina in Scripturis tradantur sub figuris vilium corporum quam corporum nobilium. Et hoc propter tria. Primo quia propter hoc magis liberatur humanus animus ab errore. Manifestum enim appetit quod hæc secundum proprietatem non dicuntur de divinis ; quod posset esse dubium, si sub fi-

guris nobilium corporum describerentur divina, maxime apud illos qui nihil aliud a corporibus nobilibus excogitare neverunt. Secundo, quia hic modus convenientior est cognitioni quam de Deo habemus in hac vita. Magis enim manifestatur nobis de ipso quid non est, quam quid est : & ideo similitudines illarum rerum quæ magis elongantur a Deo, veriorem nobis faciunt estimationem, quod sit supra illud quod de Deo dicimus, vel cogitamus. Tertio quia per huiusmodi, divina magis occultantur indignis.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo : quomodo per rationem ostendas, sacram scripturam recte uti metaphoris Matth. 13. *Simile est regnum cœlorum* &c. & passim in Evang. Item Ps. 77. *Aperiam in parabolis os meum.* & Ose. 12. *in manibus prophetarum assimilatus sum.* Hæc hujusmodi bene pro semper nota contra Judæos, qui testamentum vetus ubique in significazione vocum propria volunt exponere : & hinc justo Dei judicio, in perniciössimos immerguntur errores. Secundo vides, quomodo &c

A R T I C U L U S X. 10

Utrum sacra Scriptura sub una littera habeat plures sensus.

Quo. vii. quest. vi. art. 1. 2. &c 3. & post. quest. iv. art. 1. & IV. dist. xxii. quest. 1. art. 2. quest. 1. ad 3. & Gal.-IV. lect. vi. Corint. III.

AD decimum sic proceditur. Videtur quod sacra Scriptura sub una littera non habeat plures sensus, qui sunt historicus vel litteralis, allegoricus, tropologicus five moralis, & anagogicus. Multiplicitas enim sensuum in una scriptura parit confusionem, & deceptionem, & tollit arguendi firmitatem :

(1) Hinc & tenui deficiente scientia deficit. lib. 1. Posterior. text. 33. five c. 25.

(2) Sive divino principalem radium, (θεραπεία) vel quasi primitivum radium, qui omnis lucis principium sit eo ipso quod in Deo est vel divinus : Dicitur quoque circumvolatus anagogies (ἀναγογίας) quasi symbolis vel figuris quæ sursum ducant involutus ; vel ad sublimiorem quemdam sensum quam qui superficie tenuis exprimitur, mentem erigant.

(*) Ita cist. cod. glis ad stipulansibus. Al. Poeta.

(3) Sic enim sanctum Augustinus interpretatur veritatem, canes impugnatores veritatis, lib. 2. de fermo. Dom. in monte cap. 31. quia nefas est interire veritatem, sicut & corrumpere quod sanctum est, ut ibidem indicat : Author autem operis imperfeci homil. 12. in Matth. sanctum interpretatur baptizatum & gratiam corporis Christi (five Euchariastum) sed marginata mysteria veritatis.

tam : unde ex multiplicibus propositionibus non procedit argumentatio ; sed secundum hoc aliquæ fallacie assignantur. Sacra autem Scriptura debet esse efficax ad ostendendam veritatem absque omni fallacia . Ergo non debent in ea sub una littera plures sensus tradi .

2. Præterea . Augustinus dicit in Lib. de utilitate credendi (cap. III. cir. prin.) quod *Scriptura que testamentum vetus vocatur*, quadrifariam traditur , scilicet secundum *historiam*, (1) secundum *etiologiam*, secundum *analogiam*, secundum *allegoriam*. Quia quidem quatuor a quatuor prædictis videntur esse aliena omnino . Non igitur conveniens videatur quod eadem littera sacrae Scripturæ secundum quatuor sensus prædictos exponatur .

3. Præterea . Præter prædictos sensus invenitur sensus parabolicus , qui inter illos sensus quatuor non continetur .

Sed contra est quod dicit Gregorius XX. Moral. (cap. I. circa med.) *Sacra Scriptura omnes scientias ipso locutionis sue more transcendit* : quia uno eodemque sermone , dum narrat (2) *geschum*, (3) *prodit mysterium*.

Respondeo dicendum , quod auctor sacre Scripturæ est Deus , in cuius potestate est ut non solum voces ad significandum accommodet (quod etiam homo facere potest) sed etiam res ipsas . Et ideo cum in omnibus scientiis voces significant , hoc habet proprium ista scientia quod ipsæ res significantæ per voces etiam significant aliquid . Illa ergo prima significatio qua voces significant res , pertinet ad primum sensum , qui est sensus historicus , vel litteralis . Illa vero significatio qua res significantæ per voces , iterum res alias significant , dicitur sensus spiritualis , (3) qui super litteralem fundatur , & eum supponit .

Hic autem sensus spiritualis trifariam dividitur . Sicut enim dicit Apostolus ad He-

Sum. S.Th. T.I.

(1) Ex græco *ἰσορία* (inspectione) *ἀντολογία* (redditione cause) *ἀναλογία* (proportione) *ἀλλογία* (unius pro alio enuntiatione) ut & infra patebit cum reliquis hic indicatis .

(2) *All. textum* .

(3) Ut in Editione Gregorii ac in ipso Camera Apostolica Gregoriano Exemplari , ac in duplice quod ad manum est tum antiquo tum novo ; non ut alibi passim , dum narrat *geschum* : Narrare autem textum idem est ac texturam sive seriem litteralem ; Quod quispiam non intelligere immutavit .

(4) Qui sensus *mysticus* appellari solet , quasi occultus & sub littera delitescens ; ut *Glossa passim* vocat & Hugo Victorinus in epist. ad Hebreos (4) 1. sub finem ; & Gregorius lib. 21. Moral. cap. 2.

br. vii. lex vetus figura est novæ legis ; & ipsa nova lex , ut dicit Dionysius in eccles. Hierar. (cap. v. part. i.) est figura futura gloriae . In nova etiam lege ea quæ in capite sunt gesta , sunt signa eorum quæ nos agere debemus . Secundum ergo quod ea quæ sunt veteris legis , significant ea quæ sunt novæ legis , est sensus allegoricus ; secundum vero quod ea quæ in Christo sunt facta , vel in iis quæ Christum significant , sunt signa eorum quæ nos agere debemus , est sensus moralis ; prout vero significant ea quæ sunt in æterna gloria , est sensus anagogicus . Quia vero sensus litteralis est quem auctor intendit ; auctor autem sacrae Scripturæ Deus est , qui omnia simul suo intellectu comprehendit ; non est inconveniens , ut dicit Augustinus XII. Confes. (elicitor , ex cap. xviii. xix. xx. xxiv. & xxxi.) si etiam secundum litteralem sensum in una littera Scripturæ plures sint sensus (4) .

Ad primum ergo dicendum , quod multiplicitas horum sensuum non facit æquivocationem , aut aliam speciem multiplicitatis : quia , sicut jam dictum est (in corp. art.) sensus isti non multiplicantur propter hoc quod una vox multa significet , sed quia ipsæ res significatae per voces aliarum rerum possunt esse signa .

Et ita etiam nulla confusio sequitur in sacra Scriptura , cum omnes sensus fundentur super unum , scilicet litteralem , ex quo solo potest trahi argumentum , non autem ex iis quæ secundum allegoriam dicuntur , ut dicit Augustinus in epist. cont. Vincentium Donatistam (quæ est xlvi. circa med.) (5) Non tamen ex hoc aliquid deperit sacrae Scripturæ : quia nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium quod Scriptura per litteralem sensum aliquibi manifeste non tradat .

Ad secundum dicendum , quod illa tria ,

C hist-

etiam prope finem æquivalenter insinuat : Sicut quod ex Dionysio subiungitur , insinuatur apud illum cap. 5. §. 2. versus finem .

(4) Puta in illis verbis quæ potissimum urget , *In principio creavit Deus celum & terram* , cap. 18. 19. 20. 21. 24. 31. vel de Filio vel de initio temporis explicatis .

(5) Sic enim ibi circa medium : *Quis non impudenter nitatur aliquid in allegoria possum pro se interpretari , nisi habeat & manifesta testimonia quorum lumine illustrerentur ?* Ad confundendos Donatistas qui ex quibuscum fictitiis allegoris veram apud se solos Ecclesiam constituere impudenter audebant .

historia, *aetiologia*, *analogia*, ad unum literalem sensum pertinent: nam *historia* est, ut ipse Augustinus exponit (loc. dicto in argum.) cum simpliciter aliquid proponitur; *aetiologia* vero, cum causa dicti assignatur, sicut cum Dominus assignavit causam quare Moyses repudiandi permisit licentiam uxores, scilicet propter duritiam cordis ipsorum, Matth. xix. *Analogia* vero est cum veritas unius Scripturæ ostenditur veritati alterius non repugnare. Sola autem allegoria inter illa quatuor pro tribus spiritualibus sensibus ponitur, sicut & Ugo de Sancto Victore sub sensu allegorico etiam analogicum comprehendit, ponens in III. (1) fuarum Sententiarum solum tres sensus, scilicet historicum, allegoricum, & tropologicum. (Id habet in prol. Lib. I. de Sacram. cap. iv.)

Ad tertium dicendum, quod sensus parabolicus sub litterali continetur: nam per voces significatur aliquid proprie, & aliquid figurative. Nec est litteralis sensus ipsa figura; sed id quod est figuratum. Non enim cum Scriptura nominat Dei brachium, est litteralis sensus quod in Deo sit membrum hujusmodi corporale; sed id quod per hoc membrum significatur, scilicet virtus operativa: in quo patet quod sensui litterali sacrae Scripturæ numquam potest subesse falsum.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem monstres, recte scripturam uti sensu litterali Galat. 4. *Abraham habuit duos filios*, & spirituali allegorico, ibi. *Quæ sunt per allegoriam dicta*; & spirituali morali. I. Cor. 10. *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, mare transferunt &c. scripta sunt autem hec omnia ad correctionem nostram*, & spirituali anagogico Hebr. 7. 8. 9. 10. ubi legis tabernaculum, sacerdotium, sacrificia, figuratur dicit Apostolus non tantum in novo testamento facta, quod est allegoricum, sed etiam cœlum ipsum, in quo omnes a minimo usque

ad majorem scient Dominum, quod est anagogicum. Et hoc sit dictum quantum ad primam conclusionem cum suis annexis. Secundo habes: quomodo per rationem secunda confessionis ostendas, scripturam sacram merito introduci in sensu litterali in novo testamento, quamvis alium sensum litteralem habeat in antiquo, ut Hebr. 1. *Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium*: quod quidem dictum 2. Reg. 7. de Salomone ad litteram intelligitur, & tamen in sensu litterali ibi ab Apostolo Messiae applicatur. Et re vera non tantum iste locus, sed & omnes, qui in novo testamento, sive a Christo, sive ab Apostolis, sive ab Evangelistis ad aliquid probandum adducuntur, duplice sensum litteralem habent, unum secundarium, alium principalem. Secundarius est, qui tunc in antiquo testamento verificabatur, puta, quod Salomon pro tempore bona vita suæ esset filius Dei adoptivus; quod lapis materialis reprobatus ab adificantibus moltoties, esset postea ad connectendum duos parietes in unum angulum aptissimus, quod populus Israeliticus pro filio Dei adoptivo habitus exierit ex Ægypto, tamquam ex Ægypto a Deo vocatus, &c. principalis est, qui in testamento novo adimpletus est, puta, quod Christus per Salomonem figuratus sit verus Dei filius, tamquam figuratum superexcedens figuram; quod Christus per lapidem figuratus reprobatus sit moltoties a majoribus Judæorum, & postea conjunxerit aptissime duos populos in unam fidem: quod Christus a populo Israelitico figuratus sit, post moram in Ægypto propter Herodis persecutionem vocatus a Deo patre ex Ægypto per Angelum dicentem: *surge Joseph, accipe puerum & Mariam matrem ejus, & vade in terram Israel*. Nefandum enim est dicere, quod Christus, Apostoli, vel Evangelistæ non efficaciter probent intentum suum per auctoritates antiqui testamenti, maxime cum in his, tamquam in Catholicæ fidei apud infideles Judæos, quorum conversioni, aut justæ confutationi insistebant firmioribus argumentis vim magnam facerent. Patet autem per Augustinum in epistola contra Vincen-

(1) Ubi dicitur quod in significatione vocum ad res, continetur *historia*; in significatione rerum ad facta mystica continetur *allegoria*; in significatione rerum ad facienda mystica continetur *tropologia*. Porro *allegoriam* dici ex græca voce quasi *enūciationem* jam notavimus: Unde omnem spirituali sensum comprehendit, sed per appropriacionem illum qui nihil speciale supra exteriores addit.

Anagogicus autem appellatur quod sursum ducat (ex græco ἀναγωγή) propter aliquam significationem supernaturalem ac divinam: *Tropologicus* (ex græco τρόπος) quod mores formet ac instituat, vel instruat: *Parabolicus* (ex græco παραβολή) quod sub similitudinibus res explicet: Sicut *analogicus* proper proportionem vel convenientiam unius cum alio, ut sup.

tium Donatistam, quod ex sensu litterali solo trahi potest argumentum efficax, & non ex his, quæ secundum allegoriam dicuntur. Takeo, quod nisi in sensu litterali Christus, discipulive sui prophetas adducerent, a Judæis ipsiis, ultra quod eos revera non convicerent, potuissent redargui dicentibus: quod sensus ille, in quo adducebant prophetas, non erat litteraliter (qui sensus præcipuus est) intentus a prophetis, & ideo quod nobleant credere propter talia insufficientia motiva. Ut igitur novi testamenti ministros, & efficaciter ex testamento veteri probasse, quod volebant, & inexcusabiliter infideles Judæos confudisse fateri, ut par est, valeamus, tendendum est, ipsos auctoritates antiquas in sensu litterali ad probationem tunc propositæ rei induxisse. Hic est spiritus duplex prophetarum, quem *Heliæus ab Helia*, *quarto Regum secundo*, postulabat; sensus videlicet litteralis; secundus ad antiquum, principalis ad novum testamentum pertinens. Finis enim legis Christus est: & ideo litteralis pro Christo a prophetis intentus jure est principalis, alio pro lege veteri remanente secundo. Quando ergo alicubi invenies dictum ab aliquo doctore; quod tales antiquæ sententiae in novo testamento adducuntur in sensu mystico: tu per sensum mysticum, seu spiritualem, intellige sensum magis occultum. Litteralis enim pro antiquo tempore verificatus, erat manifestus, ut patet; litteralis autem pro novo est multum occultus, & solum prophetis, qui omnes ad dies *Messiz* prophetabant, notus. Mysticum ergo sensum vocarunt illi doctores sensum litteralem occultum, ad differentiam litteralis manifesti: & consequenter non accipiunt mysticum, vel spiritualem, ut distinguunt contra litteralem, sed ut contra qualitatem litteralis, seu contra litteralem talem. Ex hoc infringe errorem *Joan. Wiclet*, & *Lutheri* (*Præf. Sectarii*) dicentium; scriptura sacra adeo ex se clara est, ut nulla hominum sit de ea necessaria approbatio. Cujus damnationem justam trahendam tibi dimitto ex g. 32. 4. Tertio vides: quomodo, &c.

Q U Æ S T I O N E S E C U N D A.

De Deo, an Deus sit.

Quia igitur principalis intentio hujus sacrae doctrinæ est Dei cognitionem tra-

dere, & non solum secundum quod in se est, sed etiam secundum quod est principium rerum, & finis earum, & specialiter rationalis creaturæ, ut ex dictis est manifestum (artic. 7. quest. preced.) ad hujus doctrinæ expositionem intendentes,

Primo tractabimus de Deo.

Secundo de motu rationalis creaturæ in Deum.

Tertio de Christo, qui secundum quod homo, via est nobis tendendi in Deum.

Consideratio autem de Deo tripartita erit.

Primo considerabimus ea quæ ad essentiam divinam pertinent.

Secundo ea quæ pertinent ad distinctionem personarum.

Tertio ea quæ pertinent ad processum creaturarum ab ipso.

Circa essentiam vero divinam.

Primo considerandum est, an Deus sit.

Secundo, quomodo sit, vel potius quomodo non sit.

Tertio considerandum erit de his quæ ad operationem ipsius pertinent, scilicet de scientia, & de voluntate, & potentia.

Circa primum queruntur tria.

Primo, utrum Deum esse sit per se notum.

Secundo, utrum sit demonstrabile.

Tertio, an Deus sit.

A R T I C U L U S I. 11

Utrum Deum esse sit per se notum.

I. *dist. III. quest. 1. art. 2. & III. con. cap. x.*
& xi. & ver. quest. x. art. 12. & por.
quest. vii. artic. 2. ad ii.

AD primum sic proceditur. Videtur quod Deum esse sit per se notum. Illa enim nobis dicuntur per se nota quorum cognitio nobis naturaliter inest, sicut patet de primis principiis. Sed, sicut dicit Damascenus in *princ. Lib. (I. de Fide orihod. cap. i. & iii.) omnibus cognitio existendi Deum naturaliter est inserita*. Ergo Deum esse est per se notum

C 2 2. Præ-

terpres reddit, ut hic.

(1) Sive *infusa cognitio* quod Deus sit, ut reddi debet græcum τὸ οὐσίαν quod syllabice nimis vetus in-

2. Præterea. Illa dicuntur esse per se nota quæ statim cognitis terminis, cognoscuntur: quod Philosophus attribuit primis demonstrationis principiis in I. Post. (cap. II.) Scito enim quid est totum, & quid pars statim scitur quod omne totum majus est sua parte. Sed intellecto quid significet hoc nomen Deus, statim habetur, quod Deus est. Significatur enim hoc nomine id quo majus significari non potest: (1) majus autem est quod est in re, & intellectu, quam quod est in intellectu tantum: unde cum intellecto hoc nomine Deus, statim sit in intellectu, sequitur etiam quod sit in re. Ergo Deum esse est per se notum.

3. Præterea. Veritatem esse est per se notum: quia qui negat veritatem esse, concedit veritatem non esse: (2) si enim veritas non est, verum est veritatem non esse; si autem est aliquid verum, oportet quod veritas sit. Deus autem est ipsa veritas: Joan. xiv. 6. *Ego sum via, veritas, & vita.* Ergo Deum esse est per se notum.

Sed contra. Nullus potest cogitare oppositum ejus quod est per se notum, ut patet per Philosophum in IV. Metaphys. (text. ix.) & I. Post. (text. ult. ad med. illius, & text. v. circa fin.) circa prima demonstrationis principia. Cogitari autem potest oppositum ejus quod est Deum esse, secundum illud Psal. lii. 1. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* Ergo Deum esse non est per se notum.

Respondeo dicendum, quod contingit aliquid esse per se notum duplicitate. Uno modo secundum se, & non quoad nos; alio modo secundum se, & quoad nos. (3) Ex hoc enim aliqua propositio est per se nota, quod prædicatum includitur in ratione subjecti, ut Homo est animal: nam animal est de ratione hominis. Si igitur notum sit omnibus de prædicato, & de subjecto quid sit, propositio

illa erit omnibus per se nota; sicut patet in primis demonstrationum principiis, quorum termini sunt quædam communia, quæ nullus ignorat, ut ens, & non ens, totum, & pars, & similia. Si autem apud aliquos notum non sit de prædicato, & subjecto quid sit; propositio quidem, quantum in se est, erit per se nota, non tamen apud illos qui prædicatum, & subjectum propositionis ignorant. Et ideo contingit, ut dicit Boetius in Lib. de hebd. (cujus tit. est: *An omne quod est, sit bonum, circa princip. illius*) (4) quod quedam sunt communis animi conceptiones, & per se nota apud sapientes tantum, ut incorporalia in loco non esse. Dico ergo, quod hæc propositio, Deus est, quantum in se est, per se nota est: quia prædicatum est idem cum subjecto. Deus enim est suum esse, ut infra patet (quest. III. artic. 4.) Sed quia nos non scimus de Deo quid est, non est nobis per se nota, sed indiget demonstrari per ea quæ sunt magis nota quoad nos, & minus nota quoad natum, scilicet per effectus.

Ad primum ergo dicendum, quod cognoscere Deum esse in aliquo communi, sub quædam confusione est nobis naturaliter insertum, (5) in quantum scilicet Deus est homini beatitudo: homo enim naturaliter desiderat beatitudinem; & quod naturaliter desideratur ab homine, naturaliter cognoscitur ab eodem. Sed hoc non est simpliciter cognoscere Deum esse, sicut cognoscere venientem, non est cognoscere Petrum, quamvis sit Petrus veniens: multi enim perfectum hominis bonum, quod est beatitudo, existimant divitias; quidam vero voluptates; quidam autem aliquid aliud. (6)

Ad secundum dicendum, quod forte ille qui audit hoc nomen Deus, non intelligit significari aliquid, quo majus cogitari non possit, cun quidam crediderint Deum esse corpus. (7) Dato etiam quod quilibet intelligat hoc nomine

(1) Vel quo nihil molius & sublimius cogitatio conatur essingere, ut Augustinus lib. 1. de doctr. Christ. cap. 6. expressius.

(2) Id est eo ipso concedit illam esse, veluti per formalem consequentiam, ut adjuncta ostendunt, & sic 1. Sent. dist. 19. quest. 5. art. 3. arg. 3. ac 2. Sent. dist. 34. qu. 1. art. 1. Non ut nimis materiali sensu passum, concedis veritatem non esse, veluti per frigidam exponibilem & ineptam: Gethicum autem bene ut nos.

(3) Ex cap. 2. libri primi Posteriorum, ubi dicuntur nobis notiora quæ incurruunt in sensu nostris; ut sunt singularia; sed absolute ac simpliciter quæ longius ab illis remota sunt, ut sunt universalia; & mox immediata principia tractantur, ut hic.

(4) Qui passum de hebdomadibus inseribi solet propter hoc initium libri, *Postulas ut ex hebdomadibus nostris, &c.* ubi communis animi conceptiones alias apud vulgus, alias apud sapientes distinguunt.

(5) Vel insitum ut jam in arguento notatum est; velut inseminatum (juxta graecum *σύκατον απότομον*) seu implanatum, *agenitum*, *innatum*, &c.

(6) Ut suo loco 1. 2. referetur ac refelletur singulatum.

(7) Non rudes tantum & indocti propter insitam quamdam idolatriam quam ex confusione visibilium constitutæ conatus humana cogitationis infinitas, ut Augustinus epist. 122. loquitur, sed Philosophi quoque plures, & Christiani quidam, de quibus quest. 3.

mine *Dens* significari hoc quod dicitur, scilicet illud quo majus cogitari non potest; non tamen propter hoc sequitur quod intelligat id quod significatur per nomen, esse in rerum natura, sed in apprehensione intellectus tantum. Nec potest argui, quod sit in re, nisi datur quod sit in re aliquid quo majus cogitari non potest: quod non est datum a potentibus Deum non esse.

Ad tertium dicendum, quod veritatem esse in communi, est per se notum, sed pri-
mam veritatem esse, hoc non est per se no-
tum quoad nos.

A P P E N D I X .

EX ar. habes primo: quomodo per ratio-
nem ostendas, & quod recte dicit, &
quid dicere velit, ps. 13. *Dixit insipiens in
corde suo: non est Deus.* Quis autem sit iste
insipiens, patet, quod sunt *Atbei*. Hi enim
dicunt (teste Gabriele Prateolo in tit. *Atbei*)
Deum nullum esse, adjungentes etiam ex-
prese affirmant, nec Christum esse, nec dia-
bolum, nec cœlum, nec infernum. Secundo
vides: quomodo, &c.

ARTICULUS II. 12

Utrum Deum esse sit demonstrabile.

- I. cont. cap. XIII. XIV. & XV. & pot.
quest. VII. art. 3. ad 6. & opusc.
II. cap. III.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod Deum esse non sit demonstrabile. Deum enim esse est articulus fidei. Sed ea quæ sunt fidei, non sunt demonstrabilia: quia demonstratio facit scire, fides autem de non apparen-
tibus est, ut patet per Apostolum ad Hebreos XI. (1) Ergo Deum esse non est demonstrabile.

2. Præterea. Medium demonstrationis est

quod quid est. Sed de Deo non possumus scire quid est, sed solum quid non est, ut dicit Damascenus (Lib. I. orthod. Fidei cap. iv.) Ergo non possumus demonstrare Deum esse.

3. Præterea. Si demonstraretur Deum esse, hoc non esset nisi ex effectibus ejus. Sed effectus ejus non sunt proportionati ei, cum ipse sit infinitus, & effectus finiti; finiti au-
tem ad infinitum non est proportio. (2) Cum ergo causa non possit demonstrari per effec-
tum sibi non proportionatum, videtur quod Deum esse non possit demonstrari.

Sed contra est quod Apostolus dicit ad Rom. I. 20. *Invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta (3) conspiciuntur.* Sed hoc non esset, nisi per ea quæ facta sunt, posset de-
monstrari Deum esse: primum enim quod oportet intelligi de aliquo, est, an sit.

Respondeo dicendum, quod duplex est de-
monstratio. Una quæ est per causam, & di-
citur propter quid, & hæc est per priora sim-
pliciter; alia est per effectum, & dicitur demonstratio quia, & hæc est per ea quæ sunt priora quoad nos. (4) Cum enim effectus aliquis nobis est manifestior quam sua causa,
per effectum procedimus ad cognitionem cau-
sa. Ex quolibet autem effectu potest demon-
strari propriam causam ejus esse, si tamen ejus effectus sint magis noti quoad nos: quia cum effectus dependant a causa, posito effec-
tu, necesse est causam præexistere. Unde Deum esse secundum quod non est per se notum quoad nos, demonstrabile est per ef-
fectus nobis notos (5).

Ad primum ergo dicendum, quod Deum esse, & alia hujusmodi, quæ per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut di-
citur Rom. I. non sunt articuli fidei, sed præambula ad articulos. Sic enim fides præ-
supponit cognitionem naturalem sicut gratia naturam, & ut perfectio perfectibile; nihil tamen prohibet illud quod secundum se de-
monstrabile est, & scibile, ab aliquo accipi
ut

(1) Cum fidem argumentum non apparentium de-
finit, ut 2. 2. quæst. 4. explicabitur ex professo:
Quod autem subiungitur ex Damasco: jam nota-
rum est supra.

(2) Sicut expresse lib. I. de coelo text. 52. & 64.
paulo aliis verbis asseritur.

(3) Seu intellecta per ea, &c. (τοῖς τοιήδεν τοιήδεν)
ut constructio sit planior: Sic & Sap. 13. vers. 5. A
magistrina specieis & creatura poteris creator horum
ognoscibilior videtur. (ἀλόγος) quasi per quam-
dam collationem, &c.

(4) Utraque autem ita demonstratio ex lib. I.

Posteriorum text. 10. vel cap. 10. colligitur, ubi demonstratio quia (vel græce ὅν) accipitur, pro quod res est.

(5) Contra impium dogma nostro tempore in
Theisibus quibusdam & in libro qui analysis divina
providentia idiomate gallico inscribitur, insinuisse
propalatum; quod quantumcumque elementum creature
Deum esse, suadent non probant, & quod proble-
matica sanctorum probationes ex earum aspectu sumit
possint: sed ad cumulum impietatis quod alio de-
monstrativa opus fuerit nobis in eo viro cui devo-
vabatur liber.

ut credibile, qui demonstrationem non capit.
Ad secundum dicendum, quod cum demonstratur causa per effectum, necesse est ut effectu loco definitionis causæ ad probandum causam esse: & hoc maxime contingit in Deo, quia ad probandum aliquid esse, necesse est accipere pro medio quid significet nomen, non autem quod quid est, quia questione *quid est*, sequitur ad questionem *an est*. Nomina autem Dei imponuntur ab effectibus, ut postea ostendetur (quest. xiiii. art. i.) unde demonstrando Deum esse per effectum, accipere possumus pro medio, quid significet hoc nomen Deus.

Ad tertium dicendum, quod per effectus non proportionatos causæ non potest perfecta cognitio de causa haberi, sed tamen (*) ex quocumque effectu potest manifeste nobis demonstrari causam esse, (1) ut dictum est (in corp. artic.) & sic ex effectibus Dei potest demonstrari Deum esse, licet per eos non perfectly possimus eum cognoscere secundum tuam essentiam.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem convincas errorem quorundam (ut resert *Sanctus Thomas contra gentes lib. 1. cap. 12.* & verit. quest. 10. artic. 12.) dicentium non posse a posteriori demonstrari Deum esse. Secundo habes: quomodo per rationem, hunc ostendas esse merito damnatum a sacrifici litteris Sap. 13. *A magnitudine speciei, & creature cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Si ergo aliqua prædicata, puta quod sit magnus, pulcherrimus, excellensissimus, de Deo possumus ex creaturis videre, a fortiori hoc prædicatum, an sit: de ipso ex eis poterimus cognoscibiliter, id est certitudinaliter videre, quoniam questione: An est: omnes alias questiones præcedit. Item a psalm. 103. *Extendens cælum sicut pellim.* Ac si aperte dicat. Cælum est tamquam extensus, id est apertus liber, ex cuius cognitione velut ex libro homines edocentur de Deo. Sicut pellenti, inquit, id est, (ut diximus) sicut librum; quia libri antiquitus ex animalium pellibus fiebant. Nomine autem cœli, secundum hanc expositionem, in-

tel ligi possunt omnes visibiles creaturæ, a continentente, & nobiliore, denominationem faciendo. Item Ap. Actuum 14. *Annuntiantes vobis converti ad Deum, qui fecit cælum, & terram, & quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefacientis nobis de cælo, dans pluvias, & tempora fructifera, implens cibo, & latititia, corda hominum.* Quem locum B. Ambr. i. li. de vocatione gentium ca. i. exponens ait. *Etiam ante sacras litteras in testimonio Domino deserviunt orbis, & inenarrabilis calorum pulchritudo;* per quam hominibus quedam tabule prebebantur, ut velut in paginis elementorum, & colorum divine institutionis doctrina legeretur. Item ad Ro. 1. *Invisibilitas Dei per ea, que facta sunt, intellecta conspicuntur.* Quid clarius contra errorrem præmissum? Nam inter prædicta invisibilitas Dei est primum, tamquam sine quo nihil aliud est, An existit. *Terrio* vides: quomodo, &c.

A R T I C U L U S III. 13

Utrum Deus sit.

I. disst. viii. quest. 1. art. 1. & I. con. cap. xiiii. & opusc. iii. cap. iii. & verit. quest. 1. art. 3. 7. & pot. iv. art. 7.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod Deus non sit. Quia si unum contrarium fuerit infinitum, totaliter destruetur aliud. Sed hoc intelligitur in hoc nomine Deus, scilicet quod sit quoddam bonum infinitum. Si ergo Deus esset, nullum malum inveniretur. Invenitur autem malum in mundo. Ergo Deus non est.

2. Præterea. Quod potest compleri per pauciora principia, non sit (2) per plura. Sed videtur quod omnia quæ apparent in mundo, possunt compleri per alia principia, supposito quod Deus non sit: quia ea quæ sunt naturalia, reducuntur in principium quod est natura; ea vero quæ sunt a proposito, reducuntur in principium quod est ratio humana, vel voluntas. Nulla igitur necessitas est ponere Deum esse.

Sed contra est quod dicitur Exod. 14. ex persona Dei: (3) *Ego sum qui sum.* Re-

(*) Al. ex quocumque effectu manifesto nobis &c.
(1) Si sic proprius effectus est illius causæ ut alterius esse non possit.

(2) Juxta illud ex Philosopho lib. 3. de partibus animalium cap. 4. *Ubicumque fieri potest, melius est unum esse quam plura.*

(3) Nempe, quia sic illum author libri loquenter resert; vel quia Deus ipse non loquebatur personaliter, sed Angelus personam Dei representans; cum postularet nomen ejus Moyses ut & illud insinuare posset iis ad quos ab ipso mittebatur.

Respondeo dicendum , quod Deum esse , quinque viis probari potest.

Prima autem , & manifestior via est qua sumitur ex parte motus . Certum est enim , & sensu constat , aliqua moveri in hoc mundo . Omne autem quod movetur , ab alio movetur : nihil enim movetur nisi secundum quod est in potentia ad illud ad quod movetur ; mover autem aliquid , secundum quod est actu : (1) movere enim nihil aliud est quam educere aliquid de potentia in actum . De potentia autem non potest aliquid reduci in actum nisi per aliquod ens in actu ; sicut calidum in actu , ut ignis , facit lignum , quod est calidum in potentia , esse actu calidum , & per hoc movet , & alterat ipsum . Non autem est possibile ut idem sit simul in actu , & potentia secundum idem , sed solum secundum diversa : quod enim est calidum in actu , non potest simul esse calidum in potentia , sed est simul frigidum in potentia . Impossibile est ergo quod secundum idem , & eodem modo aliquid sit movens , & motum , vel quod moveat seipsum . Omne ergo quod movetur , oportet ab alio moveri . Si ergo id a quo movetur , moveatur , oportet & ipsum ab alio moveri , & illud ab alio . Hic autem non est procedere in infinitum , (2) quia sic non esset aliquid primum movens , & per consequens nec aliquid aliud movens , quia moventia secunda non movent nisi per hoc quod sunt mota a primo . moveente , sicut baculus non movet , nisi per hoc quod est motus a manu . Ergo necesse est devenire ad aliquid primum movens , quod a nullo movetur ; & hoc omnes intelligunt Deum (3) .

Secunda via est ex ratione causæ efficientis . Invenimus enim in istis sensibilibus esse ordinem causalium efficientium ; nec tamen invenitur , nec est possibile , quod aliquid sit causa efficiens sui ipsius , quia sic esset prius se ipso , quod est impossibile . Non autem

est possibile quod in causis efficientibus procedatur in infinitum : (4) quia in omnibus causis efficientibus ordinatis primum est causa media , & medium est causa ultimi , sive media sint plura , sive unum tantum . Remota autem causa , removetur effectus . Ergo si non fuerit primum in causis efficientibus , non erit ultimum , nec medium . Sed si procedatur in infinitum in causis efficientibus , non erit prima causa efficiens , & sic non erit nec effectus ultimus , nec causæ efficientes mediaz : quod patet esse falsum . Ergo est necesse ponere aliquam causam efficientem primam , quam omnes Deum nominant .

Tertia via est sumpta ex possibili , & necessario ; quæ talis est . Invenimus enim in rebus quædam quæ sunt possibilia esse , & non esse , cum quædam inveniantur generari , & corrupti , & per consequens possibilia esse , & non esse . Impossibile est autem omnia quæ sunt talia , semper esse , quia quod possibile est non esse , quandoque non est . Si igitur omnia sunt possibilia non esse , aliquando nihil fuit in rebus . Sed si hoc est verum , etiam nunc nihil esset , quia quod non est , non incipit esse , nisi per aliquid quod est . Si igitur nihil fuit ens (5) , impossibile fuit quod aliquid inciperet esse ; & sic modo nihil esset : quod patet esse falsum . Non ergo omnia entia sunt possibilia , sed oportet aliquid esse necessarium in rebus . Omne autem necessarium vel habet causam suæ necessitatis aliunde , vel non habet . Non est autem possibile quod procedatur in infinitum in necessariis , quæ habent causam suæ necessitatis , sicut nec in causis efficientibus , ut probatum est (in isto art .) Ergo necesse est ponere aliquid quod sit per se necessarium , non habens causam necessitatis aliunde , sed quod est causa necessitatis aliis ; quod omnes dicunt Deum .

Quarta via sumitur ex gradibus qui in re-

(1) Ut videre est partim 3. Physic. text. 9. 14-16. partim 8. Physic. text. 40. Præter illa quæ totò libro inculcantur ut ostendatur primum motor , qui perpetuus & immobilis manens det omnibus existentiam & omnia moveat continue ac similiter ; sicut concludit propæ finem .

(2) Ita expresse quoque lib. 7. Physic. text. 3. prope finem , cum probatur sicut hic nihil moveri a seipso sed ab alio .

(3) Sive hoc intelligent esse quod appellatur Deus , &c.

(4) Quando sunt causæ per se non per accidens ; juxta illud 2. Physic. text. 50. Causa per se de-

finita est ; Causa per accidens indefinita , quia & infinita uni accidens : Ut & 2. Metaph. text. 5. non de causa efficiente tantum (puta quod homo ab aere , aer a Sole , Sol ab alio moveatur , & sic in infinitum) sed de materiali & formali ac etiam finali . Nec dissimilis ratiocinatio Damasceni est lib. 1. de fid. orthod. cap. 3. jam citato , & aliorum infra .

(5) Vel si nullum ens fuit ante illa quæ posteriori esse incepérunt . Mox autem non omnia entia esse possibilia sensus est non omnia esse contingentia quæ possunt esse & non esse ; sed non quatenus possibile opponitur impossibili .

rebus inveniuntur (1). Invenitur enim in rebus aliquid magis, & minus bonum, & verum, & nobile, & sic de aliis hujusmodi. Sed magis, & minus dicuntur de diversis, secundum quod appropinquant diversimode ad aliquid, quod maxime est; sicut magis calidum est quod magis appropinquit maxime calido. Est igitur aliquid quod est verissimum, & optimum, & nobilissimum, & per consequens maxime ens. Nam quae sunt maxime vera, sunt maxime entia, ut dicitur II. Metaphys. (tex. iv.) (2) Quod autem dicitur maxime tale in aliquo genere, est causa omnium quae sunt illius generis; sicut ignis, qui est maxime calidus, est causa omnium calidorum, ut in eodem Libro dicitur (tex. eod.) Ergo est aliquid quod omnibus entibus est causa esse, & bonitatis, & cujuslibet perfectionis, & hoc dicimus Deum.

Quinta via sumitur ex gubernatione rerum. Videmus enim quod aliqua quae cognitione carent, scilicet corpora naturalia, operantur propter finem: quod apparet ex hoc quod semper, aut frequentius eodem modo operantur, ut consequantur id quod est optimum (3). Unde patet quod non a casu, sed ex intentione perveniunt ad finem. Ea autem quae non habent cognitionem, non tendunt in finem nisi directa ab aliquo cognoscente, & intelligente, sicut sagitta a sagittante. Ergo est aliquid intelligens, a quo omnes res naturales ordinantur ad finem; & hoc dicimus Deum.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut dicit Augustinus in Enchirid. (cap. xi. circa princ.) Deus, cum sit summe bonus, nullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi esset adeo omnipotens, & bonus, ut bene faceret etiam de malo. Hoc ergo ad infinitam Dei bonitatem pertinet ut esse per-

mittat mala, & ex eis eliciat bona.

Ad secundum dicendum, quod cum natura propter determinatum finem operetur ex directione alicuius superioris agentis, necesse est ea quae a natura sunt, etiam in Deum reducere sicut in primam causam. Similiter etiam quae ex proposito sunt, oportet reducere in aliquam altiorem causam, quae non sit ratio, & voluntas humana: quia haec mutabilia sunt, & defectibilia; oportet autem omnia mobilia, & deficere possibilia reduci in aliquod primum principium immobile, & per se necessarium, sicut ostensum est (in corp. art.)

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo interierat haeresis Arheorum dicentium. Nullum Deum esse. Hæc haeresis etiam supra art. i. adducta est; sed ad aliud propositum, ut ibi patet: quoniam videlicet ex conceptu istorum hoc sequebatur, quod Deum esse, non est nobis naturaliter notum. Sic de multis erroribus, & haeresibus faciemus, adducendo scilicet multoties illas easdem: quod sane factum non reprehensibile judicetur: quoniam pro diversis suis intentis, seu propositis, diversis etiam articulis sancti Doctoris impugnantur, & expugnantur. Non ergo vituperetur factum, sed pro diversitate propositorum fiat de iisdem examen, & inde judicabitur non errorum vana repetitio, sed formalitatis illorum varia, & necessaria, vel utilis consideratio. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hanc justissime damnari ab omnibus scripturis, Conciliis, Pontificibus maximis, & in specie a symbolo fidei Patrum, in Nicæa, in Constantinopoli congregatorum, sic: *Credimus in Deum*. Er-

go

(1) Similiter etiam ratiocinatur August. de civitate Dei lib. 8. cap. 6. ex inegalitate perfectionis quae in rebus inter se comparatis quomodolibet inveniuntur: Ut & Anselmus cap. 1. sui Monologii probans non esse inaequales nisi per primam causam, &c.

(2) Ubi dicitur verissimum id esse quod aliis est causa ut vera sint: sicut & ens maxime quod est aliis causa ut sint.

(3) Sic Boetius lib. 3. de consolat. Prosa 12. Non tam certus natura ordo procederes, nisi unus esset qui quod nexus contineres. Hoc quidquid est, Deum nomino &c. Athanasius orat. contra Gentes: Fieri non posse ut hac omnia invicem contraria in unum ordinatum se colligerent, nisi aliquis esset summus moderator qui simul ea facieres: Alioquin non noscueris foret (inquit) qui sic dicitur ab or-

natu, sed ex opere id est perturbatio, inordinatio, confusio: Et hoc exemplo civitatis ostendit, cuius ordo inter tam contrarias partes indicium est quod ab aliquo gubernetur: Gregorius Nazianenus Orat. 34 Quod princeps quedam causa res omnes produxit easdemque conservet, ipsi oculi docent: Si etsi enim quispiam eleganter & pulchre fabricata est ciuitatem videns, vel eisdem audiens resonantem, statim fabricatorem ejus vel ciuitatem cogitabit, sic vijs rebus que condite sunt statim artifex cogitatur, nimiumque solidus debet esse qui non cogitas, &c. Sic inter ipsos Philosophos Gentiles qui hoc idem agnoscunt, Sextus Empyricus exemplo exercitus convenienter ordinati & navis bene gubernatae inculcat quod aliquis ordinis mundi principium debeat esse; ut & Cicero, &c.

go cum ly in Deum , presupponat necessario ipsum esse , patet a fortiori intentum . Item ab Innocentio III . Papa in Concilio generali . Extra de sum . Trin . & fid . Catol . firmiter credimus , & simpliciter confitemur , quod Deus est . Item Exod . tertio . Ego sum , qui sum . Si ergo Deus , qui est , non esset , tunc profectio nihil esset . Nam , si de quo magis videtur inesse , & non inest , tunc nec de quo minus inesse videtur ; inerit , en regula irrefragabilis in Logica . Si ergo illi , qui de se est , & de quo magis inter omnia videtur , quod sit , non inerit esse ; multo minus creaturis , quae de se non sunt , de quibus utique minus videtur , quod sint , inerit esse , Tertio vides : &c.

Q U E S T I O N E F E R T I A .

De Dei simplicitate,

in octo articulos divisâ .

Cognito de aliquo an sit , inquirendum restat quomodo sit , ut sciatur de eo quid sit . Sed quia de Deo scire non possumus quid sit , sed quid non sit ; non possumus considerare de Deo , quomodo sit , sed potius quomodo non sit .

Primo ergo considerandum est , quomodo non sit .

Secundo , quomodo a nobis cognoscatur .

Tertio , quomodo nominetur .

Potest autem ostendi de Deo , quomodo non sit , removendo ab eo ea quae ei non convenientiunt , utpote compositionem , motum , & alia hujusmodi .

Primo ergo inquiretur de simplicitate ipsius , per quam removetur ab eo compositione . Et quia simplicia in rebus corporalibus sunt imperfecta , & partes ;

Secundo inquiretur de perfectione ipsius .

Tertio de infinitate ejus .

Quarto de immutabilitate .

Quinto de unitate .

Circa primum queruntur octo .

Primo , (*) utrum Deus sit corpus .

Summ . S.Tb . T,I .

Secundo , utrum sit in eo compositio formæ , & materiæ .

Tertio , utrum sit in eo compositio quiditatis , sive essentiae , vel naturæ , & subjecti .

Quarto , utrum sit in eo compositio quae est ex essentia , & esse .

Quinto , utrum sit in eo compositio generis , & differentiæ .

Sexto , utrum sit in eo compositio subiecti , & accidentiæ .

Septimo , utrum sit quocumque modo compositus , vel totaliter simplex .

Octavo , utrum veniat in compositionem cum aliis .

A R T I C U L U S I .

Utrum Deus sit corpus .

I . cont . cap . xx . & Lib . II . cap . III . prime .
& Lib . IV . cap . XI . & opusc . II . cap .
xvi . & XVII .

A D primum sic proceditur . Videtur quod Deus sit corpus . Corpus enim est quod habet trinam dimensionem . Sed sacra Scriptura attribuit Deo trinam dimensionem (1) ; dicitur enim Job . xi . 18 . Excelſior caelo est ; & quid facies ? profundior inferno , & unde cognosces ? longior terra mensura ejus , & latior mari . Ergo Deus est corpus .

2 . Præterea . Omne figuratum est corpus ; cum figura sit qualitas circa quantitatem . Sed Deus videatur esse figuratus , cum scriptum sit Gen . 1 . 26 . Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram : figura et nimirum imago dicitur ; secundum illud Hebr . 1 . 3 . Cum sit splendor gloria , & figura fabritio ejus , id est imago . Ergo Deus est corpus .

3 . Præterea . Omne quod habet partes corporeas , est corpus . Sed Scriptura attribuit Deo partes corporeas ; dicitur enim Job . xl .

4 . Si habes brachium tu Deus . & in Psalm . (xxxiii . 16 . & cxvii . 16 .) Oculi Domini super iustos : & Dexter Domini fecit virtutem (2) . Ergo Deus est corpus .

4 . Præterea . Situs non convenit nisi corpori . Sed ea quae ad situm pertinent , in

D . Scri-

dum quippe , id situm est quoad se , sed non in alio loco situm . Unde quatuor hic exprimit Job .

(2) Sicut & Psalm . 9 . vers . 5 . Psalm . 46 . vers . 9 . Psalm . 79 . vers . 2 . sedens . Psalm . 81 . vers . 1 . Amos 7 . vers . 7 . Amos 9 . v . 1 . flans describitur .

(*) M.S. Alcan . utrum Deus sit corpus quod componitur ex partibus quantitatis .

(1) Bene *trinam* , ut Philosophi ponunt longitudinem , latitudinem , profunditatem : Nam altitudo intrinseca vel subjectiva eadem est profunditati , licet localis & extrinseca sit alia : Quidquid profun-

Scripturis dicuntur de Deo : dicitur enim Isa. vi. 1. *Vidi Dominum sedentem* : & Isa. xlii. 13. *Sitas ad iudicandum Dominus*. Ergo Deus est corpus.

5. Præterea. Nihil potest esse terminus localis a quo, vel ad quem, nisi sit corpus, vel aliquid corporeum. Sed Deus in Scriptura dicitur esse terminus localis, ut ad quem, secundum illud Psal. (xxxiii. 16.) *Accedite ad eum, & illuminamini* : & ut a quo, secundum illud Jerem. xvii. 13. *Recedentes a te in terra scribentur*. Ergo Deus est corpus.

Sed contra est quod dicitur Joan. iv. 44. *Spiritus est Deus* (1).

Respondet dicendum absolute, Deum non esse corpus : quod tripliciter ostendi potest.

Primo quidem quia nullum corpus movet non motum, ut patet inducendo per singula. Ostensum est autem supra (quest. ii. art. 3.) quod Deus est primum movens immobile. Unde manifestum est quod Deus non est corpus.

(2) Secundo quia necesse est id quod est primum ens, esse in actu, & nullo modo in potentia. Licet enim in uno & eodem, quod exit de potentia in actum, prius sit potentia quam actus, tempore; simpliciter tamen actus prior est potentia, quia quod est in potentia, non reducitur in actum nisi per ens actu. Ostensum est autem supra (quest. præced. art. 3.) quod Deus est primum ens. Impossibile est igitur quod in Deo sit aliquid in potentia. Omne autem corpus est in potentia, quia continuum, inquantum hujusmodi, divisibile est in infinitum. Impossibile est igitur Deum esse corpus.

Tertio quia Deus est id quod est nobilissimum in entibus, ut ex dictis patet (quest. præced. art. 3.) Impossibile est autem aliquid corpus esse nobilissimum in entibus, quia corpus aut est vivum, aut non vivum. Corpus autem vivum, manifestum est quod est nobilissimum corpore non vivo : corpus autem

vivum non vivit, inquantum corpus, quia sic omne corpus viveret. Oportet igitur quod vivat per aliquid aliud, sicut corpus nostrum vivit per animam. Illud autem per quod vivit corpus, est nobilissimum corpus. Impossibile est igitur Deum esse corpus.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut supra dictum est (quest. i. artic. 9.) sacra Scriptura tradit nobis spiritualia, & divina sub similitudinibus corporalium : unde cum trinam dimensionem Deo attribuit, sub similitudine quantitatis corporearum, quantitatem virtualem ipsius designat ; utpote per profunditatem, virtutem ad cognoscendum occulta ; per altitudinem, excellentiam virtutis super omnia ; per longitudinem, durationem sui esse ; per latitudinem, affectum dilectionis ad omnia. Vel, ut dicit Dionysius cap. ix. de div. Nom. (parum a med.) per profunditatem Dei, intelligitur incomprehensibilitas ipsius essentie ; per longitudinem, processus virtutis ejus omnia penetrantis ; per latitudinem vero, suerextensis ejus ad omnia, inquantum scilicet sub ejus protectione omnia conservantur.

Ad secundum dicendum, quod homo dicitur esse ad imaginem Dei, non secundum corpus (3), sed secundum id quo homo excellit alia animalia : unde sequitur Genes. i. 26. postquam dictum est : *Faciamus hominem ad imaginem & similiitudinem nostram* : *Ut prescit pescibus mariis &c.* Excellit autem homo omnia animalia quantum ad rationem, & intellectum : unde secundum intellectum, & rationem, quae sunt incorporea, homo est ad imaginem Dei.

Ad tertium dicendum, quod partes corporearum attribuuntur Deo in Scripturis, ratione suorum actuum secundum quamdam similitudinem ; sicut actus oculi est videre, unde oculus de Deo dictus significat virtutem ejus ad videndum modo intelligibili, non sensibili : & simile est de aliis partibus.

Ad

(1) Transposito nimis confusa, *Deus est spiritus*, id est *incorporeus*, ut Chrysostom. 32. in Joan. explicat : *Etsi Spiritus sancti divinitatem hinc Ambrosius infert lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 11.*

(2) Hinc rectissime Philo in libro de somniis habet vocat eos qui Deum nullo modo sine corpore intelligere possunt. Hunc hebetem errorem tamen Melitoni Sardensi Episcopo tribuit Origenes ut qu. 20. super Exodum Theodoretus refert ; quarevis aliqui excusare conantur quod *transuatores Deos*, sive *incorporatum Deum* propter incarnationem appellari : Idem Tertulliano error tribui solet, ut Augu-

stinus ei tribuit lib. 10. super Genesim ad lit. cap. 25. Exclusat illum tamen lib. de heresibus cap. 86. quasi cum Deum dixit corporalem, intellexerit quod non est nihil, non inanitas, non qualitas ; ad firmatatem divini esse metaphorice significandam.

(3) Ut explicabant Audiani apud Epiphanius heresi 70. §. 2. ac deinceps ; ubi variis modis refert quibus ea verba soleant intelligi, & inter illos istum qui de hominis intellectu explicat, sed pertinere mavult ad hominem integrum ut sic ; melius tamen ad intellectum referri debet.

Ad quartum dicendum, quod etiam ea quae ad situm pertinent, non attribuuntur Deo nisi secundum quamdam similitudinem, sicut dicitur sedens (1) propter suam immobilitatem, & auctoritatem, & stans propter suam fortitudinem ad debellandum omne quod adversatur.

Ad quintum dicendum, quod ad Deum non acceditur passibus corporalibus, cum ubique sit, sed affectibus mentis (2); & eodem modo ab eo receditur: & sic accessus, & recessus sub similitudine localis motus defugant spiritualem affectum.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem interimas haeretum *Anthropomorphitarum* 24. q. 3. *Quidam, Vadianorum dicentium, Deum esse corporeum, sive habere membra, ut homines. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas hanc recte damnari a Christo Joan. 4. *Spiritus est Deus. Ibi enim Samaritanam alloquens, quae Deum circumscribi in monte illo, vel in Hierusalem arbitrari se innuerat, intendit per haec verba asserere, quod Deus talis spiritus est, ut omnino incircumscribibilis sit, imo & loco quocumque indefinibilis: utpote qui non sit ita hic, ut non alibi: sed posse adorari, tamquam praesens ubique. Nec igitur circumscriptive, nec definitive, ipsum esse in loco significans dicendo Deus spiritus est; utique ipsum nullo modo corpus esse, aut corporea membra habere, denotavit. Item a Papa Innocentio III. in Concilio generali, de sum. Tri. & fid. Cath. firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod &c. Deus est simplex omnino. Item a Decreto illo *Quidam* 24. q. 3. Ibi namque post inter multas haereses connumeratam illam Anthropomorphitarum in fine dicitur: *Hæ sunt haereses adversus catholicam fidem exortæ, & ab Apostolis, & sanctis Patribus, vel Conciliis prædamatae. Hæc ibi. Et quoniam Anthropomorphitez, ut moris est apud haeticos, positionem suam scripturis (quales***

bic in argumentis adversus conclusionem adducuntur) falso sensu distortis tueri contendebant: idcirco in eodem decreta tam contra illos, quam contra similes, subjungitur. Sed & quicumque aliter scripturam sanctam intelligit, quam spiritus sancti sensus efflagitat, a quo conscripta est, licet de Ecclesia non recesserit: tamen hereticus appellari potest. Hæc ibi. Tertio vides, quomodo, &c.

A R T I C U L U S II.

Urum in Deo sit compositio formæ, & materiæ.

*L. cont. cap. XII. & XXVI. & opusc. II.
cap. IX.*

AD secundum sic proceditur. Videtur quod in Deo sit compositio formæ, & materiæ. Omne enim quod habet animam, est compositum ex materia, & forma, quia anima est forma corporis. Sed Scriptura attribuit animam Deo: introducitur enim ad Hebr. x. 38. ex persona Dei: *Justus autem meus ex fide vivit: quod si substraxerit se (3), non placbit anima mee.* Ergo Deus est compositus ex materia, & forma.

2. Præterea. Ira, gaudium, & hujusmodi sunt passiones conjuncti, ut dicitur I. de Anima (4) (text. XII. & XIV. & XV.) Sed hujusmodi attribuuntur Deo in Scriptura: dicitur enim in Psalm. (cv. 40.) *Iratus furore Dominus in populum suum.* Ergo Deus ex materia, & forma est compositus.

3. Præterea. Materia est principium individuationis. Sed Deus videtur esse individuum, non enim de multis prædicatur. Ergo est compositus ex materia, & forma.

Sed contra. Omne compositum ex materia, & forma est corpus: quantitas enim dimensiva est quæ primo inhæret materiæ. Sed Deus non est corpus, ut ostensum est (art. præced.) Ergo Deus non est compositus ex materia, & forma.

Respondeo dicendum, quod impossibile est in Deo esse materiam.

Primo quidem quia materia est id quod

D 2 est

(1) Imo & stans ubi firmitatem cap. 9. de div. nom. §. 8.

(2) Ex Augustino passim, ut alibi recurret annotandum.

(3) Juxta 70. ex Abacuch 2. vers. 3. ubi Vulgata legit, *Non eris recte anima eius in somnis ipso.*

(4) Colligitur ex text. 12. ac deinceps vel in

Edit. græcolat. cap. 1. ubi corpori & animæ communis indicantur & ad habentem ipsum pertinere significantur; sed expressius text. 64. ac deinceps, vel in Edit. supradicta cap. 4. ubi dicuntur esse *passiones communis* (κοινῆς) id est subjecti partem utramque continentis; quod idem est ac in hoc loco *passiones conjuncti*.

est in potentia. (1) Ostensum est autem (questi. 11. art. 3.) quod Deus est purus actus, non habens aliquid de potentialitate. Unde impossibile est quod Deus sit compositus ex materia, & forma.

Secundo quia omne compositum ex materia, & forma est perfectum, & bonum per suam formam: unde oportet quod sit bonum per participationem, secundum quod materia participat formam. Primum autem quod est bonum, & optimum, quodd Deus est, non est bonum per participationem: quia bonum per esseptiam prius est bono per participationem. Unde impossibile est quod Deus sit compositus ex materia, & forma.

Tertio quia unumquodque agens agit per suam formam (2): unde secundum quod aliquid se habet ad suam formam, sic se habet ad hoc quod sit agens. Quod igitur primam est, & per se agens, oportet quod sit primo, & per se forma. Deus autem est primum agens, cum sit prima causa efficientis, ut ostensum est (quest. prece. art. 3.) (3) Est igitur per essentiam suam formam, & non compositus ex materia, & forma.

Ad primum ergo dicendum, quod anima attribuitur Deo per similitudinem actus: quod enim volumus aliquid nobis, ex anima nostra est: unde illud dicitur esse placitum animæ Dei. (4), quod est placitum voluntati ipsius.

Ad secundum dicendum, quod ira, & hujusmodi attribuuntur Deo secundum similitudinem effectus: quia enim proprium est irati punire, ejus punitio ira metaphorice vocatur.

Ad tertium dicendum, quod formæ quæ sunt receptibiles in materia, individuantur per materiam, quæ non potest esse in alio, cum sit primum subjectum substantia: forma vero, quantum est de se, nisi aliquid aliud impedit, recipi potest a pluribus. Sed illa forma quæ non est receptibilis in materia, sed est per se subsistens, ex hoc ipso individuatur quod non potest recipi in alio: &

hujusmodi forma est Deus: unde non sequitur quod habeat materiam.

A P P E N D I X .

Ex artic. habea primo: quomodo interimas hæresim Agarenorum dicentium; Deum habere animam alterius substantie minoris essentia Dei. Hos namque non potuisse totalliter imaginationem transcendere puto: & eis hoc in prædictum errorem incidisse. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hanc hæresim iure damnari a Papa Innocentio III. extra de sum. Trin. & fid. Cath. firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod *Eccl. Deus est simplex omnino*. Tertio vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S . III. 16

Utrum sit idem Deus quod sua essentia, vel natura.

I. *cont. cap. xxi. xlvi. & opus. II. cap. x.*

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod non sit idem Deus quod sua essentia, vel natura. Nihil enim est in se ipso. Sed essentia, vel natura Dei, quæ est Deitas, dicitur esse in Deo. Ergo videtur quod Deus non sit idem quod sua essentia, vel natura.

2. Præterea. Effectus assimilatur sive causa (5), quia omne agens agit sibi simile. Sed in rebus creatis non est idem suppositum quod sua natura: non enim idem est homo quod sua humanitas. Ergo nec Deus est idem quod sua Deitas.

Sed contra. De Deo dicitur, quod est vita, & non solum quod est vivens, ut patet Joan. xiv. 6. *Ego sum via, veritas, & vita.* (6) Sicut autem se habet vita ad viventem, ita Deitas ad Deum. Ergo Deitas est ipsa Deitas.

Re-

(1) Ex Physicorum lib. 1. text. 79. Ubi proinde quodammodo & secundum accidentis dicitur esse non ens; vel prope substantia, seu quodammodo & secundum quid: ac ex lib. 2. de anima text. 2. ubi dicitur esse potentia, forma vero ex contrario actus.

(2) Ut per principium quo remotum, non proximum: Sic enim agit per potentiam ut principium proximum, &c.

(3) Cum probatum est ex ratione cause efficientis quod sit.

(4) Jam notavimus tamen in argomento non sic Vulgatam loqui apud Abacuch, sed 70. quorum E-

ditionem Apostolus ibi sequitur; ut Hieronymus ipse in Abacuch, & S.Thomas in Epistolam illam notat. Si autem Esa. 42. vers. 1. de servo Dei ex ipsius persona, *Complacuit sibi in illo anima mea: E contrario, Solerentur eorum obvoluta anima mea.* Esaiae 1. vers. 14 &c.

(5) Ex Autore libri de causis Bedæ Axiomata citant, & explicant de causa univocis.

(6) Christi verba sunt, sed secundum divinam non humanam naturam. *Si loqueratis: ex August. tract. 69. in Joan. & Chrysost. hom. 72. si cumdem.*

Respondeo dicendum, quod Deus est idem quod sua essentia, vel natura. Ad cuius intellectum (1) sciendum est, quod in rebus compositis ex materia, & forma necesse est quod differant natura vel essentia, & suppositum: quia essentia vel natura comprehendit in se illa tantum quae cadunt in definitione speciei; sicut humanitas comprehendit in se ea quae cadunt in definitione hominis: his enim homo est homo (2), & hoc significat humanitas, hoc scilicet quo homo est homo. Sed materia individualis cum accidentibus omnibus individuantibus ipsam non cadit in definitione speciei: non enim cadunt in definitione hominis haec carnes, & haec ossa, aut albedo, vel nigredo, vel aliqua huiusmodi: unde haec carnes, & haec ossa, & accidentia designantia hanc materiam non concluduntur in humanitate, & tamen in eo quod est homo, includuntur: unde id quod est homo, habet in se aliquid quod non habet humanitas: & propter hoc non est totaliter idem homo, & humanitas; sed humanitas significatur ut pars formalis hominis, (3) quia principia definitia habent se formaliter respectu materiae individuantis. In his igitur quae non sunt composita ex materia, & forma, in quibus individuatio non est per materiam individualem, id est per hanc materiam, sed ipsa forma per se individuantur, oportet quod ipsa formae sint supposita subsistentia, unde in eis non differt suppositum, & natura. (4) Et sic cum Deus non sit compositus ex materia, & forma, ut ostensum est (art. præc.) oportet quod Deus sit sua Deitas; sua vita, & quidquid aliud sic de Deo prædicatur.

Ad primum ergo dicendum, quod de rebus simplicibus loqui non possumus, nisi per modum compositorum, a quibus cognitionem accipimus; & ideo de Deo loquentes utimur nominibus concretis, ut significemus ejus subsistentiam, quia apud nos non subsistunt nisi composita; & utimur nominibus abstractis, ut significemus ejus simplicitatem. Quod ergo dicitur Deitas, vel

vita, vel aliquid hujusmodi esse in Deo, referendum est ad diversitatem quae est in acceptione intellectus nostri, & non ad aliquam diversitatem rei.

Ad secundum dicendum, quod effectus Dei imitantur ipsum non perfecte, sed secundum quod possunt; & hoc ad defectum imitationis pertinet, quod id quod est simplex, & unum, non potest representari nisi per multa; & sic accedit in eis compositio, ex qua provenit quod in eis non est idem suppositum quod natura.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem interimas errorem in fide Gilberti natione Galli, cognomento Porretani (*ut refert Magister Bannes*) negantis, quod Deus esset veritas, vel Deitas, proprie loquendo, sed interpretantis, Deus est veritas. idem Verus. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, errorem hunc cum interpretatione tali, inquantum scilicet negabat proprietatem sermonis de ly *Deus est veritas*, fuisse merito damnatum in Concilio Remensis contra illum congregato. Nam ibi definitum fuit contrarium, scilicet quod illæ propositiones: Deus est veritas, est Deitas, lux, vita &c. sunt in proprietate sermonis verae. Imo quod haec; Deus est verus, est vivens &c. sunt in sensu magis proprio interpretandæ sic, Deus est veritas, est vita, &c. Hujus Concilii acta reperies in *D. Bernardo serm. 86. super. Cantica Cantic.* ubi intendit definire veritatem hanc tamquam de fide. Item a scripturis sanctis sic per Concilium prædictum interpretationis, *Joan. 1. de Deo. Vita erat lux hominum. Erat lux vera, & 14. Ego sum via, veritas, & vita, & i. Joa. 5. Hic est verus Deus, & vita eterna.* Item a Regulis catholicæ fidei, quae explicantur ab Augustino in lib. de fide ad Petram, cap. 2. ubi loquendo de filio Dei, sic dicitur: *Qui utique quoniam verus Deus est, etiam veritas est, sicut ipse nos edocet dicens. Ego sum*

(1) Id est, ad cuius veritatis intelligentiam, siue perceptionem, pro qua etiam Grammatici celebres intellectum usurpant.

(2) Sive per haec homo est homo; id est ex his hominis essentia constituitur; ac proinde illa sunt quae per humanitatem significari solent; & sic etiam humanitas intelligitur illud per quod homo est homo, sed complete.

(3)

(4)

In supposito considerati & subsistentis actu: Alioqui hominis ut sic pars formalis est illa que

componit cum materia, & forma partum dici solet.

Intrinsecè scilicet per aliquid superadditum quod petatur ex principio rei: Sed extrinsecè item differt, puta per ipsum esse quod natura advenit ab extrinsecæ causa: Deus autem nec intrinsecè nec extrinsecè differt, quia per essentiam habet esse: Unde in eo solo, vere natura de supposito prædicatur, ut supponitur ex hoc loco 1. part. qui 17. art. 1. Sed in Angelis quodammodo talium ac secundum quid, ut hinc inferri potest.

sunt via, veritas, & visa. De Spiritu quoque Sancto Joannes Apostolus ait. Quia spiritus est veritas. Et unicus non potest naturaliter vernus Deus non esse, qui veritas est. Hac ibi. Vides ergo Beatum August. hic facere idem judicium & dicere, Deum esse naturaliter Deum, & dicere, Deum esse veritatem. Sicut ergo Deus est proprie Deus, ita Deus est proprie veritas, & qui negat Deum esse proprie veritatem, negat Deum esse proprie Deum. Hac pro Concilii definitione supradicta, & contra errorem illum annotata etiam sunt. Tertio vides: &c.

ARTICULUS IV. 17

Utrum in Deo sit idem essentia, & esse.

I. dist. VIII. q. I. art. I. & I. cont. c. XXII. & XXV. & Lib. II. cap. III. & Lib. IV. cap. II. & po. quest. VII. art. 2. & qual. III. quest. III. & opusc. II. cap. XI. XII. & CIX.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod in Deo non sit idem essentia, & esse. Si enim hoc sit, tunc ad esse divinum nihil additur. Sed esse cui nulla sit additio, est esse commune, quod de omnibus prædicatur. Sequitur ergo quod Deus sit ens commune prædicabile de omnibus. Hoc autem est falsum secundum illud Sap. XIV. 21. *Incomunicabile nomen lignis, & lapidibus imposuerunt.* Ergo esse Dei non est ejus essentia.

2. Præterea. De Deo scire possumus an sit, ut supra dictum est (quest. II. art. 2. ad 3.) Non autem possumus scire quid sit. Ergo non est idem esse Dei, & quod quid est ejus, sive quidditas, vel natura.

Sed contra est quod Hilarius dicit in VII. de Trinit., (1) (non longe a pr.) *Esse non est accidens in Deo, sed subsistens veritas.* Id ergo quod subsistit in Deo, est suum esse.

Respondeo dicendum, quod Deus non solum est sua essentia, ut ostensum est (art. præc.) sed etiam suum esse: quod quidem multipliciter ostendi potest.

(1) Ut bene notat Manuscriptum; non ut impressum & Gothicum in 6. quamvis & ad marginem notaretur a principio libri; sed solummodo lib. 7. longe post principium, ubi dicitur quod ex sermo Deo Patre unigenitus Filius in subsistens Deum natus per hac verba subsistens ostensus est, Et Deus eras Verbum (Joan. 1.) Esse enim non est accidens nomen sed subsistens veritas &c.

(2) Ex iusta dictis qu. 2. art. 3. & ex Enchiridio cap. I. quod nemo a seipso esse potest: Hinc lib.

Primo quidem quia quidquid est in aliquo, quod est præter essentiam ejus, oportet esse causatum vel a principiis essentiae, sicut accidentia propria consequentia speciem, ut risibile consequitur hominem, & causatur ex principiis essentialibus speciei; vel ab aliquo exteriori, sicut calor in aqua causatur ab igne. Si igitur ipsum esse rei sit aliud ab ejus essentia, necesse est quod esse illius rei vel sit causatum ab aliquo exteriori, vel a principiis essentialibus eiusdem rei. Impossibile est autem quod esse sit causatum tantum ex principiis essentialibus rei, quia nulla res sufficit quod sit sibi causa essendi, (2) si habeat esse causatum. Oportet ergo quod illud cuius esse est aliud ab essentia sua, habeat esse causatum ab alio. Hoc autem non potest dici de Deo, quia Deum dicimus esse primam causam efficientem. Impossibile est ergo quod in Deo sit aliud esse, & aliud ejus essentia.

Secundo quia esse est actualitas omnis formæ, vel naturæ: non enim bonitas, vel humanitas significatur in actu, nisi prout significamus eam esse. Oportet igitur quod ipsum esse comparetur ad essentiam, quae est aliud ab ipso, sicut actus ad potentiam. Cum igitur in Deo nihil sit potentiale, ut ostensum est supra (quest. II. art. 3.) sequitur quod non sit aliud in eo essentia quam suum esse. Sux igitur essentia est suum esse.

Tertio quia sicut illud quod habet ignem, & non est ignis, est ignitum (3) per participationem; ita illud quod habet esse, & non est esse, est ens per participationem. Deus autem est sua essentia, ut ostensum est (art. 3. hujus quest.) Si igitur non sit suum esse, erit ens per participationem, & non per essentiam. Non ergo erit primum ens, quod absurdum est dicere. Est igitur Deus suum esse, & non solum sua essentia.

Ad primum ergo dicendum, quod aliquid cui non sit additio, potest intelligi duplexer. Uno modo, ut de ratione ejus sit quod non fiat ei additio; sicut ratione animalis irra-

II. Confess. cap. 4. *Calum & terra clamans quod facta fuit; clamans quod seipsa non fecerint: Et mox: Ideo sumus quia facti sumus; Non enim eramus asequimus ossibus, ut florib[us] possessus a nobis, &c.*

(3) Ut ferrum candens & similia. Per hoc explicat Damascenus quomodo caro Christi operationem divinitatis participet lib. 3. de fide orthod. cap. 17. & 19. vel quonodo propter divinitatem adoretur quasi divinitati juncta; sicut lignum coniunctum igni sit inaccessibile propter ignem lib. 4. cap. 3.

írrationalis est ut sit sine ratione. Alio modo intelligitur aliquid, cui non sit additionis, quia non est de ratione ejus quod sibi sit additionis; sicut animal commune est sine ratione, quia non est de ratione animalis communis ut habeat rationem, sed nec de ratione ejus est ut careat ratione. Primo igitur modo, esse sine additione est esse divinum; secundo modo esse sine additione est esse commune. (1)

Ad secundum dicendum, quod esse dupliciter dicitur. Uno modo significat actum essendi; alio modo significat compositionem propositionis, quam anima adinvenit conjungens predicatum subiecto. Primo igitur modo accipiendo esse, non possumus scire esse Dei, sicut nec ejus essentiam, sed solum secundo modo. Scimus enim, quod haec propositio, quam formamus de Deo, cum dicimus, Deus est, vera est; & hoc scimus ex ejus effectibus, ut supra dictum est (quæst. II. art. 2.)

APPENDIX.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem demonstres, merito dictum suisse a Deo. Exod. 3. *Ego sum, qui sum.* Hoc est. Ego sum esse meum, seu, quod idem sonat, substantia mea est esse meum, essentia mea, & esse meum in me sunt unum, & idem. Substantiam ergo suam Deus vocat suum esse, & significat illam per hoc, quod dicit se esse. Alioquin, si hoc negetur, nihil sibi proprium assignasset Deus, quoniam & creature sunt. Licer illarum substantia non sit suum esse. Litteralis ergo sensus praedictæ sententia, & similium, puta Christi apud Joan. 8. *Antequam Abraham fieret, ego sum:* & 18. ad querentes Jesum Nazarenum dicentis. *Ego sum,* & Exod. 3. *Qui est, misericordia eius ad nos,* est, quod Deus ita est, quod substantia sua est idem cum suo esse. Hinc est, quod respectu Dei alia non sunt, Isai. 40. *omnes gentes quasi non sint, sic sunt comparatae eo.* Quia in aliis a Deo essentia non est idem cum esse suo, sicut est in Deo. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas (quantum ad esse Dei attinet) merito di-

xisse Innocentium III. in Concilio Lateranensi extra de summ. Trinit. & fide Cath. firmiter credimus, & simpliciter confitemus, quod Deus unus est simplex omnino. Hæc ibi. Ac si dixisset. In Deo esse non est accidentis, sed est sua ipsius substantia, seu essentia. Tertio vides, quomodo, &c.

ARTICULUS V. 18

Utrum Deus sit in genere aliquo.

I. d. 8. quest. IV. & d. 19. quest. IV. a. 2. &
I. contra cap. 17. & 25. & po. quest. VII.
a. 3. & opu. II. cap. XII.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod Deus sit in genere aliquo. Substantia enim est ens per se subsistens. Hoc autem maxime convenit Deo. Ergo Deus est in genere substantiarum.

2. Præterea. Unumquodque mensuratur per aliquid sui generis, sicut longitudines, & numeri per numerum. Sed Deus est mensura omnium substantiarum, ut patet per Commentatorem X. Metaphysic. Ergo Deus est in genere substantiarum.

Sed contra. Genus est prius secundum intellectum (2) eo quod genere continetur. Sed nihil est prius Deo nec secundum rem, nec secundum intellectum. Ergo Deus non est in aliquo genere.

Respondeo dicendum, quod aliquid est in genere dupliciter: uno modo simpliciter, & proprie, sicut species, quæ sub genere continentur; alio modo per reductionem, sicut principia, & privationes; sicut punctus, & unitas reducuntur ad genus quantitatis sicut principia, cæcitas autem, & omnis privatio reducitur ad genus sui habitus (3). Neutrò autem modo Deus est in genere. Quod enim non possit esse species aliquid generis, tripliciter ostendi potest.

Primo quidem quia species constituitur ex genere, & differentia: semper autem id a quo sumitur differentia constituens speciem, se habet ad illud unde sumitur genus, sicut aclusus ad potentiam: animal enim sumitur a

na-

(1) Quasi nimirum sine additione solum negative; quia non in esse perfecto & completo consideratur quale habere potest: *Esse* autem divinum sine additione positive, quia omnino perfectum est, nec ei potest quidquam addi.

(2) Seu rationem vel conceptum; ut & Cyril. I. *Alexandrinus Dialogo 2. de Trinitate philosopho-*

phatur eos a recta ratiocinatione aberrare qui uolum genus nominare in Deo velint (*ενομαζειν*) cum nullum sit ens ante ipsum (*πρό αὐτῷ*) vel cum ipso (*αὐτῷ είναι*), &c.

(3) Large *b. bitum* usurpando prout quamlibet rei affectionem comprehendit; non stricte tantum, ut est prima species qualitatis.

natura sensitiva per modum concretionis (1), hoc enim dicitur animal quod naturam sensitivam habet; rationale vero sumitur a natura intellectiva, quia rationale est quod naturam intellectivam habet (2); intellectivum autem comparatur ad sensitivum sicut actus ad potentiam: & similiter manifestum est in aliis. Unde cum in Deo non adjungatur potentia actui, impossibile est quod sit in genere tamquam species.

Secundo quia cum esse Dei sit ejus essentia, ut ostensum est (artic. præc.) si Deus esset in aliquo genere, oportet quod genus ejus esset ens, nam genus significat essentiam rei, cum prædicetur in eo quod quid est. Ostendit autem Philosophus in III. Metaph. (tex. x.) quod ens non potest esse genus aliquius (3) omne enim genus habet differentias, quæ sunt extra essentiam generis; nulla autem differentia posset inveniri quæ esset extra ens, quia non ens non potest esse differentia. Unde relinquitur quod Deus non sit in genere.

Tertio quia omnia, quæ sunt in genere uno, communicant in quidditate, vel essentia generis, quod prædicatur de eis in eo quod quid est; differunt autem secundum esse: non enim idem est esse hominis, & equi (4), nec hujus hominis, & illius hominis; & sic oportet quod quæcumque sunt in genere, differant in eis esse, & quod quid est, idest essentia. In Deo autem non differt, ut ostensum est (artic. præc.) Unde manifestum est quod Deus non est in genere sicut species.

Ex hoc patet quod non habet genus, neque differentias (5), neque est definitio iphius, neque demonstratio, nisi per effectum: quia definitio est ex genere, & differentia; demonstrationis autem medium est definitio.

Quod autem Deus non sit in genere per reductionem ut principium, manifestum est ex eo quod principium, quod reducitur ad aliquod genus, non se extendit ultra genus illud; sicut punctum non est principium nisi

quantitatís continuæ, & unitas quantitatis discretæ. (6) Deus autem est principium totius esse, ut infra ostendetur (quest. xliv. art. 1.) unde non continetur in aliquo genere sicut principium.

Ad primum ergo dicendum, quod substantia nomen non significat hoc solum quod est per se esse, (7) quia hoc quod est esse, non potest per se esse genus, ut ostensum est (in cor. art.) sed significat essentiam, cai competit sic esse, idest per se esse, quod tamen esse non est ipsa ejus essentia; & sic patet quod Deus non est in genere substantia.

Ad secundum dicendum, quod objectio illa procedit de mensura proportionata, hanc enim oportet esse homogeneam (8) mensurato. Deus autem non est mensura proportionata alicui; dicitur tamen mensura omnium ex eo quod unumquodque tantum habet de esse, quantum ei appropinquat.

A P P E N D I X .

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas: quantum attinet ad esse Dei in genere, vel non, fuisse merito dictum ab Innoc. ubi supra quod Deus & est omnino simplex, & est unum solum universorum principium. Si enim est purus actus, erit omnino simplex: & si extenditur ad omnia genera, erit universorum principium. Alioquin si Deus esset in genere directe, non esset omnino simplex, cum omne tale actum potentia admixtum habeat, & si esset in genere per reductionem non esset universorum principium, cum omne tale ad suum genus tantum extendatur. Secundo vides: quomodo &c.

ARTI-

(1) Hoc est considerata in concreto.

(2) Non simpliciter tantum sed cum discursum; si stricte ac proprie sumatur, ut hic: Unde non ut ratio adaequata intellectivum affingatur, sed ut ad illam præsuppositum ac pertinens.

(3) Ut & lib. 10. text. 6. Cum ergo lib. 11. unum & ens genera vocat, non proprie sed large intelligit, alio sensu, quia omnia comprehendunt.

(4) Alia utrobique acceptio; nempe non idem esse specificum hic, & mox non idem esse individuale.

(5) Quas & Cyrilus rursum a natura Dei removet lib. 31. Thesauri; quia omne id quod recipie differentiam (inquit) est compositum, Deus autem omnino simplex.

(6) Ita vocat quia partes illius a se invicem disjunctæ sunt, nec termino communi copulantur.

(7) Hinc non proprie Damascenus cap. 7. Dialect. ait substantiam incorporealem complecti Deum, Animalum & animam.

(8) Vel ejusdem generis & nature cum illo, iuxta vim grecæ votis, nimirum οὐσίαν.

ARTICULUS VI. 19

Urum in Deo sunt aliqua accidentia.

I. dist. viii. quest. iv. art. 3. & I. cont. cap. xxiii & xxxi. & po. quest. vii. art. 4. & opusc. ii. cap. xiii. xxiii. lvii. lxv. & lxvi.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod in Deo sunt aliqua accidentia. *Substantia* enim nulli est *accidens*, ut dicitur in I. Physic. (1) (text. xxvi. & xxx.) Quod ergo in uno est *accidens*, non potest in alio esse *substantia*; sicut probatur, quod calor non sit *forma substantialis ignis*, quia in aliis est *accidens*. Sed *sapientia*, *virtus*, & *hujusmodi*, que in nobis sunt *accidentia*, Deo attribuuntur. Ergo & in Deo sunt *accidentia*.

2. Præterea. In quolibet genere est unum *primum*. Multa autem sunt genera *accidentium*. Si igitur prima illorum generum non sunt in Deo, erunt multa prima extra Deum: quod est inconveniens.

Sed contra. Omne *accidens* in *subjecto* est. Deus autem non potest esse *subjectum*: quia *forma simplex non potest esse subjectum*, ut dicit Boetius in Libr. de Trinit. (2) (ante med.) Ergo in Deo non potest esse *accidens*.

Respondeo dicendum, quod secundum præmissa, manifeste apparet quod in Deo *accidens* esse non potest.

Primo quidem quia *subjectum* comparatur ad *accidens* sicut *potentia* ad *actum*: *subjectum enim secundum accidens est aliquo modo in actu*; esse autem in *potentia omnino removetur a Deo*, ut ex prædictis patet (quest. i. art. 3.)

Secundo quia Deus est suum esse, ut Boetius dicit in Lib. de Hebd. (3) & licet id quod est, aliquid possit habere adjunctum, tamen ipsum esse nihil aliud adjunctum habere potest; sicut quod est calidum, potest habere aliquid extraneum quam calidum, ut albedinem, sed ipse calor nihil habet præter calorem.

Sum. S.Th.T.I.

(1) Äquivalenter saltem text. 27. & text. 30. ubi nulli dicitur accidere id quod vere est (n. v. p. 69) Hoc autem quid aliud est quam *substantia*?

(2) De forma quidem in abstracto considerata id videtur dicere sub his verbis. Præmittit ibi tamen quod id quod est (scilicet Deus) fieri *subjectum non posse*, &c.

(3) Sive, ut supra, lib. An ente quod est, ba-

Tertio quia omne quod est per se, prius est eo quod est per *accidens*. Unde cum Deus sit simpliciter *primum ens*, in eo non potest esse aliquid per *accidens*. Sed nec *accidentia per se* (4) in eo esse possunt, sicut risibile est per se *accidens hominis*, quia hujusmodi *accidentia causantur ex principiis subjecti*. In Deo autem nihil potest esse *causatum*, cum sit *causa prima*. Unde relinquitur quod in Deo nullum sit *accidens*.

Ad *primum ergo dicendum*, quod *virtus*, & *sapientia* non univoce dicuntur de Deo, & de nobis, ut infra patebit (quest. xiiii. art. 5.) Unde non sequitur quod *accidentia* sint in Deo sicut in nobis.

Ad *secundum dicendum*, quod cum *substantia* sit prior *accidentibus*, *principia accidentium* reducuntur in *principia substantiarum* sicut in *priora*; quamvis Deus non sit *primum contentum* in genere *substantiarum*, sed *primum extra omne genus respectu totius esse*.

APPENDIX.

EX Art. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas (quantum pertinet ad esse, vel non esse *accidens in Deo*) Papam Innocentium merito dixisse Extra de sum. Trinit. & fide Cathol. *firmiter credimus*, & *simpliciter confitemur quod &c. Deus est simplex omnino*. Si enim quodcumque minimum *accidens* esset in Deo, tolleretur fides hæc: quod scilicet sit *simplex omnino*. *Secundo* habes: quomodo per rationem hoc nobis fidei dogma ab Innocentio traditum a contrariis defendas. *Tertio* vides: quomodo &c.

E AR-

num sit, qui de hebdomadibus ob initium sui prius etiam indicatum inscribi solet ac referri.

(4) Non quia illis per se vel essentialiter convenient esse *accidentia* (sic enim per se omne *accidens* dici posset) sed quia per se consequuntur *subjectum*, vel *secundum aliquem modum dicendi per se* immediate illi convenient; ex lib. i. Posterior. cap. 4. text. 8.

ARTICULUS VII. 20

Utrum Deus sit omnino simplex.

I. dist. VIII. quest. IV. art. I. & I. cont. cap. XVI. XVIII. & po. quest. II. art. I. & opus. II. cap. IX. & XXV. & de causis cap. XXI.

AD septimum sic proceditur. Videtur quod Deus non sit omnino simplex. Ea enim quae sunt a Deo, imitantur ipsum: unde a primo ente sunt omnia entia, & a primo bono sunt omnia bona. Sed in rebus quae sunt a Deo, nihil est omnino simplex. Ergo Deus non est omnino simplex.

2. Præterea. Omne quod est melius, Deo attribuendum est. Sed apud nos composita sunt meliora simplicibus, sicut corpora mixta elementis, & animalia plantis. Ergo non est dicendum, quod Deus sit omnino simplex.

Sed contra est, quod Augustinus dicit VI. de Trin. (cap. VI. & VII.) (1) quod *Deus vere, & summe simplex est.*

Respondeo dicendum, quod Deum omnino esse simplicem, multipliciter potest esse manifestum.

Primo quidem per supradicta (articulis præced.) Cum enim in Deo non sit compositio neque quantitativarum partium, quia corpus non est; neque compositionis formæ, & materiarum; neque in eo sit aliud natura, & suppositum; neque aliud essentia, & esse; neque in eo sit compositionis generis, & differentiarum; neque subjecti, & accidentis: manifestum est quod Deus nullo modo compositus est, sed est omnino simplex.

Secundo quia omne compositum est posteriori suis componentibus, & dependens ex eis: Deus autem est primum ens, ut supra ostensum est (quest. II. art. 3.)

Tertio quia omne compositum causam habet: quae enim secundum se diversa sunt, non convenient in aliquod unum nisi per

aliquam causam adunantem ipsa: Deus autem non habet causam, ut supra ostensum est (codem art. nunc proxime cit. qu.) cum sit prima causa efficiens.

Quarto quia in omni composito oportet esse potentiam, & actum; quod in Deo non est, (2) quia vel una partium est actus respectu alterius, vel saltem omnes partes sunt sicut in potentia respectu totius.

Quinto quia omne compositum est aliquid, quod non convenit alicui suarum partium. Et quidem in totis dissimilium partium manifestum est: nulla enim partium hominis est homo, neque aliqua partium pedis est pes. In totis vero similium partium, licet aliquid quod dicitur de toto, dicatur de parte, sicut pars aeris est aer, & aquæ aqua; aliquid tamen dicitur de toto quod non convenit alicui partium; non enim si tota aqua est bicubita, & pars ejus. Sic igitur in omni composito est aliquid quod non est ipsum. Hoc autem eti possit dici de habente formam, quod scilicet habeat aliquid quod non est ipsura; puta in albo est aliquid quod non pertinet ad rationem albi: tamen in ipsa forma nihil est alienum. Unde cum Deus sit ipsa forma, vel potius ipsum esse nullo modo compositus esse potest. Ex hanc rationem tangit (3) Hilarius VII. de Trin. dicens: *Deus, qui virtus est, ex infinitis non continetur; neque qui lux est, ex obscuris captatur.*

Ad primum ergo dicendum, quod ea quae sunt a Deo, imitantur Deum, sicut caecata primam causam. Est autem hoc de ratione caecati quod sit aliquo modo compositum, quia ad minus esse ejus est aliud quam quod quid est, ut infra patet (qu. IV. art. 3. arg. 3.)

Ad secundum dicendum, quod apud nos composita sunt meliora simplicibus, quia perfectio bonitatis creaturarum non invenitur in uno simplici, sed in multis; sed perfectio divinae bonitatis invenitur in uno simplici, ut infra ostendetur (quest. IV. art. 1. & quest. VI. art. 2.)

AP-

(1) Ubi postquam cap. 6. creaturam quamlibet (licet spiritualem) non simplicem sed multiplicem esse ostendit, pergit cap. 7. concludere quod eti Deus multipliciter dicatur magnus, bonus, sapiens &c. haec omnia nibilominus unum sunt, nec essentias simplicitatem impediunt: Quin & ibidem addit quod nec huic simplicitati obstat personarum trinitas, quia trinitas illa unus Deus est, nec essentia triplex, &c.

(2) Vel transpositis verbis: *In omni composito oportet esse potentiam & actum; quia vel una par-*

sium est actus respectu alterius, vel saltem omnes partes in potentia respectu totius: Quod in Deo non est: Etsi Exemplaria & impressa & manucripta que praesto sunt, sic habent ut hic.

(3) Plenius quam hic multo post medium: Nam enim (inquit) ex compositis atque inanimis Deus qui vita est, subtilis: Neque qui virtus est, ex infinitis non continetur, &c. Neque qui Spiritus est, ex dispersis formabilis est. Totum in eo quod est, unum est, &c.

APPENDIX.

EX Art. habes *primo*: quomodo per rationem interimas hæresim *Arnaudiarum* dicentium, in Deo esse quidpiam compositum. Pro qua re universaliter nota, quod cum hæresis hæc, & alia in tota summa ista recensita per rationem convincantur, apertissime ostenditur: & illas esse irrationalib[us] & illarum auctores absque ratione motos ad sic dicendum. Cum vero per responsiones argumenta in contrarium facientia diluviantur, clarissime demonstratur, quod illarum auctores, vel si quas rationum apparentias pro suis dictis habebant, non bene librarunt, vel quidquid in buccam veniebat, indiscriminatim evomuerunt. Si enim argumenta ipsa jam a patronis errorum facta sunt, ut quandoque accidit, tunc demonstratur primum. Si vero ab eis non facta, sed tantum factib[us] erant ut plerumque contingit, tunc patet secundum. Utrovis autem modo evenierit, ipsos fuisse ignaros ex argumentorum solutione constat. *Secondo* habes: quomodo per rationem ostendas, predictam hæresim merito damnari ab Innoc. III. in Conc. generali Ext. de sum. Tri. & fi. Cath. firmiter creditus, & simpliciter confitemur: quod Deus &c. est simplex omnino. *Tertio* vides: quomodo &c.

ARTICULUS VIII. 21

Utrum Deus in compositionem aliorum veniat.

I. dist. VIII. quest. III. art. 2. & cont. Gent. Lib. I. cap. XVII. XXVII. XXVIII. & quest. XXI. de verit. art. 6. & quest. XVI. de malo art. II. & opusc. XXI. cap. XII. XVIII. & XXIV.

AD octayum sic proceditur. Videtur quod Deus in compositionem aliorum veniat. Dicit enim Dionysius IV. cap. celest. Hierar. (non remote a prin.) *Esse omnium est,*

que super esse est Deitas. Sed esse omnium intrat compositionem uniuscujusque. Ergo Deus in compositionem aliorum venit.

2. Præterea. Deus est forma. Dicit enim Augustinus in Lib. de ver. Dom. (fer. XXXVII. sup. ill. In principio erat Verbum cap. XI. circ. med.) quod *Verbum Dei, quod est Deus, est forma quedam non formata.* (1) Sed forma est pars compositi. Ergo Deus est pars alicuius compositi.

3. Præterea. Quacumque sunt, & nullo modo differunt, sunt idem. Sed Deus, & materia prima sunt, & nullo modo differant. Ergo penitus sunt idem. Sed materia prima intrat compositionem rerum. Ergo & Deus. Probatio media. Quacumque differunt, aliquibus differentiis differunt, & ita oportet ea esse composita. Sed Deus, & materia prima sunt omnino simplicia. Ergo nullo modo differunt.

Sed contra est quod dicit Dionysius IV. cap. de div. Nom. (patum a princ.) quod *neque taliter est ejus, scilicet Dei, neque aliqua quedam ad partes commiscendas communio.*

Secundo. Præterea dicitur in Libro de causis (inter op. Aristot. prop. VI.) (2) quod *causa prima regit omnes res, præterquam commisceatur eis.*

Respondet dicendum, quod circa hoc fuerunt tres errores. Quidam enim posuerunt, quod Deus esset anima mundi, ut patet per Augustinum in Lib. VII. de civit. Dei (cap. VI.) & ad hoc etiam reducitur quod quidam dixerunt, Deum esse animam primi cœli. Alii autem dixerunt, Deum esse principium formale omnium rerum; & haec dicitur fuisse opinio Almarijanorum. (3) Sed tertius error fuit David de Dinando, qui stultissime posuit, Deum esse materiam priham. Omnia enim haec manifestam continent falsitatem: neque est possibile Deum aliquo modo in compositionem alicuius venire nec sicut principium formale, nec sicut principium materiale.

Primo quidem quia supra diximus (quest. E 2 II. art.

(1) Ut cap. 2. circa medium videre est, ubi plenus: *Forma quedam est; forma non formata, sed forma omnium formarum; forma incomparabilis;* &c. Et inferius: *Mones in se integrum, & innovas omnia:* Ergo est forma omnium rerum, forma infabricata, &c.

(2) Inter opera Philosophi post 12. libros Metaph. in antiquis Exemplaribus: Non ejus tamen hoc opus est, sed Arabis cuijudam, ut in Commentario suo notat S. Thom.

(3) Vel sectatorum Almariici, cuius meminit Vin-

centius Bellovacensis in Speculo historiali, lib. 29. cap. 107. & Cardinalis Turrecremata in Summa sua de Ecclesia lib. 4. cap. 35. Et Concilium Lateranense sub Innocentio 3. dicens: *Damnamus perverissimum dogma impii Almariici, cuius mentem sic per maledicac exacavat, ut ejus doctrina non tam heretica censenda sit, quam insana;* ex cap. *Damnamus extra de summa Trinitate & Catholica fidei versus them.* Davidis autem de Dinando meminic & Albertus in Summa sua Tract. 4. quest. 20. memb. 2.

ii. art. 3.) Deum esse primam causam efficientem. Causa autem efficiens cum forma rei factæ non incidit in idem numero, sed solum in idem specie: homo enim generat hominem. Materia vero cum causa efficiente non incidit in idem numero, nec in idem specie: quia hoc est in potentia, illud vero in actu.

Secundo quia cum Deus sit prima causa efficiens, ejus est primo, & per se agere: quod autem venit in compositionem alicuius, non est primo, & per se agens, sed magis compositum: non enim manus agit, sed homo per manum, & ignis calefacit per calorem. Unde Deus non potest esse pars alicuius compositi.

Tertio quia nulla pars compositi potest esse simpliciter prima in entibus, neque etiam materia, & forma, quæ sunt primæ partes compositorum: nam materia est in potentia; potentia autem est posterior actu simpliciter, ut ex dictis patet (quest. iii. art. 1.) Forma autem quæ est pars compositi, est forma participata. Sicut autem participans est posterius eo quod est per essentiam, ita & ipsum participatum; sicut ignis in ignitis est posterior eo quod est per essentiam. Ostensum est autem (quest. ii. art. 3.) quod Deus est primum ens simpliciter.

Ad primum ergo dicendum, quod Deitas dicitur esse omnium effectiva, & exemplariter, non autem per essentiam.

Ad secundum dicendum, quod verbum est forma exemplaris, non autem forma, quæ est pars compositi. (1)

Ad tertium dicendum, quod simplicia non differunt aliquibus aliis differentiis: hoc enim compositorum est: homo enim, & equus differunt rationali, & irrationali differentiis; quæ quidem differentiae non differunt amplius ab invicem aliis differentiis: unde si fiat vis in verbo, non proprie dicuntur differre, sed diversa esse. Unde secundum Philosophum X. Metaph. (text. xxiv. & xxv.) diversum absolute dicitur, sed omne differens aliquo differt. Unde si fiat vis in verbo, materia prima, & Deus non differunt, sed sunt diversa se ipsis: unde non sequitur quod sint idem.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem interimas heresim Almarici (ut refert Cardinalis Turrecremata de Eccl. lib. 4. c. 35.) dicentis: Deum esse essentiam omnium creaturarum, & esse omnium. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hanc juste fuisse damnatam ab Innocentio Tertio in Concilio generali Extra de summa Trinit. & fide Cath. *Damnamus*: Ubi in fine dicitur sic: *Reprobamus etiam & damnamus perverissimum dogma impii Almarici: cuius mentem sic pater mendacii excœavit; ut ejus doctrina non tam heretica censenda sit, quam insana.* Hæc ibi. Licet autem Papa in singulari dicat: tamen per illud singulare, scilicet perverissimum dogma, intelligit totam doctrinam: ut in ipso mox contextu subiungit. Alii autem duo errores narrati in textu, ultra quod ibidem per rationem improbantur, intelliguntur damnari a psalm. 101. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes, sicut vestimentum veterescunt; & sicut operiorum mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni sui non deficient.* Nam si Deus esset anima mundi, vel primi cœli, aut prima materia: & ista sint, ut in psalm. sit, mutabilia, quomodo Deus erit omnino incommutabilis, ut ille idem psalmus testatur? Esset enim tunc mutabilis saltem per accidens: quoniam mutatis nobis, mutantur ea, quæ sunt in nobis. Sed in re tam manifeste falſa, ut sunt hi errores, non est, quod amplius insudemus. Contra stultissimum illud Davidis Dinandi, vide quest. 25. art. 1. Tertio vides: quomodo, &c.

Q U Æ S T I O Q U A R T A.

De Dei perfectione,

In tres articulos divisa.

POst considerationem divinæ simplicitatis, de perfectione ipsius Dei dicendum est. Et quia unumquodque, secundum quod perfectum est, sic dicitur bonum; primo agendum

(1) Sic etiam intelligendum quod in Prosa de Trinitate quam nunc etiam Prædicatorum usus retinet, Strophe 14. dicitur Deus *'causa effectiva vel formalis* veluti exemplaris quæ ad formalem aliquo modo reducitur; *Etsi formaliter* Clithœneus explicat,

quia per ipsum universa subsistunt: Est autem ab Adamo de S. Victore composita, non sicut vulgo putant, ab Augustino. *Hæc Prosa, scribente Nicolao legebatur in Ordine Præd. nups. ecclœvit.*

dum est de perfectione divina , secundo de ejus bonitate .

Circa primum queruntur tria .

Primo , utrum Deus sit perfectus .

Secundo , utrum Deus sit universaliter perfectus , omnium in se perfectiones habens .

Tertio , utrum creaturæ similes Deo dici possint .

A R T I C U L U S I . 22

Utrum Deus sit perfectus .

I. con. cap. XXVIII. & ver. quest. II. artic.
3. & 13.

AD primum sic proceditur . Videtur quod esse perfectum non conveniat Deo . Perfectum enim dicitur quasi totaliter factum . Sed Deo non convenit esse factum . Ergo nec esse perfectum .

2. Præterea . Deus est primum rerum principium . (1) Sed principia rerum videntur esse imperfecta : semen enim est principium animalium , & plantarum . Ego Deus est imperfectus .

3. Præterea . Ostensum est supra (quæst. præc. art. 4.) quod essentia Dei est ipsum esse . Sed ipsum esse videtur esse imperfectissimum , cum sit communissimum , & recipiens omnium additiones . Ergo Deus est imperfectus .

Sed contra est quod dicitur Matth. V. 48. *Estate perfecti , sicut & Pater uester cælestis perfectus est* (2) .

Respondeo dicendum , quod , sicut Philosophus narrat XII. Metaph. (text. xl.) quidam antiqui Philosophi , scilicet Pythagorici , & (*) Leucippus , (3) non attribuerunt optimum , & perfectissimum primo principio . Cujus ratio est , quia Philosophi antiqui consideraverunt principium materiale tantum : primum autem principium materiale imperfectissimum

est . Cum enim materia , inquantum hujusmodi , sit in potentia , oportet quod primum principium materiale sit maxime in potentia , & ita maxime imperfectum .

Deus autem ponitur primum principium , non materiale , sed in genere causæ efficientis ; & hoc oportet esse perfectissimum : sicut enim materia , inquantum hujusmodi , est in potentia ; ita agens , inquantum hujusmodi , est in actu : unde primum principium activum oportet maxime esse in actu , & per consequens maxime esse perfectum : secundum hoc enim dicitur aliquid esse perfectum , secundum quod est actu : nam perfectum dicitur cui nihil deest secundum modum suæ perfectionis .

Ad primum ergo dicendum , quod , sicut dicit Gregorius (V. Moral. cap. xxvi. & xxix.) (4) *balbutiendo , ut possumus , exulta Dei resonamus* : quod enim factum non est , perfectum proprie dici non potest . Sed quia in his quæ fiunt , tunc dicitur esse aliquid perfectum , cum de potentia educitur in actu , transmutatur hoc nomen *perfectum* ad significandum omne illud cui non deest esse in actu , sive hoc habeat per modum perfectionis , sive non .

Ad secundum dicendum , quod principium materiale , quod apud nos imperfectum invenitur , non potest esse simpliciter primum , sed præceditur ab alio perfecto . Nam semen , licet sit principium animalis generati ex semine , tamen habet ante se animal , vel plantam , unde deciditur . Oportet enim ante id quod est in potentia , esse aliquid actu , cum ens in potentia non reducatur in actu nisi per aliquod ens in actu .

Ad tertium dicendum , quod ipsum esse est perfectissimum omnium : comparatur enim ad omnia ut actus : nihil enim habet actualitatem , nisi inquantum est : unde ipsum esse est actualitas omnium rerum , & etiam ipsarum formarum : unde non comparatur ad alia sicut recipiens ad receptum , sed

(1) Ad eum sensum Ambrosius lib. 3. de fide cap. 4. refert illud ex joan. 8. *Ego principium ; quasi te Christus Deum probet , quia omnis principium est* ; &c.

(2) Non ad naturæ sed ad morum pertinet perfectionem , ut patet ibi : Sed ad naturam analogice referri potest .

(*) Al. Speusippus .

(3) Juxta græcum Σωκράτεος ut cap. 7. græcolat. videtur est : non Leucippus , ut prius ; quamvis & Leucippi mentio sed alia occasione simul cum Democrito I. Metaph. cap. 4. versus finem , cum ploratum & vacuum pro elementis ponunt , & cum Pla-

tone lib. 12. cap. 6. circa medium , cum sempiternum motum esse dicunt .

(4) Quantum ad primam partem quidem lib. 5. Moral. c. 26. paulo aliis verbis , quod quia Deum exprimit perfecto sermone non possumus ; humanitas nostra modulo quasi infantia imbecillitas prepositi cum aliquatenus balbutiendo resonamus : Quoad secundum vero lib. 29. cap. 1. sic plenius : *Hoc ipsis quod perfectum dicimus , mutum ab illius veritatis expressione deviamus ; quia quod factum non est non potest dici perfectum* : Utramque , postul jungit Mag. Sent. lib. 2. dist. 9.

sed magis sicut receptum ad recipiens : cum enim dico esse hominis , vel equi , vel cuiuscumque alterius , ipsum esse consideratur ut formale , & receptum , non autem ut illud cui competit esse .

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo : quomodo per rationem interimas haeresim *Algazelis* (*Dilector. Inquisit. 2. p. q. 4.*) dicentis ; quod in Deo bonitas , sanctitas , & alias perfectiones non dicunt aliquid positive , sed tantum dicuntur per remotionem . Licit enim iste vocaliter dicat , Deum esse perfectum , tamen re vera , essentialiter loquendo , hoc negat . Contra hanc suam negationem , designatam pro ly tantum , pugnat articulus . Sed fufus in q. 13. art. 2. de hoc . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas , hanc merito esse damnatam a Papa Innocentio III. in Concilio Lateranensi , extra de summa Trinit. & fide Catholica . *Dannamus* . Ibi enim circa finem dicit sic . *Veritas ait . Estote perfecti , sicut & Pater vester celestis perfectus est . Ac si diceret manifestius , Estote perfecti , perfectione gratiae , sicut Pater vester celestis perfectus est perfectione nature .* Hæc ibi . Dictum hoc Innocentius facit pro quæstione 13. articulo 2. ubi replicatur hic error . Tertio vides : quomodo , &c.

ARTICULUS II. 23

Utrum in Deo sint perfectiones omnium rerum.

III. dist. 11. art. 2. & 3. & I. con. cap. xxviii. & xxxi. & Lib. II. cap. II. & opus. II. cap. xxii. xxii. xxviii. & xxxii.

AD secundum sic proceditur . Videtur quod in Deo non sint perfectiones omnium rerum . Deus enim simplex est , ut ostensum est (quæst. præc. art. 7.) Sed perfectiones rerum sunt multæ , & diversæ . Ergo in Deo non sunt omnes perfectiones rerum .

(1) Ex cap. de oppositis versus finem , & ex libro de sensu & sensato cap. 7. paulo ante medium , & lib. 4. Metaph. cap. 6. prope finem ; & lib. 9. cap. 9. paulo post principium ; & lib. 11. cap. 6. in principio & in fine , quia hoc esset affirmare simul & negare .

(2) Quemadmodum in unitate omnes numeri , vel circuli omnes in centro , vel in punto etiam ordi-

2. Præterea . Opposita non possunt esse (1) in eodem . Sed perfectiones rerum sunt opposita : unaquæque enim species perficitur per suam differentiam specificam : differentia autem , quibus dividitur genus , & constituuntur species , sunt opposita . Cum ergo opposita non possint simul esse in eodem , videtur quod non omnes rerum perfectiones sint in Deo .

3. Præterea . Vivens est perfectius quam ens , & sapiens quam vivens . Ergo & vivere est perfectius quam esse , & sapere quam vivere . Sed essentia Dei est ipsum esse . Ergo non haber in se perfectionem virtutis , & sapientiae , & alias hujusmodi perfectiones .

Sed contra est quod dicit Dionysius v. cap. de divin. Nomin. (parum ante med. lect. 11.) quod *Deus in una existentia omnia præhabet*. (2)

Respondeo dicendum , quod in Deo sunt perfectiones omnium rerum : unde & dicitur universaliter perfectus , quia non deest ei aliqua nobilitas quæ inveniatur in aliquo genere , ut dicit Commentator in V. Metaph. (text. xxii.) Et hoc quidem ex duabus considerari potest .

Primo quidem per hoc quod quidquid perfectionis est in effectu , oportet inveniri in causa effectiva vel secundum eamdem rationem , si sit agens univocum , ut homo generat hominem ; vel eminentiorem modo , si sit agens æquivocum , sicut in Sole (3) est similitudo eorum quæ generantur per virtutem Solis . Manifestum est enim quod effectus præexistit virtute in causa agente : præexistere autem in virtute causæ agentis , non est præexistere imperfectiori modo , sed perfectiori ; licet præexistere in potentia causæ materialis sit præexistere imperfectiori modo : eo quod materia , inquantum hujusmodi , est imperfecta ; agens vero , inquantum hujusmodi , est perfectum . Cum ergo Deus sit prima causa effectiva rerum , oportet omnium rerum perfectiones præexistere in Deo secundum eminentiorem modum . Et hanc rationem tangit Dionysius cap. v. de divin. Nomin. (a med. lect. 1.) dicens de Deo , quod non quidem hoc est , hoc autem non est ; sed omnia

nes lines continentur ; non formaliter quidem , sed solummodo continentia virtuali ; sicut ibidem Dionysius exemplificat . § 6.

(3) Juxta illud 2. Physic. text. 26. *Homo generat hominem , & Sol* : Et lib. 5. de historia animalium cap. 19. *Commune omnium verbo cum est ne primordiane generationes illius a Sole conferuntur* : Et lib. 1. Meteor. cap. 9. *quod absolute sensu generantur* , &c.

omnia est, ut omnium causa (1).

Secundo vero ex hoc quod supra ostendit
est (quæst. IIII. art. 4.) quod Deus est ipsum
esse per se subsistens: ex quo oportet quod
totam perfectionem essendi in se contineat.
Manifestum est enim quod si aliquod cali-
dum non habeat totam perfectionem calidi,
hoc ideo est, quia calor non participatur se-
cundum perfectam rationem; sed, si calor
esse per se subsistens, non posset ei aliquid
deesse de virtute caloris. Unde cum Deus
sit ipsum esse subsistens, nihil de perfectione
essendi potest ei deesse. Omnium autem per-
fectiones pertinent ad perfectionem essendi:
secundum hoc enim aliqua perfecta sunt,
quod aliquo modo esse habent: unde sequi-
tur quod nullius rei perfectio Deo desit. Et
hanc etiam rationem tangit Dionysius v. cap.
de div. Nom. (a med. lect. I.) dicens,
quod *Deus non quodam modo est existens; sed
simpliciter, & in circumscripsione totum in se ipso
uniformiter esse præcipitur* (2): & postea sub-
dit, quod *ipse est esse subsistensibus*.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut
Sol, ut dicit Dionysius v. cap. de div. Nom.
(a med. lect. II.) sensibilium substantias, &
qualitates multas, & differentes, ipse unus
existens, & uniformiter lucendo, in se ipso uni-
formiter præcipitur; ita multo magis in causa
omnium necesse est præexistere omnia secundum
naturalem unionem: & sic quæ sunt diversa,
& opposita in seipso, in Deo præexistunt ut
unum, absque detrimento simplicitatis ipsius.

Et per hoc patet solutio ad secundum.

Ad tertium dicendum, quod, sicut in sec.
cap. idem Dionysius dicit, licet ipsum esse
sit perfectius quam vita, & ipsa vita quam
ipsa sapientia, si considerentur, secundum
quod distinguuntur ratione; tamen vivens
est (*) perfectius quam ens tantum; quia
vivens etiam est ens, & sapiens est ens, &
vivens. Licet igitur ens non includat in se
vivens, & sapiens, quia non oportet quod
illud quod participat esse, participet ipsum
secundum omnem modum essendi; tamen
ipsum esse Dei includit in se vitam, & sa-
pientiam: quia nulla de perfectionibus essen-

di potest deesse ei quod est ipsum esse subsi-
stens.

A P P E N D I X.

X artic. habes primo: quomodo per ra-
tionem ostendas, merito ps. 93. de Deo
dixisse: *Qui plantavit aurem, non audiet, aut
qui finxit oculum, non considerat?* Quasi dicat.
Hoc est clarum, quod & audit, & consid-
erat, si plantavit aurem, si finxit oculum,
nec de hoc omnino est dubitandum. Ecce,
quod in causa effectiva vult primo reperiri
perfectiones effectuum. Adde Apostolum pro
minor, quod scilicet est causa effectiva
omnium perfectionum in effectibus omnibus.
Rom. II. Ex quo omnia, per quem omnia,
in quo omnia. Ergo concludes, quod scriptu-
ra illæ affirmit, licet aliis verbis, quod
perfectiones omnium rerum sunt in Deo. Si
vero perspiceris, quod ly per quem, dicit
causam exemplarem, ex alio capite conclu-
des id ipsum. In causa enim exemplari patet
esse, quidquid exemplatur ex illa. Secundo
habes: quomodo per rationem sensum prædi-
ctum scripturarum defendas. Tertio vides:
quomodo, &c.

ARTICULUS III. 24

Utrum aliqua creatura possit esse similis Deo.

II. dist. III. quæst. I. art. I. & I. con. cap. XXIX.

& Lib. II. cap. II. & ver. quæst. II. art. 12.

& pot. quæst. VII. artic. 7.

A D tertium sic proceditur. Videtur quod
nulla creatura possit esse similis Deo.
Dicitur enim in Psalmo (lxxxv. 8.) *Nos
est similis tui in diis, Domine.* Sed inter
omnes creaturas excellentiores sunt quæ di-
cuntur dii participative. Multo ergo minus
aliae creature possunt dici Deo similes.

2. Præterea. Similitudo est comparatio
quædam. Non est autem comparatio eorum
quæ sunt diversorum generum. Ergo nec si-
militudo: non enim dicimus, quod dulcedo
sit

(1) Sive, non ita unam entitatem continet ut
aliam non continet: Vel non ita est hoc ens par-
ticulare, ut non aliud ens quodlibet: Addit autem
Dionysius quod nec aliquo modo est, aliquo modo
non est, sed prius omnia est velut omnium subhor
et omnia probabens, &c. §. 8.

(2) *Vel totum esse simul in seipso colligens, &
etiam præcipiens*, quod sic elegantius græce ouen-

tiq[ue]s regi προπαραγόμενος quæ recipiens & præcipi-
ens &c. ut §. 4. videre est: Appendix autem se-
quens cogitatur ex §. 8. versus finem ut supra; ubi
quod hic dicitur secundum naturalem unionem &
super naturalem, saltem dici debuit, reddendum est
ex græco μικρὸν ὑπερπατῶν ἔνων superoffensio-
nem unionem.

(*) Cod. Alcan. nobilis.

sit similis albedini . (1) Sed nulla creatura est ejusdem generis cum Deo , cum Deus non sit in genere , ut supra ostensum est (quæst . III . art . 5 .) Ergo nulla creatura est similis Deo .

3. Præterea . Similia dicuntur quæ convernuunt in forma . Sed nihil convenit cum Deo in forma : nullius enim essentia rei est ipsum esse , nisi solius Dei . Ergo nulla creatura potest esse similis Deo .

4. Præterea . In similibus est mutua similitudo : nam simile est simili simile . Si igitur aliqua creatura est similis Deo , & Deus erit similis alicui creature : quod est contra id quod dicitur Isa . xl . 18 . (2) Cui similem fecisti Deum ?

Sed contra est quod dicitur Gen . 1 . 26 . *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram : & I. Joan. III. 2. Cum apparuerit similes ei erimus .*

Respondeo dicendum , quod cum similitudo attendatur secundum convenientiam , vel communicationem in forma , multiplex est similitudo secundum multos modos communicandi in forma . Quædam enim dicuntur similia , quæ communicant in eadem forma secundum eamdem rationem , & secundum eundem modum : & hæc non solum dicuntur similia , sed æqualia in sua similitudine ; sicut duo æqualiter alba dicuntur similia in albedine : & hæc est perfectissima similitudo . Alio modo dicuntur similia , quæ communicant in forma (3) secundum eamdem rationem , & non secundum eundem modum , sed secundum magis & minus ; ut minus album dicitur simile magis albo : & hæc est similitudo imperfecta . Tertio modo dicuntur aliqua similia , quæ communicant in eadem forma , sed non secundum eamdem rationem ,

ut patet in agentibus non univocis . Cum enim omne agens agat sibi simile , inquantum est agens , agit autem unumquodque secundum suam formam ; necesse est quod in effectu sit similitudo formæ agentis . Si ergo agens sit contentum in eadem specie cum suo effectu , erit similitudo inter faciens , & factum in forma , secundum eamdem rationem speciei , sicut homo generat hominem . Si autem agens non sit contentum in eadem specie , erit similitudo , sed non secundum eamdem rationem speciei , sicut ea quæ generantur ex virtute Solis ; accidunt quidem ad aliquam similitudinem Solis ; non tamen ut recipient formam Solis secundum similitudinem speciei , sed secundum similitudinem generis . (4) Si igitur sit aliquod agens quod non in genere contineatur , effectus ejus adhuc magis remote accedit ad similitudinem formæ agentis , non tamen ita quod participet similitudinem formæ agentis secundum eamdem rationem speciei , aut generis , sed secundum aliqualem analogiam , sicut ipsum esse est commune omnibus . Et hoc modo illa quæ sunt a Deo , assimilantur ei , inquantum sunt entia , ut primo & universalis principio totius esse .

Ad primum ergo dicendum , quod sicut dicit Dionysius IX . cap . de div . Nom . (vers . fin . lect . III .) cum sacra Scriptura dicit aliquid non esse simile Deo , non est contrarium assimilationi ad ipsum . *Eadem enim sunt similia Deo , & dissimilia : similia quidem , secundum quod imitantur ipsum , prout contingit (5) eum imitari , qui non perfecte imitabilis est ; dissimilia vero , secundum quod deficient a sua causa : non solum secundum intentionem , & remissionem , sicut minus album deficit a magis albo ; sed quia non est convenientia nec secun-*

(1) Licit inveniantur in eodem , ut in saccaro ; quia non propterea minus diversæ sunt aut ad genera per se diversa referuntur ; non quidem prima , cum pertineant ambæ ad qualitatem , sed proxima .

(2) Contra eos qui Deum figurari putabant posse , ut (ex adjunctis patet) vers . 18 . ubi additur *Aus quoniam imaginem ponitis ei ?* Vel secundum 70 . & cui simulatio (sive similitudini Æquivalens) affiliata est sum ? Qued autem ut ex I . Joan . 3 . subiungitur , sic supplex est ex adjunctis , ut Augustinus insinuat Tract . 4 . in hanc epist . *Cum apparuerit quid erimus , non , cum apparuerit Deus , ut intelligi possim solet : Sic enim ibi locus integer habet vers . 2 . Nunc filii Dei sumus , & nondum apparuerit quid erimus , Scimus quoniam cum apparuerit , similes , &c.* Quemvis & Beda supplet quod cum Deus apparuerit ; & illud Pauli ad Coloffi . 3 . vers . 4 . *Cum autem Christus apparuerit vita vestra , com-*

parat cum hoc loco .

(3) *Vel transpositis verbis ; inter faciens & factum eis similitudo in forma , sive secundum formam , &c.*

(4) *Nempe corporis tantum quod est genus ad Solem & ad eius effectus ; immediatum quidem & proximum respectu aliorum (scilicet metallorum) sed mediatum & remotum respectu aliorum (scilicet viventium .)*

(5) *Sive , prout est possibile , sicut interpres natus reddit , juxta proprietatem græce phrasis , κατὰ τὸ ἀνθρώπου τὸ αἰματί μῆμα id est secundum possibiliter imitabilis imitationem , &c. ut videre est h . Ubi etiam pro Scriptura Theologiam ponit (Θεολογια) licet recte Scriptoriam Interpretes Latini reddant , quia hæc est vera Theologia de qua Dionysius loquebatur .*

secundum speciem , nec secundum genus.

Ad secundum dicendum , quod Deus non se habet ad creaturas sicut res diverorum generum ; sed sicut id quod est extra omne genus , & principium omnium generum .

Ad tertium dicendum , quod non dicitur esse similitudo creaturarum ad Deum propter communicantiam in forma secundum eamdem rationem generis , & speciei , sed secundum analogiam tantum , prout scilicet Deus est ens per essentiam , & alia per participationem .

Ad quartum dicendum , quod licet aliquo modo concedatur , quod creatura sit similis Deo , nullo tamen modo concedendum est , quod Deus sit similis creaturam : quia , ut dicit Dionysius cap . ix . de div . Nom . (a med . lect . iii . quod dictum declaratur infra quest . xlii . artic . i . ad 3 .) in his quae unius ordinis (1) sunt , recipitur mutua similitudo , non autem in causa , & causato : dicimus enim , quod imago sit similis homini , & non e converso : & similiter dici potest aliquo modo , quod creatura (2) sit similis Deo , non tamen quod Deus sit similis creaturae .

A P P E N D I X .

EX art . habes primo : quomodo per rationem ostendas , recte fuisse a Concilio generali sub Innocentio Tertio dictum , sic . Inter creatorem , & creaturam non potest tanta similitudo notari , quin inter eos major sit difficultudo notanda . Hac ponuntur extra de summa Trinitate , & fide catholica . *Dammamus* . Ibi ergo affirmatur , quod creatura similis esse potest creatori , & quod valde imperfetta . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas , scripturas de hac materia vocaliter diversas , optime concordare in sensu . Tertio vides : quomodo , &c .

Summ . S.Th . T.I .

(1) Ex graco , ἐπὶ τῷ οὐτεγάρῳ , vel in iis que simul ordinantur , ut § . 6 . videre est .

(2) Sic enim rursus Dionysius ibi ; *Causa est Deus cor similia sunt omnia* : & quidquid est simile in similibus , vestigie quodam divine similitudinis est

Q U Æ S T I O Q U I N T A .

De bono in communi ,

In sex articulos divisa .

Dende queritur de bono .
Et primo de bono in communi .
Secundo de bonitate Dei .

Circa primum queruntur sex .

Primo , utrum bonum , & ens sint idem secundum rem .

Secundo , supposito quod differant ratione tantum , quid sit prius secundum rationem , utrum bonum , vel ens .

Tertio , supposito quod eis sit prius , utrum omnne ens sit bonum .

Quarto , ad quam causam ratio boni reducatur .

Quinto , utrum ratio boni consistat in modo , specie , & ordine .

Sexto quomodo dividatur bonum in honestum , utile , & delectabile .

A R T I C U L U S I . 25

Utrum bonum differat secundum rem ab ente .

I. dist . viii . quest . i . artic . 3 . & ver . quest . xxii . artic . i .

Ad primum sic proceditur . Videtur quod bonum differat secundum rem ab ente . Dicit enim Boetius in Lib . de hebd . (circ . med .) *Intueor in rebus aliud esse quod sunt bona , & aliud esse quod sunt* . Ergo bonum , & ens differunt secundum rem .

2 . Præterea . Nihil informatur se ipso . Sed bonum dicitur per informationem entis , ut habetur in comm . Lib . de causis (in text . propos . xi . & xii .) Ergo bonum differt secundum rem ab ente .

3 . Præterea . Bonum suscipit magis & minus . Esse autem non suscipit magis & minus . Ergo bonum differt secundum rem ab ente .

Sed contra est quod Augustinus dicit in

F Lib .

simile : Quod intelligi debet de creatura ut sic & præcise considerata ; cum aliqui non solum in homine vestigium sit , ut ostendetur infra quest . 45 . art . 7 . & qu . 93 . art . 1 .

Lib. de doctrina christiana (Lib. I. cap. xxxii. circa princ.) quod *in quantum sumus, boni sumus.* (1)

Respondeo dicendum, quod bonum, & ens sunt idem secundum rem; sed differunt secundum rationem tantum: quod sic patet. Ratio enim boni in hoc consistit quod aliquid sit appetibile: unde Philosophus in I. Ethic. (in princip.) dicit, (2) quod *bonum est quod omnia appetuntur.* Manifestum est autem quod unumquodque est appetibile, secundum quod est perfectum, nam omnia appetunt suam perfectionem. Intantum est autem perfectum unumquodque, inquantum est in actu. Unde manifestum est quod intantum est aliquid bonum, inquantum est ens: esse enim est actualitas omnis rei, ut ex superioribus patet (quæst. IIII. art. 4. & quæst. IV. art. 1. ad 3.) Unde manifestum est quod bonum, & ens sunt idem secundum rem; sed bonum dicit rationem appetibilis, quam non dicit ens.

Ad primum ergo dicendum, quod licet bonum, & ens sunt idem secundum rem; quia tamen differunt secundum rationem, non eodem modo dicuntur aliquid ens simpliciter, & bonum simpliciter. Nam cum ens dicat aliquid proprie esse in actu; actus autem proprie ordinem habeat ad potentiam: secundum hoc simpliciter aliquid dicitur ens, secundum quod primo discernitur ab eo quod est in potentia tantum: hoc autem est esse substantiale rei uniuscuiusque: unde per suum esse substantiale dicitur unumquodque ens simpliciter; per actus autem superadditos dictus aliquid esse secundum quid, sicut esse album significat esse secundum quid. Non enim esse album afferit esse in potentia simpliciter, cum adveniat rei jam præexistenti in actu. Sed bonum dicit rationem perfecti, quod est appetibile; & per consequens dicit rationem ultimi: unde id quod est ultimo perfectum, dicitur bonum simpliciter; quod autem non habet ultimam perfectionem quam

debet habere, quamvis habeat aliquam perfectionem, inquantum est actu, non tamen dicitur perfectum simpliciter, nec bonum simpliciter, sed secundum quid. Sic ergo secundum primum esse, quod est substantiale, dicitur aliquid ens simpliciter, & bonum secundum quid, idest inquantum est ens; secundum vero ultimum actu dicitur aliquid ens secundum quid, & bonum simpliciter. Sic ergo quod dicit Boëtius (loc. cit. in arg.) quod *in rebus aliud est quod sunt bona, & aliud quod sunt,* (3) referendum est ad esse bonum simpliciter, & ad esse simpliciter: quia secundum primum actu est aliquid ens simpliciter, & secundum ultimum, bonum simpliciter; & tamen secundum primum actu est quodammodo bonum, & secundum ultimum actu est quedammodo ens.

Ad secundum dicendum, quod bonum dicitur per informationem, prout accipitur bonum simpliciter secundum ultimum actu. (4)

Et similiter dicendum ad tertium, quod bonum dicitur secundum magis & minus, secundum actu supervenientem, puta secundum scientiam, vel virtutem.

A P P E N D I X.

EX artic. habes *primo*: quomodo per rationem ostendas, merito philosophum dixisse 3. Metaph. tex. 10. quod *ens non potest esse genus, quia est essentialiter intrinsecum omni differentiatione.* Per hoc enim dixisse voluit: quod quævis natura essentialiter est ens, & consequenter, quod bonum, seu natura boni est realiter idem, quod est. *Secundo* habes: quomodo per rationem hoc dictum philosophicum declares, declaratumque defendas. *Tertio* habes: quomodo per rationem demonstres, philosophum per supradictum suum dictum merito voluisse, quasi sub intelligendo connotare, differentias entis non esse idem formaliter cum ente, hoc est differre secundum rationem. *Quarto* vides: quomodo, &c.

A R -

(1) Postquam premisit quod *in quantum Deus est bonus, sumus*, ut relatum est supra, & de causa finali explicatum.

(2) Nec tantum dicit ipse, sed ut vulgo receptum insinuat, & pulchre ac præclarè jam ab aliis pronuntiatum refert (xavæs). In signum cuius notat quod *omnis effectio et omnis actus bonum appetit*: Et hoc ipsum deinceps urget in sequentibus capitibus; ac rursum lib. I. Magnorum Morallum cap. 1. Quād hoc idem est quod ex Dionysio de divinis nominibus cap. 4. addi potest, ubi & *bonum* sic definit, vel definiti ait, ut §. 4. videre

est; idemque §. 10. diffusius explicat per exempla superiorum erga inferiora, inferiorum erga superiora, & aequalium erga aequalia. quæ suo modo invicem communicant ex appetitu boni & amore; ut vel alia prouideant aliis, vel aliis alia se subiiciant, vel se mutuo juvent, &c.

(3) Porro ex hypothesi tantum Boëtius loquitur; supponendum scilicet per aliquam abstractionem quod a supremo bono non deflexerint, ut videtur est, ibi.

(4) Id est ultimam perfectionem, ut in responsione ad 1. patet.

ARTICULUS II. 26

Utrum bonum secundum rationem sit prius quam ens.

I. dist. XVIII. quest. 1. artic. 3. & III. cap. cap. XX. & verit. quest. XXI. artic. 2. ad 5.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod bonum secundum rationem sit prius quam ens. Ordo enim nominum est secundum ordinem rerum significatarum per nomina. Sed Dionysius inter alia nomina Dei primo ponit bonum quam ens, ut patet in III. cap. de div. Nom. (in princ. lect. 1.) Ergo (1) bonum secundum rationem est prius quam ens.

2. Præterea. Illud est prius secundum rationem quod ad plura se extendit. Sed bonum ad plura se extendit quam ens: quia, ut dicit Dionysius v. cap. de div. Nom. (parum a princ. lect. 1.) *bonum se extendit ad existentia, & non existentia; ens vero ad existentia tantum.* Ergo bonum est prius secundum rationem quam ens.

3. Præterea. Quod est universalius, est prius secundum rationem. Sed bonum videatur universalius esse quam ens: quia bonum habet rationem appetibilis; quibusdam autem appetibile est ipsum non esse: dicitur enim Matth. xxvi. 24. de Juda: *Bonum erat ei, si natus non fuisset &c.* Ergo bonum est prius quam ens secundum rationem.

4. Præterea. Non solum esse est appetibile, sed & vita, & sapientia, & multa huiusmodi: & sic videtur quod esse sit quoddam particulare appetibile, & bonum universale. (2) Bonum ergo simpliciter est prius secundum rationem quam ens.

Sed contra est quod dicitur in Lib. de causis (prop. IV.) quod *prima rerum creatorum est esse.*

(1) Ubi nempe *divinum nomen boni*, *ensis*, *vita*, *sapientia* sic ordinat: Et inferius: *Hoc in divinis nomina* (inquit) *sermo noster laudare cupis que providentiam enuntians: Neque enim ipsam divinitatis bonitatem, essentiam, vitam, sapientiam, que in abstracto posita est, se pollicetur expressurum sed eam qua est & bonitas & existentia & vita ac ratione sapientia consue &c.*

(2) Supple ad planiorem constructionem, & bonum sit aliquod appetibile universale: Quod autem ut ex lib. de causis mox additur, habetur inter opera Philosophi juxta vetustissimas Editiones post 12. lib. Metaph. licet illius opus non sit, jam notatum supra.

Respondeo dicendum, quod ens secundum rationem est prius quam bonum. Ratio enī significata per nomen est id quod concipiūt intellectus de re, & significat illud per vocem. Illud ergo est prius secundum rationem quod prius cadit in conceptione intellectus. Primo autem in conceptione intellectus cadit ens, quia secundum hoc unumquodque cognoscibile est, in quantum est actu, ut dicitur in IX. Metaphys. (text. xx.) (3) unde ens est proprium objectum intellectus, & sic est primum intelligibile, sicut sonus est primum audibile: ita ergo secundum rationem prius est ens quam bonum.

Ad primum ergo dicendum, quod Dionysius (cap. I. & III. de divin. Nomin. lect. I.) determinat de divinis nominibus, secundum quod important circa Deum habitudinem cause: nominamus enim Deum, ut ipse dicit, ex creaturis, sicut causam ex effectibus. (4) Bonum autem, cum habeat rationem appetibilis, importat habitudinem causæ finalis, cuius causalitas prima est, quia agens non agit nisi propter finem, & ab agente materia movetur ad formam: unde dicitur, quod finis est causa causatum. Et sic in caſando bonum est prius quam ens, sicut finis quam forma; & hac ratione inter nomina significantia causalitatem divinam, prius ponitur bonum quam ens. Et iterum quia secundum Platonicos, (5) qui materiam a privatione non distinguentes, dicebant materiam esse non ens, ad plura se extendit participatio boni quam participatio entis: nam materia prima participat bonum, cum appetat ipsum: nihil autem appetit nisi simile sibi: non autem participat ens, cum ponatur non ens. Et ideo dicit Dionysius (cap. sup. cit. in 2. arg.) quod *bonum extenditur ad non existentia.*

Unde patet solutio ad secundum. Vel dicendum, quod bonum extenditur ad existentias.

F 2 sten-

(3) Colligitur ex text. 20. fine cap. II. sub finem. ubi ea *qua sunt in potentia inveniri dicuntur quando in actu reditae sunt, quis intellectio actus est, &c.*

(4) Nempe cap. I. de divinis nominibus expresse, ut § 2. videre est: *Quod & cap. 5. infraest, ut supra patet.*

(5) Tale aliiquid in I. Physicorum tex. 67. ac deinceps, ut & postea text. 71. & sequentibus, ac iterum text. 79. seu cap. 7. & 8. & 9. fine ulta expressa mentione Platonicon insinuat ab aliquibus dictum esse; quod velut male dictum rejicit, quia *mox* dumtaxat per accidens dicitur materia, sed privatio per se.

Potentia , & non existentia , non secundum prædicationem , sed secundum causalitatem ; ut per non existentia intelligamus non ea simpliciter quæ penitus non sunt , sed ea quæ sunt in potentia , & non in actu : quia bonum habet rationem finis , in quo non solum quiescunt quæ sunt in actu , sed ad ipsum etiam ea moventur , quæ in actu non sunt , sed in potentia tantum . Ens autem non importat habitudinem causæ nisi formalis tantum , vel inhærentis , vel exemplaris : (1) cuius causalitas non se extendit nisi ad ea quæ sunt in actu .

Ad tertium dicendum , quod non esse secundum se non est appetibile , sed per accidens , in quantum scilicet ablatio alicujus mali est appetibilis , quod malum quidem afferatur per non esse : ablatio vero mali non est appetibilis , nisi in quantum per malum privatur quodam esse . Illud igitur quod per se est appetibile , est esse ; non esse vero per accidens tantum , in quantum scilicet quoddam esse appetitur , quo homo non sustinet privari ; & sic etiam per accidens non esse dicitur bonum .

Ad quartum dicendum , quod vita , & sapientia , & alia hujusmodi sic appetuntur , ut sunt in actu : unde in omnibus appetitur quoddam esse ; & sic nihil est appetibile nisi ens , & per consequens nihil est bonum nisi ens .

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo : quomodo per rationem ostendas , jure philosophum dixisse nono Metaph. capit. 20. quod *primum causans in intellectu est ens* : sive (quod in idemredit) quod unumquodque est cognoscibile in quantum est actu . Secundo habes : quomodo per rationem hoc ejus dictum in vero sensu declares , declaratumque defendas . Tertio vides : &c.

(1) Juxta duplē illam acceptiōnēm cause formalis quam superius notavimus ad quæst. 3. art. 8. Quod autem eam primo sensu vocat hic *inhærentem* , vel impropria loquutio est pro communiter *inexistentia* , cum proprie substantialis forma non inhæreat ; vel sic loquitur juxta materiam subjectam , quia de quādam entitate accidentalī agit .

(2) Ut ex Dionysio & Philosopho notatum est .

Utrum omne ens sit bonum .

I. *concl. cap. xxxvii. xxxix. & xl. & Lib. III. cap. xx. & verit. quæst. xxi. artic. 2. & 5.*

AD tertium sic proceditur . Videtur quod non omne ens sit bonum . Bonum enim addit supra ens , ut ex dictis patet (art. 1. hujus quæst.) Ea vero quæ addunt aliquid supra ens , contrahunt ipsum , sicut substantia , quantitas , qualitas , & alia hujusmodi . Ergo bonum contrahit ens : non igitur omne ens est bonum .

2. Præterea . Nullum malum est bonum . Isa. v. 20. *Ve qui dicitis malum bonum , & bonum malum .* Sed aliquod ens dicitur malum . Ergo non omne ens est bonum .

3. Præterea . Bonum habet rationem appetibilis . (2) Sed materia prima non habet rationem appetibilis , sed appetentis tantum . Ergo materia prima non habet rationem boni : non igitur omne ens est bonum .

4. Præterea . Philosopha dicit in III. Metaphys. (text. 111.) quod in mathematicis non est bonum . (3) Sed mathematica sunt quādam entia , alioquin de eis non esset scientia . Ergo non omne ens est bonum .

Sed contra . Omne ens quod non est Deus , est Dei creatura . Sed omnis creatura Dei est bona , ut dicitur I. ad Timoth. 1v. (4) cap. Deus vero est maxime bonus . Ergo omne ens est bonum .

Respondeo dicendum , quod omne ens , in quantum est ens , est bonum .

Omne enim ens in quantum est ens , est in actu , & quodammodo perfectum : quia omnis actus perfectio quādam est : perfectum vero habet rationem appetibilis , & boni , ut ex dictis patet (art. 1. hujus quæst.) unde sequitur , omne ens , in quantum hujusmodi , bonum esse .

Ad primum ergo dicendum , quod substantia , quantitas , & qualitas , & ea quæ sub-

(3) Ex cap. 2. text. 3. colligitur ; non ut Exemplaria quādam habent , 4. Metaph. tex. 4.

(4) Contra iam tum nascentes hereticos , qui quādam ciborum abstinentiam non ex religione , ut Christiani , sed ex prava opinione inducebant ; sicut & Encratitas ac Manichei , de quibus in 2. 2. suo loco , cum de abstinentia ex professo agetur .

sub eis continentur , contrahunt ens applicando ens ad aliquam quidditatem , seu naturam : sic autem bonum non addit aliquid super ens , sed rationem tantum appetibilis , & perfectionis , quod convenit iphi esse (1) in quacumque natura sit : unde bonum non contrahit ens .

Ad secundum dicendum , quod nullum ens dicitur malum in quantum est ens , sed in quantum caret , quodam esse ; sicut homo dicitur malus , in quantum caret esse virtutis ; & oculus dicitur malus , in quantum caret acumine visus .

Ad tertium dicendum , quod materia prima , sicut non est ens nisi in potentia , ita nec bonum nisi in potentia . Licet secundum Platonicos dici possit , quod materia prima est non ens propter privationem adjunctam ; (2) sed tamen participat aliquid de bono , scilicet ipsum ordinem , vel aptitudinem ad bonum : & ideo non convenit sibi quod sit appetibile , sed quod appetat .

Ad quartum dicendum , quod mathematica non subsistunt separata secundum esse : quia si subsisterent , esset in eis bonum , scilicet ipsum esse ipsorum : sunt autem mathematica separata secundum rationem tantum , prout (3) abstrahunt a motu , & a materia ; & sic abstrahunt a ratione finis , (3) qui habet rationem moventis . Non est autem inconveniens quod in aliquo ente secundum rationem non sit bonum , vel ratio boni , cum ratio entis sit prior quam ratio boni , sicut supra dictum est (art. præc.)

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo : quomodo per rationem offendas , recte dictum fuisse Gen. 1. *Vidit Deus cuncta , quæ facerat , & erant valde bona . Hoc est . Omne ens creatum est bonum . De creatore vero dixit ipsemet Moysi . Exod. 33. ostendit tibi omne bonum . Nihil autem reperiatur in rerum natura , nisi creator , & creatura . Secundo habes : quo-*

modo per rationem hanc , & hujusmodi scripturas contra insanientes tuearis . Tertio videtis : quomodo &c.

ARTICULUS IV. 28

Utrum bonum habeat rationem cause finalis .

II. dist. xxxviii. quest. iii. & I. cont. cap. xl. fin. & Lib. III. cap. XVI. XVII. & XIX.
& ver. quest. XXI. art. I. cor. & ad I.

AD quartum sic proceditur . Videtur quod bonum non habeat rationem causæ finalis , sed magis aliarum . Ut enim dicit Dionysius IV. de divin. Nom. (par. i. ante med. & par. iv. circa princip.) *bonum latitudinatur us pulchrum . Sed pulchrum importat rationem causæ formalis . Ergo bonum habet rationem causæ formalis .*

2. Præterea . Bonum est diffusivum sui esse , ut ex verbis Dionysii accipitur (cap. IV. circa princ. de divin. Nomin.) quibus dicit , (4) quod bonum est ex quo omnia subsistunt , & sunt . Sed esse diffusivum importat rationem causæ efficientis . Ergo bonum habet rationem causæ efficientis .

3. Præterea . Dicit Augustinus in I. de doctrina christiana (cap. XXXI. in fin.) quod *quia Deus bonus est , nos sumus . Sed ex Deo sumus sicut ex causa efficiente . Ergo bonum importat rationem causæ efficientis .*

Sed contra est quod Philosophus dicit in II. Physic. (text. XXXI.) quod *illud cuius causa (5) est , est sicut finis , & bonum alium . Bonum ergo habet rationem causæ finalis .*

Respondeo dicendum , quod cum bonum sit quod omnia appetunt ; (6) hoc autem habeat rationem finis ; manifestum est quod bonum rationem finis importat ; sed tamen ratio boni presupponit rationem causæ efficientis , & rationem causæ formalis . Videamus enim , quod id quod est primum in causando , (7) ultimum est in causato : ignis enim (**) prius calefacit quam formam ignis indu-

(1) *Vel ipsi ens seu existenti , accipiendo illud esse materiali & substantivo sensu , ne quem ambiguitas fallat : Est enim sensus quod ipsum esse in quacumque natura reperiatur , est perfectio quædam , ac proinde appetibilis rationem habet .*

(2)

Ali. abstrahuntur

(3)

Quamvis in illis quoque ratio boni consideratur lib. 13. Metaph. cap. 3. Nec id ex suo sensu

sed ex Aristippo Sophiste prius negabat Philosophus .

(4) *Nec tantum ex his verbis cap. 4. tuum. §. 4. tum. §. 10. sed §. ad initio ipso capitinis , ubi sit Deum hoc ipso quod est bonum , bonitatem in universa diffundere .*

(5)

Supple aliiquid .

(6)

Ex Philosopho supra , & ex Dionysio .

(7)

Sive quod est principium primum causandi , &c.

(**) *Ali. primum .*

inducat ; cum tamen calor in igne consequatur formam substantialem . In causando autem primo invenitur bonum , & finis , (1) qui movet efficientem : secundo actio efficientis movens ad formam : tertio adventit forma . Unde e converso esse oportet in causato , quod primum sit ipsa forma , per quam est ens : secundo consideratur in ea virtus effectiva , secundum quod est perfectum in esse , quia unumquodque tunc perfectum est quando potest sibi simile facere , ut dicit Philosophus in IV. Meteororum (& II. de Anima tex. xxxiv.) (2) tertio consequitur ratio boni , per quam in ente perfectio fundatur .

Ad primum ergo dicendum , quod pulchrum , & bonum in subjecto quidem sunt idem , quia super eamdem rem fundantur , scilicet super formam ; & propter hoc bonum laudatur ut pulchrum : sed ratione differunt : nam bonum proprie respicit appetitum : est enim bonum , quod omnia appetunt ; & ideo habet rationem finis , nam appetitus est quasi quidam motus ad rem . Pulchrum autem respicit vim cognoscitivam : pulchra enim dicuntur , quæ visa placent : (3) unde pulchrum in debita proportione consistit : quia sensus delectatur in rebus debite proportionatis , sicut in sibi similibus , nam & sensus ratio quædam est ; & omnis virtus cognoscitiva . Et quia cognitio fit per assimilationem ; similitudo autem respicit formam : pulchrum proprie pertinet ad rationem causæ formalis .

Ad secundum dicendum , quod bonum dicitur diffusivum sui esse eo modo quo finis dicitur movere (4) .

Ad tertium dicendum , quod quilibet habens voluntatem dicitur bonus , inquantum habet bonam voluntatem , quia per voluntatem utimur omnibus quæ in nobis sunt : unde non dicitur bonus homo , quia habet bonum intellectum ; sed quia habet bonam voluntatem : voluntas autem respicit finem

ut objectum proprium ; & sic quod dicitur , Quia Deus est bonus , nos sumus , resertur ad causam finalē . (5)

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo : quomodo per rationem ostendas , recte dixisse Philosophum in 2. Phys. textu 31. quod illud , cuius causa , est sicut finis , & bonum aliorum . Illud enim , cuius causa sit aliquid , est bonum : quoniam nemo intendens ad malum operatur . Est ergo , ac si dixisset ; bonum habet rationem causæ finalis . Secundo vides : quomodo , &c.

A R T I C U L U S V . 29

Utrum ratio boni consistat in modo , specie , & ordine .

I. 2. quest. lxxxv. artic. 4. cor. & ver. quest. xxii. artic. 6.

AD quantum sic proceditur . Videtur quod ratio boni non consistat in modo , specie , & ordine . Bonum enim , & ens ratione differunt , ut supra dictum est (ar. 1. hujus quest.) Sed modus , species , & ordo pertinere ad rationem entis videntur : quia , sicut dicitur Sap. xi. 21. *omnia in numero* (6) , *pondere* , & *mensura dispositi* : ad quæ tria reducuntur species , modus , & ordo : quia , ut dicit Augustinus IV. super Gen. ad litteram (cap. iii. in med.) *mensura omni rei modum presigit* , & *nummerus omni rei speciem præbet* , & *pondus omnem rem ad quietem* , & *stabilitatem trahit* . Ergo ratio boni non consistit in modo , specie , & ordine .

2. Præterea . Ipse modus , species , & ordo bona quædam sunt . Si ergo ratio boni consistit in modo , specie , & ordine , oportet etiam quod modus habeat modum , speciem , & ordinem , & similiter species , & or-

(1) Hinc prima causa lib. 2. Physicorum text. 27. appellatur ; & text. 71. magis causa .

(2) Colligitur aequaliter ex cap. 3. ubi dicitur perfecta esse maturatio seu conceitio quando semina quæ in ambitu fructus insunt , possunt facere alterum tale ; sed expressius lib. 2. de anima text. 34.

(3) Utrunque tamen græce καλός quæ scilicet amatores veluti ad se vocat (καλοί) hinc allicit , ut ex Dionysio colligitur .

(4) Intentionaliter , mentaliter , & objective per bonitatem apprehensam quasi allicio , licet apprehensio sit conditio sine qua non .

(5) Quia bonitas ejus motivum fuit nos creandi .

(6) Vei sive mensura & numero & pondere , ut ordinatum ponit Editio Vulgata ver. 21. & eadem serie græcus textus : Hinc & ordinem illum Augustinus in appendice quæ subiungitur , sequutus est ; indeque tria illa quæ velut supradictis respondentia hinc ponuntur , sic ordinari debent modus , species , ordo ; sicut paulo post , cum dicitur quod malum sit privatio modi , species , ordinis ; ut probatur 1. 2. qu. 85. art. 4. ex professo : Sed hæc variatio ad veritatem ipsam parum referit , cum & Ambrocius monuat sicut & ipsi S. Thomas .

& ordo : ergo procederetur in infinitum.
 3. Præterea. Malum est privatio modi, speciei, & ordinis. Sed malum non tollit totaliter bonum. Ergo ratio boni non consistit in modo, specie, & ordine.

4. Præterea. Illud in quo consistit ratio boni, non potest dici malum. Sed dicitur malus modus, mala species, malus ordo. Ergo ratio boni non consistit in modo, specie, & ordine.

5. Præterea. Modus, species, & ordo ex pondere, numero, & mensura causantur, ut ex auctoritate Augustini inducta (in arg. primo) patet. Non autem omnia bona habent pondus, numerum, & mensuram: dicit enim Ambrosius Lib. I. Hexameron (cap. ix. post med.) quod *lucis natura est ut non in numero, non in pondere, non in mensura creata sit*. Non ergo ratio boni consistit in modo, specie, & ordine.

Sed contra est quod dicit Augustinus in Lib. de natura boni (cap. iii. in med.) *Hæc tria modus, species, & ordo, tamquam generalia bona, sunt in rebus a Deo factis: & ita hæc tria ubi magna sunt (1), magna bona sunt; ubi parva, parva bona sunt, ubi nulla, nullum bonum est: quod non esset, nisi ratio boni in eis consisteret*. Ergo ratio boni consistit in modo, specie, & ordine.

Respondeo dicendum, quod unumquodque dicitur bonum, inquantum est perfectum: sic enim est appetibile, ut supra ostensum est (art. 1. & 3. hujus quest.) perfectum autem dicitur cui nihil deest (2) secundum modum sue perfectionis. Cum autem unumquodque sit id quod est per suam formam; forma autem præsupponit quedam, & quedam ad ipsam ex necessitate consequuntur, ad hoc quod aliquid sit perfectum, & bonum, necesse est quod formam habeat, & ea quæ (*) præ exiguntur, & ea quæ consequuntur ad ipsam. Præ exiguntur autem ad formam determinatio, sive commensuratio principiorum seu materialium, seu efficien-
tium ipsam: & hoc significatur per modum:

unde dicitur, quod mensura modum præfigit. Ipsa autem forma significatur per speciem, quia per formam unumquodque in specie constituitur: & propter hoc dicitur, quod numerus speciem præbet, quia definitiones significantes speciem sunt sicut numeri, secundum Philosophum in VIII. Met. (text. x.) Sicut enim unitas addita, vel subtrahita variat speciem numeri; ita in definitionibus differentia apposita, vel subtrahita. Ad formam autem consequitur inclinatio ad finem, aut ad actionem, aut ad aliquid hujusmodi: quia unumquodque, inquantum est actu, agit, & tendit in id quod sibi convenit secundum suam formam: & hoc pertinet ad pondus, & ordinem: unde ratio boni, secundum quod consistit in perfectione, consistit in modo, specie, & ordine.

Ad primum ergo dicendum, quod ista tria non consequuntur ens, nisi inquantum est perfectum; & secundum hoc est bonum.

Ad secundum dicendum, quod modus, species, & ordo eo modo dicuntur bona, sicut & entia, non quia ipsa sint quasi subsistitia, sed quia eis (3) alia sunt & entia, & bona: unde non oportet quod ipsa habeant aliqua alia quibus sint bona: non enim sic dicuntur bona, quasi formaliter aliis sint bona, sed quia ipsis formaliter aliqua sunt bona; sicut albedo non dicitur ens, quasi ipsa aliquo sit; sed quia ipsa aliquid est secundum quid, scilicet album.

Ad tertium dicendum, quod quodlibet esse est secundum formam aliquam: unde secundum quodlibet esse rei, consequuntur ipsam modum, species, & ordo; sicut homo habet speciem, modum, & ordinem, inquantum est homo; & similiter, inquantum est albus, habet similiter modum, speciem, & ordinem; & inquantum est virtuosus, & inquantum est sciens, & secundum omnia quæ de ipso dicuntur. Malum autem privat quodam esse, sicut cæcitas privat esse visus: unde non tollit omnem modum, speciem, & ordinem, sed solum modum, speciem, & ordinem,

ouæ

(1) Sive planius transponendo *ubi hæc tria magna sunt, magna bona sunt*: Non enim sensus esse debet quod *hæc magna bona sint*, sed quod res omnes in quibus tria illa inveniuntur, *magna bona sint*, &c.

(2) Ex Philosopho lib. 5. Metaphys. text. 21. sive cap. 16. quod inscribitur de perfecto, ubi paulo aliis verbis dicit perfectum illud esse cui secundum speciem sue virtutis (κατὰ τὸ εἶναι τῆς ἀκείνου ἀρετῆς) nulla pars deest magnitudinis naturalis. Et hoc ad prava quoque transferri posse addit, sive physica, sive moralia, quæ dicuntur perfecta secundum quid & in

genere suo, quando ultimum pravitatis terminum attigerunt; ut perfectus fur vel perfectus calumniator vel perfecte corruptus, &c.

(3) Ita cod. Alcan. Al. præexistunt.

(4) Causali ablative; Idest, *quaia sunt id quo alia sunt bona*: Ut & sic sequentia exponi debent: Nihil habens aliud quo sints bona: Et mox iterum: Non quasi formaliter alia sunt id quo ipsa sunt bona, sed quia ipsa sunt id quo alia sunt bona, sicut albedo est id quo aliquid est album.

qua consequuntur esse visus.

Ad quartum dicendum, quod, sicut dicit Augustinus in Libro de natura boni (cap. xxiii.) (1) omnis modus, in quantum modus, bonus est; & sic potest dici de specie, & ordine: sed malus modus, vel mala species, vel malus ordo aut ideo dicuntur, quia minora sunt quam esse debuerunt; aut quia non his rebus accommodantur quibus accommodanda sunt; vel ideo dicuntur mala, quia sunt aliena, & incongrua.

Ad quintum dicendum, quod natura lucis dicitur esse sine numero, & pondere, & mensura, non simpliciter, sed per comparationem ad corporalia, quia (2) virtus lucis ad omnia corporalia se extendit, in quantum est qualitas activa primi corporis alterantis, scilicet cœli.

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte dictum a Sap. II. omnia in numero, pondere, & mensura constitueristi Domine. Cui si junxeris illud I. Tim. 4. omnis creatura Dei bona est, videbis, quod ibi sapiens dixisse voluit, quod ratio boni consistit in modo, specie, & ordine. Nam per illa tria significantur modus, species, & ordo, ut habetur ex corpore, & ex Augu. in lib. de natura boni, c. 23. Secundo vides: quomodo, &c.

A R T I C U L U S VI. 30

Utrum convenienter dividatur bonum per honestum, utile, & delectabile.

Quest. XCIX. art. 5. cor. &c. 2. 2. quest. XLV. art. 3. & I. Eth. lect. v. & II. dist. XXI. quest. 1. art. 2. cor.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod non convenienter dividatur bonum per

honestum, utile, & delectabile. Bonum enim, sicut dicit Philosophus in I. Ethic. (cap. vi. tex. 3.) dividitur per deinceps prædicamenta; honestum autem, utile, & delectabile inveniri possunt in uno prædicamento. Ergo non convenienter per hæc dividitur bonus.

2. Præterea. Omnis divisio fit per opposita (3). Sed hæc tria non videntur esse opposita: nam honesta sunt etiam delectabilia; nullumque in honestum est utile; quod tamen oportet, si divisio fieret per opposita, ut opponerentur honestum, & utile, ut etiam dicit Tullius in Lib. de officiis (Lib. II. in cap. cuius tit. est: *Utilitatem hic accipi non eam quam vulgus &c.*) (4) Ergo prædicta divisio non est convenientis.

3. Præterea. Ubi unum propter alterum, ibi unum tantum est. Sed utile non est bonus, nisi propter delectabile, vel honestum. Ergo non debet utile dividiri contra delectabile, & honestum.

Sed contra est quod Ambrosius Lib. I. de officiis (cap. ix.) utitur ista divisione (5) boni.

Respondeo dicendum, quod hæc divisio proprie videtur esse boni humani. Si tamen altius, & communius rationem boni consideremus, invenitur hæc divisio proprie competere bono, secundum quod bonum est. Nam bonus est aliquid, in quantum est appetibile, & terminus motus appetitus: cuius quidem motus terminatio considerari potest ex consideratione motus corporis naturalis. Terminatur autem motus corporis naturalis, simpliciter quidem ad ultimum, secundum quid autem etiam ad medium, per quod itur ad ultimum, quod terminat motum: & dicitur aliquid terminus motus, in quantum aliquam partem motus terminat. Id autem quod est ultimus terminus motus, potest accipi dupliciter; (6) vel ipsa res, in quam tenditur, utpote locus, vel forma; vel quies in re illa. Sic ergo in motu appetitus id quod

(1) Non cap. 3. & 4. unde tantum elici prius indicabatur ad marginem (qua Deus bone, oscitantia vel segnitie!) sed cap. 23. ubi expressissime id habetur.

(2) Vel quia omnis ejus in asperitu gratia ex Ambroso ibi versus finetur.

(3) Sive fieri debet ut bona sit.

(4) Ex §. five num. 9. colligi potest, ut & ex libro I. §. etiam five num. 9.

(5) Paulo aliter tamen ibi cap. 9. *Officia* (inquit) ab honesto & utili duci existimavunt, & de iis duabus eligere quid proficit: Ac deinde mox: Primam sigitur in tres partes officium dividitur; honestum &

utile, & quid proficit: Tum inferius nihil honestum vel utile subjungit esse, nisi quod proficit ad gloriam eternam visa, non ad delectationem proficit, &c.

(6) Ideo, vel materialiter & tamquam terminus qui; vel formaliter & tamquam terminus quo: Locus enim vel forma respective in motu alterationis vel in motu locali est terminus qui, nempe id quod attingitur per hunc motum: Quies autem in loco vel in forma, five assequitio ipsa est terminus quo; per quem locus vel forma in alterum motu attinuntur.

quod est appetibile terminans motum appetitus secundum quid, ut medium, per quod tenditur in aliud, vocatur utile. Id autem quod appetitur ut ultimum terminans totaliter motum appetitus, sicut quædam res, in quam per se appetitus tendit, vocatur honestum, quia honestum dicitur quod per se desideratur. Id autem quod terminat motum appetitus, ut quies in re desiderata, est delectabile.

Ad primum ergo dicendum, quod bonum, inquantum est idem subjecto cum ente, dividitur per decem prædicamenta; sed secundum propriam rationem competit sibi ista divisione.

Ad secundum dicendum, quod hæc divisio non est per oppositas res, sed per oppositas rationes; dicuntur tamen illa proprie delectabilia quæ nullam habent aliam rationem appetibilitatis nisi delectationem, cum aliquando sint & noxia, & inhonestæ. Utilia vero dicuntur quæ non habent in se unde desiderantur, sed desiderantur solum, ut sunt ducentia in alterum, sicut sumptus medicinæ amaræ (1). Honestæ vero dicuntur quæ in se ipsis habent unde desiderantur.

Ad tertium dicendum, quod bonum non dividitur in ista tria, sicut univocum æquale de his prædicatum, sed sicut analogum, quod prædicatur secundum prius, & posterius: per prius enim prædicatur de honesto, & secundario de delectabili, tertio de utili.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, Phil. merito hanc boni sectionem innuisse in præmio Met. quando dixit. Bonum est, quod cuius gratia una causam est, & clarus 3. Met. tex. 3. & 2. Phys. tex. 31. dicendo; Bonum est, per quod disponitur causa finalis. Bonum enim est desiderabile, & causa finalis est desiderabilis. Secundo habes: quomodo per rationem (ut fit hic in corpore) dictum illud in sensu talis sectionis explices, explicatumque fueris. Tertio vides: quomodo, &c.

Sum. S.Th. T.I.

(1) Quæ propter sanitatem dumtaxat, non propter se sumuntur: Cur ad hunc finem porro tamaram esse illam oporteat, explicat Philosophus in libro Problematum sect. 1. quest. 43. quia contrariari cibo debet, ut superfluitatem eius expellat: Hinc & paenæ medicinae sunt quæ per illas exercitatis frumentum pœnæissimum reddunt, ad Hebr. 12. vers. 11.

(2) Ut iam non semel supra ex Eth. 1. & de divisione nominibus cap. 4. notatum est.

Q U E S T I O S E X T A.

De bonitate Dei,

In quatuor articulos divisa.

DEinde queritur de bonitate Dei: & circa hoc queruntur quatuor,

Primo, utrum esse bonum conveniat Deo. Secundo, utrum Deus sit summum bonum.

Tertio, utrum ipse solus sit bonus per suam essentiam.

Quarto, utrum omnia sint bona bonitate divina.

A R T I C U L U S I.

Utrum esse bonum Deo conveniat.

L cont. cap. XXXVII. & ver. quest. XXL artic.
1. ad 1.

AD primum sic proceditur. Videtur quod esse bonum non conveniat Deo. Ratio enim boni consistit in modo, specie, & ordine. Hæc autem non videatur Deo convenire, cum Deus immensus sit, & ad aliquid non ordinetur. Ergo esse bonum non convenit Deo.

2. Præterea. Bonum est quod omnia appetunt (2). Sed Deum non omnia appetunt, quia non omnia cognoscunt ipsum; nihil autem appetitur nisi notum. Ergo esse bonum non convenit Deo.

Sed contra est quod dicitur Thren. III. 25. Bonus est Dominus sperantibus in eum (3), anime querenti illum.

Respondeo dicendum, quod bonum esse præcipue Deo convenit (4). Bonum enim aliciquid est, secundum quod est appetibile: unumquodque autem appetit suam perfectionem; perfectio autem, & forma effectus est quædam similitudo agentis, cum omne agens

C agat

(3) Sive sustinensibus, id est expectantibus eum (e torquem) ut vers. 25. apud 70. videre est.

(4) Quia nimis solus vere bonus est, quasi universorum bonorum radix & fons, ut Chrysost. homil. 64 in Matth. interpretatur illud ex cap. 19. vers. 17. Unus est bonus Deus: Ubi premitit quod non per hoc homines excluduntur a bonitate, sed in comparatione Dei non esse boni declarantur.

agat sibi simile: unde ipsum agens est appetibile, & habet rationem boni. Hoc autem est quod de ipso appetitur ut ejus similitudo participetur. Cum ergo Deus sit prima causa efficiens omnium, manifestum est quod sibi competit ratio boni, & appetibilis: unde Diony-
sius in Lib. de div. Nom. (cap. iv. lect. 1.) attribuit bonum Deo sicut prime cause effi-
cienti, dicens, quod *bonus* *sicut* *Deus* *sicut*
ex quo omnia subsistunt.

Ad primum ergo dicendum, quod habere modum, speciem, & ordinem pertinet ad rationem boni (*) creati; sed bonum in Deo est sicut in causa: unde ad eum pertinet imponere aliis modum, speciem, & ordinem: unde ista tria sunt in Deo sicut in causa.

Ad secundum dicendum, quod omnia, appetendo proprias perfectiones, appetunt ipsum Deum, inquantum perfectiones omnium rerum sunt quedam similitudines divini esse, ut ex dictis patet (quest. iv. art. 3.) Et sic eorum quae Deum appetunt quedam cognoscunt ipsum secundum seipsum (1), quod est proprium creaturarum rationalis; quedam vero cognoscunt alias participationes suae bonitatis, quod etiam extenditur ad cognitionem sensibilem; quedam vero appetitum naturale habent absque cognitione, utpote inclinata ad suos fines ab alio superiori cognoscente.

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte dictum a ps. 105. *Confitemini domino, quoniam bonus, & a milie scripturarum locis. Secundo vides; quomodo &c.*

II. dist. i. quest. ii. art. 2. ad 4. & I. con. cap. xli. lxxiv. xcvi. & ci. fi. & Lib. III. cap. xvii. & po. quest. vii. art. 1. in corp. & mal. quest. iii. art. 1. corp.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod Deus non sit sumnum bonum. Sumnum enim bonum addit aliquid supra bonum; alioquin omni bono conveniret. Sed omne quod se habet ex additione ad aliquid, est compositum. Ergo sumnum bonum est compositum. Sed Deus est summe simplex, ut supra ostensum est (quest. iii. art. 7.) Ergo Deus non est sumnum bonum.

2. Præterea. *Bonum est quod omnia appetunt*, ut dicit Philosophus (in princ. I. Lib. Ethic.). Sed nihil aliud est, quod omnia appetunt, nisi solus Deus, qui est finis omnium. Ergo nihil est aliud bonum, nisi Deus. Quod etiam videtur per id quod dicitur Luc. xviii. 19. *Nemo bonus nisi solus Deus* (2). Sed sumnum dicitur in comparatione aliorum, sicut sumnum calidum in comparatione ad alia calida dicitur. Ergo Deus non potest dici sumnum bonum.

3. Præterea. Sumnum comparationem importat. Sed quae non sunt unius generis, non sunt comparabilia; sicut dulcedo inconvenienter dicitur major, vel minor quam linea. Cum igitur Deus non sit in eodem genere cum aliis bonis, ut ex superioribus patet (quest. iii. art. 5. & quest. iv. art. 3. ad 3.) videtur quod Deus non possit dici sumnum bonum respectu eorum.

Sed contra est quod dicit Augustinus I. de Trin. (cap. ii. circa princ.) quod *Trinitas divinarum personarum est sumnum bonum* (3), quod purissimis mentibus cernitur.

Respondeo dicendum, quod Deus est sumnum bonum simpliciter, & non solum in aliquo genere, vel ordine rerum. Sic enim bonum Deo attribuitur, ut dictum est (art. præc.) inquantum omnes perfectiones desideratæ effluunt ab eo sicut a prima causa: non autem effluunt ab eo sicut ab agente un-

(*) *Ali. causati.*

(1) Non ut Beati quae in est per essentiam, sed quae in est: vel si ut illum attingere dicitur secundum se.

(2) Ut & supra æquivalenter ex Matth. 19. *Unus est bonus, Deus*: Marti augem 10. Vers. 18. *Nemo bo-*

nus nisi unus Deus; ubi eadem per hanc græce quae apud Lucam vers. 19 εἷς μὴ εἰς, οὐ θεός.

(3) Paulo alter & plenius, cum ait suscipere se redditam rationem quod *Trinitas sit unus Deus & solus & verus*, ut se ipsa experiantur (increduli) esse illud sumnum bonum quod, &c.

univoco, ut ex superioribus patet (quæst. iv. art. 3.) sed (1) sicut ab agente quod non convenit cum suis effectibus neque in ratione speciei, nec in ratione generis. Similitudo autem effectus in causa quidem univoca inventur uniformiter; in causa autem æquivoca invenitur excellentius, sicut calor excellentior modo est in Sole quam in igne. Sic ergo oportet quod cum bonum sit in Deo sicut in prima causa omnium non univoca, quod sit in eo excellentissimo modo, & propter hoc dicitur summum bonum.

Ad primum ergo dicendum, quod summum bonum addit supra bonum non rem aliquam absolutam, sed relationem tantum: relatio autem, quæ aliquid de Deo dicitur relative ad creaturas, non est realiter in Deo, sed in creaturis, in Deo vero secundum rationem; sicut scibile relative dicitur ad scientiam, non quia ad ipsam referatur, sed quia scientia referratur ad ipsum (2). Et sic non oportet, quod in summo bono sit aliqua compositio, sed solum quod alia deficiant ab ipso.

Ad secundum dicendum, quod cum dicatur, Bonum est quod omnia appetunt, non sic intelligitur, quasi unumquodque bonum ab omnibus appetatur; sed quia quidquid appetitur, rationem boni habet. Quod autem dicitur, *Nemo bonus nisi solus Deus*, intelligitur de bono per essentiam (3), ut post dicetur (art. seq.)

Ad tertium dicendum, quod ea, quæ non sunt in eodem genere, si quidem sint in diversis generibus contenta, nullo modo comparabilia sunt: Deus autem negatur esse in eodem genere cum aliis bonis: non quod ipse sit in quodam alio genere, sed quia ipse est extra genus, & principium omnis generis (quæst. iii. art. 5.) & sic comparatur ad alia per excessum, & hujusmodi comparationem importat summuna bonum.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte dictum psal. 144.

Magnus dominus, & magnitudinis ejus non effini. Ac si diceret. Deus est bonitatis immensæ, seu Deus est summum bonum. Nam Deus non est mole magnus q. 3. art. 1. in his autem, quæ non mole magna sunt, hoc est majus esse, quod est melius esse, secundum August. 6. de Trinit. c. 8. circa med. Secundo vides: quomodo, &c.

A R T I C U L U S III. 38

Utrum esse bonum per essentiam sit proprium Dei.

I. con. cap. XXXIX. & xl. & opusc. II. cap. cix. cx. cxI. & cxII. & ver.
quæst. xxI. art. 5.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod esse bonum per essentiam, non sit proprium Dei. Sicut enim unum convertitur cum ente, ita & bonum, ut supra habitatum est (quæst. v. art. 1.) Sed omne ens est unum per suam essentiam, ut patet per Philosophum in IV. Metaph. (text. 3.) Ergo omne ens est bonum per suam essentiam.

2. Præterea. Si bonum est quod omnia appetunt, cum ipsum esse sit desideratum ab omnibus (4), ipsum esse cuiuslibet rei est ejus bonum. Sed quælibet res est ens per suam essentiam. Ergo quælibet res est bona per suam essentiam.

3. Præterea. Omnis res per suam bonitatem est bona. Si igitur aliqua res est, quæ non sit bona per suam essentiam, oportebit quod ejus bonitas non sit sua essentia. Illa ergo bonitas, cum sit ens quoddam, oportet quod sit bona; & si quidem alia bonitate, iterum de illa bonitate quæretur: aut ergo erit procedere in infinitum; aut venire ad aliquam bonitatem, quæ non erit bona per aliam bonitatem. Eadem ergo ratione standum est in primo. Res igitur quælibet est bona per suam essentiam.

Sed contra est quod dicit Boëtius in Lib. de hebdom. (cujus tit. est *An omne quod est, bonum sit*, a medio præcipue ad finem usque)

G 2 (1) quod

(1) Ubi dicuntur ei affimari secundum quamdam analogiam tantum, sive in quantum sunt entia: Unde hic æquivocum pro analogo subintelligi debet; seu æquivocum secundum quid non simpliciter.

(2) Ex lib. 5. Metaph. cap. 15. quod inscribitur de *ad aliquid* versus finem, vel text. 20. in exposit. S. Thomæ.

(3) Sive, ut S. Ambrofius explicat, quia Deus

est in universitate bonus (id est omnibus modis) homo ex parte (seu secundum quid) nec vere bonus nisi plenus bonitate.

(4) Ut ex cap. 4. de divinis nominibus §. 10. colligitur, ubi omnia pro se singulis bonum appetere dicuntur quia sui proprii esse conservationem appetunt; & §. 23. ubi dæmones ipsi hoc appetere indicantur.

(1) quod *alia omnia a Deo sunt bona per participationem*. Non igitur per essentiam.

Respondeo dicendum, quod solus Deus est bonus per suam essentiam. Unumquodque enim dicitur bonum, secundum quod est perfectum. Perfectio autem alicuius rei triplex est. Prima quidem, secundum quod in suo esse constituitur; secunda vero, prout ei aliqua accidentia superadduntur ad suam perfectam operationem necessaria; tertia vero perfectio alicuius est per hoc quod aliquid aliud attingit sicut finem; utpote prima perfectio ignis consistit in esse, quod habet per suam formam substantialem; secunda vero ejus perfectio consistit in caliditate, levitate, & siccitate, & hujusmodi; tertia vero perfectio ejus est, secundum quod in loco suo quietescit. Hec autem triplex perfectio nulli creato competit secundum suam essentiam, sed soli Deo, cujus solius essentia est suum esse, & cui non adveniunt aliqua accidentia; sed quae de aliis dicuntur accidentaliter, sibi convenienter essentialiter, ut esse potentem, sapientem, & alia hujusmodi, sicut ex dictis patet (quest. IIII. art. 6.) (2) Ipse etiam ad nihil aliud ordinatur sicut ad finem, sed ipse est ultimus finis omnium rerum. Unde manifestum est, quod solus Deus habet omnimodam perfectionem secundum suam essentiam; & ideo ipse solus est bonus per suam essentiam.

Ad primum ergo dicendum, quod unum non importat rationem perfectionis, (*) sed individuonis tantum, que unicuique rei competit secundum suam essentiam. Simplicium autem essentiae sunt individua & actu, & potentia. Compositorum vero essentiae sunt individua secundum actum tantum: & ideo oportet quod qualibet res sit una per suam essentiam, non autem bona, ut ostensum est (in cor. art.)

Ad secundum dicendum, quod licet unumquodque sit bonum, in quantum habet esse; tamen essentia rei creatae non est ipsum esse (3); & ideo non sequitur quod res creata

fit bona per suam essentiam.

Ad tertium dicendum, quod bonitas rei creatae non est ipsa ejus essentia, sed aliquid superadditum, vel ipsum esse ejus, vel aliqua perfectio superaddita, vel ordo ad finem. Ipsa tamen bonitas sic superaddita dicitur bona, sicut & ens. Hac autem ratione dicitur ens, quia ea est aliquid, non quia ipsa aliquo alio sit: unde hac ratione dicitur bona, quia ea est aliquid bonum, non quia ipsa habeat aliquam aliam beatitudinem, qua sit bona.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte dictum Matth. 19. Mar. 10. Luc. 18. *Nemo bonus, nisi solus Deus*: licet in contex. Lucas dictum fuisse, quod publicanus descenderat justificatus, scilicet per justitiae participationem a Deo bonus effectus. Secundo habes: quomodo per rationem talia loca in sensu catholico intellegas, intellectaque defendas. Tertio vides, &c.

A R T I C U L U S IV. 34

Utrum omnia sint bona bonitate divina.

2. 2. quest. XXVIII. art. 3. c. & I. contr. cap. xl.
& XII. & ver. quest. XXI. artic. 4.
& opusc. LXXII. cap. vi.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod omnia sint bona bonitate divina. Dicit enim Augustinus VIII. de Tris. (cap. III. c. ca. princ.) *Bonum hoc, & bonum illud: tolle hoc, & illud, & vide ipsum bonum, si potes: ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni*. Sed unumquodque est bonum suo bono. Ergo unumquodque est bonum ipso bono, quod est Deus.

2. Præterea. Sicut dicit Boetius Lib. de hebd. (ante med.) *omnia dicuntur bona, in quantum ordinantur ad Deum* (4), & hoc

ta-

(1) Concludit ibi, bonum esse in omni eo quod est, sed non nisi productione sui habere ut sit; adeo que participatione duxerat bonum esse non substantia; proindeque simile primo bono non esse, quoniam *primum bonum eo quod est, bonum est; secundum autem, quoniam ex eo fluxit; cuius ipsius effe bonum est*.

(2) Scilicet qu. 3. ar. 3. quoad identitatem effe cum essentia; & art. 6. quoad essentialem prædicacionem eorum que in aliis accidentiis sunt; & art. 7. quoad resumptionem eorumdem.

(3) *Ali. seu individuonis.*

(3) Hinc Boetius ubi supra; *Ponamus omnia quae sunt, esse bona: Insuor aliud in eis esse quod bonum sunt, aliud quod sunt: Et mox: Ponatur una eademque substantia bona esse: Tunc aliud est substantia, & aliud bonitas, &c.*

(4) Non sic expresse quidem quoad verba, sed implicite quoad sensum; quando non esse bona dicit nisi prout a bono defluerunt; Atqui hoc ipso quod a bono velut a principio defluerunt, ad bonum quoque velut ad finem ordinantur.

ratione bonitatis divinæ . Ergo omnia sunt bona bonitate divina .

Sed contra est quod omnia sunt bona , in quantum sunt . Sed non dicuntur omnia entia per esse divinum , sed per esse proprium . Ergo non omnia sunt bona bonitate divina , sed bonitate propria .

Respondeo dicendum , quod nihil prohibet in his quæ relationem important , aliquid ab extrinseco denominari , sicut aliquid denominatur locatum a loco , & mensuratum a mensura . Circa vero ea quæ absolute dicuntur , diversa fuit opinio .

Plato enim posuit omnium rerum species separatas (Lib. I. Metaph. apud Aristotelem tex. vi.) & quod ab eis individua denominantur , quasi species separatas participando (1) , ut puta quod Socrates dicitur homo secundum ideam hominis separatam . Et sicut ponebat ideam hominis , & equi separatam , quam vocabat per se hominem , & per se equum ; ita ponebat ideam entis , & ideam unius separatam , quam dicebat per se ens , & per se unum ; & ejus participatione unumquodque (*) dici ens , vel unum : hoc autem quod est per se ens , & per se unum , ponebat esse summum bonum ; & quia bonum convertitur cum ente , sicut & unum , ipsum per se bonum dicebat esse Deum , a quo omnia duntur bona per modum participationis .

Et quamvis hæc opinio irrationabilis videatur quantum ad hoc quod ponebat species rerum naturalium separatas per se subsistentes , ut Aristoteles multiplicititer improbat (Lib. III. Met. a tex. x. usque ad finem Lib.) : (2) tamen hoc absolute verum est , quod aliquid est primum , quod per suam essentiam est ens , & bonum , quod dicimus Deum , ut ex superioribus patet (quest. II. art. 3.) Huic etiam sententiaz concordat Aristoteles . A primo igitur per suam essentiam ente , & bono unumquodque potest dici bonum , & ens , in quantum participat ipsum per modum cuiusdam assimilationis , licet remote , & efficienter , ut ex superioribus patet (quest. IV. art. 3.)

Sic ergo unumquodque dicitur bonum bonitate divina , sicut primo principio exempla-

ri effectivo , & finali totius bonitatis . Nihilominus tamen unumquodque dicitur bonum similitudine divinæ bonitatis sibi inhærente , quæ est formaliter sua bonitas denominans ipsam . Et sic est bonitas una omnium , & etiam multæ bonitates (3) .

Et per hoc patet responsio ad objecta .

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo : quomodo per rationem interimas hærefes Arnaldistarum dicentium , Deum non esse auctorem omnium bonorum . Item *Pseudoapostolorum , Justificatoriorum* (Prateolus tit. Cacangeli , Justificatorii) dicentium , Justitia sola Christi , non una nostra , nos justos , & salvos esse , quidquid sit de nostris operibus , certum esse debere , quod gratis propter Christum peccata remissa sunt . Item dicentium , Justitiam hominis esse nullam apud Deum . Item : Nullam in nobis esse Justitiam . Item : Justitiam nostram Deum nobis imputare , etiamsi justi non sumus . Contra Arnaldistas enim militat *prima conclusio* cùm probatione sua . Contra *Pseudoapostolos* , & *Justificatorios* triumphat *secunda* . Secundo , habes , quomodo per rationem ostendas , Arnaldistarum illam esse damnatam justissime ab Apostolo I. Corinth. *Quid habes , quod non acceperisti ?* Item ab Ecclesia in collecta , *Deus , a quo bona cuncta procedunt* . Item a Papa , qui singulis annis in Bulla Cœnæ Domini Arnaldistas excommunicat , qui & excommunicantur extra de hæret. cap. *excommunicamus* . De damnatis autem ab Ecclesia Augustinus universaliter , sub exemplo tamen nonnullorum , in lib. de fide Catholica dicit , *Cum Cœlestius , utque Pelagius ab Ephesina synodo sint damnati , quomodo poterunt illa capitula recipi , quorum damnantur auctores ?* Similiter habes , quomodo per rationem ostendas , illas *Pseudoapostolorum* omnes , & *Justificatoriorum* merito damnari simul a Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 7. *Unica formalis causa est justitia Dei , non qua ipse justus est , sed qua nos justos facit , qua videlicet ab eo donati , vere justi sumus , justitiam in nobis recipientes unusquisque secundum suam men-*

(1) Ibi hanc ejus rationem sive ait quod sensibilia defluant , sive autem idæ vel species universales immortæ sint .

(2) *Al.* dicitur .

(3) Ea imprimit ratione quod præter cælum sensibile , aliquid quoque dari oportet , at immobile illud esse absurdum foret ; mobile autem esse foret

impossibile , ut videre est lib. 3. Metaph. tex. 7. vel cap. 2. ac deinceps .

(3) Nempe sua bonitas in singulis , quasi derivatio quedam vel effluxus divinæ in singula ; sicut & omnes illi quos calefacit ignis , uno eodemque calore calefunt efficienter , sed singuli calorem suum quo formaliter denominantur , in se habent .

mensuram. Hæc ibi. Et Can. decimo, tam Arnaldistarum, quam horum positiones damnat sic. *Si quis dixerit, homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse, anathema sit.* Hæc ibi. Nec mirandum, si de justitia loquamur, cum de bonitate sit articulus, quoniam in idem redeunt bonitas, & justitia. Contra hæresim Justificatoriorum faciunt dicta articulorum num. 437. & in 1. 2. articulorum num. 600. 606. & Addition. articulorum num. 442. 56. & in veritatibus Aureis super legem veterem, *Genes.* 17. *conclus.* 5. & *Levit.* 11. *conclus.* 7. & c. 15. *concl.* 4. & *Deuteronom.* 29. *conclus.* 5. Tertio vides, quomodo; &c.

Q U È S T I O S E P T I M A.

*De infinitate Dei,**In quatuor articulos divisa.*

POst considerationem divinæ perfectionis, considerandum est de ejus infinite, & de existentia ejus in rebus: attribuitur enim Deo, quod sit ubique, & in omnibus rebus, in quantum est incircumscribibilis, & infinitus.

*Circa primum queruntur quatuor.**Primo, utrum Deus sit infinitus.**Secundo, utrum aliquid præter ipsum sit infinitum secundum essentiam.**Tertio, utrum aliquid possit esse infinitum secundum magnitudinem.**Quarto, utrum possit esse infinitum in rebus secundum multitudinem.*

A R T I C U L U S I. 35

*Utrum Deus sit infinitus.**I. disf. xlili. quest. II. art. 1. & I. con. cap. xlili. & por. quest. I. art. 2. & opusc.**II. artic. 18. 19. & 20.*

AD primum sic proceditur. Videtur quod Deus non sit infinitus. Omne enim in-

finitum est imperfectum, quia habet rationem partis, & materiæ, ut dicitur in III. Physic. (text. lxvi.) Sed Deus est perfectissimus. Ergo non est infinitus.

2. Præterea. Secundum Philosophum in I. Physic. (text. xv.) finitum, & infinitum convenient quantitati. Sed in Deo non est quantitas, cum non sit corpus, ut supra ostensum est (quest. III. art. 1.) Ergo non competit sibi esse infinitum.

3. Præterea. Quod ita est hic quod non alibi, est finitum (1) secundum locum. Ergo quod ita est hoc quod non est aliud, est finitum secundum substantiam. Sed Deus est hoc, & non est aliud; non enim est lapis, nec lignum. Ergo Deus non est infinitus secundum substantiam.

Sed contra est quod dicit Damascenus (Lib. I. orthod. Fidei cap. iv.) quod *Deus est infinitus, & eternus* (2), & *incircumscribibilis.* Respondeo dicendum, quod omnes antiqui Philosophi attribuunt infinitum primo principio, ut dicitur in III. Physic. (text. xxx.) (3) & hoc rationabiliter, considerantes res effluere a primo principio in infinitum. Sed quia quidam erraverunt circa naturam primi principii, consequens fuit ut errarent circa infinitatem ipsius: quia enim ponebant primum principium materiam, consequenter attribuerunt primo principio infinitatem materialiem, dicentes, aliquod corpus infinitum esse primum principium rerum.

Considerandum est igitur, quod infinitum dicitur aliquid ex eo quod non est finitum: finitur autem quodammodo & materia per formam, & forma per materiam. Materiam quidem per formam, in quantum materia, antequam recipiat formam, est in potentia ad multas formas, sed cum recipit unam, terminatur per illam. Forma vero finitur per materiam, in quantum forma in se considerata communis est ad multa, sed per hoc quod recipitur in materia, fit forma determinate hujus rei. Materiam autem perficitur per formam, per quam finitur: & ideo infinitum, secundum quod attribuitur materiæ, habet rationem imperfecti, est enim quasi materia non habens formam. Forma autem non

(1) Hinc Damascenus lib. I. de fide orthod. cap. 4. *Quomodo non est in loco circumscripsum id quod movetur?*

(2) *Seu principio carens, ἀτοχος, ubi supra.*

(3) *Ubi subiungitur quod quicunque alias causas rerum non faciunt præter ipsummet infinitum, affirmant illud omnia continere, ut & omnia gubernare; non au-*

tem illi qui vel amicitiam, vel intellectum tamquam causas agnoscunt præter ipsum: Idem porro qui non aliud principium quam infinitum agnoverunt, sicut Anaximander & alii Physiologi, divinum quoque ac immortale posuerunt; ut Philosophus suisum ibi notat.

Q U Ä S T . VII.

non perficitur per materiam , sed magis per eam ejus amplitudo contrahitur : unde infinitum , secundum quod se tenet ex parte formæ non determinate per materiam , habet rationem perfecti .

Illud autem quod est maxime formale omnium , est ipsum esse , ut ex superioribus patet (quæst . iv . art . 1 .) Cum igitur esse divinum non sit esse receptum in aliquo , sed ipse sit suum esse subsistens , ut supra ostensum est (quæst . iii . artic . 4 .) manifestum est quod ipse Deus sit infinitus (1) , & perfectus .

Et per hoc patet responsio ad primum .

Ad secundum dicendum , quod terminus quantitatis est sicut forma ipsius : cuius signum est , quod figura , quæ consistit in terminatione quantitatis , est quædam forma circa quantitatem . Unde infinitum , quod competit quantitati , est infinitum quod se tenet ex parte materiæ ; & tale infinitum non attribuitur Deo , ut dictum est (in corp . artic .)

Ad tertium dicendum , quod ex hoc ipso quod esse Dei est per se subsistens non receptum in aliquo , prout dicitur infinitum , distinguuntur ab omnibus aliis , & alia removentur ab eo . Sicut si esset albedo subsistens , ex hoc ipso quod non esset in alio , differret ab omni albedine existente in subiecto .

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo : quomodo per rationem ostendas , merito dictum a Propheta Baruc . 3 . *Magnus Dominus , & non habet finem , excelsus , & immensus* . Item a Papa Innoc . III . Extra de summ . Tri . & cath . firmiter credimus , & simpliciter confitemur , quod Deus , &c. est immensus . Item a regulis fidei catholicæ (Hic liber est August de fide ad Petrum) c . 9 . firmissime tene , & nullatenus dubites , Trinitatem Deum esse immensum virtute , non mole . Hæc omnia , pluraque hujusmodi in iis , similibusque verbis talem sensum habent , quod scilicet Deus secundum substantiam suam , & essentiam est infinitus . Secundo habes , quomodo per ratio-

A R T . I . & II.

nem veram intelligentiam prædicti sensus declaras , atque defendas , falsamque oppugnes , ac expugnes . Tercio vides , quomodo &c .

A R T I C U L U S II. 36

Utrum aliquid aliud quam Deus possit esse infinitum per essentiam .

Quæst . 1 . art . 2 . ad 4 . & quæst . lxxxvi . art . 2 . cap . & I . dist . xiiii . quæst . 1 . artic . 2 . corp . & I . Met .

AD secundum sic proceditur . Videtur quod aliquid aliud quam Deus possit esse infinitum per essentiam . Virtus enim rei proportionatur essentiæ ejus . Si enim essentia Dei est infinita , oportet quod ejus virtus sit infinita . Ergo potest producere effectum infinitum , cum quantitas virtutis per effectum cognoscatur .

2 Præterea . Quidquid habet virtutem infinitam , habet essentiam infinitam (2) . Sed intellectus creatus habet virtutem infinitam : apprehendit enim universale , quod se potest extendere ad infinita singularia . Ergo omnis substantia intellectualis creata est infinita .

3 Præterea . Materia prima aliud est a Deo , ut supra ostensum est (quæst . iii . art . 2 . & 8 . ad 3 .) (3) Sed materia prima est infinita . Ergo aliquid aliud præter Deum potest esse infinitum .

Sed contra est quod infinitum non potest esse ex principio aliquo , ut dicitur in III : Phys . (text . xxx .) (4) Omne autem quod est præter Deum , est ex Deo sicut ex primo principio . Ergo nihil quod est præter Deum , potest esse infinitum .

Respondeo dicendum , quod aliquid præter Deum potest esse infinitum secundum quid , sed non simpliciter . Si enim loquamur de infinito , secundum quod competit materiæ , manifestum est quod omne existens in actu habet aliquam formam , & sic materia ejus est determinata per formam . Sed quia materia , secundum quod est sub una forma substantiali , remanet in potentia ad multas formas accidentales ; quod est finitum simpliciter , potest esse infinitum secundum quid

(1) Huc pertinet quod extra de summa Trinitate & fide Catholica ex Concilio Lateranensi sub Innocencio 3 . ut cap . Firmiter videre est , definitur immensus : Eo enim dimensione caret (quod est immensum esse) quia infinitus est aduersariæ ôti assertus) ait Maximus Martyr .

(2) Colligitur ex lib . 1 . de caelo & mundo text . 71 .

(3) Ubi diversa non differens dicitur .

(4) Ubi & ingenitum & incorruptibile dicitur ; quod est a nullo principio efficiente illud esse ; sicut nec principium durationis habet (ut præmittitur ibi) quia finem haberet ; quod repugnat .

quid (1); utpote lignum est finitum secundum suam formam, sed tamen est infinitum secundum quid, inquantum est in potentia ad figuram infinitas. Si autem loquamur de infinito, secundum quod convenit formae, sic manifestum est quod illa quorum formae sunt in materia, sunt simpliciter finita, & nullo modo infinita. Si autem sint aliquæ formæ creatæ non receptæ in materia, sed per se subsistentes, ut quidam de Angelis opinantur (2); erunt quidem infinitæ secundum quid, inquantum hujusmodi formæ non terminantur, neque contrahuntur per aliquam materiam. Sed quia forma creata sic subsistens habet esse, & non est suum esse, necesse est quod ipsum ejus esse sit receptum, & contractum ad terminatam naturam. Unde non potest esse infinitum simpliciter.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc est contra rationem facti, quod essentia rei sit ipsum esse ejus, quia esse subsistens non est esse creatum: unde contra rationem facti est quod sit simpliciter infinitum. Sicut ergo Deus, licet habeat potentiam infinitam, non tamen potest facere aliquid non factum (hoc enim esset contradictoria esse simul;) ita non potest facere aliquid infinitum simpliciter.

Ad secundum dicendum, quod hoc ipsum quod virtus intellectus extendit se quodammodo ad infinita, procedit ex hoc quod intellectus est forma non in materia, sed vel totaliter separata, sicut sunt substantiae Angelorum (3), vel ad minus potentia intellectiva, quæ non est actus alicuius organi in anima intellectiva corpori conjuncta.

Ad tertium dicendum, quod materia prima non existit in rerum natura per se ipsam, cum non sit ens in actu, sed potentia tantum: unde magis est aliquid concreatum, quam creatum. Nihilominus tamen materia prima etiam secundum potentiam non est infinita simpliciter, sed secundum quid: quia ejus potentia non se extendit nisi ad formas naturales.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte dictum esse virtualiter ab Innocentio Papa, quod nihil praeter Deum potest esse simpliciter infinitum, quando de sum. Trin. & si. Cath. dixit, firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod &c. Deus est unum universorum principium. Hoc & idem dictum a symbolo fidei ibi. sancto cœli, & terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Nam si infinitum non potest esse ex principio aliquo, ut habetur 1. Physic. text. 30. sequitur aperte, quod, dum quis dicit a Deo, tamquam a principio, omnia creata esse per hoc testatur, quod nullum creatum est infinitum simpliciter, seu per essentiam. Secundo habes: quomodo sensum hunc catholicum Conciliorum ipsorum defendas ab his, qui ponerent, vel aliquod non esse a Deo tamquam a principio, juxta intentionem Ecclesiarum, ubi supra de sum. Trin. (idest tamquam a principio effectivo, exemplari, finali,) vel aliquod praeter Deum esse infinitum per essentiam. Tertio vides quomodo, &c.

A R T I C U L U S III 37

Utrum possit esse aliquid infinitum actu secundum magnitudinem.

Verit. quest. II. artic. I. & IO. & quol. IX. artic. I. & quol. XII. artic. 3.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod possit esse aliquid infinitum actu secundum magnitudinem. In scientiis enim mathematicis non invenitur falsum: quia abstractum non est mendacium, ut dicitur in II. Physic. (text. xviii.) Sed scientiarum mathematicarum utuntur infinito secundum magnitudinem; dicit enim Geometra in suis demonstrationibus: Sit linea talis infinita (4). Ergo non est impossibile, aliquid esse infinitum secundum magnitudinem.

2. Praterea. Id quod non est contra rationem alicuius, non est impossibile convenire

(1) Hoc nimis est infinitum Platonis duplex, magnum & parvum lib. 3. Physic. text. 27.

(2) Ita loquitur forte propter honorem Patrum qui vel Angelos quodammodo materiales astruere videntur; vel dubitare saltem an omnino incorporei dicendi sint. Videtur tamen in cap. Firmate ubi supponit ut opinabile tantum sed ut certum supponi quod sint spirituales, ut posse dicetur suo loco.

(3) Quae separatae appellantur, non quod fuerint aliquando conjunctæ, huc hoc nomen animabus tribuit solet; sed quod nihil omnino commercii cum corpore habeant secundum se.

(4) Id est, supponit eam infinitam, ut inde quasi ex principio presupposito conclusionem demonstrativam eliciat: Non ex impossibili ergo.

re sibi. Sed esse infinitum non est contra rationem magnitudinis ; sed magis finitum, & infinitum videntur esse passiones quantitatis . Ergo non est impossibile aliquam magnitudinem esse infinitam .

3. Præterea . Magnitudo divisibilis est in infinitum : sic enim definitur continuum , quod est in infinitum divisibile , ut patet in III. Physic. (text. i.) Sed contraria nata sunt fieri circa idem : (1) Cum ergo divisioni opponatur additio , & diminutioni augmentum , videtur quod magnitudo possit crescere in infinitum . Ergo possibile est esse magnitudinem infinitam .

4. Præterea . Motus , & tempus habent quantitatem , & continuatatem a magnitudine , super quam transit motus , ut dicitur in IV. Physic. (2) (text. xcix.) Sed non est contra rationem temporis , & motus , quod sint infinita , cum unumquodque indivisibile signatum in tempore , & motu circulari sit principium , & finis . Ergo nec contra rationem magnitudinis erit quod sit infinita .

Sed contra . Omne corpus superficiem habet . Sed omne corpus superficiem habens est finitum , quia superficies est terminus corporis finiti . Ergo omne corpus est finitum . Et similiter potest dici de superficie , & linea . Nihil est ergo infinitum secundum magnitudinem .

Respondeo dicendum , quod aliud est esse infinitum secundum suam essentiam , & secundum magnitudinem . Dato enim quod esset aliquod corpus infinitum secundum magnitudinem , utpote ignis , vel aer , non tam en esset infinitum secundum essentiam , quia essentia sua esset terminata ad aliquam speciem per formam , & ad aliquod individuum per materiam . Et ideo habito ex præmissis , quod nulla creatura est infinita secundum essentiam , adhuc restat inquirere , utrum aliquid creatum sit infinitum secundum magnitudinem .

Sciendum est igitur , quod corpus , quod est magnitudo completa (3) , dupliciter sumitur ; scilicet mathematice , secundum quod

Sum. S.Thom.Tom.I.

consideratur in eo sola quantitas ; & naturaliter , secundum quod consideratur in eo materia , & forma .

Et de corpore quidem naturali , quod non possit esse infinitum in actu , manifestum est . Nam omne corpus naturale aliquam formam substantiale habet determinatam . Cum igitur ad formam substantiale consequantur accidentia , necesse est quod ad determinatam formam consequantur determinata accidentia . Inter quæ est quantitas . Unde omne corpus naturale (III. Phys. text. xl.) habet determinatam quantitatem & in majus , & in minus . Unde impossibile est aliquod corpus naturale infinitum esse . Hoc etiam ex motu patet : quia omne corpus naturale habet aliquem motum naturalem ; corpus autem infinitum non posset habere aliquem motum naturalem : nec rectum , quia nihil movetur naturaliter motu recto , nisi cum est extra suum locum , quod corpori infinito accidere non posset , occuparet enim omnia loca , & sic indifferenter quilibet locus esset locus ejus : & similiter etiam neque secundum motum circularem , quia in motu circulari oportet quod una pars corporis (I. de cœl. text. xxxv.) transferatur ad locum in quo suit alia pars : quod in corpore circulari , si ponatur infinitum , esse non posset : quia duæ lineæ protractæ a centro , quanto longius protrahuntur a centro , tanto longius distant ab invicem . Si ergo corpus esset infinitum , in infinitum lineæ distarent ab invicem , & sic una numquam posset pervenire ad locum alterius .

De corpore etiam mathematico eadem ratio est . Quia si imaginemur corpus mathematicum existens actu , oportet quod imaginemur ipsum sub aliqua forma , quia nihil est actu nisi per suam formam : unde cum forma quanti , in quantum huiusmodi , sit figura , oportebit quod habeat aliquam figuram ; & sic erit finitum , est enim figura , quæ termino , vel terminis comprehenditur (4) .

H

Ad

(1) Sive species idem , sive genere , ut in Categoriis cap. de oppositis versus finem explicat Philo-

phorus .

(2) Alias ex textu 99. sive cap. ii. & ex textu 113. ac deinceps hoc est cap. 12. ubi motus dicitur sequi magnitudinem , tempus autem dicitur sequi motum : Unde quanta est magnitudo , tantus est motus qui per illam fit ; quantus autem est motus , tantum tempus est quoque quo mensuratur : Licet etiam tempus mensuretur per motum , sed a posteriori , ut ibidem dicitur .

(3) Quia *corpus* dicitur tale a triplici dimensione qua magnitudo tota constat ; utpote habens longitudinem , sicut linea ; latitudinem , sicut superficies ; profunditatem , ex qua proprie *corpus* denominatur ; nempe tertia quantitatis continua species & ultima : Hinc appellatur *corpus* de genere quantitatis alia ratione consideratum quam illud *corpus* quod est in genere substantie , locatum supra vivens , vel quod est pars viventis cum anima componens totum , quamvis utrumque istud illi tamquam subjectum subfit .

(4) Sive quæ sub aliquo vel aliquibus terminis con-

Ad primum ergo dicendum, quod Geometr̄ non indiget sumere aliquam lineam esse infinitam actu, sed indiger accipere aliquam lineam finitam actu, a qua possit subtrahi quantum necesse est, & hanc nominat lineam infinitam.

Ad secundum dicendum, quod licet infinitum non sit contra rationem magnitudinis in communi, est tamen contra rationem cuiuslibet speciei ejus, scilicet contra rationem magnitudinis bicubit̄, vel tricubit̄, sive circularis, vel triangularis, & similium. Non autem est possibile in genere esse quod in nulla specie est: unde non est possibile esse aliquam magnitudinem infinitam, cum nulla species magnitudinis sit infinita.

Ad tertium dicendum, quod infinitum quod convenit quantitati, ut dictum est (artic. 1. hujus quest. ad 2.) se tenet ex parte materiæ; per divisionem autem totius acceditur ad materiam, nam partes se habent in ratione materiæ; per additionem autem acceditur (*) ad totum, quod se habet in ratione formæ: & ideo non invenitur infinitum in additione magnitudinis, sed in divisione tantum.

Ad quartum dicendum, quod motus, & tempus non sunt secundum totum in actu, sed successive: unde habent potentiam permixtam actu. Sed magnitudo est tota in actu: & ideo infinitum quod convenit quantitati, & se tenet ex parte materiæ, repugnat totalitati magnitudinis, non autem totalitati temporis, vel motus: esse enim in potentia convenient materiæ.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, philolophum jure in 3. phys. text. 56. dixisse: *Magnitudinem non esse actu infinitam.* Item text. 68. quia magnitudo non est augmentabilis in infinitum. Item

sex. 35. quod corpus quodiibet, aut una aut pluribus superficieb. terminatum est. Secundo habes: quomodo per rationem hujusmodi loca declares, declarataque tuearis. Tertio vides: quomodo, &c.

A R T I C U L U S IV. 38

Utrum possit esse infinitum in rebus secundum multitudinem.

I. *diss. xliv. quest. 1. artic. 1. ad 5. & II. diss. 1. quest. 1. artic. 5. ad 17. & verit. quest. II. art. 2. ad 5. & quol. II. art. 2. & quol. V. art. 1. corp. & quol. XII. art. 2.*

AD quartum sic proceditur. Videtur quod possibile sit esse multitudinem infinitam secundum actu. Non enim est impossibile, id quod est in potentia, reduci ad actu. Sed numerus est in infinitum multiplicabilis. Ergo non est impossibile esse multitudinem infinitam in actu.

2. Præterea. Cuiuslibet speciei possibile est esse aliquod (1) individuum in actu. Sed species figura sunt infinitæ. Ergo possibile est esse infinitas figuræ in actu.

3. Præterea. Ea quæ non opponuntur ad invicem, non impediunt se invicem. Sed posita aliqua multitudine rerum, adhuc possunt fieri alia multa, quæ eis non opponuntur. Ergo non est impossibile aliqua iterum simul esse cum eis, & sic in infinitum: ergo possibile est esse infinita in actu.

Sed contra est quod dicitur Sap. XI. 21. *Omnia in pondere, numero, & mensura dispositi* (2).

Respondeo dicendum, quod circa hoc fuit duplex opinio. Quidam enim, sicut Avicenna, & Algazel (3), dixerunt (super III. Phys.) quod impossibile est esse multitudinem actu infinitam per se, sed infinitam per accidentem multitudinem esse non est impossibile. Di-

continetur; ut Boetius in Philosophi categorias lib. 3. cap. de qualitate ait, & a Geometricis etiæ sic definiri refert. Insinuat & Philosopher ipse lib. 3. Physic. text. 40. probans corpus non esse infinitum nec esse posse. quia ratio corporis est us planis terminatus: Additique rationes hic indicatas & præser-tim a motu sumptas ut hoc ipsum etiam probet: Sed plenius & expressius lib. 1. de cœlo & mundo text. 35. ac deinceps usque ad 75. inclusive.

(*) *Edicio Rom.* ad totum, secundum quod se habet &c.

(1) Vel per exponibilem æquivalentem: *Nulum individuum est quod non sit possibile in actu pon;*

cum eadem ratio esse debat in uno seque ac in alios
Nec aliter hoc argumentum concluderet.

(2) Seu transpositis verbis, *Omnia in mensura, numero, & pondere,* ut jam notatum sup.

(3) Alter quidem (scilicet Avicenna) Medicus Hispanus, ut vult Gesnerus; qui & cum fu: se se-cta Mahometistam ex ejusdem confessione notat; et si alii velint Cordubensem, ut in indice Commentatorum Philosophi notatur: Alter vero (id est Algazel) author Arabi; qui, ut Gesnerus rursum notat, adversus Averroem edidit librum destructionum quas Augustinus Nighus confutavit: Sed neuter ad manum est.

Q U Ä S T . VII. A R T . IV.

Dicitur enim **multitudo** esse infinita per se, quando requiritur ad aliquid ut multitudo infinita sit; & hoc est impossibile esse: quia sic oportet quod aliquid dependenter ex infinitis, unde ejus generatio numquam completeretur, cum non sit infinita pertransire.

Per accidens autem dicitur multitudo infinita, quando non requiritur ad aliquid infinitas multitudinis, sed accedit ita esse. Et hoc sic manifestari potest in operatione fabri, ad quam quædam multitudo requiritur per se, scilicet quod sit ars in anima, & manus movens, & martellus: & si hæc in infinitum multiplicarentur, numquam opus fabrile compleretur, quia dependenter ex infinitis causis. Sed multitudo martellorum, que accedit ex hoc quod unum frangitur, & accipitur aliud, est multitudo per accidens: accedit enim, quod multis martellis operetur, & nihil differt utrum uno, vel duobus, vel pluribus operetur, vel infinitis, si infinito tempore operaretur. Per hunc igitur modum posuerunt, quod possibile est esse actu multitudinem infinitam per accidens.

Sed hoc est impossibile: quia omnem multitudinem oportet esse in aliqua specie multitudinis. Species autem multitudinis sunt secundum species numerorum. Nulla autem species numeri est infinita, quia quilibet numerus est multitudo mensurata per unum. Unde impossibile est esse multitudinem infinitam actu, sive per se, sive per accidens. Item omnis multitudo in rerum natura existens est creata, & omne creatum sub aliqua certa intentione creantis comprehenditur, non enim in vanum agens aliquod operatur (1). Unde necesse est quod sub certo numero omnia creata comprehendantur. Impossibile est ergo esse multitudinem infinitam in actu, etiam per accidens. Sed esse multitudinem infinitam in potentia possibile est: quia augmentum multitudinis consequitur divisionem (*) magnitudinis. Quanto enim aliquid plus dividitur, tanto plura secundum numerum resultant. Unde sicut infinitum invenitur in potentia in divisione continui, quia proceditur ad materiam, ut supra ostendimus.

sum est (art. preced.) eadem ratione etiam infinitum invenitur in potentia in additione multitudinis.

Ad primum ergo dicendum, quod unumquodque quod est in potentia, reducitur in actum secundum modum sui esse: dies enim non reducitur in actum, ut sit tota simul, sed successive: & similiter infinitum multitudinis non reducitur in actum, ut sit totum simul, sed successive: quia post quamlibet multitudinem potest sumi alia multitudo in infinitum.

Ad secundum dicendum, quod species figurarum habent infinitatem ex infinitate numeri. Sunt enim species figurarum, ut trilaterum, quadrilaterum (2), & sic inde. Unde sicut multitudo infinita numerabilis non reducitur in actum, quod sit tota simul, ita nec multitudo figurarum.

Ad tertium dicendum, quod licet quibusdam positis, alia ponit non sit eis oppositum, tamen infinita ponit opponitur cuilibet specie multitudinis. Unde non est possibile esse aliquam multitudinem actu infinitam.

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo: quomodo ostendas, merito esse dictum Sap. 11. *Omnia in numero, pondere, & mensura dispositi*. Hoc est. Non potest esse infinitum in numero, id est secundum multitudinem, neque in mensura, id est secundum magnitudinem, neque in pondere, id est secundum essentiam. Secundo habes: quomodo hunc sensum scripturæ per rationem defendas, facientia in contrarium dissolvendo. Quod dico hic in gratiam præmissæ auctoritatis dictum accipe pro artic. 3. & 2. quoniam auctoritas illa, ut patuit, duobus prædictis articulis etiam convenit. Tertio vides: quomodo &c.

H 2

QUE-

(1) Quando naturaliter agit, seu conformiter ad naturam, vel ad ordinem naturalem a Deo institutum; & multo minus Deus ipse: Quia ut Philosophus dicit lib. 1. de coelo & mundo text. 32. *Deus & natura nihil faciens frusta*: Unde quolibet agens ope ait propter aliquem finem, si ordinata operatur; & multo magis Deus ipse.

(*) *Ali. multitudinis.*

(2) Trilaterum scilicet quod latere triplici consistat, & interdum etiam a Latinis trigonum [juxta grecum τρίγωνον] quasi triangulare appellatur: Quadrilaterum vero propter quadruplex latus, quod item ex grecis τετράγωνον dicitur a Latinis per usurpationem vocis tessagonum sive quadrangulare: cu[m] anguli ($\gammaέρων$) veluti latera sint &c.

QUESTIO OCTAVA.

De existentia Dei in rebus,

In quatuor articulos divisa.

Quia vero infinito convenire videtur quod ubique, & in omnibus sit, considerandum est, utrum hoc Deo conveniat: & circa hoc queruntur quatuor.

Primo, utrum Deus sit in omnibus rebus.
Secundo, utrum Deus sit ubique.

Tertio, utrum Deus sit ubique per essentiam, & potentiam, & presentiam.

Quarto, utrum esse ubique sit proprium Dei.

ARTICULUS I. 39

Utrum Deus sit in omnibus rebus.

II. dist. XXXVII. quest. 1. artic. 1. & III.
contr. cap. LXVIII.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod Deus non sit in omnibus rebus. Quod enim est supra omnia, non est in omnibus rebus. Sed Deus est supra omnia, secundum illud Psal. (cxii. 4) *Excelsus super omnes gentes Dominus &c.* Ergo Deus non est in omnibus rebus.

2. Præterea. Quod est in aliquo, continetur ab eo. Sed Deus non continetur a rebus, sed magis continet res. Ergo Deus non est in rebus, sed magis res sunt in eo. Unde Augustinus in Lib. lxxxiii. Qq. dicit (quest. xx. in princip.) (1) quod *in ipso potius sunt omnia quam ipse alicubi.*

3. Præterea. Quanto aliquid agens est virtuosius, tanto ad magis distans ejus actio procedit. Sed Deus est virtuosissimum agens. Ergo ejus actio pertingere potest ad ea etiam quæ ab ipso distant, nec oportet quod sit in omnibus.

4. Præterea. Dæmones res aliquæ sunt, nec tamen Deus est in dæmonibus: non enim

est conventio lucis ad tenebras, ut dicitur II. ad Corint. vi. 15. (2) Ergo Deus non est in omnibus rebus.

Sed contra. Ubicumque operatur aliquid, ibi est. Sed Deus operatur in omnibus, secundum illud Isaïe xxvi. 12. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Ergo Deus est in omnibus rebus.

Respondeo dicendum, quod Deus est in omnibus rebus, non quidem sicut pars essentiaz, vel sicut accidentis, sed sicut agens adest ei in quod agit. Oportet enim omne agens conjungi ei in quod immediate agit, & sua virtute illud contingere: unde in VII. Physic. (a text. x. usque ad xlii. inclus.) probatur, quod motum, & movens oportet esse simul. Cum autem Deus sit ipsum esse per suam essentiam, oportet quod esse creatum sit proprius effectus ejus, sicut ignis est proprius effectus ipsius ignis. Hunc autem effectum causaliter Deus in rebus, non solum quando primo esse incipiunt, sed quamdiu inesse conservantur, sicut lumen caelatur in aere a Sole, quamdiu aer illuminatus manet. Quamdiu igitur res habet esse, tamdiu oportet quod Deus adsit ei secundum modum quo esse habet. Esse autem est illud quod est magis intimum cuilibet, & quod profundius omnibus inest, cum sit formale respectu omnium quæ in re sunt, ut ex supra dictis patet (quest. vii. art. 1.) Unde oportet quod Deus sit in omnibus rebus, & intime.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus est supra omnia per excellentiam suæ naturæ, & tamen est in omnibus rebus ut causans omnium esse, ut supra dictum est (in corp. art.)

Ad secundum dicendum, quod licet corporalia dicantur esse in aliquo sicut in continente (3), tamen spiritualia continent ea in quibus sunt, sicut anima continet corpus. Unde & Deus est in rebus sicut continens res; tamen per quamdam similitudinem corporalium dicuntur omnia esse in Deo, ipsorum continentur ab ipso.

Ad tertium dicendum, quod nullius agentis, quantumcumque virtuosi, actio procedit ad

(1) Ubi & rationem hic posita præmittit, quis quod alicubi est, continetur loco; additque illud esse corpus.

(2) Vel plenius: *Quæ societas lucis ad tenebras?* *Quæ conventio Christi ad Belial?* Quod idem est ac sine jugo, sive sine domino, sicut explicat Beda; & ideo dæmonem significat Deo subiecti recutantem; sed expressius propter aliam notionem Belial, prout idem est ac perversus. Alio porro instituto hæc Apostolus

ibi dicit ut vitandam infidelium communionem notet. Unde immediate addit: *Aus qua pars fidei cum infidei.* Sed hoc accommodari potest.

(3) Hinc sola vere ac proprie in loco esse dici possunt; quamvis eodem sensu dictum putent & accipiant imperiti, quod *intra corpus est anima*, & similia quædam: Unde merito Boetius conceptionem illam doctorum tantum esse dicit, ut infra.

Utrum Deus sit ubique.

I. *diss. xxxvii. queſt. ii. art. i.* ♂
3. ♂ *III. contr. cap. lxviii*

ad aliquid distans , nisi in quantum in illud per media agit . Hoc autem ad maximam virtutem Dei pertinet , quod immediate in omnibus agit . Unde nihil est distans ab eo , quasi in se illud Deum non habeat . Dicuntur tamen res distare a Deo per dissimilitudinem naturæ , (*) vel gratiæ , sicut & ipse est super omnia per excellentiam suæ naturæ .

Ad quartum dicendum , quod in dæmonibus intelligitur & natura , quæ est a Deo , & deformitas culpæ , quæ non est ab ipso () : & ideo non est absolute concedendum , quod Deus sit in dæmonibus , sed cum hac additione , in quantum sunt res quædam . In rebus autem quæ nominant naturam non deformatam , absolute dicendum est Deum esse .

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo : quomodo per rationem interimas hæresim *Basilidis* somniantis , Deum in circulo solis contineri . Non ergo in omnibus rebus erat Deus , si ibi , tamquam arctatus continebatur . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas hanc merito damnari a Hiero . 22. *Putasne , Deus e vicino ego sum , dicit Dominus , & non Deus de longe ? Numquid non cælum , & terram ego impleo , dicit Dominus ?* Ac si aperte per hanc interrogandi phrasim dicat : Hoc est manifestissimum , & de hoc nulli aliqualiter dubitandum , quod Deus universorum , & in omnibus rebus ego sum . Nam in cœlo , & terra continentur omnes res , tamquam nominibus extremorum suorum denominatae . Item a Sapientia , cap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum , & hoc , quod continet omnia &c.* Item a mille locis tum scripturarum , tum Conciliorum , tum Ecclesiasticorum dogmatum , quandcumque de hac materia tam clara sermo inciderit . Tertio vides : quomodo , &c

AD secundum sic proceditur . Videtur quod Deus non sit ubique . Esse enim ubique significat esse in omni loco . Sed esse in omni loco non convenit Deo , cui non convenit esse in loco : nam *incorporeus* , ut dicit Boetius in Lib. de hebd. (circa princ .) non sunt in loco (2) Ergo Deus non est ubique .

2. Præterea . Sicut se habet tempus ad successiva , ita se habet locus ad permanentia . Sed unum indivisibile actionis , vel motus non potest esse in diversis temporibus . Ergo nec unum indivisibile in genere rerum permanentium potest esse in omnibus locis . Esse autem divinum non est successivum , sed permanentens . Ergo Deus non est in pluribus locis ; & ita non est ubique .

3. Præterea . Quod est totum alicubi , nihil ejus est extra locum illum . Sed Deus , si est in aliquo loco , totus est ibi , non enim habet partes . Ergo nihil ejus est extra locum illum : ergo Deus non est ubique .

Sed contra est quod dicitur Hierem **xxiiii** , 24. *Cælum , & terram ego impleo* (3) .

Respondeo dicendum , quod cum locus sit res quædam , esse aliquid in loco potest intelligi dupliciter : vel per modum aliarum rerum , idest sicut dicitur aliquid esse in aliis rebus quocumque modo , sicut accidentia loci sunt in loco ; vel per modum proprium loci , sicut locata sunt in loco .

Utroque autem modo secundum aliquid Deus est in omni loco , quod est esse ubique . Primo quidem sic est in omnibus rebus ut dans eis esse , & virtutem , & operationem : sic enim est in omni loco ut dans ei esse , & virtutem locativam . Item locata sunt in loco , in quantum replent locum , & Deus

(*) *Edis. Rom. vel gloriæ ; in margine sussent al. gratiæ .*

(1) Mirum , si positiva deformitas est , nec tamen est a Deo ! Quidni confitores illius hoc advertunt , & alia tam multa ? quæ alibi plenius .

(2) Sic enim ibi [five lib. *An omne quod est , bonum sit* , ut jam ſepe notatum] pro communi animi conceptione quæ doctorum tantum est , ponit *incorporealia in loco non effi* : nec id a vulgo sed a doctis probari ait .

(3) Vel cum nota interrogationis ad majorem emphasiem , *Numquid non cælum & terram ego impleo ? dicit Dominus* ; ut vers. 24. subneftitur aliis verbis , *Numquid non Deus de longinquo , non transsum de vicino , ego sum ad probandum quod non propinquia tantum sed longinquo cognoscet : Etsi yo- legunt , Deus appropinquans ego sum & non Deus de longe , ad probandum quod ubique sit , ait ibi- dem Hieronymus .*

& Deus omnem locum replet, non sicut corpus, corpus enim dicitur replere locum, in quantum non compatitur secum aliud corpus; sed per hoc quod Deus est in aliquo loco, non excluditur quin alia sint ibi; immo per hoc replet omnia loca quod dicitur esse omnibus locatis, quae replent omnia loca.

Ad primum ergo dicendum, quod incorporalia non sunt in loco per contactum quantitatis dimensivæ (1), sicut corpora, sed per contactum virtutis.

Ad secundum, dicendum, quod indivisible est duplex. Unum, quod est terminus continui, ut punctus in permanentibus, & momentum in successivis: & hujusmodi indivisible in permanentibus, quia habet determinatum situm, non potest esse in pluribus partibus loci, vel in pluribus locis; & similiter indivisible actionis, vel motus, quia habet determinatum ordinem in motu, vel actione, non potest esse in pluribus partibus temporis. Aliud autem indivisible est quod est extra totum genus continui; & hoc modo substantiaz incorporeaz, ut Deus, Angelus, & anima, dicuntur esse indivisibles. Tale igitur indivisible non applicatur ad continuum sicut aliquid ejus, sed in quantum contingit illud sua virtute: unde secundum quod virtus sua se potest extenderre ad unum, vel multa, ad parvum, vel magnum, secundum hoc est in uno, vel pluribus locis, & in loco parvo, vel magno.

Ad tertium dicendum, quod totum dicitur respectu partium. Est autem duplex pars; scilicet pars essentiaz, ut forma, & materia dicuntur partes compositi, & genus, & differentia partes speciei; & etiam pars quantitatis, in quam scilicet dividitur aliqua quantitas. Quod ergo est totum in aliquo loco totalitate quantitatis, non potest esse extra locum illum, quia quantitas locati commensuratur quantitati loci; unde non est totalitas quantitatis, si non sit totalitas loci. Sed totalitas essentiaz non commensuratur totalitati loci (2). Unde non oportet quod illud quod est totum totalitate essentiaz in aliquo, nullo modo sit extra illum. Sicut appareat etiam in formis accidenti-

talibus, quae secundum accidens quantitatem habent: albedo enim est tota in qualibet parte superficie, si accipiatur totalitas essentiaz, quia secundum perfectam rationem sue speciei invenitur in qualibet parte superficie. Si autem accipiatur totalitas secundum quantitatem quam habet per accidens, sic non est tota in qualibet parte superficie. In substantiis autem incorporeis non est totalitas nec per se, nec per accidens, nisi secundum perfectam rationem essentiaz. Et ideo sicut anima est tota in qualibet parte corporis, ita Deus totus est in omnibus, & singulis.

A P P E N D I X .

Ex art. habes primo: quomodo supradictam hæresim Basiliidis per rationem interimas, in quantum in ea quoad sensum dicitur, Deum non esse ubique. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, illam iustissime damnari a scriptura Sap. septimo, sapientia attingit ubique propter suam munditiam; & a psal. 138. Quo ibo a spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, si sum pfero &c. usque ad ly dextera tua. Tertio vides: quomodo, &c.

A R T I C U L U S III. 41

Utrum Deus sit ubique per essentiam, praesentiam, & potentiam.

I. dist. XXXVII. quest. I. art. 2. &
in exp. lxx.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod male assignentur modi existendi Deum in rebus, cum dicitur, quod Deus est in omnibus rebus per essentiam, potentiam, & praesentiam. Id enim per essentiam est in aliquo quod essentialiter est in eo. Deus autem non est essentialiter in rebus, non enim est de essentia alicujus rei. Ergo non debet dici, quod Deus sit in rebus per essentiam, praes-

(1) Idest per contactum illius quantitatis quae locorum spatii mensuratur; sive per quamdam intervallorum ad se invicem ordinabilem collationem, secundum quam dicuntur infra vel supra, intra vel extra, ultra vel circa collocari quae inesse in loco vere ac recte afferuntur; ut in predictum locum Boetii Gilbertus Porretanus explicat; ubi & modum

illum existendi in loco præpositionem intervalarem vocat.

(2) Proinde August. epist. 57. Et per cuncta diffusus Deus [inquit] non tam per spatia locorum quasi mole diffusa, ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, atque per totum totus, sed in eis suis, in terra votus, nullo contensus loco sed in se ipso ubique tatus &c.

præsentiam, & potentiam (1).

2. Præterea. Hoc est esse præsentem aliqui rei, scilicet non deesse illi. Sed hoc est Deum esse per essentiam in rebus, scilicet non deesse alicui rei. Ergo idem est esse Deum in omnibus per essentiam, & præsentiam. Superfluum ergo fuit dicere, quod Deus sit in rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam.

3. Præterea. Sicut Deus est principium omnium rerum per suam potentiam, ita per scientiam, & voluntatem. Sed non dicitur Deus esse in rebus per scientiam, & voluntatem. Ergo nec per potentiam.

4. Præterea. Sicut gratia est quedam perfectio superaddita substantiaz rei, ita multæ sunt aliaz perfectiones superadditæ. Si ergo Deus dicitur esse speciali modo in quibusdam per gratiam, videtur quod secundum qualibet perfectionem debeat accipi specialis modus effendi Deum in rebus.

Sed contra est quod *Glossa* (ordin.) dicit super *Cantica Canticorum* (cap. v. & desumitur ex Gregorio in *Ezechiel*, hom. viii. circa med.) (2) quod *Deus commun modo est in omnibus rebus præsentia, potentia, & substantia; tamen familiari modo dicitur esse in aliquibus per gratiam.*

Respondeo dicendum, quod Deus dicitur esse in re aliqua duplicitate: uno modo per modum causæ agentis, & sic est in omnibus rebus creatis ab ipso; alio modo sicut objectum operationis est in operante, quod proprium est in operationibus animaz, secundum quod cognitum est in cognoscente, & desideratum in desiderante. Hoc igitur secundo modo Deus specialiter est in rationali creatura, quaz cognoscit, & diligit illum actu, vel habitu. Et quia hoc habet rationalis creatura per gratiam, ut infra patebit (quest. xii. art. 4.) dicitur esse hoc modo in sanctis per gratiam.

In rebus vero aliis ab ipso creatis quomo-

do sit, considerandum est ex his quaz in rebus humanis esse dicuntur. Rex enim dicitur esse in toto regno, scilicet per suam potentiam, licet non sit ubique præsens. Per præsentiam vero suam dicitur aliquid esse in omnibus quaz in conspectu ipsius sunt; sicut omnia quaz sunt in aliqua domo, dicuntur esse præsentia alicui, qui tamen non est secundum substantiam suam in qualibet parte domus. Secundum vero substantiam, vel essentiam dicitur aliquid esse in loco in quo ejus substantia habetur.

Fuerunt ergo aliqui, scilicet Manichæi, qui dixerunt divinæ potestati subjecta spiritualia esse, & incorporalia; visibilia vero, & corporalia subjecta esse dicebant potestati principii contrarii (3). Contra hos ergo oportet dicere, quod Deus sit in omnibus per potentiam suam.

Fuerunt vero alii, qui licet crederent omnia esse subjecta divinæ potentiaz, tamen providentiam divinam usque ad hæc inferioria corpora non extendebant, ex quorum persona dicitur Job. xxii. 14. *Circa cardines cali perambulat, nec nostra considerat.* Et contra hos oportuit dicere, quod Deus sit in omnibus per suam præsentiam.

Fuerunt vero alii, qui licet dicerent omnia ad Dei providentiam pertinere, tamen posuerunt omnia non immediate esse a Deo creata, sed quod immediate creavit primas creature, & illaz creaverunt alias. Et contra hos oportet dicere, quod sit in omnibus per essentiam.

Sic ergo est in omnibus per potentiam, inquantum omnia ejus potestati subduntur: est per præsentiam in omnibus, inquantum omnia nuda sunt, & aperta oculis ejus (4): est in omnibus per essentiam, inquantum adest omnibus ut causa effendi, sicut dictum est (art. 1. hujus quest.)

Ad primum ergo dicendum, quod Deus dicitur esse in omnibus per essentiam, non qui-

(1) Hanc similitudinem Augustinus loco prædicto insinuat: Et Ambrosius lib. de dignitate conditionis humanae cap. 2. *Sicut Deus unus ubique totus est, omnipotens, &c. Sic anima in suo corpore ubique tota vigeat; non in majoribus corporis membris major, in minoribus minor, &c.*

(2) Nempe in illud Cant. 5. *Quo abitis dilectus regis, &c.* ubi ex Gregorio citat *Glossa*: *Etsi non ex illius Commentario in Cant. sed in Ezechielem homil. 8. defunctum est; Non ergo simpliciter Gregorius super Cantica, ut in aliis Exemplaribus fas sim, & in Magistri textu lib. 1. Sent. dist. 37. §. 1. Nec simpliciter *Glossa super Cantica*, ut Exemplar*

*Coloniense immutavit. Sed ut conjunctim reponimus ad pleniorum exprimendum indicem, Gregorius in *Glossa super Cantica*.*

(3) Apud Epiphanium hæresi 66. §. 2. ubi per diuissimum atque impiissimum commentum vocat; & §. 6. ubi & Manichæi ad Marcellum insanissimam epistolam & excerptam refert ubi haec impetas continetur; *Præter illa quæ passim August. de illo notat.*

(4) Usurpatum ex Arioitolo ad Hebr. cap. 4. ut inferius ex professo patet quest. 14. art. 5. argum. *Sed contra;* ubi & ad marginem via græcie vocis expendetur que *τέρπαγλωττικά πρόνοδος* *Θ* *σπείριον* exprimit.

quidem rerum, quasi sit de essentia eorum, sed per essentiam suam: quia substantia sua adest omnibus ut causa essendi, sicut dictum est (art. prox. cit.)

Ad secundum dicendum, quod aliquid potest dici praesens alicui, in quantum subiacet ejus conspectui, quod tamen distat ab eo secundum suam substantiam, ut dictum est (in corp. art.) & ideo oportuit duos modos ponи, scilicet per essentiam, & praesentiam.

Ad tertium dicendum, quod de ratione scientiae, & voluntatis est quod scitum est in scientie, & volitum in volente (1). Unde secundum scientiam, & voluntatem magis res sunt in Deo quam Deus in rebus. Sed de ratione potentiae est quod sit principium agendi in aliud unde secundum potentiam agens comparatur, & applicatur rei exteriori; & sic per potentiam potest dici agens esse in altero.

Ad quartum dicendum, quod nulla alia perfectio superaddita substantiae facit Deum esse in aliquo sicut objectum cognitum, & amatum, nisi gratia; & ideo sola gratia facit singularem modum effendi Deum in rebus. Est autem alias singularis modus effendi Deum in homine per unionem, de quo modo suo loco agetur tertia parte (quest. II. art. I.)

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem interinas haereses Manicheorum in littera dicentium, ut ibi. Item primo Atheorum, secundo Philosophorum quorundam, tertio Averrois, quarto Rabbi Moysi (Direct. Inquisit. 2. part. q. 4.) dicentium, primo, quod providentia Dei de rebus humanis nulla est, quod secundo providentia ulla divina mundus non regitur, quod tertio providentia Dei non est de individuis, & de hic inferius existentibus, quod quarto providentiam aliorum Deus non habet quoad speciem, & singularia, unde contingentia particularia non sunt sub divina providentia. Item aliorum Philosophorum (Direct. ibi) dicentium, a primo Angelo processisse secun-

dum, & sic deinceps usque in finem, secundo animam nostram processisse a Datore formarum, qui est ultima intelligentia, tertio corpora celestia esse producta ab animabus corporum cœlestium, & quarto unam illorum animam esse productam ab alia, id est inferiorem a superiori, a primo cœlo processisse secundum cœlum, & sic deinceps usque ad ultimum. Contra Manichæos enim stat articulus per ly Deus est ubique per potentiam: contra Atheos cum similibus per ly per presentiam: contra ultimos philosophastros per ly per essentiam. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, merito Manichæos damnari ab Hebr. 13. Domine Deus in ditione tua cuncta sunt posita, ibi de temporalibus etiam ad literam loquitur, & Atheos cum similibus ad Hebr. 4. non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, ultimos a Concilio Niceno primo, Credimus in Deum factorem omnium visibilium, & invisibilium. Hæc ibi. Tertio vides: &c.

A R T I C U L U S IV. 42

Utrum esse ubique sit proprium Dei.

- I. dist. xxxvii. quest. II. art. 2. & III.
cont. cap. lxviii. & Lib. IV. cap. xvii.
& xix. & quol. xiii. quest. 1. art. 2.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod esse ubique non sit proprium Dei. Universale enim secundum Philosophum (I. Post. tex. xlii.) est ubique, & semper: materia etiam prima, cum sit in omnibus corporibus, est ubique. Neutrum autem horum est Deus, ut ex præmissis patet (quest. III. art. 1. usque ad 5. inclus.) Ergo esse ubique non est proprium Dei.

2. Præterea. Numerus est in numeratis. Sed totum universum est constitutum in numero, ut patet Sap. 11. (2) Ergo aliquis numerus est qui est in toto universo, & ita ubique.

3. Præterea. Totum universum est quodam totum corpus perfectum, ut dicitur in I. de cœl. & mundo (text. 4.) Sed totum universum est ubique, quia extra ipsum nullus locus est (3). Non ergo solus Deus est ubique.

4. Præ-

(1) Diversimode tamen juxta conditionem utriusque; quia scitum est in scientie per similitudinem sui cum intellectu, sed volitum est in volente per convenientiam voluntatis ad ipsum, ut qu. 37. expressus dicetur.

(2) Ubi dicitur Deus omnia in numero disposita.

so, ut jam supra.

(3) Vel extra cœlum ut ibidem dicitur text. 99. Perinde autem est ac extra Universum quia text. 96. totum Universum [τὸ τόπον] cœlum solemus appellare.

4. Præterea. Si aliquod corpus esset infinitum, nullus locus esset extra ipsum. Ergo esset ubique, & sic esse ubique non videtur proprium Dei.

5. Præterea. Anima, ut dicit Augustinus in VI. de Trin. (cap. vi. non procul a fin.) est tota in toto corpore, & tota in qualibet ejus parte. Si ergo non esset in mundo nisi unum solum animal, anima ejus esset ubique: & sic esse ubique non est proprium Dei.

6. Præterea. Ut Augustinus dicit in epist. 3. ad Volusianum (post princ.) *Anima ubi videt, ibi sentit, & ubi sentit, ibi vivit, & ubi vivit, ibi est* (1). Sed anima videt quasi ubique, quia successive videt etiam totum cœlum. Ergo anima est ubique.

Sed contra est quod Ambrosius dicit de Spiritu sancto (Lib. I. cap. VII. circa princ.) *Quis audeat creaturem dicere Spiritum sanctum, qui in omnibus, & ubique, & semper est? quod unicus Divinitatis est proprium.*

Respondeo dicendum, quod esse ubique primo, & per se, est proprium Dei. Dico autem esse ubique primo, quod secundum se totum est ubique: si quid enim esset ubique secundum diversas partes in diversis locis existens, non esset primo ubique, quia quod convenit alicui ratione partis suæ, non convenit ei primo; sicut si homo est albus dentem (2), albedo non convenit primo homini, sed denti. Esse autem ubique per se dico id cui non convenit esse ubique per accidens, propter aliquam suppositionem factam: quia sic granum milii esset ubique, supposito quod nullum aliud corpus esset. Per se igitur convenit esse ubique alicui, quando tale est quod, qualibet positione facta, sequitur illud esse ubique.

Et hoc proprie convenit Deo (3): quia quotcumque loca ponantur, etiam si poneantur infinita præter ista quæ sunt, oportet in omnibus esse Deum, quia nihil potest esse nisi per ipsum. Sic igitur esse ubi-

Summ. S.Th. T.I.

que primo, & per se, convenit Deo, & est proprium ejus: quia quotcumque loca ponantur, oportet quod in quolibet sit Deus, non secundum partem, sed secundum se ipsum.

Ad primum ergo dicendum, quod universale, & materia prima sunt quidem ubique, sed non secundum idem esse.

Ad secundum dicendum, quod numerus, cum sit accidens, non est per se, sed per accidens in loco; nec est totus in quolibet numerorum, sed secundum partem; & sic non sequitur quod sit primo, & per se ubique (4).

Ad tertium dicendum, quod totum corpus universi est ubique, sed non primo, quia non totum est in quolibet loco, sed secundum suas partes: nec iterum per se, quia si ponerentur aliqua alia loca, non esset in eis.

Ad quartum dicendum, quod si esset corpus infinitum, esset ubique, sed secundum suas partes.

Ad quintum dicendum, quod si esset unum solum animal, anima ejus esset ubique (5) primo quidem, sed per accidens.

Ad sextum dicendum, quod cum dicitur anima alicubi videre, potest intelligi dupliciter. Uno modo secundum quod hoc adverbium alicubi determinat actum videndi ex parte objecti: & sic verum est quod dum cœlum videt, in cœlo videt, & eadem ratione in cœlo sentit; non tamen sequitur quod in cœlo vivat, vel sit, quia vivere, & esse non important actum transiuntem in exterius objectum. Alio modo potest intelligi secundum quod adverbium determinat actum videntis, secundum quod exit a vidente: & sic verum est quod anima ubi sentit, & videt, ibi est, & vivit secundum istum modum loquendi; & ita non sequitur quod sit ubique.

(1) Sive paulo aliter & plenius: *Animæ ibi sunt ubi vides; quia & videre sentire est: Aut ergo ibi vivit, ac per hoc etiam ibi est: Aut sentit ubi non vivit: Aut vivit ubi non est: Nihil horum affirmari sine quadam velut absurditate possebat.*

(2) Latina plane phrasí, quasi secundum dentem: Nec in Edit. Colon. scrupulosius immunitandum fuerat, *albus dentes*.

(3) Non quod proprie sit in loco, cum ei locus potius addit, ex Boetio lib. I. de Trin. sed quia iuxta modum quo dici potest esse in loco, ei proprium est ut sit in omni loco.

(4) Addi etiam potest quod cum dicitur Sap. ix. *Omnia in numero dispositi, non designatur ipse numerus numeratus qui rebus inexistat; sed ordo tantum sapientie Dei per quam omnia tam solerter & scite disposita, metaphorico sensu indicatur.* Nec porro necesse est de generali rerum condicione locum illum intelligere formaliter, quamvis ad eam recte accommodetur, sed proprie de poenis quas iuxta culpe modum Deus ibi dicitur inflixisse; ut in eadem verba Theodoreus notat.

(5) *Ali. non primo.*

APPENDIX.

EX art. habes primo : quomodo per rationem interimas hæresim Zuinglii, & Ubiquitorum dicentium , Christi humanitatem ubique esse , sicut divinitatem , Christum secundum corpus etiam in inferno esse præsentem . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas , illam esse merito damnatam a Sap. 7. *Sapientia attingit ubique propter suam munditiam* : expende illam causam , sc. propter suam munditiam , & dic , si sapientia increata aliquid est æquale in puritatis munditia , aliquid præter illam poterit esse ubique ; si autem non æquatur ei aliquid in tali munditia , nihil omnino ab ea poterit esse ubique . Cum ergo summa illa munditia soli Deo sit propria , esse ubique erit soli Deo proprium . Hunc sensum catholicum habuit illa autoritas , habereque se denotavit , quando non tantum Deum esse ubique dixit , sed etiam propter suam munditiam dico suo apposuit . Ad rem nostram , humanitas Christi , licet supra cætera omnia creata sit sanctitatis puritate mundissima , multum tamen a munditia divinitatis Christi elongatur . Quocirca ubique humanitatem ejus existere , & a fortiori quæcumque creatura , jure optimo negatus præmissa scriptura . Tertio vides , &c.

QUESTIO NONA.

De Dei immutabilitate,

In duos articulos divisa.

Consequenter considerandum est de immutabilitate , & æternitate divina quæ immutabilitatem consequitur .

Circa immutabilitatem vero queruntur duo .

Primo , utrum Deus sit omnino immutabilis .

Secundo , utrum esse immutabile sit primum Dei .

ARTICULUS I. 43

Utrum Deus sit omnino immutabilis .

I. dist. VIII. quest. III. articul. I. & opusc. III. cap. IV.

AD primum sic proceditur . Videtur quod Deus non sit omnino immutabilis . Quidquid enim movet se ipsum , est aliquo modo mutabile . Sed , sicut dicit Augustinus VIII. super Gen. ad litteram (cap. xx. in fin.) *spiritus creator movet se , nec per tempus , nec per locum . Ergo Deus est aliquo modo mutabilis .*

2. Præterea . Sap. viii. 24. dicitur de sapientia , quod est mobilior omnibus mobilibus (1) . Sed Deus est ipsa sapientia . Ergo Deus est mobilis .

3. Præterea . Appropinquare , & elongari motum significant . Hujusmodi autem dicuntur de Deo in Scriptura Jac. 1v. 8. *Appropinquare Deo , & appropinquabit vobis . Ergo Deus est mutabilis .*

Sed contra est quod dicitur Malach. IIII.

6. *Ego (*) Deus , & non mutor (2) .*

Respondeo dicendum , quod ex præmissis (quest. IIII. art. 3.) ostenditur , Deum esse omnino immutabilem .

Primo quidem quia supra ostensum est (ib.) esse aliquid primum ens , quod Deum dicimus ; & quod hujusmodi primum ens oportet esse purum actum absque permixtione alicujus potentie eo , quod potentia simpliciter est posterior actu . Omne autem quod quocumque modo mutatur , est aliquo modo in potentia . Ex quo patet quod impossibile est Deum aliquo modo mutari .

Secundo quia omne quod movetur , quantum ad aliquid manet , & quantum ad aliiquid transit ; sicut quod movetur de albedine in nigredinem , manet secundum substantiam : & sic in omni eo quod movetur , attenditur aliqua compositio . Ostensum est autem supra (quest. IIII. art. 7.) quod in Deo nulla est compositio , sed est omnino sim-

(1) *Vel mobilior omni motu ex græco ταῦτα κινήσως quod in eundem sensum redit .*

(2) *Vulgata Dominus .*

(2) Quod Hieron. ibi dupliciter explicat : *Vel quia nempe in iudicio nulla personarum varietate commutatur : Vel quia divinitatis naturam cum varie nominatur , non mutat : Sicut & Num. 23. vers. 19. de immutabilitate voluntatis , Non est sicut si-*

lius hominis , ut mutetur : Sic & Psalm. 101. vers. 28. Idem ipse es , &c. Item Jacob I vers. 17. Apud quem non est transmutatio , nec vicissitudinis obumbratio (προπῆς) vel momensi obumbratio (ποτῆς) ut August. legit lib. de natura boni cap. 24. ubi & addit illud 1. ad Timoth. 1. vers. 17. Regi seculorum incorruptibili , ut rursus ipse legit ; & Sap. 7. vers. 27. In se manens omnia innovat , &c.

simplex. Unde manifestum est quod Deus moveri non potest.

Tertio, quia omne quod movetur, motu suo aliquid acquirit, & pertingit ad illud ad quod prius non pertingebat. Deus autem, cum sit infinitus, comprehendens in se omnem plenitudinem perfectionis totius esse, non potest aliquid acquirere, nec extendere se in aliquid ad quod prius non pertingebat. Unde nullo modo sibi competit motus. Et inde est quod quidam antiquorum, quasi ab ipsa veritate coacti, posuerunt primum principium esse immobile.

Ad primum ergo dicendum, quod Augustinus ibi loquitur secundum modum quo Plato dicebat primum movens movere se ipsum: omnem operationem nominans motum, secundum quod etiam ipsum intelligere, & velle, & amare motus quidam dicuntur. Quia ergo Deus intelligit, & amat se ipsum, secundum hoc dixerunt, quod Deus movere se ipsum, non autem secundum quod motus, & mutatio est existentis in potentia, ut nunc loquimur de mutatione, & motu (1).

Ad secundum dicendum, quod sapientia dicitur mobilis esse similitudinare, secundum quod suam similitudinem diffundit usque ad ultima rerum: nihil enim esse potest quod non procedat a divina sapientia per quamdam imitationem, sicut a primo principio effectivo, & formali, prout etiam artificata procedunt a sapientia artificis. Sic igitur, inquantum similitudo divinæ sapientiæ gradatim procedit a supremis, quæ magis participant de ejus similitudine, usque ad infima rerum, quæ minus participant, dicitur esse quidam processus, & motus divinæ sapientiæ in res, sicut si dicamus Solem procedere usque ad terram, inquantum radius luminis ejus usque ad terram pertingit: & hoc modo exponit Dionysius cap. i. cœl. Hier. (in princ.) dicens, quod omnis processus divinæ manifestationis venit ad nos a Patre luminum moto (2).

Ad tertium dicendum, quod hujusmodi dicuntur de Deo in Scripturis metaphorice. Sicut enim dicitur Sol intrare domum, vel exire, inquantum radius ejus pertingit ad domum; sic dicitur Deus appropinquare ad nos, vel recedere a nobis, inquantum percipimus influentiam bonitatis ipsius, vel ab eo deficitus.

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo: quomodo per rationem interimas hærefes Secundini, & Agnotarum dicentium, Deus est mutabilis. Item. Deus quod non extat presciens, quod extat sciens, quod extitit memoria tenens: non eodem modo semper se habet: us qui cognitionem transferat ad presentia, preterita, futura. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, merito has damnari a Papa Innocent. III. in Concilio generali, extra de summa Trinitate & fide Cathol. firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod Deus, &c. est incommutabilis. Hæc ibi. Vide (licet sufficiat ista Ecclesiæ definitio) etiam alias damnationes harum q. 14. art. 7. & q. 16. artic. 8. Item ab Ecclesia in officio S. Trinitatis; Te semper idem esse, vivere, & intelligere profitemur. Item a regulis fidei traditis ab Augustino in lib. de fide ad Petrum, cap. 4. firmissime tene, & nullatenus dubites; sanctam Trinitatem solum verum Deum, sicut aeternum, ita incommutabilem solum naturaliter esse. Hoc enī significat, cum dicit famulo suo Moysi, Ego sum, qui sum. Hinc in psalmo dicitur. In principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cali; ipsi peribunt, tu autem pernames, & omnes sicut vestimentum veterabent, & sicut operiorum mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipse es, & anni tui non deficiunt. Hæc ibi. Tertio vides: quomodo, &c.

A R T I C U L U S II. 44.

Utrum esse immutabile sit Dei proprium.

I. dist. VIII. quest. III. art. 1. & 2. & dist. xix. quest. v. art. 3. & I. cont. cap. XIII. XIV. & XV. & opusc. II. cap. IV. XVI. XVII. cxxiv. & ccxxii.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod esse-immutable non sit proprium Dei. Dicit enim Philosophus in II. Metaph. (text. xii.) quod *materia est in omni eo quod movetur*. Sed substantiaz quædam creatæ, sicut Angeli, & animæ, non habent materiam, ut quibusdam videtur. Ergo esse immutabile non est proprium Dei.

2. Præterea. Omne quod movetur, move-

I 2 tur

immobile in Parmenide notat non dissimili sensu.

(2) Sive, omnis processus a Patre mōte illustratiōnis juxta grecum ταπεριντού πατεροπολεος, quod minus bene vetus Interpres reddit.

(1) Hinc licet Plato in Phædro dicat illud moveri per se quod aeternum est ac divinum, sensu jam explicato, immutabile tamen hoc ipsum esse urget lib. 2. de Republica versus finem; & unum esse

tur propter aliquem finem. Quod ergo jam pervenit ad ultimum finem, non movetur. Sed quædam creaturæ jam pervenerunt ad ultimum finem, sicut omnes beati. Ergo aliquæ creaturæ sunt immobiles.

3. Præterea. Omne quod est mutabile, est variabile. Sed formæ sunt invariabiles: dicitur enim in Lib. sex principiorum (1) (cap. de forma in prin.) quod *forma est simplici, & invariabilis essentia consens*. Ergo non est solius Dei proprium esse immutabile.

Sed contra est quod dicit Augustinus in Lib. de natura boni (cap. 1. in princip.) *Solus Deus immutabilis est: que autem fecit, quia ex nihilo sunt, mutabilia sunt* (2).

Respondeo dicendum, quod solus Deus est omnino immutabilis; omnis autem creatura aliquo modo est mutabilis. Sciendum est enim, quod mutabile potest aliquid dici duplamente: uno modo per potentiam quæ in ipso est; alio modo per potentiam quæ in altero est: omnes enim creaturæ, antequam essent, non erant possibles esse per aliquam potentiam creatam, cum nullum creatum sit æternum; sed per solam potentiam divinam, inquantum Deus poterat eas in esse producere. Sicut autem ex voluntate Dei dependet quod res in esse producit; ita ex voluntate ejus dependet quod res in esse conservat: non enim aliter eas in esse conservat quam semper eis esse dando: unde si suam actionem eis subtraheret, omnia in nihilum redigerentur, ut patet per Augustinum IV. super Genes. ad litteram (cap. XII. circa princip.) (3) Sicut igitur in potentia creatoris fuit ut res essent, antequam essent in se ipsis, ita in potentia creatoris est, postquam sunt in se ipsis, ut non sint. Sic igitur per potentiam quæ est in altero, scilicet in Deo, sunt mutabiles, inquantum ab ipso ex nihilo potuerunt produci in esse, & de esse possunt reduci in non esse.

Si autem dicatur aliquid mutabile per potentiam in ipso existentem, sic etiam aliquo modo omnis creatura est mutabilis. Est enim in creatura duplex potentia, scilicet activa, & passiva: dico autem potentiam passivam, secundum quam aliquid assequi potest suam perfectionem vel in essendo, vel in conseqüendo finem. Si igitur attendatur mutabilitas rei secundum potentiam ad esse, sic non in omnibus creaturis est mutabilitas, sed in illis solum in quibus illud quod est possibile (4) in eis, potest stare cum non esse. Unde in corporibus inferioribus est mutabilitas & secundum esse substantiale, quia materia eorum potest esse cum privatione formæ substantialis ipsorum, & quantum ad esse accidentale, si subjectum compatiatur secum privationem accidentis; sicut hoc subjectum *homo* compatitur secum non album, & ideo potest mutari de albo in non album. Si vero sit tale accidens quod confequatur principia essentialia subjecti, privatio illius accidentis non potest stare cum subiecto. Unde subjectum non potest mutari secundum illud accidens, sicut nix non potest fieri nigra. In corporibus vero cœlestibus materia non compatitur secum privationem formæ, quia forma perficit totam potentiam materialiter materiæ; & ideo non sunt mutabilia secundum esse substantiale, sed secundum esse locale: quia subjectum compatitur secum privationem hujus loci vel illius. Substantia vero incorporeæ, quia sunt ipsæ formæ subsistentes, (5) quæ tamen se habent ad esse ipsarum sicut potentia ad actum, non compatiantur secum privationem hujus actus: quia esse consequitur formam; & nihil corruptitur nisi per hoc quod amittit formam: unde in ipsa forma non est potentia ad non esse: & ideo hujusmodi substantiae sunt immutabiles, & invariabiles secundum esse: & hoc est quod dicit Dionysius IV. (6) cap.

de di-

(1) Non ut inepie prius in quibusdam Exemplaribus libro sexto.

(2) Hinc & Psal. 103. ubi supra de cœlis ipsi. Mutabuntur: *Tu autem idem ipse es: Id est immutabilem habes naturam* (vel invariabilem, ἀτποτοιτι ibidem Theodoretus: Quippe non esset idem ipse, si mutabilis esset in aliquid aliud, ut Cyrillus philosophatur in Thesauro lib. 13. ubi & addit illud Baruch. 3. vers. 3. *Sedes in sempiternum & nos in eternum peribimus; ad immutabilitatem divinæ naturæ* (τὸ διαιρετὸν) indicandam.

(3) Quod inferius ex professo referendum est quæst. 104. art. 1. ubi etiam S. Thomas ad 4. id explicat quod hic obiter dicit, rebus a Deo dari sem-

per esse, nempe per continuationem actionis qua primum esse dedit.

(4) Id est *potentiale*; *acciendi possibile*, non prout opponitur impossibili; sed prout actuali, ut ex adjunctis patet: *Vel prout possibile idem est quod contingens, & opponitur necessario seu per necessitatem existenti, adeoque immutabili, &c.*

(5) Propter intrinsecam identitatem suppositi eorum & naturæ, ut supra quæst. 3. art. 3. notatum est.

(6) Non 10. ut prius passim, quamvis emendetur ad marginem: Quidni autem in textu? Super 10. tamen caput ubi divina æternitas & immutabilitas describitur, observat Pachymeres τέον Αγαλος & animas humanas mensurari, quia sunt τετρά

de divin. Nomin. (parum a princ. lect. 1.) quod substantie intellectuales creatae mundo sunt a generatione , & ab omni variatione , sicut incorporales , & immateriales . Sed tamen remanet in eis duplex mutabilitas : una secundum quod sunt in potentia ad finem ; & sic est in eis mutabilitas secundum electionem de bono in malum , ut Damascenus (Lib. II. cap. III. & IV.) dicit : alia secundum locum , in quantum virtute sua finita posunt attingere quedam loca quæ prius non attingebant : quod de Deo dici non potest , qui sua infinitate omnia loca replet , ut supra dictum est (quest. VIII. art. 2.)

Sic igitur in omni creatura est potentia ad mutationem vel secundum esse substantiale , sicut corpora corruptibilia ; vel secundum esse locale tantum , sicut corpora coelestia ; vel secundum ordinem ad finem , & applicationem virtutis ad diversa , sicut in Angelis : & universaliter omnes creature communiter sunt mutabiles secundum potentiam creantis , in cuius potestate est esse , & non esse earum . Unde cum Deus nullo istorum modorum sit mutabilis , proprium ejus est omnino immutabilem esse . (1)

Ad primum ergo dicendum , quod objectio illa procedit de eo quod est mutabile secundum esse substantiale , vel accidentale : de tali enim motu Philosophi tractaverunt .

Ad secundum dicendum , quod Angeli boni supra immutabilitatem essendi , quæ competit eis secundum naturam , habent immutabilitatem electionis ex divina virtute ; tamen remanet in eis mutabilitas secundum locum .

Ad tertium dicendum , quod formæ dicuntur invariabiles , quia non possunt esse subjectum variationis ; subiiciuntur tamen variationi , in quantum subjectum secundum eas variatur : unde patet quod secundum quod sunt , sic variantur : non enim dicuntur entia quasi sint subjectum essendi sed quia eis aliquid est .

Ex artic. habes primo : quomodo per rationem ostendas , merito esse dictum a Ps. 101. *Ipsi cœli peribunt , tu autem permanes , & sicut operiorum mutabis eos , & mutabuntur , tu autem idem ipse es .* Si cœli mutabiles : ergo multo magis ea , quæ sub cœlo sunt . Item ab Isa. 40. *omnes gentes , quasi non sint , sic sunt coram eo .* Hoc est . Potest Deus facere , quod non sint : consequenter mutabiles sunt per potentiam in alio . Item a Job. 26. *columne cœli contremiscunt , & pavent ad nutum ejus .* Hoc est Angeli . Si loqueris de beatis , intellige hanc sententiam juxta doctrinam supra in *ad secundum* , ne erres ; Et nota illum timorem , ac pavorem non esse de posse amittere beatitudinem (cum sint de æerna illa permanentia securissimi :) sed esse de maxima reverentia ad Deum supra in infinitum excellentem , clare visum : & designare beatos cognoscere certo se posse annihilari ab ipso , quamvis cognoscant simul se numquam annihilandos , vel quoquo modo a tanta beatitudine removendos . Item a Timoth. 6. *Qui solus habet immortalitatem .* Hoc est omnimodam invariabilitatem . Eo enim modo loquitur ibi Apostolus : quo omnis mutatio est quædam mors *secundum Aug. lib. 3. contra Maximinum , c. 22. & in epistola ad Diöscorum .* Item a Regulis fidei catholicæ (liber est Augustini de fide ad Petrum) cap. 20. *firmissime tene , & nullatenus dubites omnem creaturam naturaliter mutabilem a Deo incommutabili factam .* Hæc ibi .

Q U E S T I O D E C I M A .

De Dei eternitate ,

In sex articulos divisa .

DEinde queritur de æternitate : & circa hoc queruntur sex .

Primo , quid sit æternitas .

Secun-

servitas immunes ; participare autem tempore quia in generatione cernuntur (ὅτε γένεσις) hoc est productione .

(1) Hinc cum ubi supra Dionysius & antiquum & novum , seu juvenem & senem , pingi notat ; Se- nem , sive antiquum , ut fuisse ab initio indicetur : Juvenem , sive novum , ut numquam senescere vel deficere ostendatur ; Contra quam Psalm. 101. de

coelis rursum assertur quod *scutus vestimentum vete- rafcent* : Hinc & lib. 12. Moral. cap. 17. Gregorius *De auctore omnium scriptum est : Qui solus habet im- mutabilitatem (vel immortalitatem) ad Timoth. 6. vers. 17.) quia in semetipso solus immutabilis est , &c.* Præter alia quæ pro æternitate infra subjunge- mus .

Secundo, utrum Deus sit æternus.

Tertio, utrum esse æternum sit proprium Dei.

Quarto, utrum æternitas differat (*) a tempore.

Quinto de differentia ævi, & temporis.

Sexto, utrum sit unum ævum tantum, si-
cut est unum tempus, & una æternitas.

A R T I C U L U S I . 44

*Verum convenienter definitur æternitas, quod
est interminabilis vita tota simul, &
perfecta possessio.*

I. dist. VIII. quest. II. art. I. & dist. XIX.
quest. II. art. I. & po. quest. III.
art. 14. & 20.

AD primum sic proceditur. Videtur quod non sit conveniens definitio æternitatis quam Boetius ponit III. de consol. (prof. 2. circ. princ.) dicens, quod *æternitas est interminabilis vita tota simul, & perfecta pos-
sessio*. Interminabile enim negative dicitur. Sed negatio non est de ratione nisi eorum quæ sunt deficientia, quod æternitati non competit. Ergo in definitione æternitatis non debet poni *interminabile*.

2. Præterea. Æternitas durationem quam-
dam significat (1). Duratio autem magis respicit esse quam vitam. Ergo non debuit poni in definitione æternitatis vita, sed ma-
gis esse.

3. Præterea. Totum dicitur quod habet partes. Hoc autem æternitati non convenit, cum sit simplex. Ergo inconvenienter dicitur *tota*.

4. Præterea. Plures dies non passunt esse simul, nec plura tempora. Sed in æterni-
tate pluraliter dicuntur dies, & tempora : dicitur enim Michez v. 2. *Egressus eus ab ini-
tio a diebus æternitatis : & ad Roman. XVI.
25. Secundum revelationem mysterii temporibus
æternis (2) tacti*. Ergo æternitas non est to-
ta simul.

(*) *Ab ævo & tempore.*

(1) Ut ex ipso loquendi modo patet ; puta in per-
petuas æternitates Daniel 12. vers. 3. *Ab istinibus
æternitatis Abacuch. 3. vers. 6. Ab eterno & usque
in æternum Psal. 102. vers. 17. &c.*

(2) Hoc est, vel per tempora diurna vel ab ipsa
æternitate occultati, quia numquam antea revelatum
est ; juxta duplarem sensum quo tempora æterna sumi
posse notat ibidem S. Thomas lect. 2. conformiter
ad græcum totis diuinis xp̄positis.

5. Præterea. Totum, & perfectum sunt idem. Posito igitur quod sit *tota*, superflue additur, quod sit *perfecta*.

6. Præterea. *Possessio* ad durationem non pertinet. Æternitas autem quædam duratio est. Ergo æternitas non est *possessio*.

Respondeo dicendum, quod sicut in cognitionem simplicium oportet nos venire per composita, ita in cognitionem æternitatis oportet nos venire per tempus, quod nihil aliud est quam numerus motus secundum prius & posterius. Cum enim in quolibet motu sit *successio*, & una pars post alteram, ex hoc quod numeramus prius, & posterius in motu (3), apprehendimus tempus, quod nihil aliud est quam numerus prioris, & posterioris in motu. In eo au-
tem quod caret motu, & semper eodem modo se habet, non est accipere prius, & posterius. Sicut igitur ratio temporis consi-
stit in numeratione prioris, & posterioris in motu ; ita in apprehensione uniformitatis ejus, quod est omnino extra motum, con-
stitutus ratio æternitatis.

Item ea dicuntur tempore mensurari quæ principium, & finem habent in tempore, ut dicitur in IV. Physic. (4) (tex. lxx.) & hoc ideo quia in omni eo quod movetur, est accipere aliquod principium, & aliquem finem. Quod vero est omnino immutabile, sicut nec successionem, ita nec principium, aut finem habere potest.

Sic ergo ex duabus notificatur æternitas. Primo ex hoc quod id quod est in æternitate, est interminabile, id est principio, & fine carens, ut terminus ad utrumque refe-
ratur (5). Secundo per hoc quod ipsa æternitas successione caret, tota simul existens.

Ad primum ergo dicendum, quod simplicia confuerunt per negationem definiri, si-
cuit punctus est cuius pars non est : quod non ideo est, quod negatio sit de essentia eorum, sed quia intellectus noster, qui pri-
mo apprehendit composita, in cognitionem simplicium pervenire non potest nisi per re-
motionem compositionis (6).

Ad

(3) Ex 4. Physic. tex. 101 104. 108. & 110. ubi
& explicatur quod sit numerus ipse qui numeratur,
non quo.

(4) Sive quacumque corripibilius & generabilis,
qua aliquando sunt, aliquando non ; ut text. 120.
habetur.

(5) Nempe ad principium ut ad terminum a quo
& ad finem ut a terminum ad quem.

(6) Id est, nisi ab eis illud removendo quod com-
positus ex natura conveavit, &c.

Ad secundum dicendum, quod illud quod est vere æternum, non solum est ens, sed vivens: & ipsum vivere se extendit quodammodo ad operationem, non autem esse. Protensio autem durationis videtur attendi secundum operationem magis quam secundum esse: unde & tempus est numerus motus (1).

Ad tertium dicendum, quod æternitas dicitur tota, non quia habet partes, sed in quantum nihil ei deest.

Ad quartum dicendum, quod sicut Deus, cum sit incorporeus, nominibus rerum corporalium metaphorice in Scripturis nominatur, sic æternitas tota simul existens nominibus temporalibus successivis (2).

Ad quintum dicendum, quod in tempore est duo considerare; scilicet ipsum tempus, quod est successivum; & nunc temporis, quod est imperfectum. Dicit ergo tota simul ad removendum tempus, & perfecta ad excludendum nunc temporis.

Ad sextum dicendum, quod illud quod possidetur, firmiter, & quiete habetur (3): ad designandam ergo immutabilitatem, & inefficientiam æternitatis, usus est nomine possessionis.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas: Psal. 89. jure Deum sic locutum. *Mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hæsterna, que preteriit.* Hoc est: In æternitate tua continentur plura tempora, tamquam in uno nunc totaliter simul existenti. Adeo enim nihil de futuro expectat, vel habet æternitas, ut mille anni futuri sint in ipsa tamquam dies hæsterna: & non solum tamquam dies hæsterna, sed etiam tamquam sic hæsterna, ut totaliter præteriit. Nam quandoque de die hæsterna relinquitur aliqua minima particula, vel aliquod minimum vestigium: adeo quod illa aliqualiter remanet in illo vestigio: puta dies hæsterna hodie etiam est, inquantum facit me antiquorem, seniorem, magis expertum &c. quam antea fuerim. Nondum ergo hodie dies hæsterna totaliter præteriit. Sed cum de sua præteritione aliquid reliquerit in me, aliquid etiam hodie præteriti ego participio.

Ut igitur demonstret psd. quod æternitas ita est tota simul ut nihil omnino præteriti, nihil quod prorsus futuri, habeat, assent, quod mille anni sunt ante oculos Dei tamquam dies hæsterna que preteriit: quasi dixerit: Præterita, & futura sunt sine ulla successione, vel variabilitate in æternitate, tamquam in uno nunc præsentialiter posito ante oculos. Item 2. Pet. 3. *Unum hoc vos non lateat charrissimi, quia unus dies apud Dominum, sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus.* Hoc est: Æternitas sine extensione extenditur ad quodecumque & quantumcumque & quomodocumque distans tempus, hic per mille annos significatum; adeo quod tota diversitas temporum vel quantarumcumque durationum est quid simplex actualiter simul præsens in illa. Unde ejusdem facilitatis est Deo cognoscere mille annos, id est quodcumque; quantumcumque sive in præteritum, sive in futurum distans tempus, sicut cognoscere præsentialiter & oculariter diem unum. A simili igitur variabilia sunt in æternitate invariabiliter plura simpliciter, remotissima præsentialiter successiva permanenter, priora, & posteriora simul numerabilia sine numero, dissimilia uniformiter. Secundo habes: quomodo per rationem & præmissas scripturas, damnari merito demonstres hæresim Theophonii Agnoetarum ducis ignorantissime dicentis; *Deus, quod non extat præsciens, quod extat sciens, quod extitit memoria tenens, non eodem modo semper se habet, ut qui cognitio suam transferat ad præsentia, præterita, futura.* Alias hujus damnationes, vide quest. 14. art. 7. & quest. 9. art. 1. & quest. 16. art. 8. Tertio vides: quomodo, &c.

A R T I C U L U S II. 45

Utrum Deus sit æternus.

II. disq. II. quest. 1. art. 1. & I. cont. c. XV.
po. quest. IIII. art. 17. 23. & opusc.
II. cap. V. VI. VII. & VIII.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod Deus non sit æternus. Nihil enim factum potest dici de Deo. Sed æternitas est aliquid factum: dicit enim Boetius (Lib. V. de consol. prof. ult.) quod *nunc fluens facie*

ra; ut ipse S. Thomas in supradictum locum addit. lect. 2.

(3) Hinc a sediū vel a pedum positione posse, in Syntag. juris lib. I. cap. 13. num. 7. & 10.

(1) Ut jam ex 4. Physic. indicatum est paulo ante, sed confitius ut hic lib. I. de co. o. text.

(2) Inquantum semper omnia complectitur tempo-

facit tempus , nānt stans facit aeternitatem : & Augustinus dicit in Lib. lxxxiiii. quæstionum (quæst. xxiiii. in princ.) quod Deus est author aeternitatis . Ergo Deus non est aeternus .

2. Præterea . Quod est ante aeternitatem , & post aeternitatem , non mensuratur aeternitate . Sed Deus est ante aeternitatem , ut dicitur in Libro de causis (prop. 2.) & post aeternitatem : dicitur enim Exod. xv. 18. quod Dominus regnabit in aeternum , & ultra (1). Ergo esse aeternum non convenit Deo .

3. Præterea . Aeternitas mensura quædam est . Sed Deo non convenit esse mensuratum . Ergo non competit ei esse aeternum .

4. Præterea . In aeternitate non est præsens , præteritum , vel futurum ; cum sit tota simul , ut dictum est (art. præced.) Sed de Deo dicuntur in Scripturis verba præsentis temporis , præteriti , vel futuri . Ergo Deus non est aeternus .

Sed contra est quod dicit Athanasius (in suo symb. de confes. fidei) (2) *Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus spiritus Sanctus.*

Respondeo dicendum , quod ratio aeternitatis consequitur immutabilitatem , sicut ratio temporis consequitur motum , ut ex dictis patet (art. præced.) Unde cum Deus sit maxime immutabilis , sibi maxime competit esse aeternus . Nec solum est aeternus , sed est sua aeternitas cum tamen nulla alias sit sua duratio , quia non est suum esse . Deus autem est suum esse uniforme ; unde sicut est sua essentia , ita sua aeternitas .

Ad prium ergo dicendum , quod nunc stans dicitur facere aeternitatem secundum nostram apprehensionem . Sicut enim causatur in nobis apprehensio temporis , eo quod apprehendimus fluxum ipsius nunc , ita causatur in nobis apprehensio aeternitatis , in quantum apprehendimus nunc stans . Quod autem dicit Augustinus (loco cit. in arg.) quod Deus est author aeternitatis , intelligitur de aeternitate participata . Eo enim modo communicat Deus suam aeternitatem aliqui-

bus quo & suam immutabilitatem .

Et per hoc patet solutio ad secundum . Nam Deus dicitur esse ante aeternitatem , prout participatur a substantiis immaterialibus . Unde & ibidem (eadem proposit. 2. circa fin.) dicitur , quod intelligentia purificatur aeternitati . Quod autem dicitur in Exod. Dominus regnabit in aeternum , & ultra , sciendum , quod aeternum accipitur ibi pro seculo , sicut habet alia translatio (3) . Sic igitur dicitur , quod regnabit ultra aeternum : quia durat ultra quocumque seculum , idest ultra quamcumque durationem datum . Nihil est enim aliud seculum quam periodus cuiuslibet rei , ut dicitur in Lib. I. de cœlo (tex. c.) Vel dicitur etiam ultra aeternum regnare : quia si etiam aliquid aliud semper esset , ut motus cœli secundum quosdam Philosophos , tamen Deus ultra regnat , in quantum ejus regnum est totum simul .

Ad tertium dicendum , quod aeternitas non est aliud quam ipse Deus . Unde non dicitur Deus aeternus , quasi sit aliquo modo mensuratus ; sed accipitur ibi ratio mensuræ secundum apprehensionem nostram tantum (4) .

Ad quartum dicendum , quod verba diversorum temporum attribuuntur Deo , in quantum ejus aeternitas omnia tempora includit ; non quod ipse varietur per præsens , præteritum , & futurum .

A P P E N D I X .

EX art. habes primo : quomodo per rationem ostendas , recte ab Innoc. III. in Conc. generali extra de sum. Trin. & Fid. Cath. fuisse dictum sic : firmiter credimus , & simpliciter confitemur , quod Deus &c. est aeternus . Dicitur autem hic a Papa aeternus , quia , ut ibi D. Thoin. noster exponit , caret principio , & fine ; & quia ejus esse non variatur per præteritum , & futurum . Nihil enim ei subtrahitur : nec aliquid ei de novo venire

(1) Nec tantum ibi vers. 18. sed & Mich. 4. vers. 5. Ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in aeternum & ultra .

(2) Quod ab illo editum ex Græcorum confessione in 2. 2. ostendemus . Accedit Concilii Lateranensis , extra de summa Trinitate & fide Catholica definitio in hunc modum : Firmiter credimus & simpliciter confitemur quod unus solus est verus Deus aeternus , incomparabilis , &c. Hinc lib. contra Hermiam cap. 4. Tertullianus : Quis alius Dei sensus quam aeternitas ?

Quis alius aeternitatis status quam semper fruisse , esse futurum , ex prerogativa nullius initii & nullius finis ? &c.

(3) Puta 70. Interpretum quæ sic latine legit iuxta græcum eis rōr aīōa . Et sic etiam Gloss. interlin. pro in aeternum supponit secundum : Imo sic ex Hebreo verit Xantes Pagnius .

(4) Prout aeternitatem per fruississe , per esse , ac per futurum esse cogitatione dividimus .

te potest, unde dicit ad Moysen Exod. 3. *Ego sum, qui sum*, quia scilicet ejus esse non novit præteritum, & futurum, sed semper præferialiter est. Item a symbolo Athanasii (quod compendiosa fidei regula vocatur a Concilio Floren.) *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus*; & tamen non eris æterni, sed unus æternus. Item a regulis catholicæ fidei traditis ab Augustino in lib. de fide ad Petrum, cap. 3. sic; *firmissime tene, & nullatenus dubites Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, id est sanctam Trinitatem, unum verum Deum sine initio sempiternum esse.* Propter quid scriptum est: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum.* Hac denuo sempiternitas intimatur in psalmo, ubi dicitur. *Deus autem Rex nosier ante secula: & in alio loco. Sempiternus quoque ejus virtus, & divinitas.* Hæc ibi. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, recte dictum a simili in scripturis, quod Deus est ipsa æternitas. Quando enim dicitur Joan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita:* item quando dicitur 1. Cor. 1. *Christum Dei vitam, & Dei sapientiam, tunc a simili dicitur (ut patet) quod Deus est ipsa æternitas.* Tertio vides: quomodo, &c.

A R T I C U L U S III. 47

Utrum esse æternum sit proprium Dei.

L dist. VIII. quest. II. artic. 2. & dist. XIX.
quest. I. artic. I. & IV. dist. XLIX. quest. I.
artic. 2. quest. III. & I. cont. cap. V.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod esse æternum non sit soli Deo proprium. Dicitur enim Danielis XII. 3. quod *qui ad justitiam erudiant plurimos, erunt quasi stelle in perpetuas æternitates.* Non autem essent plures æternitates, si solus Deus esset æternus. Non igitur solus Deus est æternus.

2. Præterea. Matth. XXV. 41. dicitur: (*) *Ite maledicti in ignem æternum.* Non igitur solus Deus est æternus.

3. Præterea. Omne necessarium est æternum. S. Th. T.I.

num. Sed multa sunt necessaria, sicut omnia principia demonstrationis, & omnes propositiones demonstrativaæ. Ergo non solus Deus est æternus.

Sed contra est quod dicit Augustinus (Fulgentius) Lib. de fide ad Petrum cap. VI. (& Hieronymus ad Damasum ep. LVII.) (1) *Deus solus est qui exordium non habet.* Quidquid autem exordium habet, non est æternum. Solus ergo Deus est æternus.

Respondeo dicendum, quod æternitas vere & proprie in solo Deo est: quia æternitas immutabilitatem consequitur, ut ex dictis patet (art. præc.) Solus autem Deus est omnino immutabilis, ut est superior ostensum (quest. IX. art. 1. & 2.) Secundum tamen quod aliqua ab ipso immutabilitatem percipiunt, secundum hoc aliqua ejus æternitatem participant. Quædam ergo quantum ad hoc immutabilitatem sortiuntur a Deo quod numquam esse desinunt; & secundum hoc dicitur Eccles. I. de terra, quod *in æternum stat:* & sic æternitas Angelis attribui potest, secundum illud Psal. lxxv. *Illuminans tu mirabiliter & monibus æternis.* Quædam etiam æterna in Scripturis dicuntur propter diuturnitatem durationis, licet corruptibilis sint; sicut in Psal. dicuntur montes *æterni*, & Deuteronom. XXXIII. 15. etiam dicitur: *De pomis collum æternorum.* Quædam autem amplius participant de ratione æternitatis, inquantum habent intransiutabilitatem vel secundum esse, vel ulterius secundum operationem, sicut Angeli, & beati, qui Verbo fruuntur; quia quantum ad illam visionem Verbi non sunt in sanctis volubiles cogitationes, ut dicit Augustinus XV. de Trinitate (cap. XVI. in fin.) Unde & videntes Deum dicuntur habere vitam æternam, secundum illud Joann. XVII. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum &c.*

Ad primum ergo dicendum, quod dicuntur multæ æternitates, secundum quod sunt multi participantes æternitatem ex ipsa Dei contemplatione.

Ad secundum dicendum, quod ignis inferni dicitur æterrus propter interminabilitatem tantum. Est tamen in pœnis eorum transmu-

K tatio,

(*) Vulgata: Discedite a me maledicti.

(1) Non Augustinus ad Marcellum, sicut hic nobatur: cum ad Marcellum non scripsisset, sed ad Maximum vel Maxilam, & nihil tale ibi dicat: Non Hieronymus quoque ad Marcellum ut lib. I. Sent. dist. 8. in quibusdam Exemplarib; annotatur; cum nec in epistolis quas ad Marcellum scriptis plures,

id omnino habeat; et si Rabanus in Exodum lib. I. cap. 6 cum iis nequit quæ habentur in epist. 136. de nominibus Dei ad Marcellum: Sed epist. quam reponimus ad Damasum, & quæ incipit. *Quoniam vero esto, &c.* ut & quædam Exemplaria Sententiæ habent, & refertur expressæ in Decretis Causa 24. qu. I. cap. Quoniam, &c.

tatio, secundum illud Job xxiv. 19. *Ad nimium calorem transibunt ab aquis nivium* (1). Unde in inferno non est vera æternitas, sed magis tempus, secundum illud Psal. lxxx. 16. *Erit tempus eorum in secula.*

Ad tertium dicendum, quod necessarium significat quemdam modum veritatis. Verum autem, secundum Philosophum VI. Metaphys. (text. viii.) est in intellectu. Secundum hoc igitur vera, & necessaria sunt æternæ, quia sunt in intellectu æterno, qui est intellectus divinus solus (2): unde non sequitur quod aliquid extra Deum sit æternum.

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo: quomodo per rationem interimas hærefes Arnaldistarum, Albanensem, Felicis, Maniobæi, Origenis, Aristotelis, dicentium præter Deum esse aliquid æternum: mundum fuisse ab æterno, & materiam elementorum, ex qua factus est mundus, non esse factam, sed Deo coæternam: Terram esse Deo coæternam: Creaturas coæternas esse Deo. Mundus, motus, cœlum, tempus, generatio, & corruptio non incæpunt, fuerunt ab æterno, & erunt in æternum. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas omnes has merito fuisse damnatas a Papa Innocent. III. in Concilio generali, extra de summa Trin. & fid. Cathol. firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus &c. qui ab initio temporis utramque condidit creaturam, spiritualem, & corporalem &c. & ut premisserat, est creator omnium visibilium, & invisibilium, corporalium, & spiritualium. Ecce, quod omnia, secundum definitionem Ecclesiaz, habent initium temporis, & consequenter sunt temporalia, non æterna. Item a regulis fidei traditis ab Augustino in lib. de fide ad Petrum firmissime tene, & nullatenus dubites, sanctam Trinitatem solum verum Deum sicut æternum, ita solum naturaliter incommutabilem esse. Hæc ibi. Videsne, quod solus Deus dicitur hic æternus? Reliquum hujus capituli potes videre supra q. 9. a. 1. Item a Concilio Niceno primo, in confessione fidei, sic. *Credimus in unum Deum omnium visibilium invisibiliumque factorem.* Hæc ibi. Hi namque S. Concilii Patres creationem rerum omnium, quam vi-

debant in symbolo Apostolorum, cuius expositioni contra errores intendebant, voluerunt per hoc declarare esse temporalem, non æternam. Quasi dixissent: Deus est omnium rerum ita creator, quod est illarum factor. Creator, in quantum de nihilo condidit, facter, pro quanto eas in tempore produxit. Poterat enim ly *creatorem* ab Apostolis dictum interpretari ex vi vocabuli pro conditore etiam ab æterno: sed per ly *factorem*, cum additur ad ly *creatorem* pro expositione, non per creationis quidditatis destructionem dicamus necesse est, quod non possit amplius interpretari, nisi pro conditione temporali, idest in tempore res producente. Tercio vides: &c.

ARTICULUS IV. 48

Utrum æternitas differat a tempore.

Infra art. 5. & I. dist. x. quest. ii. artic. 1. & II. dist. ii. quest. i. artic. 1. & quo. v. quest. iv. & quo. x. quest. ii. & po. quest. iii. artic. 14. ad 18.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod æternitas non sit aliud a tempore. Impossibile est enim duas esse mensuras durationis simul, nisi una sit pars alterius. Non enim sunt simul duo dies, vel duæ horæ; sed dies, & hora sunt simul, quia hora est pars diei. Sed æternitas, & tempus sunt simul: quorum utrumque mensuram quamdam durationis importat. Cum igitur æternitas non sit pars temporis, quia æternitas excedit tempus, & includit ipsum; videtur quod tempus sit pars æternitatis, & non aliud ab æternitate.

2. Præterea. Secundum Philosophum in IV. Phys. (tex. civ. & 121.) (3) nunc temporis manet idem in toto tempore. Sed hoc videtur constituere rationem æternitatis, quod sit idem indivisibiliter se habens in toto cursu temporis. Ergo æternitas est nunc temporis. Sed nunc temporis non est aliud secundum substantiam a tempore. Ergo æternitas non est aliud secundum substantiam a tempore.

3. Præterea. Sicut mensura primi motus est mensura omnium motuum, ut dicitur in IV.

(1) Sicut explicat Beda ibi; eti paulo aliter Gregor. lib. 16. Moral. cap. 27. ad presentem referens vitam.

(2) A parte ante, ut dici solet, non a parte post.

(3) Ubi dicitur quod in quantum copulas (presentium & futurum) semper item est.

IV. Phys. (text. cxxxiiii.) (1) ita videtur quod mensura primi esse sit mensura omnis esse. Sed æternitas est mensura primi esse, quod esse est esse divinum. Ergo æternitas est mensura omnis esse. Sed esse rerum corruptibilium mensuratur tempore. Ergo tempus vel est æternitas, vel aliquid æternitatis.

Sed contra est quod æternitas est tota simul. In tempore autem est prius, & posteriorius. Ergo tempus, & æternitas non sunt idem.

Respondeo dicendum, quod manifestum est, tempus, & æternitatem non esse idem. Sed hujus diversitatis rationem quidam assignaverunt ex hoc quod æternitas caret principio, & fine, tempus autem habet principium, & finem.

Sed haec est differentia per accidens, & non per se: quia dato quod tempus semper fuerit, & semper futurum sit secundum positionem eorum qui motum cœli ponunt semipoternum, adhuc remanebit differentia inter æternitatem, & tempus, ut dicit Boetius in Lib. de consolat. (prosa iv. Lib. V.) (2) ex hoc quod æternitas est tota simul, quod tempori non convenit; quia æternitas est mensura esse permanentis, tempus vero est mensura motus. Si tamen praedicta differentia attendatur quantum ad mensurata, & non quantum ad mensuras, sic habet aliam rationem: quia solum illud mensuratur tempore quod habet principium, & finem in tempore, ut dicitur in IV. Physic. (text. cxx.) Unde si motus cœli semper duraret, tempus non mensuraret ipsum secundum suam totam durationem, cum infinitum non sit mensurabile, sed mensuraret quamlibet circulationem, quæ habet principium, & finem in tempore.

Potest tamen & aliam rationem habere ex parte istarum mensurarum, si accipiatur finis, & principium in potentia: quia etiam dato quod tempus semper duret, tamen possibile est signare in tempore & principium, & finem, accipiendo alias partes ipsius,

sicut dicimus principium, & finem diei, vel anni; quod non contingit in æternitate. Sed tamen istæ differentiae consequuntur eam, quæ est per se, & primo, differentiam, per hoc quod æternitas est tota simul, non autem tempus.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procederet, si tempus, & æternitas essent mensuræ unius generis: quod patet esse falsum ex his quorum est tempus, & æternitas mensura.

Ad secundum dicendum, quod nunc temporis est idem subiecto in toto tempore, sed differens ratione, eo quod sicut tempus responderet motui, ita nunc temporis responderet mobili: mobile autem est idem subiecto in toto decursu temporis, sed differens ratione, inquantum est hic, & ibi; & ista alternatio est motus. Similiter fluxus ipsius nunc, secundum quod alternatur ratione, est tempus. Æternitas autem manet eadem & subiecto, & ratione: unde æternitas non est idem quod nunc temporis.

Ad tertium dicendum, quod sicut æternitas est propria mensura ipsius esse permanentis (3), ita tempus est propria mensura motus; unde secundum quod aliquod esse recedit a permanentia effendi, & subditur transmutationi, secundum hoc recedit ab æternitate, & subditur tempori. Esse ergo rerum corruptibilium, quia est transmutable, non mensuratur æternitate, sed tempore: tempus enim mensurat non solum quæ transmutantur in actu, sed quæ sunt transmutabilia; unde non solum mensurat motum, sed etiam quietem, quæ est ejus quod natum est moveri, & non morietur.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, scripturam merito distinguissis tempus ab æternitate psal. 101. Ipsa peribunt, tu autem permanes, & omnes, sicut vestimentum, veterascent, & sicut operatorium

K 2 mu-

(1) Ubi prima mensura quorumlibet motuum affigatur circulatio κυκλοφορία seu circularis motus quo mobile in gyrum circumfertur, & ab eodem punto in idem punctum redit; ac propterea tempus dicitur esse sphæra motus (σφæρα κίνης;) quia tempore mensurantur alii motus; & ipsum tempus mos sphæra; quæ per excellentiam intelligitur primum cœlum.

(2) Ubi nimis ait quod licet illud quod pastatur temporis conditionem, nec capere umquam (ex hypothesi) nos definias, visaque ejus cum infinitate tendatur; nondum tamen tale est ut æternum esse ju-

re credatur. Non enim secum simus vise spaciose comprehendens: Unde addit non recte, quosdam coeterum putare Deo mundum si initium non habuisset, nec habiturus esset finem: Quia utique aliud est per interminabilem vitam duci, aliud interminabilis vita secum complecti; præfensionem quod proprium est divine monitis, &c.

(3) Quoad integrum & perfectam permanentiam, quæ nulli pro sensu mutabilitati adjuncta est: Alioquin etiam ævum est mensura cuiusdam esse permanentis; non omnimode tamen sicut Deus; ut infra.

*mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Cum enim distinguat temporalia a Deo æterno in dura-
tione: patet, quod etiam distinguit tempus ab æternitate. Item in 2. Pet. 3. *Ipsi gloria, & nunc, & in diem eternitatis.* Hoc est: in tempore sit ei gloria; & cum tem-
pus non erit amplius (Apocal. 10.) perseve-
ret ejus gloria in æternitate. Ubi apertissi-
me distinguit B. Petrus Apostolus tempus ab
æternitate; & ostendit, quod tempus ipsum,
tamquam habitum finem, non est ita diu-
turnum, sicut æternitas; & quod ipsa æter-
nitas, utpote non variata per dies, est stabi-
lis, non successiva, cuius oppositum de tem-
pore intelligendum ex hoc relinquit. Secundo
vides: quomodo &c.*

A R T I C U L U S V. 49

*De differentia ævi, & temporis.**Loci super artic. 4. notat. 15.*

AD quintum sic proceditur. Videtur quod ævum non sit aliud a tempore. Dicit enim Augustinus VIII. super Gen. ad litt. (cap. xx. xxii. xxiii.) quod Deus movet creaturam spiritualem per tempus (1). Sed ævum dicitur esse mensura spiritualium substantiarum. Ergo tempus non differt ab ævo.

2. Præterea. De ratione temporis est quod habeat prius, & posterius; de ratione vero æternitatis est quod sit tota simul, ut dictum est (art. 1. hujus quæst.) Sed ævum non est æternitas: dicitur enim Eccli. 1. quod *sapientia æterna est ante ævum* (2). Ergo non est totum simul, sed habet prius, & poste-
rius; & ita est tempus.

3. Præterea. Si in ævo non est prius, & posterius, sequitur quod in æviternis non differat esse, vel fuisse, vel futurum esse. Cum igitur sit impossibile æviterne non fuisse, sequitur quod impossibile sit ea non fu-
tura esse: quod falsum est, cum Deus pos-

sit ea reducere in nihilum.

4. Præterea. Cum duratio æviternorum sit infinita ex parte post, si ævum sit totum simul, sequitur quod aliquid creatum sit in-
finitum in actu; quod est impossibile. Non igitur ævum differt a tempore.

Sed contra est quod dicit Boetius (Lib.
III. de consol. metro ix. in princ.)

.... *Qui tempus ab ævo (3)*

Ire jubes.

Respondeo dicendum, quod ævum differt a tempore, & ab æternitate, sicut medium existens inter illa.

Sed horum differentiam aliqui sic assignant dicentes, quod æternitas principio, & fine caret; ævum habet principium, sed non finem; tempus autem habet principium, & finem. Sed hæc differentia est per accidens, sicut supra dictum est (art. præc.) quia si etiam semper æviterne fuissent, & semper fu-
tura essent,) ut aliqui ponunt, vel etiam si quandoque deficerent (quod Deo possibile effet;) adhuc ævum distinguatur ab æternitate, & tempore.

Alii vero assignant differentiam inter hæ-
tra per hoc quod æternitas non habet prius, & posterius; tempus autem habet prius, &
posterior cum innovatione, & veteratione;
ævum habet prius, & posterior sine innova-
tione, & veteratione.

Sed hæc positio implicat contradictionem. Quod quidem manifeste apparet, si innova-
tio, & veteratio referantur ad ipsam men-
suram. Cum enim prius, & posterior du-
rationis non possit esse simul, si ævum ha-
bet prius, & posterior, oportet quod priori
parte ævi recedente, posterior de novo
adveniat; & sic erit innovatio in ipso ævo,
sicut in tempore. Si vero referatur ad men-
surata adhuc sequitur inconveniens. Ex hoc
enim res temporalis inveteratur tempore quod
habet esse transmutable, & ex transmuta-
bilitate mensurati est prius, & posterior in
mensura, ut patet ex IV. Phys. (text. cx.
& cxvii.) (4). Si igitur ipsum æviter-
num

(1) Ad corporalis creature differentiam quam per-
locum ac tempus moveri ait 20. cap. ac deinceps.

(2) Sic enim ibi statim ab initio libri: *Omnis sa-
plentia a Domino Deo est, & cum illo fuit semper,
& est ante ævum: quamvis grata sit pars ævi i[n] se-
mper, cum illo est in ævum; & verius potest, in æternum.*

(3) Hæc est, ex interprete recentiore Boetii, post
ævum; cuius imago quedam tempus, id in rebus
mutabilibus faciens quod in immutabilibus facit ævum:
Sed ex antiquo interprete (qui fallitissime ab imperi-

tis nec fine injuria singitur S. Thomas pro Nicolao
Thrivet) ab ævo perinde est ac ab æternitate cuius
derivatio quedam tempus dici potest: Quamvis &
ipsum tempus confundere cum ævo videatur Scriptu-
ra Eccl. 43. vers. 6. cum ait. *Lanam in tempore
suo effo offendit temporis & signum ævi;* Sed la-
tio sensu, sicut infra.

(4) Colligitur ex text. 110. quod in tempore prius
& posterior numeretur; ex text. 117. quod senectat
omnia que in tempore continentur; ex text. 120.
quod

num non sit inveterabile , nec innovabile , hoc erit , quia esse ejus est intransmutabile . Mensura ergo ejus non habebit prius , & posterius .

Est ergo dicendum , quod cum æternitas sit mensura esse permanentis , secundum quod aliquid recedit a permanentia essendi , secundum hoc recedit ab æternitate . Quædam autem sic recedunt a permanentia essendi quod esse eorum est subiectum transmutationis , vel in transmutatione consistit ; & hujusmodi mensurantur tempore , sicut omnis motus , & etiam esse omnium corruptibilem . Quædam vero recedunt minus a permanentia essendi , quia esse eorum nec in transmutatione consistit , nec est subiectum transmutationis ; tamen habent transmutationem adjunctam vel in actu , vel in potentia ; sicut patet in corporibus coelestibus , quorum esse substantiale est intransmutabile ; tamen esse intransmutabile (*) habent cum transmutabilitate secundum locum : & similiiter patet de Angelis , quod scilicet habent esse intransmutabile cum transmutabilitate secundum electionem (**), (1) & cum transmutabilitate intelligentiarum , & affectionum , & locorum suo modo : & ideo hujusmodi mensurantur ævo , quod est medium inter æternitatem , & tempus . Esse autem quod mensurat æternitas , nec est mutabile , nec mutabilitati adjunctum . Sic ergo tempus habet prius , & posterius ; ævum autem non habet in se prius , & posterius , sed ei conjungi possunt ; æternitas autem non habet prius , neque posterius , neque ea compatitur .

Ad primum ergo dicendum , quod creaturae spirituales quantum ad affectiones , & intelligentias , in quibus est successio , mensurantur tempore . Unde & Augustinus ibidem (Lib. cit. in arg. cap. xx.) dicit , quod per tempus moveri , est per affectiones moveri . Quantum vero ad eorum esse naturale mensurantur ævo ; sed quantum ad visionem gloriae participant æternitatem .

Ad secundum dicendum , quod ævum est

totum simul , non tamen est æternitas (2) : quia compatitur secum prius , & posterius .

Ad tertium dicendum , quod in ipso esse Angeli in se considerato non est differentia præteriti , & futuri , sed solum secundum adjunctas mutationes . Sed quod dicimus Angelum esse , vel fuisse , vel futurum esse , differt secundum acceptiōnem intellectus nostri , qui accipit esse Angeli per comparationem ad diversas partes temporis . Et cum dicit , Angelum esse , vel fuisse , supponit aliquid cum quo ejus oppositum non subditur divinæ potentiaz . Cum vero dicit futurum esse , nondum supponit aliquid . Unde cum esse , & non esse Angeli subsit divinæ potentiaz ; absolute considerando , potest Deus facere quod esse Angeli non sit futurum ; tamen non potest facere quod non sit , dum est , vel quod non fuerit , postquam fuit .

Ad quartum dicendum , quod duratio ævi est infinita , quia non finitur tempore . Sic autem esse aliquod creatum infinitum , quod non finiatur quodam alio , non est inconveniens .

A P P E N D I X .

Ex art. habes primo : quomodo per rationem ostendas , merito scripturam distinxisse tempus , æternitatem , & ævum a se invicem . Ecclesi. 1. *Omnis sapientia a Domino Deo est , & cum illo fuit semper , & est ante ævum . Ly Est* , dicit æternitatem ; *ly Ävum* , ævum . Quasi ergo dicat : Sapientia in Deo est semper : & prout ly semper cadit super tempus , & prout super ævum , & prout super æternitatem . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas , Philosophum jure tempus , ævum , æternitatemque distinxisse in sua Metaphysica . Dun enim *Metaph. 10. text. 4.* dicit , quod mensura , & mensuratum debet esse proportionata , & in eadem *Metaphysic. lib. 2. ac 12.* innuit , quod esse angelicum est superiorius ad esse rerum corruptibilem , inferius tamen ad esse divinum : tunc

prout volunt ; ut infra suo loco dicetur , cum de libero eorum arbitrio agendum erit .

(2) Cujus contrarium dicebat statim Boetii antiquus commentator , æternitatem non distinguens ab ævo absolute : nec addens quidquam quo saltem ævum dupliciter significaret sumi , & uno modo quidem æternitatis nomen esse posse , sed non alio . Quid autem ad nos Commentarius tam indignus cuius putatur author S. Thomas , ut parum sapienter aliqui putant ?

quod corruptibilia tantum & generabilia tempore mensurantur ; ex text. 129. quod quia prius & posterius est in tempore , omnis motus & mutatio in tempore sit , &c.

(*) Al. habet .

(**) Ita eodd. Alcan. & Torre. In editis Additiorum quantum ad eorum naturam pertinet .

(1) Non quod post alicuius rei electionem in contrarium verti possint , sed quod eam pro arbitrio eligere antea potuerunt ; vel quia possunt in actu exercitare nunc in hoc ferri , nunc in illud indifferenter

tunc fundamentaliter, seu virtualiter statuit, quod tres sunt durationes mensurantes ista tria esse, & quod sunt distinctæ ab invicem, ac differentes, sicut ista tria esse. Hujusmodi autem mensuræ sunt tempus, ævum, æternitas. *Tertio* vides: quomodo, &c.

A R T I C U L U S VI. 50

Utrum sit unum ævum tantum.

*II. dīst. II. quest. I. art. 2. & quol. V.
quest. 4.*

AD sextum sic proceditur. Videtur quod non sit tantum unum ævum. Dicitur enim in apocryphis Esdræ: *Majestas, & potestas eorum est apud te, Domine.*

2. Præterea. Diversorum generum diversæ sunt mensuræ. Sed quædam æviterna sunt in genere corporalium, scilicet corpora cœlestia; quædam vero sunt spirituales substantiae, scilicet Angeli. Non ergo est unum ævum tantum.

3. Præterea. Cum ævum sit nomen durationis (1), quorum est unum ævum, est una duratio. Sed non omnium ævitorum est una duratio; quia quædam post alia esse incipiunt, ut maxime patet in animabus humanis. Non ergo est unum ævum tantum.

4. Præterea. Ea quæ non dependent ab invicem, non videntur habere unam mensuram durationis: propter hoc enim omnium temporalium videtur esse unum tempus, quia omnium motuum quodammodo causa est primus motus (2), qui prius tempore mensuratur. Sed æviterna non dependent ab invicem, quia unus Angelus non est causa alterius. Non ergo est unum ævum tantum.

Sed contra. Ævum est simplicius tempore, & propinquius se habens ad æternitatem. Sed tempus est unum tantum. Ergo multo magis ævum.

Respondeo dicendum, quod circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod

est unum ævum tantum; quidam, quod multa.

Quid autem horum verius sit, oportet considerare ex causa unitatis temporis: in cognitionem enim spiritualium per corporalia devenimus.

Dicunt autem quidam, esse unum tempus omnium temporalium, propter hoc quod est unus numerus omnium numeratorum; cum tempus sit numerus secundum Philosophum (Lib. IV. Physic. text. c. i.) Sed hoc non sufficit: quia tempus non est numerus, ut abstractus extra numeratum, sed ut in numerato existens; aliquin non esset continuus: quia decem ulnae panai continuitatem habent non ex numero, sed ex numerato. Numerus autem in numerato existens non est idem omnium, sed diversus diversorum. Unde alii assignant causam unitatis temporis ex unitate æternitatis, quæ est principium omnis durationis. Et sic omnes durationes sunt unum, si considereret eorum principium; sunt vero multæ, si considereret diversitas eorum quæ recipiunt durationem ex influxu primi principii. Alii vero assignant causam unitatis temporis ex parte materiae primæ, quæ est primum subjectum motus, cuius mensura est tempus. Sed neutra assignatio sufficiens videtur: quia ea quæ sunt unum principio, vel subjecto, & maxime (3) remoto, non sunt unum simpliciter, sed secundum quid. Est ergo ratio unitatis temporis unitas primi motus, secundum quem, cum sit simplicissimus, omnes alii mensurantur, ut dicitur in X. Metaphys. (text. III.) Sic ergo tempus ad illum motum comparatur, non solum ut mensura ad mensuratum, sed etiam ut accidens ad subjectum; & sic ab eo recipit unitatem. Ad alios autem motus comparatur solum ut mensura ad mensuratum. Unde secundum eorum multitudinem non multiplicatur, quia una mensura separata multa mensurari possunt.

Hoc igitur habito, sciendum quod de substantiis spiritualibus duplex fuit opinio. Quidam enim dixerunt, quod omnes processerunt

(1) Quasi durationis quædam species conditincta durationi temporali; sicut si homo dicatur esse non animalis.

(2) Seu motus primi coeli vel primæ sp̄here sicut supra ex 4. Physicorum: Hinc & *primum mobile* passi a Philosophis appellatur. Dicitur autem primo tempore mensurari, quia primum illud est quod per ipsummet tempus mensuratur, sive illud est unus incipit tempus; non quasi *primum tempus* intel-

ligatur quod ab aliis distinctum sit; cum sit omnium unum & idem tempus, ut premititur ibi text. 132. Unde primo ut adverbium sumi potius debet quam primo sicut adjectivum: *Quamvis & primum tempus* initium temporis non perperam subintelligi potest.

(3) Id est, & maxime si *principium* illud vel *subjectum* non sit *proximum*, sed *remotum*. Quod autem ex 10. Metaphysicæ subjungitur, habetur tex. 4. post premissum id quod referetur paulo infra-

sunt a Deo in quadam aequalitate, ut Origenes dixit (Lib. I. Periarchon cap. viii.) (1) vel etiam multæ earum, & quidam posuerunt. Alii vero dixerunt, quod omnes substantiae spirituales processerunt a Deo quodam gradu, & ordine: & hoc videtur sentire Dionysius, qui dicit x. cap. coelest. Hierarch. (& cap. iv. a med.) quod inter substantias spirituales sunt primæ, mediz, & ultimæ, etiam in uno ordine Angelorum. Secundum igitur primam opinionem necesse est dicere, quod sunt plura æva, secundum quod sunt plura æviterna priua æqualia. Secundum autem secundam opinionem oportet dicere, quod sit unum ævum tantum: quia cum unumquodque mensuretur simplicissimo sui generis, ut dicitur in X. Met. (2) (text. 4.) oportet quod esse omnium æviternorum mensuretur esse primi æviterni, quod tanto est simplicius, quanto prius. Et quia secunda opinio verior est, ut infra ostendetur (quest. xlvi. art. 2.) (3) concedimus ad præsens unum esse ævum tantum.

Ad primum ergo dicendum, quod ævum aliquando accipitur pro seculo, quod est periodus durationis alicuius rei; & sic dicuntur multa æva, sicut multa secula (4).

Ad secundum dicendum, quod licet corpora coelestia, & spiritualia differant in genere naturæ, tamen convenient in hoc quod habent esse intransmutabile; & sic mensurantur ævo.

Ad tertium dicendum, quod nec omnia temporalia simul incipiunt, & tamen omnium est unum tempus propter primum, quod mensuratur tempore; & sic omnia æviterna habent unum ævum propter primum, etiam si non omnia simul incipiunt.

Ad quartum dicendum, quod ad hoc quod aliqua mensurentur per aliquod unum, non requiritur quod illud unum sit causa omnium sorum, sed quod sit simplicius.

A P P E N D I X.

Ex articulo habes primo: quomodo per rationem ostendas, philosophum recte po-

suisse unum ævum tantum. Tunc autem virtualiter posuit, unum tantum ævum dari: quando unum tantum reperiri tempus determinavit, ut 4. Phys. text. 101. dicens, quod tempus est numerus numeratus, & text. 130. &c. ubi tempus passionem primi motus dicit. Sciebat enim, & quod ævum est simplicius tempore, sicut etiam esse mensuratum ab ævo est simplicius ipso esse mensurato a tempore. (De hoc vide appendicem artic. quinti) & quod ævum est propinquius æternitati, quæ maxime una est. Unde tum ad tempus, tum ad æternitatem respiciendo, unum ævum tantum tunc inveniri virtualiter insinuare voluit, quando tempus esse tantum unum expresse decrevit. Secundo vides: quomodo &c.

QUESTIO UNDECIMA.

De unitate Dei,

In quatuor articulos divisa.

Post premissa, considerandum est de divina unitate: & circa hoc queruntur quatuor.

Primo, utrum unum addat aliquid supra ens.

Secundo, utrum opponantur, unum, & multa.

Tertio, utrum Deus sit unus.

Quarto, utrum sit maxime unus.

ARTICULUS I.

51

Utrum unum addat aliquid supra ens.

I. dist. xxiv. quest. iv. art. 3. & III. contr. cap. xxxxxiii. & ver. quest. viii. art. 2.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod unum addat aliquid supra ens. Omne enim quod est in aliquo genere determinato, se habet ex additione ad ens, quod circuit omnia genera. Sed unum est in genere determinato: est enim principium numeri, qui est

(1) Colligitur ex libro I. periarchon (sou ἀρχὴ) id est de principiis, ut cap. 8. videre est. Appendix autem Dionysii non ex cap. 10. tantum sed etiam ex 4. colligitur.
 (2) Nempe text. 4. ut jam supra indicatum est.
 (3) Non sicut prius quæst. 50. art. 4. sed qu. 47. art. 2.
 (4) Sic Philosophus lib. I. de cœlo & mundo text.

100. Hoc nomen, inquit (ævi vel ævōs) divine ab antiquis appellatum est: Finis enim qui tempus vita uniuscujusque complectitur, eius nihil est extra secundum naturam, ævum uniuscujusque nominatur: Quamvis & ibi significat in semiperennis magis proprie dici ævum, quasi ab eo quod est semper (αἰ) sic a Græcis vocatum: Et sic etiam passim in Scriptura.

est species (*) quantitatis. Ergo unum addit aliquid supra ens.

2. Præterea. Quod dividit aliquid communis, se habet ex additione ad illud. Sed ens dividitur per unum, & multa (1). Ergo unum addit aliquid supra ens.

3. Præterea. Si unum non addit supra ens, idem esset dicere unum, & ens. Sed nugatorie dicitur: ens, ens. Ergo nugatio esset dicere, ens unum, quod falso est. Addit igitur unum supra ens.

Sed contra est quod dicit Dionysius ult. cap. de div. Nom. (non procul a princ. lect. 1.) *Nihil est existentium non participans uno* (2): quod non esset, si unum adderetur supra ens, quod contraheret ipsum. Ergo unum non habet se ex additione ad ens.

Respondeo dicendum, quod unum non addit supra ens rem aliquam, sed tantum negationem divisionis. Unum enim nihil aliud significat quam ens indivisum. Et ex hoc ipso apparet quod unum convertitur cum ente (3). Nam omne ens aut est simplex, aut compositum. Quod autem est simplex, est indivisum & actu, & potentia. Quod autem est compositum, non habet esse, quamdiu partes ejus sunt divisæ, sed postquam confluunt, & componunt ipsum compositum. Unde manifestum est quod esse cujuslibet rei consistit in indivisione: & inde est quod unumquodque sicut custodit suum esse, ita custodit suam unitatem.

Ad primum igitur dicendum, quod quidam purantes idem esse unum quod convertitur cum ente, & quod est principium numeri, divisi sunt in contrarias positiones. Pythagoras enim, & Plato videntes (4), quod unum quod convertitur cum ente, non addit aliquam rem supra ens, sed significat substantiam entis, prout est indivisa, existimaverunt, sic se habere de uno quod est principium numeri. Et quia numerus com-

ponitur ex unitatibus, crediderunt, quod numeri essent substantiae omnium rerum. E contrario autem Avicenna considerans, quod unum quod est principium numeri, addit aliquam rem supra substantiam entis (alias numerus ex unitatibus compositus non esset species quantitatis) creditit, quod unum quod convertitur cum ente, addat rem aliquam super substantiam entis, sicut album supra hominem. Sed hoc manifeste falso est; quia qualibet res est una per suam substantiam. Si enim per aliquid aliud esset una qualibet res, cum illud iterum sit unum, si esset iterum unum per aliquid aliud, esset abire in infinitum. Unde standum est in primo. Sic igitur dicendum est, quod unum quod convertitur cum ente, non addit aliquam rem supra ens, sed unum quod est principium numeri, addit aliquid supra ens ad genus quantitatis pertinens.

Ad secundum dicendum, quod nihil prohibet id quod est uno modo divisum, esse alio modo indivisum; sicut quod est divisum numero, est indivisum secundum speciem: & sic contingit aliquid esse uno modo unum, alio modo multa (5). Sed tamen si sit indivisum simpliciter, vel quia est indivisum secundum id quod pertinet ad essentiam rei; licet sit divisum quantum ad ea quæ sunt extra essentiam rei, sicut quod est unum subiecto, & multa secundum accidentia; vel quia est indivisum in actu, & divisum in potentia, sicut quod est unum toto, & multa secundum partes: hujusmodi erit unum simpliciter, & multa secundum quid. Si vero aliquid e converso sit indivisum secundum quid, & divisum simpliciter, utpote quia est divisum secundum essentiam, & indivisum secundum rationem, vel secundum principium, sive causam; (**) inerunt multa simpliciter, & unum secundum quid; (***) ut quæ sunt multa numero, & unum specie, vel unum prin-

(*) Rom. edit. specie.

(1) Quia unum & multa opponuntur, nec simul stare possunt, ex 1. Phys. text. 17. ac deinceps; & ex 4. Metaph. text. 4.

(2) Vel ex greco μόνον τὸν ὅρον αὐτούχον τὸν, nihil eorum que sunt, imparteceps unus, &c.

(3) Seu aequa late patet ac ens, ut ex uno aliud per mutuam consequentiam inferatur; nimis quod h̄ est ens, est unum; & viceversa, quod si est unum, est ens.

(4) Ut videre est 1. Metaph. text. 3. sive cap. 3. ubi Pythagorici duo constituisse principia dicuntur; scilicet infinitum & unum; adeoque numerum ipsum substantiam omnium definitum: licetque text. 6, sive

cap. 6. ubi dicuntur quoque Pythagorici censuisse quod imitationes numerorum omnia sine ensis: Platō autem quod participatione numerorum solo nomine immunitato; nempe μηδέτες hoc est imitatione propterēgo hoc est participatione, ut exprimitur ibi..

(5) Quod ergo præmissum est ex 1. Physicorum unum & multa simul stare non posse in eodem, ut ipsum nempe simul unum sit & sit multa, intelligi debere patet secundum idem vel secundum esdem rationem; sicut etiam contraria vel opposita qualia cumque in eodem secundum idem signi esse non possunt.

(**) Ali. erit, forse melius.

(***) Ali. & quæ.

principio. Sic igitur ens dividitur per unum, & multa, quasi per unum simpliciter, & multa secundum quid. Nam & ipsa multitudo non contineretur sub ente, nisi contineretur aliquo modo sub uno. Dicit enim Dionysius ult. de div. Nom. (lect. 1.) quod non est multitudo non participans uno. Sed quæ sunt multa partibus, sunt unum toto; & quæ sunt multa accidentibus, sunt unum subjecto; & quæ sunt multa numero (!), sunt unum specie, & quæ sunt speciebus multa sunt unum genere; & quæ sunt multa processibus, sunt unum principio.

Ad tertium dicendum, quod ideo non est nugatio, cum dicitur ens unum, quia unum addit aliquid secundum rationem supra ens.

A P P E N D I X.

EX articul. habes *primo*: quomodo per rationem offendas, recte a philosopho esse dictum 10. *Metaphys. tex. 8.* Ens, & unum significant eamdem essentiam, sed differunt secundum modum. Item ibidem. Ens, & unum non significant idem omnibus modis, sed significant idem secundum subjectum, & diversa secundum modum. Secundo vides: quomodo, &c.

A R T I C U L U S II. 52

Utrum unum, & multa opponantur.

i. dist. XXIV. quest. 1. artic. 3. ad 4. & X.
Met. lect. IV.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod unum, & multa non opponantur. Nullum enim oppositum praedicatur de suo opposito. Sed omnis multitudo est quoddammodo unum, ut ex praedictis patet (artic. præc.) Ergo unum non opponitur multitudini.

2. Præterea. Nullum oppositum constituitur ex suo opposito. Sed unum constituit multitudinem. Ergo non opponitur multitudini.

3. Præterea. Unum uni est oppositum (2).
Sum. S.Thom.T.I.

(1) *Vel visusibus quoque id est possestibus [τῷ ἀνθρῷ οὐ ταῦ διαπεπτί] quod in quibusdam Exemplaribus omittitur.*

(2) Non formaliter prout unum, vel formaliter prout uni, sed eo sensu quod una res non opponatur nisi cuidam uni rei; vel non habeat plura quibus opposita sit, &c.

(3) *Desit hoc argumentum. Sed contra in MSS. Alcan.*

(4) Per oppositum ad id quod in libro de interpretatione (seu *rep. òpuncias.*) cap. 13. prope finem dicuntur ea non esse opposita in quorum rationibus

Sed multo opponitur paucum. Ergo non opponitur ei unum.

4. Præterea. Si unum opponitur multitudini, opponitur ei sicut indivisum diviso, & sic opponitur ei ut privatio habitui. Hoc autem videtur inconveniens: quia sequeretur quod unum sit posterius multitudine, & definiatur per eam, cum tamen multitudino definiatur per unum. Unde erit circulus in definitione: quod est inconveniens. Non ergo unum, & multa sunt opposita.

(*) Sed contra. Quorum rationes sunt opposita, ipsa sunt opposita (3). Sed ratio unius conficit in indivisibilitate, ratio vero multitudinis divisionem continet. Ergo unum, & multa sunt opposita.

Respondeo dicendum, quod unum opponitur multis, sed diversimode. Nam unum quod est principium numeri, opponitur multitudini, quæ est numerus, ut mensura mensurato. Unum enim habet rationem primæ mensuræ, & numerus est multitudo mensurata per unum, ut patet ex X. Met. (text. 2.) Unum vero quod convertitur cum ente, opponitur multitudini per modum privationis, ut indivisum diviso.

Ad primum ergo dicendum, quod nulla privatio tollit totaliter esse, quia privatio est *negatio in subjecto*, secundum Philosophum (rum in Postpredicamentis cap. de oppositis text. 4. rum in IV. Metaph. sex. eod.) (4) Sed tamen omnis privatio tollit aliquod esse: & ideo in ente ratione suæ communis accidentit quod privatio entis fundatur in ente: quod non accedit in privationibus formarum (**) specialium, ut visus, vel albedinis, vel alicujus hujusmodi. Et sicut est de ente, ita est de uno, & bono, quæ convertuntur cum ente. Nam privatio boni fundatur in aliquo bono, & similiter remissio unitatis fundatur in aliquo uno. Et exinde contingit quod multitudo est quoddam unum, & malum est quoddam bonum, & non ens est quoddam ens. Non tamen oppositum praedicatur de opposito, quia alter-

L rum

nulla contrarieas inest; id est in quorum definitionibus ut in Editione sua prima super hunc librum Boetius explicat.

(4) Colligitur ex libro 4. Metaph. text. 4. vel cap. 2., & ex categoriis cap. de oppositis; ubi privationem sic a negatione distinguit, quia nullum subiectum determinat vel significat negatio (puta non videns quod cuilibet potest convenire) sed privatio determinat aliquod, puta *cæcus*, quod ei tantum tribui potest qui est subiectum *capax* visionis qua *tamen caret*.

(**) *Iste eodd. Alcan. & Torrac. Ali. spiritualium.*

rum horum est simpliciter, & alterum secundum quid: quod enim secundum quid est ens (ut in potentia) est non ens simpliciter, idest actu; vel quod est ens simpliciter in genere substantiae, est non ens secundum quid, quantum ad aliquod esse accidentale. Similiter ergo quod est bonum secundum quid, est malum simpliciter, vel e converso; & similiter, quod est unum simpliciter, est multa secundum quid, & e converso.

Ad secundum dicendum, quod duplex est totum: quoddam homogeneum, quod componitur ex similibus partibus (1); quoddam vero heterogeneum, quod componitur ex dissimilibus partibus. In quolibet autem toto homogeneo totum constituitur ex partibus habentibus formam totius, sicut quilibet pars aquae est aqua; & talis est constitutio continui ex suis partibus. In quolibet autem toto heterogeneo quilibet pars caret forma totius: nulla enim pars dominus est dominus, nec aliqua pars hominis est homo. Et tale totum est multitudo. In quantum ergo pars ejus non habet formam multitudinis, componitur multitudo ex unitatisbus, sicut dominus ex non dominibus, non quod unitates constituent multitudinem secundum id quod habent de ratione individuationis, prout opponuntur multitudini, sed secundum hoc quod habent de entitate; sicut & partes dominus constituunt dominum per hoc quod sunt quoddam corpora, non per hoc quod sunt non dominus.

Ad tertium dicendum, quod multum accipitur dupliciter: uno modo absolute, & sic opponitur uni; alio modo secundum quod importat excessum querndam, & sic opponitur paucu: unde primo modo duo sunt multa, non autem secundo.

Ad quartum dicendum, quod unum opponitur privative multis, inquantum in ratione multorum est quod sint divisia.

Unde oportet quod divisio sit prius unitate non simpliciter, sed secundum rationem nostrae apprehensionis. Apprehendimus enim simplicia per composita: unde definitus

ART. II. & III.

punctum, cuius pars non est (2), vel principium lineæ. Sed multitudo etiam secundum rationem consequenter se habet ad unum: quia divisa non intelligimus habere rationem multitudinis, nisi per hoc quod utriusque divisorum attribuimus unitatem. Unde unum ponitur in definitione multitudinis, non autem multitudo in definitione unius. Sed divisio cadit in intellectu ex ipsa negatione entis, ita quod primo cadit in intellectu ens; secundo quod hoc ens non est illud ens, & sic secundo apprehendimus divisionem; tertio unum; quarto multitudinem.

APPENDIX.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem demonstrares, recte philosophum dixisse, 4. Metaph. text. 4. Unum opponitur multa, idem diverso, simile dissimili, aequale inequali. Item ibidem. Unum significat aut negationem multitudinis, aut privationem absolutam. Secundo vides: quomodo &c.

ARTICULUS III. 53

Utrum Deus sit unus.

Infra q. IIII. artic. 3. & I. dist. II. artic. 1. & dist. XXIV. quest. I. artic. 1. & I. cont. cap. XIII. & po. quest. IIII. artic. 6. & opusc. II. cap. XII. & XV. Metaph. fin.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod Deus non sit unus. Dicitur enim I. ad Corinth. VIII. 5. *Siquidem sunt dii multi, & domini multi.*

2. Præterea. Unum quod est principium numeri, non potest prædicari de Deo, cum nulla quantitas de Deo prædicetur; similiter nec unum quod convertitur cum ente, quia importat privationem, & omnis privatio imperfictio est, quæ Deo non competit. Non est igitur dicendum, quod Deus sit unus.

Sed contra est quod dicitur Deuteronom. VI. 4. *Audi Israel, Dominus Deus noster Deus unus est* (3).

Re-

(1) Non quovis modo similibus quoad homogenum; vel quovis modo dissimilibus quoad heterogenum; sed ejusdem generis quondam primum, diversum autem quoad secundum; ut græca vox propriæ significat: Nec genus ibi pro genere proprie dicto accipitur quod opponitur speciei, sed pro specie quoque ipsa, quasi ejusdem vel diversa naturæ; (sive genericæ seu specificæ) ut in exemplo aquæ patet, cuius para-

est ejusdem nature specificæ cuius toto, &c.

(2) Quæ nimurum est aliiquid penitus indivisibile ut lib. 6. Physic. text. 90. assumitur ad ostendendum quod moveri non possit: Principium autem lineæ nominatum dicitur a Platone I. Metaph. text. 43. vel c. 6.

(3) Vei Dominus unus est, in Vulgata etiæ nō posse græce vers. 4. Sed perinde est, cum sit Dominus quia Deus.

Respondeo dicendum , quod Deum esse unum , ex tribus demonstratur . Primo quidem ex ejus simplicitate . Manifestum est enim quod illud , unde aliquid singulare est hoc aliquid , nullo modo est multis communicabile (1) . Illud enim unde Sortes est homo , multis communicari potest ; sed id unde est hic homo , non potest communicari nisi uni tantum . Si ergo Sortes per id esset homo per quod est hic homo , sicut non possunt esse plures Sortes , ita non possent esse plures homines . Hoc autem convenit Deo : nam ipse Deus est sua natura , ut supra ostensum est (quæst . 111. art . 3.) Secundum igitur idem est Deus , & hic Deus (2) . Impossibile est igitur esse plures deos .

Secundo vero ex infinite ejus perfectio- nis . Ostensum est enim supra (quæst . 1v. art . 2.) quod Deus comprehendit in se totam perfectionem essendi . Si ergo essent plures dii , oporteret eos differre . Aliquid ergo conveniret uni quod non alteri (*) . Si autem hoc esset , perfectio alteri eorum decesset ; & sic ille in quo esset privatio , non esset simpliciter perfectus (3) . Impossibile est ergo esse plures deos . Unde & antiqui Philolophi quasi ab ipsa coacti veritate ponentes principium infinitum , posuerunt unum tantum principium (4) .

Tertio ab unitate mundi . Omnia enim quæ sunt , inveniuntur esse ordinata ad invicem , dum quædam quibusdam deser- viunt . Quæ autem diversa sunt , in unum ordinem non convenient , nisi ab aliquo uno ordinarentur . Melius enim multa reducuntur in unum ordinem per unum quam per multa : quia per se unius unum est causa , & multa non sunt causa unius nisi per accidens , inquantum scilicet sunt aliquo modo unum . Cum igitur illud quod est pri- mum , sit perfectissimum , & per se , non per accidens ; oportet quod primum reducens

omnia in unum ordinem sit unum tantum . Et hoc est Deus .

Ad primum ergo dicendum , quod dicun- tur dii multi secundum errorem quorundam , qui multos deos colebant , existimantes planetas , & alias stellas esse deos , vel etiam singulas partes mundi . Unde subdit ibid . Apostolus : *Nobis autem unus Deus &c.*

Ad secundum dicendum , quod unum , se- cundum quod est principium numeri , non prædicator de Deo , sed solum de his quæ habent esse in materia . Unum enim quod est principium numeri , est de genere ma- thematicorum , quæ habent esse in mate- ria , sed sunt secundum rationem a materia abstracta . Unum vero quod convertitur cum ente , est quoddam metaphysicum , quod se- cundum esse non dependet a materia . Et licet in Deo non sit aliqua privatio , tamen secundum modum apprehensionis nostræ non cognoscitur a nobis nisi per modum privationis , & remotionis . Et sic nihil prohibet aliqua privative dicta de Deo prædicari , sicut quod est incorporeus , infinitus : & si- militer de Deo dicitur , quod sit unus .

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo : quomodo per ra- tionem evellas hærefes *Petri Statorii* , *Gnosticorum* , & *Manicheorum* dicentium , Deum non unum , sed tres esse Deos , Deos esse duos . Secundo habes : quomodo per rationem osten- das , has merito damnari a Concilio Niceno in symbolo , seu confessione fidei . *Credimus in unum Deum* . Item ab omnibus aliis Con- ciliis sequentibus & de hac re tractantibus , quoniam omnia in fide convenient cum sy- nodo Nicena . Item specialiter a Papa In- nocen. III. in Concilio *Lateranensi* . Extra de sum. Trin. & fid. Cathol. *Firmiter credi- mus* , & *simpliciter confitemur* , quod unus solus

L 2

est ve-

(1) Non diffamilis ratiocinatio Richardi Victorini lib. 1. de Trin. cap. 17. nisi quod contractior hic & clarior .

(2) An hinc porro inferri possit absolute subsisten- tia ? Suo loco dicetur .

(*) *Al.* Et sic ille in quo esset privatio , non es- set simpliciter perfectus . Si autem hoc esset , perfectio alteri eorum decesset . MSS. Camer. & Al- cass. Et si hoc esset privatio , non esset simpliciter perfectus ; si autem hoc esset , perfectio alteri eorum decesset .

(3) Sic etiam Tertullianus lib. 1. adversus Mar- tionem cap. 5.

(4) Quia scilicet aquam , ignem , terram , & simi- lia principia qua ab aliis assignata fuerant , insuffi- ciencia existimantes , nec volentes rem tantam com- mittere casui vel fortunæ . principium aliud quæsie- runt ; ut insinuat Aristoteles lib. 1. Metaph. cap. 3. ubi addit quod ille qui mundi causam putavit esse intellectum (nempe Anaxagoras) quasi fabrius ap- paruisse ad vaniloquos comparasse . Adde Platonem in Timæo de uno Deo sic loquentem : Et Pythagoræ apud Clementem Alexandrinum in Protrepticis : *Deus (inquit) unus est omnium potest , mens mun- di , &c.*

est verus Deus. Item a regulis fidei, traditis in lib. Aug. de fide ad Petrum cap. 1. firmissime sente, & nullatenus dubites, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum unum esse naturaliter Deum, in cuius nomine baptizati sumus. Cum enim aliud nomen sit Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus, hoc est usque unum naturae nomen horum trium, quod dicitur Deus: Qui dicit in Deuteronomio, videte, quoniam ego sum Deus, & non est alius preter me, & de quo dicitur. Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est, & Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies, Hæc ibi. Item ab Ecclesia in Decretis 24. qu. 3. Quidam. Ibi recensita prædicta hæresi de pluralitate Deorum, cum multis aliis, postremo ait. Ha sunt hereses adversus catholicam fidem exorte, & ab Apostolis, & a sanctis patribus, vel Conciliis damnatae, que licet in se multis erroribus divisa invicem sibi diffariant, communis tamen nomine adversus Ecclesiam Dei conspirant. Sed & quicumque aliter scripturam sacrae scripturam intelligit, quam sensus Spiritus sancti flagitat, quo conscripta est, licet de Ecclesia non recesserit, tamen hereticus appellari potest. Hæc ibi. Subiuncta verba, a ly sed & quicumque &c. dicuntur, ad ostendendum, quod non debemus attendere ad authoritates scripturarum adductas ab hereticis, nisi adducantur in sensu Spiritus sancti donato Ecclesiæ sanctæ Apostolicæ Romanæ. Veniunt enim ad nos plerunque in vestimentis ovium, cum interiori tamen corde lupino, & ideo per illa verba in tali casu contra illos reddimur cauti. Tertio vides: &c.

ARTICULUS IV. 54

Utrum Deus sit maxime unus.

*Inf. quest. xviii. art. 3. cor. & quest. xxxviii.
artic. 3. cor.*

AD quartum sic proceditur. Videtur quod Deus non sit maxime unus. Unum enim dicitur secundum privationem divisionis.

(1) Id est quod neque dividitur neque dividi potest. quia simpliciter partibus caret, ut de puncto dictum est, & evidenter patet de unitate.

(2) Al. Boetius.

(2) Non Boetius, ut prius: qui tantum habet lib. 1. de Tria. illud quod cap. 4. citat ipse Bernardus (ubi supra) hoc esse vere unum in quo nullus

Sed privatio non recipit magis, & minus. Ergo Deus non dicitur magis unus quam alia quæ sunt unum.

2. Præterea. Nihil videtur esse magis indivisibile quam id quod est indivisibile actu, & potentia (1), cujusmodi est punctus, & unitas. Sed intentum dicitur aliquid magis unum, in quantum est indivisibile. Ergo Deus non est magis unum quam unitas, & punctus.

3. Præterea. Quod est per essentiam bonum, est maxime bonum. Ergo quod est per essentiam suam unum, est maxime unum. Sed omne ens est unum per suam essentiam, ut patet per Philosophum in IV. Metaph. (tex. 3.) Ergo omne ens est maxime unum: Deus igitur nou est magis unum quam alia entia.

Sed contra est quod dicit (2) Bernardus (Lib. V. de confid. cap. viii. in fin.) (2) quod inter omnia que unum dicuntur, arcens tenet unitas divine Trinitatis.

Respondeo dicendum, quod cum unum sit ens indivisum, ad hoc quod aliquid sit maxime unum, oportet quod sit & maxime ens, & maxime indivisum. Utrumque autem competit Deo. Est enim maxime ens, in quantum est non habens aliquid esse determinatum per aliquam naturam, cui adveniat; sed est ipsum esse subsistens omnibus modis indeterminatum. Est autem maxime indivisum, in quantum neque dividitur actu, neque potentia secundum quemcumque modum divisionis, cum sit omnibus modis simplex, ut supra ostensum est (quæst. iii. art. 7.) Unde manifestum est quod Deus est maxime unus.

Ad primum ergo dicendum, quod licet privatio secundum se non recipiat magis & minus, tamen secundum quod ejus oppositum recipit magis & minus, etiam ipsa privativa dicuntur secundum magis & minus. Secundum igitur quod aliquid est magis divisum, vel divisibile, vel minus, vel nullo modo, secundum hoc aliquid dicitur magis, & minus, vel maxime unum (3).

Ad secundum dicendum, quod punctus, & uni-

numerus est, nullum aliud praeterquam id quod est: Et inferius: *Ubi nulla differentia, nulla ibi est omnia no pluralitas: Igitur unitas tantum.*

(3) Quidni ergo maxime unus Deus, quia maxime indivisus? Hinc in Prologo catechetice orationis magnæ Gregorius Nyssenus; *Quæ per omnia, [inquit] est identitas, ad id quod unum est fidem re-* digitur

& unitas, (*) quæ est principium numeri, non sunt maxime entia, cum non habeant esse nisi in subjecto aliquo. Unde neutrum eorum est maxime unum. Sicut enim subjectum non est maxime unum propter diversitatem accidentis, & subjecti, ita nec accidens.

Ad tertium dicendum, quod licet omnēs sit unum per suam substantiam, non tamen se habet æqualiter substantia cujuslibet ad causandum unitatem: quia substantia quorundam est ex multis composita, quorumdam vero non.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem confundas errorem falsissimum cuiusdam Petri de Alyaco (ut refert Pater Bannes hic) in 1. dist. 5. qu. 5. ad primum, contra tertiam conclusionem dicentis, quod persona divina est magis una, quam natura divina. Nam S. Th. per ly Deus, intelligit naturam divinam, quoniam hoc nomen Deus est nomen naturæ, ut dicit Innoc. supra art. 3. in appendice recitatus, & probatur infra q. 13. art. 8. Determinans ergo, quod Deus est maxime unus, determinasse voluit, quod natura divina est maxime una, supra maximum autem non datur majus: ex consequenti tamquam determinatum reliquit, quod persona divina non est magis una, quam natura divina. Nec mihi dicas, quod natura divina hic maxime determinatur una per comparationem ad res creatas, non ad personam divinam, quoniam hæc fuga est. Licet enim per comparationem ad res creatas natura illa sit maxime una, tamen hic determinatur, quod est maxime una simpliciter & absolute, ut probationem conclusionis penetranti patet. Ex eo autem, quod absolute maxime una est, sequitur postea, quod etiam per comparationem ad res creatas sit maxime una. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, prædictum errorem intelligi damnatum suisfe extra de sum. Trini. & fid. Cath. fir-

mier credimus, & simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus &c. tres quidem persone, sed una essentia, substantia, seu natura, simplex omnino, & infra in cap. Damnamus, inquit idem Papa in Concilio, credimus, & confitemur, quod una quedam summa res est incomprehensibilis, que veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, tres simul persone, ac singillatim quelibet eorumdem, & ideo in Deo solummodo trinitas est, non quaternitas, quia quelibet trium personarum est illæ res, videlicet substantia, essentia, seu natura divina &c. & infra: Ac dici non potest, quod partem substantie sue illi dederit, & partem sibi retinuerit, cum substantia patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino. Hæc ibi. Audis, naturam divinam esse simplicem omnino, ac per hoc indivisibilem omnino, ac per hoc unam omnino? Si indivisibilis est omnino: ergo secundum Papæ definitionem, non est divisibilis aliquo modo, & tamen Petrus ille de Alyaco ibi subdebat, quoniam, inquisiens, natura divina est communicabilis multis, & aliquo modo divisibilis. At Papa in capitulis illis concedit, quod est communicabilis multis, scilicet Patri, & Filio, & Spiritui sancto, sed negat, quod per hoc sit divisibilis aliquo modo, dicens, est indivisibilis utpote simplex omnino, id est indivisibilis, quia simplex, indivisibilis omnino, quia simplex omnino. Poterat enim esse indivisibilis, quia simplex, etiam quod non adderetur ly omnino, ut patet de multis indivisibilibus creatis: sed non esset indivisibilis omnino, nisi esset simplex omnino. Voluit ergo ad littaram planam definire, sicut & definitivit, quod natura divina eo modo est indivisibilis, quo simplex, & consequenter, quod est indivisibilis omnino, quia simplex omnino. Ecce ostensum a summo Pontifice, quod neganda est illa consequentia. Natura divina communicabilis est personis, ergo est divisibilis aliquo modo. Negandam ergo per hoc docuit & istam. Est communicabilis; ergo non est omnino una. Ergo & negare docuit istam. Persona divina est incommunicabilis, ergo est magis indivisibilis, seu (quod idem est)

digit: Unde pluralitatem Deorum necessario tolli nec stare posse insert; Hinc & Athanasius orat. contra Gentes idem esse vult pluralitatem Deorum admittere τριάδες τριάτα] & admittere divinisatis nullitatem [αδεστρα. Sicut & lib. 1. contra Marcionem Tertullianus: Deus si non unus est (inquit) non est: Quia dignitus eridimus non esse, quodcumque non sit fuerit ut esse debet: Deum sicutus ut

seias unum esse debere, quare quid sit Deus, & non aliter invenies: Nimirum summum magnum, quod unicum sit necesse est per non habendo, ne non sit summum magnum; ut cap. 3. plenius habet.

(*) Ica cod. Alcan. cum editis plurimi. Duaces vero & Lovanienses legunt ex Cicer. que sunt principia quantitatis.

est) magis una , quam natura . Cœterum deceptus est iste in hoc , quod communicabilitatem credidit importare aliquam diuisibilitatem . Hoc tamen falsissimum est . Nam divisionis nomen vitamus in divinis , ne favere Arrio videamus . q. 31. art. 2. cum tamen communicabilitatis nomine convenienter utamur . q. 27. art. 3. ad secundum : Deinde , si persona magis una esset , quam natura , videretur ponи quaternitas in divinis , contra prædictam Ecclesiaz definitiōnem . Quomodo enim quælibet personarum esset natura illa , & natura illa esset quælibet personarum , ut supra dicit Ecclesia , si persona divina esset magis una , quam natura ? Notanda quoque sunt illa verba Conciliū dicentis , firmiter , &c. quod unus solus est verne Deus . Nam dixit ly solus , non ad committendum nagationem , quæ committeretur , si ly solus esset idem , quod ly unus . Neque ad denotandum , quod sit solitarius , cum & nomine solitarii non utamur in divinis contra Sabellium . q. 31. art. 2. & mox consortium personarum esse ibi subiungat . Sed ad ostendendum , quod unitas divine naturæ est sola , idest excedit omnem aliam unitatem intantum , ut respectu hujus unitatis nulla alia unitas reperiatur videatur , & consequenter , quod est maxime una , quinimo maxime incomprehensibiliter una . Idcirco post ly unus solus , subiungit Papa ly incomprehensibilis . Vide etiam recte , quid significent Ecclesiaz in officio sanctissimæ Trinitatis verba hæc : *Gratias tibi Deus , vera , & una trinitas , una , & summa deitas , sancta , & una unitas , omnia hæc visa , præsertim ly una unitas , bene applica contra prædictum errorem : Tertio vides : quomodo , &c.*

Q U E S T I O D U O D E C I M A.

Quomodo Deus a nobis cognoscatur ,

In tredecim articulos divisa .

Quia in superioribus consideravimus , qualiter Deus sit secundum seipsum , restat considerandum , qualiter sit in cognitione nostra , idest quomodo cognoscatur a creaturis : & circa hoc queruntur tredecim .

Primo , utrum aliquis intellectus creatus possit videre essentiam Dei .

Secundo , utrum Dei essentia videatur ab intellectu per aliquam speciem creatam .

Tertio , utrum oculo corporeo Dei essentia possit videri .

Quarto , utrum aliqua substantia intellectus creata ex suis naturalibus sufficiens sit videre Dei essentiam .

Quinto , utrum intellectus creatus ad vindicandum Dei essentiam indigeat aliquo lumine creato .

Sexto , utrum videntium essentiam Dei unius alio perfectius videat .

Septimo , utrum aliquis intellectus creatus possit comprehendere Dei essentiam .

Octavo , utrum intellectus creatus videns Dei essentiam , omnia in ipsa cognoscat .

Nono , utrum ea quæ ibi cognoscit , per alias similitudines cognoscat .

Decimo , utrum simul cognoscat omnia quæ in Deo videt .

Undecimo , utrum in statu hujus vitæ possit aliquis homo essentiam Dei videre .

Duodecimo , utrum per rationem naturalē Deum in hac vita possimus cognoscere .

Tertiodecimo , utrum supra cognitionem naturalis rationis sit in præsenti vita aliqua cognitio Dei per gratiam .

A R T I C U L U S I.

55

Utrum aliquis intellectus creatus possit Deum videre per essentiam .

1. z. quest. VI. art. 1. cor. & quest. XCII. art. 2. cor. & III. cont. cap. li. liv. & LVII. & ver. quest. VIII. art. 1. & quol. 7. art. 2. & opusc. II. cap. CV.

AD primum sic proceditur . Videtur quod nullus intellectus creatus possit Deum per essentiam videre . Chrysostomus enim super Joan . (hom. XIV. aliquantul. a princip.) exponens illud quod dicitur Joan . 1. *Deum nemo vidit umquam* , sic dicit : *Ipsum quod est Deus , non solum Prophete , sed nec Angeli viderunt , nec Archangeli . Quid enim creabilis est naturæ , qualiter videre poterit quod incribile est ?* Dionysius etiam in 1. cap. de div. Nomin . (a med. illius lect. 3.) loquens de Deo dicit : *Neque sensus est ejus , neque phantasia , neque opinio , nec ratio , nec scientia .*

2. Præterea . Omne infinitum , inquantum hujusmodi , est ignotum . Sed Deus est infinitus , ut supra ostensum est (quest. viii. art. 1.) ergo secundum se est ignotus .

3. Præterea . Intellectus creatus non est cognoscitivus nisi existentium . Primum enim quod

quod cadit in apprehensione intellectus, est ens. Sed Deus non est existens, sed supra existentia, ut dicit Dionysius (cap. 1. & 11. de div. Nom.) (1) Ergo non est intelligibilis, sed est supra omnem intellectum.

4. Præterea. Cognoscens ad cognitionem oportet esse aliquam proportionem, cum cognitum sit perfectio cognoscens. Sed nulla est proportio intellectus creatus ad Deum, quia in infinitum distant. Ergo intellectus creatus non potest videre essentiam Dei.

Sed contra est quod dicitur I. Joan. 111. 2. *Videbimus eum sicuti est* (2).

Respondeo dicendum, quod cum unumquodque sit cognoscibile, secundum quod est in actu, Deus, qui est actus purus absque omni permixione potentiarum, quantum in se est, maxime cognoscibilis est. Sed quod est maxime cognoscibile in se, alicui intellectui cognoscibile non est, propter excessum intelligibilis supra intellectum; sicut Sol, qui est maxime visibilis, videri non potest a vespertilio propter excessum luminis.

Hoc igitur attendentes quidam (3) posseunt, quod nullus intellectus creatus essentiam Dei videre potest.

Sed hoc inconvenienter dicitur. Cum enim ultima hominis beatitudo in altissima ejus operatione consistat, quæ est operatio intellectus; si numquam essentiam Dei videre potest intellectus creatus, vel numquam beatitudinem obtinebit, vel in alio ejus beatitudo consistet quam in Deo: quod est alienum a fide (4). In ipso enim est ultima perfectio rationalis creaturæ, quod est ei principium essendi: intantum enim unumquodque perfectum est, inquantum ad suum principium attingit. Similiter etiam est præter rationem. Inest enim homini naturale desiderium cognoscendi causam, cum intueatur effectum; & ex hoc admiratio in hominibus confurgit. Si igitur intellectus rationalis creaturæ pertingere non possit ad pri-

mam causam rerum, remanebit inane desiderium naturæ.

Unde simpliciter concedendum est, quod beati Dei essentiam videant.

Ad primum ergo dicendum, quod utraque authoritas loquitur de visione comprehensionis. Unde præmittit Dionysius (cit. cap. in arg.) immediate ante verba proposita dicens, *Omnibus ipse est universaliter incomprehensibilis;* & nec sensus est &c. & Chrysostomus (eadem hom. xiv. parum ante med.) parum post verba prædicta subdit (5): *Visionem hic dicit certissimam Patris considerationem, & comprehensionem sanctam, quantum Pater habet de Filio.*

Ad secundum dicendum, quod infinitum quod se tenet ex parte materiæ non perfectæ per formam, ignotum est secundum se, quia omnis cognitio est per formam; sed infinitum, quod se tenet ex parte formæ non limitata per materiam, est secundum se maxime notum. Sic autem Deus est infinitus, & non primo modo, ut ex superioribus patet (quest. viii. art. i.)

Ad tertium dicendum, quod Deus non sic dicitur non existens, quasi nullo modo sit existens; sed quia est supra omne existens, inquantum est suum esse. Unde ex hoc non sequitur quod nullo modo possit cognosci, sed quod omnem cognitionem excedat, quod est ipsum non comprehendendi.

Ad quartum dicendum, quod proportio dicitur dupliciter. Uno modo certa habitudo unius quantitatis ad alteram, secundum quod duplum, triplum, & æquale sunt species proportionis. Alio modo qualibet habitudo unius ad alterum proportio dicitur. Et sic potest esse proportio creature ad Deum, inquantum se habet ad ipsum ut effectus ad causam, & ut potentia ad actum: & secundum hoc intellectus creatus proportionatus esse potest ad cognoscendum Deum.

A P-

(1) Et cap. 3. §. 1. & expressius cap. xi. §. 6.

(2) Usurpat August. epist. 111. seu lib. de videnti Deo ad Paulinam: Ut & Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt:* Et Matth. 18. *Angeli semper videns &c.* Et 1. ad Corinth. 13. *Videbimus facie ad faciem,* &c.

(3) Sic etiam indehinc Giegerius lib. 18. Moral. cap. 28. Sed hunc errorem Abailardus & Almaricus præter Armenos renovarunt.

(4) Ergo & illud quod ex eo sequitur; ut art. 4. infra, & cont. Gent. lib. 3. cap. 50. Inconvenienter autem dici præmittit, vel quia simul rationi repugnat; vel quia nihil inconvenientius dicitur quam

quod contra fidem.

(5) Contra Eunonium & Anomœos nempe, qui se sic videre jaſt. sicut ſeipſum Deus videt: An sapienter porro Vasquez Eunonium despere ſic potuisse non arbitratuſ? Quasi non ſequitur Manichæus despuerit aut Montanus, cum ſe Spiritum sanctum uterque dixit: Non Euno vel Euno cum ſe significari dixit per ſum qui venturus eſt judicare: Non ſocius eius qui ſe in regimine mundi Deo æquavit, imo & prælulit? Et alioqui ſic Eunonium despūiſſe Theodoretus ac alii testantur paſſum: Tanti eſt Patres accuſare ut excuſetur hereticus!

APPENDIX.

EX artic. habes primo : quomodo per rationem interimas hæreles *Trinitariorum*, *Almarici*, *Arnaldistarum* dicentium. Divina essentia in se, nec ab Angelo, nec ab homine videtur, nec videbitur. Deum non videri in se, sed in creaturis, sicut lumen in aere, Deum non per essentiam videri a beatis, sed per quamdam claritatem illius essentiaz, in qua consistit beatitudo. Secundo habes : quomodo, per rationem ostendas has omnes recte damnari, a Concilio Florentino tractatu de purgatorio, sic. *Definimus illorum animas*, qui post baptismum suscepimus nullam omnino peccati maculam incurrent, illas etiam, que post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superius dictum est, sunt purgatae, in cælum mox recipi, & intueri clare ipsum Deum trinum, & unum, sicuti est. Hæc ibi. Item a Matth. 18. *Angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei*, qui in cælis est. Item a Concilio Lateranensi, Extra de summa Trin. & fid. Cathol. *Damnamus*, specialiter tota doctrina Almarici rejicitur, sic. *Reprobamus*, etiam, & *condemnamus* perversissimum dogma impii Almarici. Ubi per dogma intendit omnia dogmata, ut ex contextu sequenti, scilicet cuius doctrina &c. patet. Item ab Apoel. 22. *sedes Dei*, & *Agni in illa* (scilicet civitate cœlestis Hierusalem) erunt, & servi ejus servient illi, & videbunt faciem ejus. Vide artic. 2. appen. Tertio vides : quomodo &c.

ARTICULUS II. 56

Utrum essentia Dei ab intellectu creata per aliquam similitudinem videatur.

IV. diss. xl ix. quest. ii. art. i. & ver. quest.

VIII. artic. i. & III. cont. cap. xl ix.

& opusc. ii. cap. cv.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod essentia Dei ab intellectu creata per aliquam similitudinem videatur. Dicitur enim I. Joan. 111. 2. *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus*, & videbimus eum sicuti est.

2. Præterea. Augustinus dicit IX. de Trinitate (cap. xi. in princ.) *Cum Deum novimus, fit aliqua Dei similitudo in nobis.*

3. Præterea. Intellectus in actu est intelligibile in actu, sicut sensus in actu est sensibile in actu. Hoc autem non est, nisi in quantum informatur sensus similitudine rei sensibilis, & intellectus similitudine rei intellectus. Ergo si Deus ab intellectu creato videtur in actu, oportet quod per aliquam similitudinem videatur.

Sed contra est quod dicit Augustinus XV. de Trinitate (cap. ix. parum a med.)⁽¹⁾ quod cum Apostolus dicit : *Videmus nunc per speculum, & in enigmate; speculi, & enigmatis nomine quæcumque similitudines ab ipso significare intelligi possunt, quæ accommodata sunt ad intelligendum Deum.* Sed videre Deum per essentiam non est visio ænigmatica, vel^(*) specularis, sed contra eam dividitur. Ergo divina essentia non videtur per similitudines.

Respondeo dicendum, quod ad visionem tam sensibilem, quam intellectualem duo requiruntur, scilicet virtus visiva, & unio rei visa cum visu. Non enim fit visio in actu, nisi per hoc quod res visa quodammodo est in vidente. Et in rebus quidem corporalibus appetit quod res visa non potest esse in vidente per suam essentiam, sed solum

(1) De illis tamen similitudinibus ibi loquitur ex professo que formari a nobis possunt in hac vita. Sic enim ibi plene : *Sicut nominis speculi imaginem voluit intelligi, ita nomine enigmatis quæcumque similitudinem, tamen obscuram & ad perspicuum difficulter : Cum igitur speculi & enigmatis nomine quæcumque similitudines ab Apostolo significatae intelligenti possint quæ accommodata sunt ad intelligendum Deum eo modo quo potest, nihil tamen est accommo-*

datus quam id quod imago ejus non frustra dicitur : Nemo itaque miretur etiam in isto modo videndi qui concessus est huic vita, per speculum scilicet in enigmatis, laborare nos ut quoniamcumque videamus : Nam non quippe hic non sonaret enigmatis, si effe felicissimis visionis : Quamvis ad institutum præsens extenditur.

(*) Edis. Rom. speculatoria.

solum per suam similitudinem ; sicut similitudo lapidis est in oculo , per quam fit visio in actu , non autem ipsa substantia lapidis . Si autem esset una & eadem res quæ esset principium visivæ virtutis , & quæ esset res visa , oporteret videntem ab illa re & virtutem visivam habere , & formam per quam videret .

Manifestum est autem quod Deus & est author intellectivæ virtutis , & ab intellectu videri potest . Et cum ipsa intellectiva virtus creature non sit Dei essentia , relinquitur quod sit aliqua participativa similitudo ipsius , qui est primus intellectus . Unde & virtus intellectualis creaturæ lumen quoddam intelligibile dicitur , quasi a prima luce derivatum , sive hoc intelligatur de virtute naturali , sive de aliqua perfectione superaddita gratiæ , vel gloriæ . Requiritur ergo ad videndum Deum aliqua Dei similitudo ex parte visivæ potentiarum , qua scilicet intellectus sit efficax ad videndum Deum . Sed ex parte visu rei , quam necesse est aliquo modo uniri videnti , per nullam similitudinem creatam Dei essentia videri potest . Primo quidem quia , sicut dicit Dionysius 1. cap. de divin. Nominibus (non multum procul a princ.) per similitudines inferioris ordinis rerum nullo modo superiora possunt cognosci ; sicut per speciem corporis non potest cognosci essentia rei incorporeæ . Multo igitur minus per speciem creatam quamcumque potest essentia Dei videri . Secundo quia essentia Dei est ipsum esse ejus , ut supra ostensum est (quæst. 111. art. 4.) quod nulli formæ creatæ competere potest . Non potest igitur aliqua forma creata esse similitudo representans videnti Dei est essentiam (1) . Tertio quia divina essentia est aliquid , incircumscripsum , continens in se supereminenter quidquid potest significari , vel intelligi ab intellectu creato . Et hoc nullo modo per aliquam speciem creatam representari potest , quia omnis forma creata est determinata secundum aliquam rationem vel sapientiarum , vel virtutis , vel ipsius esse , vel alicuius hujusmodi . Unde dicere Deum per similitudinem videri , est dicere divinam essentiam non videri : quod est erroneum .

Summ. S.Th. T.I.

Dicendum ergo , quod ad videndum Dei essentiam requiritur aliqua similitudo ex parte visivæ potentiarum , scilicet lumen divinæ gloriæ confortans intellectum ad videndum Deum : de quo dicitur in Psal. xxxv. 10. *In lumine tuo videbimus lumen* . Non autem per aliquam similitudinem creatam Dei essentia videri potest , quæ ipsam divinam essentiam repræsentet ut in se est .

Ad primum ergo dicendum , quod autoritas illa loquitur de similitudine quæ est per participationem luminis gloriæ .

Ad secundum dicendum , quod Augustinus ibi loquitur de cognitione Dei quæ habetur in via .

Ad tertium dicendum , quod divina essentia est ipsum esse . Unde sicut aliæ formæ intelligibiles , quæ non sunt suum esse , uniuntur intellectui secundum aliquid esse , quo informant ipsum intellectum , & faciunt ipsum in actu , ita divina essentia unitur intellectui creato , ut intellectum in actu , per se ipsam faciens intellectum in actu .

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo : quomodo per rationem interimas hæresim quorundam (Direct. Inquis. 2. p. q. 8. Hæresi 7.) dicentium . Animarum beatarum visio , qua vident divinam essentiam , non est visio intuitiva , & facialis . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas , hanc merito damnari a scripturis 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in enigmate , tunc autem facie ad faciem* . Speculi autem , & enigmatis nomine similitudines quæcunque ab Apostolo significatae intelligi possunt , quæ nunc accommodatae sunt ad intelligendum Deum , ut inquit August. 15. de tri. c. 9. Ergo secundum Apostolum tunc videbirus Deum absqueulla media similitudine . Item a Conciliis , & Scripturis adductis supra artic. 1. Dicere enim Divinam essentiam videri per similitudinem est , ac si diceretur , essentiam divinam non videri ab intellectu creato , ut deducitur in corpore artic. Item a Papa Benedicto undecimo in Extravagante , quæ incipit , *Benedictus*

M

(1) Quid hoc ad speciem expressam ? Non sic distam (ut quidam putant) activo sensu quod expressus repræsentet , sed significatione passiva quod per medium termini sive verbi ex visione ipsa jam superposita exprimatur . Alioqui quæ antithesis ad impressum ? Non ergo rationes endera quæ impressum ex-

cludunt velut emissam ex objecto , in se aut excludentiam expressam , ex illius representatione ac visione resultantem : Quam propterea Capreolus videtur ait S. Thomæ , ac ex illo Ferrariensis refert , aliisque Thomistæ plures amplectuntur : Sed plenius haec in Selectis .

dicitus Deus in donis suis &c. de concilio fratrum suorum, diligenter præhabita discussione, dicente sic: *Hac in perpetuum valitura confusione autoritate apostolica definitum, quod Eccl. animie sanctorum omnium etiam ante resumptionem corporum suorum, & judicium generale, post ascensionem Domini nostri Jesu Christi in cælum, fuerunt, sunt, & erunt in cælo cælorum regno Eccl. ac post Domini mortem viderunt, vident, & videbunt divinam essentiam immediate so bene clare, & aperte eis ostendentem, quodque sic videntes eadem divina essentia fruuntur, quodque postquam inchoata fuerit, vel erit talis intuitiva, & facialis visio, & fructu in eisdem, ejusdem visio, & fructu sine aliqua intercitione, intermissione, seu evacuatione predictæ visionis, & fructus continuata existit, & continuabitur usque ad finale judicium, & ex tunc usque in sempiternum. Hæc ibi. Illa ergo visio est immediata, clara, aperta, intuitiva, facialis. Terro vides: quomodo &c.*

ARTICULUS III. 57

Utrum essentia Dei videri possit oculis corporalibus.

2. 2. quest. clxxv. art. 4. & IV. dist. xl. quest. 11. art. 2.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod essentia Dei videri possit oculo corporali. Dicitur enim Job xix. 26. *In carne mea video Deum Eccl. & xl. 5. Auditu auris audiri te, nunc autem oculus mens videt te* (1).

2. Præterea. Augustinus dicit ult. de civ. Dei cap. xxix. (circa med.) *Vis itaque preponitior oculorum erit illorum, scilicet glorificatorum, non ut (*) acutius videant quam quidam perhibentur videre serpentes* (2), *vel aquile*: (quoniam

ART. II. & III.

calibet enim acrimonia comandi oculum animalia vigeant, nihil aliud possunt videre quam corpora) sed ut videant & incorporalia. Quicumque autem potest videre incorporalia, potest elevari ad videndum Deum. Ergo oculus glorificatus potest videre Deum.

3. Præterea. Deus potest videri ab homine visione imaginaria. Dicitur enim Isa. vi. 1. *Vidi Dominum sedentem super solium Eccl. Sed visio imaginaria a sensu originem habet, phantasia enim est motus factus a sensu secundum actum, ut dicitur in III. de Anima (cap. iii. text. clx.) Ergo Deus sensibili visione videri potest.*

Sed contra est quod dicit Augustinus in Libro de idendo Deum ad Paulinam (cap. ix. in fin.) *Deum nemo vidi unquam vel in hac vita, sicut ipse est, vel in Angelorum vita, sicut visibilia ista quæ corporati visione cernuntur.*

Respondeo dicendum, quod impossibile est Deum videri sensu visus, vel quocumque alio sensu, aut potentia sensitivæ partis. Omnis enim potentia hujusmodi est actus corporalis organi, ut infra dicetur (art. seq. & quest. lxxviii.) Actus autem proportionatur ei cuius est actus. Unde nulla hujusmodi potentia potest se extenderet ultra corporalia. Deus autem incorporeus est, ut supra ostensum est (quest. iii. art. 1.) Unde nec imaginatione videri potest, sed solo intellectu.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur, *In carne mea video Deum Salvatorem meum*, non intelligitur quod oculo carnis sit Deum visurus, sed quod in carne existens post resurrectionem visurus sit Deum. Similiter quod dicitur, *Nunc oculus meus videt te*, intelligitur de oculo mentis; sicut Ephes. i. 17. dicit Apostolus: *Deo vobis spiritum sapientiae in agnitione ejus illuminatos oculos cordis vestri* (3).

Ad

(1) *Sive videt te, juxta græcum iæporèos.*

(2) *Al. acerius.*

(2) *Dracones portissimum qui græce inde dicti a videndo (εἶδο τὸ δέρπεν) sed & serpentes possim esse eodem sensu ab ὄφεσι seu videre: Aquias quoque velut *Acules* & ab acuto visu ita dictas ex antiquorum sensu Pierius lib. 19. cap. 21. & alii subinde notant. Quod autem subjunction arg. 3. de phantasia, paulo alter lib. 3. de anima text. 162. vel cap. 3. versus finem habetur, *Phantasia est morbus a sensu secundum actum facta* (εἶδο τὸς εἰδόθεος κατ' εἰδένεις γραμμάτων) Nisi potius γραμμάτων legendum ut κίνησι intelligatur, idest mores qui sive a sensu secundum actum, ut & ibi explicat S. Tho-*

mas & Interpretes quidam vertunt.

(3) *Sic etiam hunc & precedentem locum Augustinus explicat epist. 113. iam notata, esti cap. 21. dubius videatur an a corpore spirituali videri Deus possit; refellens tamen eos qui Deum nos per corpus visuros putant quasi & ipse corpus esset: Sed epist. 6. nullo modo videri corporeis oculis posse sine ullo tali dubio assertur, ut & alii Pagines possint; nec aliter a Christianis unquam creditum est. Hinc Origenes lib. 7. contra Celsum: *Mensura Celsus* (inquit) *dicens quod corporis oculis Deum speciem nos visuros: Non ad futurum vero sed ad praesentem statum in quo Job erat, Beda referit; ac de oculis tamen mensis & cordis intelligit.**

Ad secundum dicendum, quod Augustinus loquitur inquirendo in verbis illis, & fab conditione. Quod patet ex hoc quod (ibidem) præmittitur: *Longo itaque posteriore alterius erunt, scilicet oculi glorificati, si per eos videbitur incorporea illa natura: sed postmodum hoc determinat dicens: Valde credibile est, sic nos visuros mundana tunc corpora cœli novi, & terre nove, ut Deum ubique præsentem, & universa etiam corporalia gubernantem clarissima perspicuitate videamus; non sicut nunc invisibilis Dei per ea que facta sunt, intellecta conspicimur, sed sicut homines, inter quos viventes motusque vitales (*) exercentes vivimus, nos ne aspicimus, non credimus (**) vivere, sed videmus. Ex quo patet quod hoc modo intelligit oculos glorificatos Deum visuros, sicut nunc oculi nostri vident alicujus vitam. Vita autem non videtur oculo corporali, sicut per se visibile, sed sicut sensibile per accidens: quod quidem (***) a sensu non cognoscitur, sed statim cum sensu ab aliqua alia virtute cognoscitiva. Quod autem statim visis corporibus divina præsentia ex eis cognoscatur per intellectum, ex duobus contingit, scilicet ex perspicuitate intellectus, & ex resurgentia divinæ claritatis in corporibus innovatis.*

Ad tertium dicendum, quod in visione imaginaria non videtur Dei essentia, sed aliqua forma in imaginatione formatur, representans Deum secundum aliquem modum similitudinis, prout in Scripturis divinis divina per res sensibiles metaphorice describuntur.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo; quomodo per rationem te unice defendas ab hæresi *Vadianorum* ponentium, Deum, ut homines, habere membra, sive habere corpus. Hi suam positionem probare poterant, vel etiam probant argumentis iisdem, aut etiam similibus in cothrarium conclusionis catholicae hic adductis, dicendo, Deus oculo corporali videri potest, per authoritatem Job. 19. 42. *Augustin. Isa. 6.* &c. ergo Deus est corpus, seu habet, ut nos, membra corporea. Cum igitur hic solvantur illa sua argumenta in fulcimentum erroris prædicti adducabilia, patet, quod per rationem ab errore tali, &

te defendere, & illam positionem esse erroneam ostendere potes. Scito quoque, hæresim prædictam loqui de Deo, ut Deus est, alioquin non hæresis, sed catholica veritas esset dicere, Deus humanitus habet corpus. Cæterum simpliciter, ut jacet, est hæresis hæc: Deus est, vel habet corpus. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hos merito damnari a Papa Benedicto supra articulo secundo, quando dicit, quod *anima ante reaſumptionem corporis suorum divinam efficiam videbant*. Ergo non oculo corporali. Addas, quod Deus dicitur *semper invisibilis*, *quia immutabilis extra de summa Trinitate, & fide catholica*. Item *Filius*, inquit Felix Papa primus in Epistola ad Be-nignum episcopum consultus de rebus fidei, *secundum hominis formam visibilis dicitur, secundum vero Deitatis substantiam invisibilis prædicatur, ut Paulus multis in locis ostendit. Hec est Apostolorum viva traditio*. Hæc ille. Deitas autem filii est una numero trium personarum. Videbitur Deus per Benedictum supra etiam post reassumptionem corporum ab animabus sanctis, & per Felicem tunc etiam invisibilis permanebit: ergo secundum mentem istorum Pontificum tunc post reassumptionem corporum numquam videbitur oculo corporali, sed viribus corporeis invisibilis in æternum manebit. Item a scripturis, vel a &c. notatis in quest. 93. artic. 6. quest. 3. artic. 1. ubi similis error sub nomine *Anthropomorphitarum* ponitur. Plurimæ namque hæreses, & errores multos habuerunt patronos, qui non omnes neque hic, neque alibi semper nominantur. Damnata enim utravis prædictarum hæresum, damnata intelligitur utraque: cum una utramvis ad se trahat ut considerandi patet.

Tertio vides: quomodo ex his vicissim Angelica doctrina præsentis articuli declaretur, & confirmetur.

(*) *Al. exerentes.*

(**) *Al. videre.*

(***) *Al. a visa.*

A R T I C U L U S IV . 58

Utrum aliquis intellectus creatus per sua naturalia divinam essentiam videre possit.

IV. dist. xl ix. quest. 11. art. 6. & ver. quest. VIII. art. 3. & III. con. cap. 50.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod aliquis intellectus creatus per sua naturalia divinam essentiam videre possit. Dicit enim Dionysius iv. cap. de div. Nom. (parum ante med.) quod *Angelus est speculum purum, clarissimum, suscipiens totam, si fas est dicere, pulchritudinem Dei*. Sed unumquodque videtur, dum videtur ejus speculum. Cum igitur Angelus per sua naturalia intelligat se ipsum, videtur quod etiam per sua naturalia intelligat divinam essentiam.

2: Præterea. Illud quod est maxime visibile, fit minus visibile nobis propter defectum nostri visus (1) vel corporalis, vel intellectualis. Sed intellectus Angeli non patitur aliquem defectum. Cum ergo Deus secundum se sit maxime intelligibilis, videtur quod ab Angelo sit maxime intelligibilis. Si igitur alia intelligibilia per sua naturalia intelligere potest, multo magis Deum.

3. Præterea. Sensus corporeus non potest elevari ad intelligentiam substantiam incorpoream, quia est supra ejus naturam. Si igitur videre Deum per essentiam sit supra naturam cuiuslibet intellectus creati, videtur quod nullus intellectus creatus ad videndum Dei essentiam pertingere possit: quod est erroneum, ut ex supradictis patet (art. 1. hujus quest.) (2) videtur ergo quod intellectui creato sit naturale divinam essentiam videre.

Sed contra est quod dicitur Rom. vi. 23. *Gratia Dei vita eterna*. Sed vita æterna consistit in visione divinæ essentiaz, secundum illud Joann. xvii. 3. (3) *Hec est vita eterna, ut cognoscant te solum verum Deum &c.* Ergo videre Dei essentiam convenit intellectui

creato per gratiam, & non per naturam.

Respondeo dicendum, quod impossibile est quod aliquis intellectus creatus per sua naturalia essentiam Dei videat. Cognitio enim contingit secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde cujuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum sua naturæ. Si igitur modus essendi alicuius rei cognitæ excedat modum naturæ cognoscentis, oportet quod cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis. Est autem multiplex modus essendi rerum. Quædam vero sunt quorum naturæ non habet esse nisi in hac materia individuali; & hujusmodi sunt omnia corporalia. Quædam vero sunt quorum naturæ sunt per se subsistentes, non in materia aliqua, quæ tamen non sunt suum esse, sed sunt esse habentes (4). Et hujusmodi sunt substantiaz incorporeaz, quas Angelos dicimus. Solius autem Dei proprius modus essendi est ut sit suum esse subsistens. Ea igitur quæ non habent esse nisi in materia individuali, cognoscere est nobis connaturale, eo quod anima nostra, per quam cognoscimus, est forma alicuius materiz. Quæ tamen habet duas virtutes cognoscitivas. Unam, quæ est actus alicuius corporei organi; & huic connaturale est cognoscere res, secundum quod sunt in materia individuali: unde sensus non cognoscit nisi singularia. Alia vero virtus cognoscitiva ejus est intellectus, qui non est actus alicuius organi corporalis. Unde per intellectum connaturale est nobis cognoscere naturas quæ quidem non habent esse nisi in materia individuali; non tamen secundum quod sunt in materia individuali, sed secundum quod abstrahuntur ab ea per considerationem intellectus: unde secundum intellectum possumus cognoscere hujusmodi res in universali, quod est supra facultatem sensus. Intellectui autem angelico connaturale est cognoscere naturas non in materia existentes; quod est supra naturalem facultatem intellectus animaz secundum statum praesentis vite, quo corpori uni-

(1) Sicut exemplo Solis & noctis quantum ad visum corporalem jam superius ex Philosopho indicatum est; ac de visu spirituali declaratum, qui ea quæ secundum naturam suam intelligibilia maxime sunt, percipere non potest.

(2) Ubi alienum a fide insinuat, ut ostendimus ibi.

(3) Analogie sumptum, ut passim sumit Augustinus quasi formalis sensu intelligatur: Sed videtur e sensu dictum esse ad indicandum quod per

cognitionem Dei & Jesu Christi (hoc est per fidem Trinitatis & Incarnationis) velut medium primum & fundamentum ceterorum, æterna vita comparatur.

(4) Quia nempe illarum esse ab essentia differt, ut indebet essentia, ac ei tantum ab extrinseco adveniens, cum per creationem sit acceptum. Non sic autem in Deo cuius esse non aliunde accipitur, sed intrinsecum est ipsi essentia ac ei per se ipsum debitum, proindeque ab illa indifferens & indistinctum proficit; ut ex professio quest. 3. notatum est.

ri unitur. Relinquitur ergo quod cognoscere ipsum esse subsistens sit connaturale soli intellectui (1) divino, & quod sit supra facultatem naturalem cuiuslibet intellectus creati: quia nulla creatura est suum esse, sed habet esse participatum. Non igitur potest intellectus creatus Deum per essentiam videre, nisi in quantum Deus per suam gratiam se intellectui creato conjungit ut intelligibile ab ipso.

Ad primum ergo dicendum, quod iste modus cognoscendi Deum est Angelo connaturalis, ut scilicet cognoscat eum per similitudinem ejus in ipso Angelo resplendente. Sed cognoscere Deum per aliquam similitudinem creatam non est cognoscere essentiam Dei, ut supra ostensum est (art. 2. hujus quest.) Unde non sequitur quod Angelus per sua naturalia possit cognoscere essentiam Dei.

Ad secundum dicendum, quod intellectus Angeli non habet defectum, si defectus accipiatur privative, ut scilicet careat eo quod habere debet. Si vero accipiatur negative, sic quaelibet creatura invenitur deficiens, Deo comparata, dum non habet illam excellenciam quae invenitur in Deo.

Ad tertium dicendum, quod sensus visus, quia omnino materialis est, nullo modo elevari potest ad aliquid immateriale. Sed intellectus noster, vel angelicus, quia secundum naturam a materia aliqualiter elevatus est, potest ultra suam naturam per gratiam ad aliquid altius elevari. Et hujus signum est, quia visus nullo modo potest in abstractione cognoscere id quod in concretione cognoscit; nullo enim modo potest percipere naturam nisi ut hanc: sed intellectus noster potest in abstractione considerare quod in concretione cognoscit. Etsi enim cognoscat res habentes formam in materia, tamen resolvit compositionem in utrumque, & considerat ipsam formam per se. Et similiter intellectus Angeli, licet connaturale sit ei cognoscere esse concretum in aliqua natura, tamen potest ipsum esse secernere per intellectum, dum cognoscit quod aliud est ipse, & aliud est suum esse. Et ideo cum intellectus creatus per suam naturam natus sit apprehendere formam con-

cretam, & esse concretum in abstractione per modum resolutionis cuiusdam; potest per gratiam elevari ut cognoscat substantiam separatam substantem, & esse separatum substantem.

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo: quomodo per rationem evellas haereses Beguinorum & Begardorum, Carlestii, & Pelagii dicentium, omnem intellectualem naturam in seipsa naturaliter esse beatam. Item absque gratia Christi hominem posse omnia precepta Dei implere, & suis meritis vitam eternam consequi. Num vides, istos ponere, quod per sua naturalia intellectus creatus possit videre divinam essentiam? Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, has juste damnari a Conciliis Viennensi, Clement. de heret. Ad nosrum, ubi recensita haeresi illa Begardorum, & Beguinorum cum quibusdam aliis a Papa subditur. Cum ex debito commissi nobis officiis busmodi sectam detestabilem, & premisso ipsius execrandos errores, ne propagentur ulterius, & per eos corda fidalium damnableiter corruptantur, extirpare ab Ecclesia Catholica necessario habemus: Nos sacro approbante Concilio sectam ipsam cum premissis erroribus damnamus, & reprobamus omnino inhibentes districtus, ne quis ipsos de cetero tenet, approbet, vel defendat. Eos autem, qui fecerint, animadversione canonica decernimus puniendos. Porro dicesani, & illarum partium inquisidores heretice pravitatis &c. in illos, quos culpabiles reperient, nisi abjuratis sponte predictis erroribus penituerint, & satisfactio nem exhibuerint competentem, debitam exerceant ulationem. Hac ibi. Item a Trident. sess. 6. Canon. 1. contra Pelagianam illam, si quis dixerit, hominem suis operibus, que vel per humane naturae vires, vel per legis doctrinam fuit, absque divina per Jesum Christum gratia posse iustificari coram Deo: Anathema sit. Conciliu ergo per canonem hunc reprobat radicaliter, quod possit quis propriis viribus naturalibus vitam eternam consequi, idest, di vi-

(1) Aperte qui hoc ipsum connaturale creature fieti posse arbitrantur, quia substantiam & supernaturalem posse creari sibi fingunt: Scilicet quae divini ordinis non extrinsecus tantum per accidentiam participationem, sed intrinsecus per essentiam suam dici possit; quae modum ipsum substantiam divini esse assequatur; quae per naturam ipsam suam impeccabilis fiat sicut Deus; quae licet ex nihilo producta deficere non possit, sed

eterna necessatio permaneat: que non gratiam, non immortalitatem veluti donum indebitum habeat, sed ex quadam debito naturali sibi proprium & innatum; Quo nihil magis & a modo loquendi Patrum alienum, & vera rationi repugnans, & seipsum involvens. Fictitium porto est supernaturale accidentis opponere, quod extrinsecus tantum non intrinsecus dividitur est, &c.

divinam essentiam videre . Radix enim salutis hujus est justificatio , & consequenter , si damnatur , quod quis viribus naturalibus possit justificari , multo magis damnatur , quod possit quis naturalibus viribus videre divinam essentiam . Item a Milevitano cap . 4. suorum decretorum . *Quisquis dixerit gratiam Dei propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum , quia per ipsam nobis revelatur intelligentia mandatorum , ut sciamus , quid appetere , quid vicare debeamus , non autem per illam nobis prestari , ut , quod faciendum cognoverimus , etiam facere diligamus , atque valeamus : Anathema sit .* Et cap . 5. inquit . *Quicunque dixerit , ideo nobis gratiam justificationis dari , ut , quod facere per liberum arbitrium subcnur , facilius possumus inplere per gratiam , tamquam , si gratia non daretur , non quidem facile , sed samer possemus inplere divina mandata : Anathema sit .* Hoc , & Conc . Trid . sess . 6 . Canon . 2. replicavit sic : *si quis dixerit ad hoc solum divinam gratiam dari , ut facilius homo iuste vivere , ac vitam eternam promoveri possit , quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque , sed egez ramen , & difficulter possit : Anathema sit .* Decisiones ergo iste Conciliorum reprobant saltem radicaliter , quod possit quis propriis viribus , &c. ut supra . Tercio vides : quomodo , &c.

A R T I C U L U S V . 59

Utrum intellectus creatus ad videndum Dei essentiam aliquo creato lumine indiget .

III. cons. cap. II. III. & IV. & opusc. II. cap. CV. & III. dist. XIV. artic. I. quest. II. ad I. & IV. dist. XLIX. quest. II. artic. 7. & verit. quest. VIII. artic. 3. ad 6.

AD quintum sic proceditur . Videlur quod intellectus creatus ad videndum essentiam Dei , aliquo lumine creato , non indigat . Illud enīa quod est per se lucidum

in rebus sensibilibus , alio lumine non indiget , ut videatur . Ergo nec in intelligibili bus . Sed Deus est lux intelligibilis . Ergo non videtur per aliquod lumen creatum .

2. Præterea . Cum Deus videtur per me dium , non videtur per suam essentiam . Sed cum videatur per aliquod lumen creatum , videtur per medium . Ergo non videtur per suam essentiam .

3. Præterea . Illud quod est creatum , nihil prohibet alicui creature esse naturale . Si ergo per aliquod lumen creatum Dei essentia videtur , poterit illud lumen esse naturale alicui creature (1) ; & ita illa creatura non indigebit aliquo alio lumine ad videndum Deum : quod est impossibile . Non est ergo necessarium quod omnis creatura ad videndum Dei essentiam , lumen superadditum requirat .

Sed contra est , quod dicitur in Psal . xxxv . 10. *In lumine tuo videbimus lumen* (2).

Respondeo dicendum , quod omnino quod elevatur ad aliquid quod excedit suam naturam , oportet quod disponatur aliqua dispositione , que sit supra suam naturam ; sicut si aer debet accipere formam ignis , oportet quod disponatur aliqua dispositione ad talēm formam . Cum autem aliquis intellectus creatus videt Deum per essentiam , ipsa essentia Dei sit forma intelligibilis intellectus . Unde oportet quod aliqua dispositio supernaturalis ei superaddatur ad hoc quod elevetur in tantam sublimitatem . Cum igitur virtus naturalis intellectus creati non sufficiat ad Dei essentiam videndam , ut ostensum est (art . præc .) oportet quod ex divina gratia superaccrescat ei virtus intelligendi . Et hoc augmentum virtutis intellectivæ illuminationem intellectus vocamus , sicut & ipsum intelligibile vocatur lumen , vel lux . Et istud est lumen de quo dicitur Apoc . xxi . 23. quod *claritas Dei illuminabit eam* , scilicet societatem beatorum Deum videntium . Et secundum hoc lumen efficiuntur deiformes , idest Deo similes , secundum illud I . Joann . 111 . 2 . *Cum apparuerit , simi-*

(1) Contra illud quod art . 4. præmissum est soli divino intellectu glorie commutabile ut cognoscat ipsum esse subfructus , &c.

(2) Ad visionem queque beatissimam refert Augustinus ibidem , sed expresse non dicit in quo lumine videamus : Ambrosius explicat ibi *Patre in Filio* (qui & in Symbolo Nicomo *lumen de lumine dicitur*) Sed lib . I. de Spiritu sancto cap . 16. *Spiritus sanctus sanctum in Filio* ; sicut & Hieronymus in Abacuc 3. versus finem : Theodoretus ex opposito *Filius in Spiritu sancto* : Cyrillus autem in Joan . c.

1. *virtutem Dei qua quis illuminatur ut veritatem videre possit* &c. Non ergo litterali sed solummodo analogico sensu *lumen glorie* hinc probatur ; sed expressus ex Clementina ad nostrum de hereticis , inter alios Begardorum errores excruciantes damnante quod *qualibet intellectualis natura in seipsa naturaliter est bona* ; & quod *anima non indiget lumine gloria ipsam elevante ad Deum videndum* , &c. At hoc de fide porro , definire non ausim : Sed suppleri per extrafusum concordum possa incongrue dictum , ut alibi ostendam ex professa .

familes ei erimus, & videbimus eum sicuti est.
Ad primum ergo dicendum, quod lumen creatum est necessarium ad videndum Dei essentiam, non quod per hoc lumen Dei essentia intelligibilis fiat, quia secundum se intelligibilis est, sed ad hoc quod intellectus fiat potens ad intelligentium, per modum quo potentia fit potentior ad operandum per habitum. Sicut etiam & lumen corporale necessarium est in visu exteriori, in quantum facit medium transparens in actu, ut possit moveri a colore.

Ad secundum dicendum, quod lumen istud non requiritur ad videndum Dei essentiam quasi similitudo in qua Deus videatur, sed quasi perfectio quedam intellectus confortans ipsum ad videndum Deum. Et ideo potest dici, quod non est medium in quo Deus videatur, sed sub quo videretur: & hoc non tollit immediatam visionem Dei.

Ad tertium dicendum, quod dispositio ad formam ignis non potest esse naturalis nisi habenti formam ignis. Unde lumen gloria non potest esse naturale creature, nisi creatura esset natura divina; quod est impossibile. Per hoc enim lumen fit creatura rationalis deiformis, ut dictum est (in corp. art.)

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo: quomodo per rationem convellas haeresim Begardorum & Beguniarum dicentium: animam non indigere lumine gloria ipsam elevate ad Deum videndum, & eo beate fruendum. Secundo habes quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari a Papa in Concilio Viennensi, Clement. tit. de heret. Ad nostrum. Ibi enim annumerata inter multas alias infanias Begardorum hac, quam retulimus, damnat eam illa forma verborum, que art. 4. supra scripta est. Vide tu illic, pro quo loco etiam facit quest. 23. art. 1. & quest. 62. art. 1. & 2. Tercio vides: &c.

ARTICULUS VI. 60

Utrum videntium essentiam Dei unus alio perfectius videat.

IV. dist. xlii. quest. ii. artic. 4. & III. cont. cad. lvi.

AD textum sic proceditur. Videtur quod videntium essentiam Dei unus alio perfectius non videat. Dicitur enim I. Joann. 111. 2. *Videbimus eum sicuti est.* Sed ipse uno modo est. Ergo uno modo videbitur ab omnibus: non ergo perfectius, & minus perfecte.

2. Præterea. Augustinus dicit Lib. lxxxii. Qq. (quest. xxxii.) quod *unam rem non posset ullus alio plus intelligere* (1). Sed omnes videntes Deum per essentiam intelligunt Dei essentiam; intellectu enim videtur Deus, non sensu, ut supra habitum est (art. 3, hujus quest.) Ergo videntium divinam essentiam unus alio non clarius videt.

3. Præterea. Quod (*) aliquid altero perfectius videatur, ex duobus contingere potest, vel ex parte objecti visibilis, vel ex parte potentiae visivæ videntis. Ex parte autem objecti per hoc quod objectum perfectius in vidente recipitur, scilicet secundum perfectiōnum similitudinem, quod in propōsito locum non habet: Deus enim non per aliquam similitudinem, sed per ejus essentiam præsens est intellectui essentiam ejus (2) videnti. Relinquitur ergo quod si unus alio perfectius eum videat, hoc sit secundum differentiam potentiarum intellectivarum: & ita sequitur quod cuius potentia intellectiva naturaliter est subtilior, clarius eum videat; quod est inconveniens, cum hominibus promittatur beatitudine æqualitas Angelorum.

Sed contra est quod vita æterna in visione Dei consistit, secundum illud Joann. xvii. 3. *Hec est vita æterna* (3) *ut cognoscant te solum Deum &c.* Ergo si omnes æqualiter Dei essentiam vident in vita æterna, omnes erunt æquales: cuius contrarium dicit Ap̄olodus I. Cor.

(1) Nempe, 'quia non potest quidquam intelligi nisi ut est; & quisquis rem aliquam aliter quam est intelligit, non eam intelligit, immo fallitur, ut præmittit ibidem.'

(2) *As aliquis.... videat.*

(3) Non superflua loquatio, quia potest & essentia quedam per similitudinem videri.

(4) Jam notavimus ita perfici ab Augustino usur-

pari, & sic ex illo S. Thomam etiam usurpare, quasi formalis sensu dictum esset; quamvis potius videatur causali sensu dictum esse; sicut & illud a simili Joan. 12. vers. 50 *Mordatum Dei vita æterna*, ut medium ad illam consequendam. Quod autem subiungitur ex 1. ad Corinth. 15. ad inæqualitatem corporum quidem formaliter pertinet, sed corporum inæqualitas ex inæqualitate animalium redundat, &c.

Cor. xv. 4. Stella differt a stella in claritate.
Respondeo dicendum, quod videntium Deum per essentiam unus alio perfectius eum videbit. Quod quidem non erit per aliquam Dei similitudinem perfectiorem in uno quam in alio, cum illa visio non sit futura per aliquam similitudinem, ut ostensum est (art. 2. hujus quest.) sed hoc erit per hoc quod intellectus unius habebit maiorem virtutem, seu facultatem ad videndum Deum, quam alterius. Facultas autem videndi Deum non competit intellectui creato secundum suam naturam, sed per lumen gloriae, quod intellectum in quadam deiformitate constituit, ut ex superioribus patet (art. præc.).

Unde intellectus plus participans de lumine gloriae perfectius Deum videbit. Plus autem participabit de lumine gloriae qui plus haberet de caritate: quia ubi est maior caritas, ibi est majus desiderium; & desiderium quodammodo facit desiderantem aptum, & paratum ad susceptionem desiderati. Unde qui plus habebit de caritate (1), perfectius Deum videbit, & beatior erit.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur, *Videbimus eum sicuti est*, hoc adversarium *sicuti* determinat modum visionis ex parte rei visae, ut sit sensus: Videbimus eum ita esse sicuti est, quia ipsum esse ejus videbimus, quod est ejus essentia. Non autem determinat modum visionis ex parte videntis, ut sit sensus, quod ita erit perfectus modus videnti, sicut est in Deo perfectus modus essendi.

Et per hoc etiam patet solutio ad secundum. Cum enim dicitur, quod rem unam unus alio melius non intelligit, hoc haberet veritatem, si referatur ad modum rei intellectae, quia quicumque intelligit rem esse aliter quam sit, non vere intelligit; non autem si referatur ad modum intelligendi, quia intelligere unius est perfectius quam intelligere alterius.

Ad tertium dicendum, quod diversitas videnti non erit ex parte objecti, quia idem objectum omnibus praesentabitur, scilicet Dei essentia; nec ex diversa participatione objecti per differentes similitudines; sed erit per diversam facultatem intellectus, non quidem naturalem, sed gloriosam, ut dictum est (art. præc.) (2).

APPENDIX.

EX Articulo habes primo: quomodo per rationem interimas heresim Joviniani dicentis: Beatos omnes pares esse in gloria, & beatitudine coelesti nullam esse præriorum differentiam. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari a Concilio Florentino sic: *Definimus animas insucrii clare ipsum Deum, trinum, & unum sicuti est, meritorum tamen diversitate aliud alio perfectius*. Hæc Concilium in litteris sanctæ unionis. Item, a Concilio Telense contra Jovinianum congregato, in rescripto ad Siricium Papam, sic. *Nec miramur si luporum rabiem græx Domini perhoruerit, in quibus Christi vocem non recognovit. Agrestis enim ululatus est, nullam virginitatis gratiam, nullum casitatem ordinem reservare, promiscue omnia velle confundere, diversorum gradus abrogare moritorum, & paupertatem quamdam coelestium remunerationum inducere, quasi Christo una sit palma, quam tribuit, ac non plurimi abundent tituli præriorum*. Hæc illud. Negabat Jovinianus & disparitatem meritorum, ut vel sic disparitatis præriorum negationem coloraret, ideoque Telense Concilium etiam de meritorum inæqualitate ipsum damnans verba facit. Item ab eodem infra sic: *Itaque Jovinianum, Germinalarem, Felicem, Plotinum, Genialem, Marialem, Januarium, & Ingeniosum, quos sanctitas tua damnavit, scias apud nos quoque secundum judicium tuum esse damnatos*. Hæc ibi. Horum autem scripta omnia, qui ab Ecclesia damnati sunt cointelliguntur esse damnata, ut alibi per autoritatem majorum fuisus habatum est. Item a regulis fidei traditis ab Aug in lib. de fide ad Petrum, c. 25. *firmissime tene, & nullatenus dubites, ideo Christianum filium Dei ad judicandum vivos, mortuosque venturum, ut homines, quos hic dono gratiae sue &c. glorificet & secundum promissionem suam equaliter sanctis angelis faciat &c. Ubi diversa erit sanctorum gloria, sed una erit omnium vita eterna*. Hæc ibi. Item a B. Hier. in Expositione fidei catholice ad Damnum Papam, sic: *Credimus, unam esse vitam sanctorum, sed premia pro labore diversa, e contrario pro modo delictorum peccatorum quoque*

(1) Supple, de caritate vix per quam homo meretur visionem: Inequalitas enim caritatis patris consequenter ad visionem ipsam se habet ut effectus nostra modum quo differt a caritate vix. Hinc in qua-

lis visionis causa physica inæquale humana gloria; causa vero mortis & remota inæqualitas caritatis & meritorum, de qua contra Jovinianum suo loco.

(2) Et a nobis plenius potabitur p. part. qu. 10.

quoque esse supplicia. Et infra : *Joviniani damnamus heresim qui dicit nullam in futuro meritorum esse distantiam, nosque eas ibi habitueros esse virtutes, quas hic habere neglexerimus.* Et infra : *Hec fides est, Papa beatissime, quam in Ecclesia didicimus, quamque semper tenuimus, & tenemus.* Item a Gelasio Papa d. 15. *S. Romana Ecclesia Opuscula Joviniani & Galli Apocrypha, idest ut principio expressit, a Catholicis vitanda.* Item per rationem ostendas, quod juste fuit olim Romæ hic error damnatus teste B. Hier. in lib. 2. contra Jovinianum. Tertio vides, quomodo &c.

A R T I C U L U S VII. 61

Utrum videntes Deum per essentiam ipsum comprehendant.

II. dist. xix. artic. 2. ad 3. & III. cont. cap. iii. & ver. queſt. viii. art. 2.

AD septimum sic proceditur. Videtur quod videntes Deum per essentiam, ipsum comprehendant. Dicit enim Apostolus Phil. 111. 12. *Sequor autem, si quo modo comprehendam.* Non autem frustra sequebatur : dicit enim ipse I. Corinth. ix. 26. *Sic curro, non quasi in incertum.* Ergo ipse comprehendit, & eadem ratione alii, quos ad hoc invitat dicens ibid. *Sic currite, ut comprehendatis.*

2. Præterea. Ut dicit Augustinus in Lib. de videndo Deum (1) ad Paulinam (epist. cxii. cap. ix. in princ.) illud comprehenditur quod ita totum videtur, ut nihil ejus lateat videntem. Sed si Deus per essentiam videatur, totus videtur, & nihil ejus latet videntem, cum Deus sit simplex. Ergo a quocumque videtur per essentiam, comprehenditur.

3. Si dicatur, quod videtur totus, sed non totaliter ; contra. Totaliter vel dicit modum videntis, vel modum rei visæ. Sed ille qui videt Deum per essentiam, videt

Summ. S.Th. T.I.

eum totaliter, si significetur modus rei visæ, quia videt eum sicuti est, ut dictum est (art. præc. ad 1.) similiter videt eum totaliter, si significetur modus videntis, quia tota virtute sua intellectus, Dei essentiam videbit. Quilibet ergo videns Deum per essentiam, totaliter eum videbit : ergo eum comprehendet.

Sed contra est quod dicitur Hierem. xxxii. 18. *Fortissime, magne, potens, Dominus exercituum nomen tibi, magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu* (2). Ergo comprehendendi non potest.

Respondeo dicendum, quod comprehendere Deum impossibile est cuicunque intellectui creato ; attingere vero mente Deum qualitercumque magna est beatitudo, ut dicit Augustinus (ser. xxxviii. de verb. Domini cap. iii. circa med.)

Ad cuius evidentiam sciendum est, quod illud comprehenditur quod perfecte cognoscitur : perfecte autem cognoscitur quod tantum cognoscitur, quantum est cognoscibile. Unde si id quod est cognoscibile per scientiam demonstrativam, opinione teneatur ex aliqua ratione probabili concepta, non comprehenditur : puta, si hoc quod est triangulum habere tres angulos æquales duobus reætis, aliquis sciat per demonstrationem, comprehendit illud ; si vero aliquis ejus opinionem accipiat probabiliter per hoc quod a sapientibus, vel pluribus ita dicitur, non comprehendet ipsum, quia non pertingit ad illum perfectum modum cognitionis quo cognoscibilis est. Nullus autem intellectus creatus pertingere potest ad illum perfectum modum cognitionis divinæ essentiaz, quo cognoscibilis est : quod sic patet. Unumquodque enim sic cognoscibile est, secundum quod est ens actu. Deus igitur, cuius esse est infinitum, ut supra ostensum est (queſt. vii. art. 11.) infinite cognoscibilis est. Nullus autem intellectus creatus potest Deum infinite cognoscere. Intantum enim intellectus creatus divinam essentiam perfectius, vel minus perfecte cognoscit, inquantum majori,

N*ri,*

(1) Seu epist. 112. que ob suam prolixitatem liber appellatur : Habet autem cap. 9. hic notata ; quibus opponit illud simpliciter videri quod præsens *scimusque sensimus*, ut præmittit ibidem, & subjungit que ad 2. referuntur.

(2) Ad ipsum cogitatum divinum non ad nostrum referunt sensu litterali : Nec significat Deum a nobis cogitando non posse comprehendendi, sed cogitationes ejus tam multiplices esse ac profundas in infinitis

operibus excogitandis ut perscrutari eas nemo possit : Unde multus opere in hebreo habetur ; ut & apud 70. dwatōs ἐργοις potens operibus, cap. 39. Editio- nis Sixtiæ pro 32. in Vulgata : Utrumque tamen æque verum ; & unum ex altero sequitur : Nam si divinæ cogitationes ab intellectu nostro comprehendendi non possunt, an essentia possit ? Unde non immerito ad essentiaz incomprehensibilitatem probandam cum locum usurpat S. Thomas.

ri , vel minori lumine gloriæ perfunditur . Cum igitur lumen gloriæ creatum in quocumque intellectu creato receptum non possit esse infinitum , impossibile est quod aliquis intellectus creatus Deum infinite cognoscat . Unde impossibile est quod Deum comprehendat (1) .

Ad primum ergo dicendum , quod comprehensio dicitur duplice . Uno modo stricte & proprie , secundum quod aliquid includitur in comprehendente : & sic nullo modo Deus comprehenditur nec intellectu , nec aliquo alio : quia cum sit infinitus , nullo finito includi potest , ut aliquid finitum eum infinite capiat , sicut ipse infinitus est . Et sic de comprehensione nunc queritur . Alio modo comprehensio largius sumitur , secundum quod comprehensio insecurioni opponitur ; qui enim attingit aliquem , quando jam tenet ipsum , comprehendere eum dicitur . Et sic Deus comprehenditur a beatis , secundum illud Cant . 111 . 4 *Tenui eum , nec dimittam* . Et sic intelliguntur authoritates Apostoli de comprehensione . Et hoc modo comprehensio est una de tribus dotibus animæ , quæ respondet speci , sicut visio fidei , & fruitio caritati . Non enim apud nos omnne quod videtur , jam tenetur , vel habetur , quia videntur interdum distantia , vel quæ non sunt in potestate nostra : neque iterum omnibus quæ habemus , fruinur , vel quia non delectamur in eis , vel quia non sunt ultimus finis desiderii nostri , ut desiderium nostrum impleant , & quietent . Sed hæc tria habent beati in Deo : quia & vident ipsum , & videndo tenent sibi praesentem , in potestate habentes semper cum videare , & tenentes fruuntur , sicut ultimo fine desiderium implente .

Ad secundum dicendum , quod non propter hoc Deus incomprehensibilis dicitur , quasi aliquid ejus sit quod non videatur ; sed quia non ita perfecte videtur sicut visibilis est : sicut cum aliqua demonstrabilis propositione per aliquam probabilem rationem cognoscitur , non est aliquid ejus quod non

cognoscatur , nec subiectum , nec prædicatum , nec compositio ; sed tota non ita perfecte cognoscitur sicut cognoscibilis est . Unde Augustinus (loco citat . in argument .) definiendo comprehensionem dicit , quod totum comprehenditur videndo , quod ita videtur , ut nihil ejus lateat videntem , aut cuius fines circumspici , vel circumscribi possunt : (2) tunc enim fines alicujus circumspiciuntur , quando ad finem in modo cognoscendi illam rem pervenitur .

Ad tertium dicendum , quod totaliter dicit modum objecti , non quidem ita quod totus modus objecti non cadat sub cognitione , sed quia modus objecti non est modus cognoscientis . Qui igitur videt Deum per essentiam , videt hoc in eo quod infinite existit , & infinite cognoscibilis est ; sed hic infinitus modus non competit ei , ut scilicet ipse infinite cognoscatur ; sicut aliquis probabiliter scire potest aliquam propositionem esse demonstrabilem , licet ipse eam demonstrative cognoscatur .

A P P E N D I X .

EX art . habes primo : quomodo per rationem retundas præsumptionem hereticalem *Anomeorum* qui se naturam Dei comprehendere , sicut semetipso , dicebant . Item cuiusdam Augustini de Roma Archibispoco Nazaren , ut refertur in Concil . Basili . sess . 22 . dicensit , quod anima Christi videt Deum tam clare , & intense , quam clare & intense Deus videt seipsum . Secundo habes , quomodo per rationem ostendas , has merito fusse damnatas a Concilio Basileensi sess . prædicta , sic : quemdam libellum editum ab Augustino de Roma Archiepiscopo Nazareno , cuius primus tractatus de sacramento divinitatis Jesu Christi , & Ecclesia intitulatur , secundus de Christo capite & ejus inclito principatu , alias de caritate Christi circa electos , & de ejus infinito amore , tamquam non sanam , & erroneam in fide doctrinam continentem , cum suis defensionibus hec sancta synodus damnat , & reprobat &c . Et

(1) Tum ratione infinitatis ejus , quia quidquid scientia comprehenditur , scientis comprehensione finitur , ait lib . 12 . de civit . Dei cap . 18 . Augustinus : Tum ratione limitatus cognitionis nostra quæcumq; ejus infinitate comparari non potest , quia cum ad incircumscripsum lumen vel humana vel angelica mens inbias , eo ipso se quo est creature , coangustat ; & super se quidem per prefactum tendit , sed tamen ejus fulgorem comprehendere nec dilatare sufficit , quod

& transcendendo & portando omnia & implendo concludit ; ait lib . 10 . Moral . cap . 7 . Gregorius : Præter alia Patrum loca quæ art . sequente subjungentur .

(2) Ut videre est epist . 112 . ubi supra cap . 3 . cuius dumtaxat textus habet quod circumspici possumus , id est extremitates omnes undeque lustrari , quod exemplo annuli quantum ad visionem corporalem , & voluntatis nostræ quantum ad notitiam spiritualem , probat .

&c. Et infra , enumerata ad litteram hæresi predicta cum multis aliis in libello illo contentis , concludit sic . *Quas propositiones , & alias ex eadem radice procedentes tamquam errores in fide damnat , & reprobat hæc sancta synodus anno 1435.* Gestæ ab isto Concilio , quamvis alias non approbato Nicolaus quintus propter securitatem animarum , & cavenda pericula conscientiarum in Bulla sua confirmat tantum , quantum spectat ad censuras & causas beneficiales . De aliis nihil , nec de probatione ejus Concilii anno 1449. sui pontificatus anno tertio . Hæc dicta sunt , ne rejiciatur Concilium in hac parte , qua contra Augustinum de Roma adductum est , quandoquidem per Bullam Nicolai , quoad hoc gesta ejus probari videntur . Dic ergo tu a fortiori . Si de anima Christi sancitum est , ut supra , multo magis de quibuscumque aliis creatis sancitum intelligitur . Multo igitur magis ab isto Concilio prædicta damnatur Anomæorum superciliosa hæresis . Item ab Apostolo primæ Tim. sexto . *Solus lucem habitat inaccessibilem , quem nullus hominem vidit , sed nec videre potest . Quæ sententia sane , quoad visionem comprehensivam proprie solum intelligenda est . Item a Gelasio Papa distinct. 15. Sancta Rom. Eccles. sic . Hæc , & his similia , que &c. Eunomius &c. eorumque discipuli docuerunt vel conscriperunt sub anathematis indissolubili vinculo in eternum confitemur esse damnata . Hæc ibi . Præteolus modo narrat ducem Anomæorum fuisse Eunomium . Item ab Innoc. de summa Trin. & fide Cath. firmiter credimus , &c. quod Deus est incomprehensibilis . Tertio vides , &c.*

A R T I C U L U S VIII. 62

Utrum videntes Deum per essentiam omnia in Deo videant .

IV. dist. xl ix. quest. ii. art. 5. & verit. quest. viii. art. 4. & xx. artic. 4. & 5. & III. cont. cap. liv. & lvii.

AD octavum sic proceditur . Videtur quod videntes Deum per essentiam omnia in

Deo videant . Dicit enim Gregorius in IV. Dial. (cap. xxxiii. in fin. & Lib. II. Mor. cap. 11.) (*) Quid est quod non videant qui videntem omnia vident ? Sed Deus est videns omnia . Ergo qui vident Deum , omnia vident .

2. Item . Quicumque videt speculum , videt ea quæ in speculo resplendent . Sed omnia quæcumque fiunt , vel fieri possunt , in Deo resplendent sicut in quodam speculo : ipse enim omnia in se ipso cognoscit (1) . Ergo quicumque videt Deum , videt omnia quæ sunt , & quæ fieri possunt .

3. Præterea . Qui intelligit id quod est majus , potest intelligere minima (2) , ut dicitur III. de Anima (cap. iv. tex. 7.) Sed omnia quæ Deus facit , vel facere potest , sunt minus quam ejus essentia . Ergo quicumque intelligit Deum , potest intelligere omnia quæ Deus facit , vel facere potest .

4. Præterea . Rationalis creatura omnia naturaliter scire desiderat . Si igitur vident Deum non omnia sciat , non quietatur ejus naturale desiderium ; & ita vident Deum non erit beata ; quod est inconveniens . Videntendo igitur Deum omnia scit .

Sed contra est quod Angeli vident Deum per essentiam , & tamen non omnia sciunt . Inferiores enim Angeli purgantur a superioribus a nescientia (3) , ut dicit Dionysius vii. cap. coelest. Hierar. (a med.) Ipsi etiam nesciunt futura contingentia , & cogitationes cordium : hoc enim solius Dei est . Non ergo quicumque vident Dei essentiam , vident omnia .

Respondeo dicendum , quod intellectus creatus videntendo divinam essentiam non videt in ipsa omnia quæ facit Deus , vel facere potest . Manifestum est enim quod sic aliqua videntur in Deo , secundum quod sunt in ipso . Omnia autem alia sunt in Deo sicut effectus sunt virtute in sua causa . Sic igitur videntur omnia in Deo sicut effectus in sua causa . Sed manifestum est quod quanto aliqua causa perfectius videtur , tanto plures ejus effectus in ipsa videri possunt . Qui enim habet intellectum elevatum , statim uno principio demonstrativo proposito , ex ipso multarum conclusionum cognitionem acci-

N. 2

(*) Ali. Quid est quod ibi nesciant qui scientem omnia sciunt ?

(1) Ut ex professo infra quest. 14. art. 4. dicitur .

(2) Vel minus five inferiora (vndeisq;) text. 7. per oppositum ad sensum quem impedit sensibile vehemens ne alia sentiat , puta fortior sonus &c.

(3) Quatenus nempe divinorum operum scientiam

a superioribus convenienti modo percipiunt , ut præmittantur ibi : Sive quatebus quædam ab eis discunt circa ejusmodi opera quæ prius nesciebant , ut subiungitur , & mysterium incarnationis in exemplum affertur d' quo superiores a Christo ipso immediate , sed a superioribus inferiores aliqua didicerunt ; secundum illud Imai. 63 Quis est iste qui venit , &c.

accipit : quod non convenit ei qui debilioris intellectus est , sed oportet quod ei singula explanentur . Ille igitur intellectus potest in causa cognoscere omnes causæ effectus , & omnes rationes effectuum , qui causam totaliter comprehendit (1) . Nullus autem intellectus creatus totaliter Deum comprehendere potest , ut ostensum est (art. præc.) Nullus igitur intellectus creatus vidento Deum potest cognoscere omnia quæ Deus facit , vel potest facere : hoc enim est comprehendere ejus virtutem : sed horum , quæ Deus facit , vel facere potest , tanto aliquis intellectus plura cognoscit , quanto perfectius Deum videt .

Ad primum ergo dicendum , quod Gregorius loquitur quantum ad sufficientiam objecti , scilicet Dei , quod , quantum in se est , sufficienter continet omnia , & demonstrat ; non tamen sequitur quod unusquisque videns Deum omnia cognoscat , quia non perfecte comprehendit ipsum .

Ad secundum dicendum , quod videns speculum non est necessarium quod omnia in speculo videat , nisi speculum visu suo comprehendat .

Ad tertium dicendum , quod licet majus sit videre Deum quam omnia alia ; tamen magis est videre sic Deum , quod omnia in eo cognoscantur , quam videre sic ipsum quod non omnia , sed pauciora , vel plura cognoscantur in eo . Jam enim ostensum est (in cor. art.) quod multitudo cognitorum in Deo consequitur modum videndi ipsum vel magis perfectum , vel minus perfectum .

Ad quartum dicendum , quod naturale desiderium rationalis creature est ad sciendum omnia illa quæ pertinent ad perfectionem intellectus : & hæc sunt species , & generarum , & rationes earum , quæ in Deo videntur quilibet videns essentiam divinam . Cognoscere autem alia singularia , & cogitata , & facta eorum non est de perfectione intellectus creati ; nec ad hoc ejus naturale desiderium tendit ; nec iterum cognoscere illa quæ nondum sunt , sed fieri a Deo possunt ,

Si tamen solus Deus videretur , qui est fons , & principium totius esse , & veritatis , ita repleret naturale desiderium sciendi , quod nihil aliud quereretur ; & beatus esset . Unde dicit Augustinus V. Confes. (cap. iv. in prin.) *Infelix homo , qui scit omnia illa , scilicet creature , te tamen nescit ; beatus autem qui te scit , etiam si illa nesciat . Qui vero te , & illa novit , non propter ilia beatior est , sed propter te solum beatus .*

A P P E N D I X .

EX art. habes primo : quomodo per rationem ostendas , merito dictum a Domino Mar. 13. *De die illo* (scilicet judicii) *nemo scit , neque Angeli Dei* . Item ps. 23. *Quis est iste rex gloriae?* Item Isa. 63. *Quis est iste , qui venit de Edom rinctis vestibus de Bosra?* In his enim locis manifeste innuitur : quod videntes divinam essentiam non vident omnia in illa . Nam *Angeli Dei semper vident faciem patris* , Matth. 18. & tamen per primam autoritatem ignorantie diei judicii tempus : per cæteras duas introducuntur tamquam dubitantes de aliquibus mysteriis ad Christum , & ad salutem humanam pertinentibus interrogare ; quomodo videlicet circa hæc res se habeat . Sic illas authoritates interpretantur DD. Dionys. 7. cap. cœl. bicker. & Hieronymus super Isaia locum premissum . Adde & illud Eph. 3. *Quæ sit dispensatio sacramenti absconditi in Deo , ut innocentias principatibus , & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei .* Vide BB. Hieronymum & Chrysost. exponentes hunc locum . Secundo vides : quomodo &c.

AR-

(1) Nec aliter incomprehensibilitatem Dei explicant Patres quam quod non totaliter omnes illius modi vel omnia opera cognoscuntur , juxta illud Job. 11. vers. 7. *Forsan vestigia Dei comprehendes ? vel usque ad perfectum Omnipotentem repervas ?* pro quo 70. legunt . *An ad extrema peruenisti quæ fecit omnipotens ?* Hoc nempe sensu Epiphanius heresi 70. (quem est Audianorum) Deum videri ait infinitum , non secundum quod infinitum , sed secundum quod ca-

pi potest , adeoque videri quodammodo & non videri ; sicut qui calum per angustum foramen vides , video de dicti potest nec vides , quia non totam ejus extensionem insuetur ; vel sicut mors non videatur dicimus & vides , quia totam illius voraginem fixe profunditatem non vides : Hoc sensu Basilius , ut & Athanasius probant Spiritum sanctum esse Deum , quia omnia scrutatur etiam profunda Dei Cr. 1. ad Corinth. 2. vers. 10.

QUEST. XII. ART. IX.

ARTICULUS IX. 63

*Utrum ea quæ videntur in Deo a videntibus
divinam essentiam, per alias similitu-
dines videantur.*

2. 2. quest. clxxv. artic. 4. & III. dist. xiv.
artic. 1. quest. III. corp. & IV. dist. xliv.
quest. II. artic. I. corp. & ad 3. & ver. quest.
VIII. art. 5. & quest. X. artic. II. corp.

AD nonum sic proceditur. Videntur quod ea quæ videntur in Deo a videntibus divinam essentiam, per alias similitudines videantur. Omnis enim cognitio est per assimilationem cognoscientis ad cognitionem; sic enim intellectus in actu fit intellectum in actu (1), & visus in actu visibile in actu, inquantum ejus similitudine informatur, ut pupilla similitudine coloris. Si igitur intellectus videntis Deum per essentiam intelligat in Deo alias creaturem, oportet quod earum similitudinibus informetur.

2. Præterea. Ea quæ prius vidimus, memoriter tenemus. Sed Paulus videns in raptu essentiam Dei, ut dicit Augustinus XII. super Genes. ad lit. (2) (cap. III. & xxviii.) postquam defuit essentiam Dei videret, recordatus est multorum quæ in illo raptu viderat: unde ipse dicit, quod *audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*: II. Cor. III. 4. Ergo oportet dicere, quod aliqua similitudines eorum quæ recordatus est, in ejus intellectu remanerint: & eadem ratione, quando præstantialiter videbat Dei essentiam, eorum quæ in ipsa videbat, alias similitudines, vel species habebat.

Sed contra est quod per unam speciem videntur speculum, & ea quæ in speculo apparent. Sed omnia sic videntur in Deo sicut in quadam speculo intelligibili. Ergo si ipse

Deus non videntur per aliquam similitudinem, sed per suam essentiam, nec ea quæ in ipso videntur, per alias similitudines, sive species videntur.

Respondeo dicendum quod videntes Deum per suam essentiam ea quæ in ipsa essentia Dei vident, non vident per alias species, sed per ipsam essentiam divinam intellectui eorum unitam. Sic enim cognoscitur unumquodque, secundum quod similitudo ejus est in cognoscente; sed hoc contingit duplum. Cum enim quæcumque uni & eidem sunt similia, sibi invicem sint similia, virtus cognoscitiva duplum assimilari potest alicui cognoscibili. Uno modo secundum se, quando directe ejus similitudine informatur; & tunc cognoscitur illud secundum se. Alio modo secundum quod informatur specie alicujus quod est ei simile; & tunc non dicitur res cognosci in se ipsa, sed in suo simili. Alia enim est cognitio qua cognoscitur aliquis homo in se ipso, & alia qua cognoscitur in sua imagine. Sic ergo cognoscere res per earum similitudines in cognoscente existentes, est cognoscere eas in se ipsis, seu in propriis naturis; sed cognoscere eas, prout earum similitudines præexistunt in Deo, est videre eas in Deo (3). Et haec duas cognitiones differunt. Unde secundum illam cognitionem qua res cognoscuntur a videntibus Deum per essentiam, in ipso Deo non videntur per alias similitudines alias, sed per solam essentiam divinam intellectui præsenterem, per quam & Deus videntur.

Ad primum ergo dicendum, quod intellectus creatus videntis Deum assimilatur rebus quæ videntur in Deo, inquantum unitur essentiæ divinæ, in qua rerum omnium similitudines præexistunt.

Ad secundum dicendum, quod aliqua potentiaz cognoscitivæ sunt quæ ex speciebus primo conceptis alias formare possunt; sicut imaginario ex præconceptis speciebus montis, & au-

(1) Ut ex lib. 3. de anima text. 27. ac deinceps colligi potest, ubi, *scientiam secundum actum identificat rei scitæ*.

(2) Äquivalenter ibi ac deinceps tertium cœlum in quod se raptum dicit Paulus, non corporalem vel imaginariam visionem interpretatur; sed *visionem quæ caseras omnes superas*. Sed expressius cap. 28. ubi tertium illud cœlum ait esse *in quo videntur claritas Dei, cuius videntes corda mundantur; iuxta illud Beati mundo corde &c.* Et inferius addit: *Cum non credamus quod tanto Apostolo Doctori Gentium septo usque ad illam excellentissimam visionem voluntis Deum demonstrare vitam in qua vivendum est*

in eternum? Sed hac de re plenus in 2. 2. qu. 174. art. 3. ubi tractatur ex professo.

(3) Huc pertinere possunt quæ de cognitione matutina creaturarum hoc est in Deo ipso notat Augustinus, & nos post illum infra hunc loco cum de creatione tractabimus: Ut & quod S. Prosper lib 3. de vita contemplativa cap. 33. ait: *Ibi veritatem perfectis quos hic ejus inquisitione delectabat, sine ullis figuris fallentibus demonstrabat, ut plenaria sapientia perceptione divinitus illustrata non solam omnium creaturarum rationem, sed ipsam sui creatoris eminentiam revelata facie conspiciant.*

& auri format speciem montis aurei ; & intellectus ex praconcepis speciebus generis , & differentiæ format rationem speciei ; & similiter ex similitudine imaginis formare possumus in nobis similitudinem ejus cuius est imago . Et sic Paulus , vel quicumque aliis videns Deum ex ipfa visione essentiæ divinæ potest formare in se similitudines rerum quæ in essentia divina videntur : quæ remanserunt in Paulo etiam postquam defit Dei essentiam videre . Ista tamen visio qua videntur res per hujusmodi species sic conceperat , est alia a visione qua videntur res in Deo .

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per rationem ostendas , merito dictum ab Apostolo 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in enigmate , tunc autem facie ad faciem .* Logebatur D. Paulus de mysteriis fidei omnibus , ut patet in textu per ly *omnem fidem* : & dicit , nos cognituros illa omnia non amplius per speculum in enigmate , idest , per species adæquatas ea inevidenter , licet certitudinaliter , ræpresentantes , sed facie ad faciem . Vult ergo D. Paulus hic dicere , quod multa crea , de quibus sunt multi articuli fidei , ut sunt mysteria incarnationis Domini , & redempcionis humanæ , videbuntur in patria facialiter , idest , per essentiam divinam facilius visam . Non ergo per proprias species creatas videbuntur . A simili dicas de aliis in Deo visis . Adde , quod videretur ignorantia propriæ vocis dicere , quod hujusmodi videntur in Deo , & quod videntur ibi per proprias adæquatas singulorum similitudines . Nam cognoscere aliquid in seipso est differens a cognoscere ipsum in alio in hoc , quod tunc in seipso cognoscitur , quando per propriam speciem cognoscitur , in alio vero cognoscitur , quando per speciem alterius ipsum ræpresentantis cognoscitur . De hoc vide responsionem ad primum . Secundo habes : quomodo per rationem illum sensum rectum Apostoli declares , declaratumque catholice defendas . Tertio vides : quomodo , &c.

Urum videntes Deum per essentiam simul videant omnia que in ipso videntur .

De his etiam contra Gent. Lib. III. cap. lix.

AD decimum sic proceditur . Videtur quod videntes Deum per essentiam non simul videant omnia quæ in ipso videntur . Quia secundum Philosophum (II. Top. cap. iv. in princ.) (1) *contingit multa scire , intelligere vero unum* . Sed ea quæ videntur in Deo , intelliguntur : intellectu enim videntur Deus . Ergo non contingit a videntibus Deum simul multa videri in Deo .

2. Præterea . Augustinus dicit VIII. super Genes. ad litteram (cap. xxii. & xxiii.) quod *Deus movet creaturam spiritualem per tempus , hoc est per intelligentiam , & affectionem* . Sed creatura spiritualis est Angelus qui Deum videret . Ergo videntes Deum successive intelligunt , & afficiuntur : tempus enim successionem importat .

Sed contra est quod Augustinus dicit XV. de Trinitate (cap. xvi. circa fin.) *Non erunt volubiles nostre cogitationes , ab aliis in alia euntis , atque redeentes ; sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus .*

Respondeo dicendum , quod ea quæ videntur in Verbo , non successive , sed simul videntur . Ad cuius evidentiam considerandum est , quod ideo nos simul non possimus multa intelligere , quia multa per diversas species intelligimus . Diversis autem speciebus non potest intellectus unius simul actu informari ad intelligendum per eas ; sicut nec unus corpus potest simul diversis figuris (*) figurari . Unde contingit quod quando aliqua multa una specie intelligi possunt , simul intelliguntur : sicut diversæ partes aliquius totius , si singulæ propriis speciebus intelligantur , successive intelliguntur , & non simul ; si autem omnes intelligantur una specie totius , simul intelligentur . Ostensum est autem (art. præc.) quod ea quæ videntur in Deo , non videntur singula per suas similitu-

(1) Non 4. Topicorum , ut prius indicabatur , sed 2. ubi paulo aliter , *intelligere vero non (dixisse) dicitur sed (supple multa)* Ex non autem quispiam fecit unum : Quamvis aequalenter subintelligi potest . Quod autem ex 8. super Genesim subiungitur , iam notatum est supra ex cap. 19. ac deinceps , ubi a creatura corporali spiritualis distinguitur , quia illa per locum & per tempus movetur , hac

per tempus dumtaxat , non per locum . Appendix porro sequens ex ult. lib. de Trinit. cap. 16. significat non fore volubiles cogitationes neq; quoad successionem actus qui simplex intuitus erit ; neque quoad successionem objectorum , quorum nullum intelligetur post aliud , juxta intentum hujus loci .

(*) *Ali. formari* .

Histudines, sed omnia per unam essentiam Dei. Unde simul, & non successive videntur.

Ad primum ergo dicendum, quod sic unum tantum intelligimus, in quantum una specie intelligimus; sed multa una specie intellecta simul intelliguntur; sicut in specie hominis intelligimus animal, & rationale, & in specie domus parietem, & tectum.

Ad secundum dicendum, quod Angelii, quantum ad cognitionem naturalem, qua cognoscunt res per species diversas eis inditas, non simul omnia cognoscunt; & sic moventur secundum intelligentiam per tempus, sed secundum quod vident res in Deo, simul eas vident.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, quod visionem beatorum, qua scilicet beati vident divinam essentiam in eaque alia, Daniel recte vocavit aternitates dicens c. 12. qui ad justitiam erudiunt plurimos, erunt, sicut stelle in perpetuas aternitates. Voluit enim per hoc demonstrare, quod beati vident ea, quae vident in divina essentia, non successive, sed simul. Alioquin illæ beatorum visiones non bene viderentur vocari aternitates. Nam aternitas est tota simul, non successiva habitus rei posseffio, q. 10. art. 1. Item quod Ps. 81. beatos vocat Deos dicens: *Ego dixi: Dii esis.* Vult ergo, quod beati sint Deiformes, seu, quod intellectus eorum tunc sit Deiformis. Cum igitur Deus non intelligat successive, sed simul quæcumque intelligit, tunc intellectus noster dicitur Deiformis, quando a se intellecta non successive, sed simul intelliguntur. Propheta itaque dum vult, quod beatorum intellectus sit Deiformis; velle videtur, quod quæcumque beati in essentia divina intelligunt, simul intelligent. Secundo vides: quomodo, &c.

Utrum aliquis in hac vita possit videre Deum per essentiam.

1. 2. quest. v. artic. 3. cor. & IV. dist. xlvi.
- quest. II. artic. 7. & ver. quest. X. artic. II.
- & qual. I. quest. I. artic. I. & III. conc. cap. xlvi.

AD undecimum sic proceditur. Videtur quod aliquis in hac vita possit Deum per essentiam videre. Dicit enim Jacob Genes. xxxii. 30. *Vidi Deum facie ad faciem.* Sed videre facie ad faciem est videre per essentiam, ut patet per illud quod dicitur I. Cor. XIII. 12. *Videmus nunc per speculum, & in anigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ergo Deus in hac vita per essentiam videri potest.

2. Præterea. Numer. XII. 8. dicit Domininus de Moyse: *Ore ad os loquor ei.* Sed qui ore ad os loquitur Deo, palam, & non per ænigmata, & figuratas, videt Deum: (1) sed hoc videre est Deum per essentiam videre. Ergo aliquis in statu hujus vitæ potest Deum per essentiam videre.

3. Præterea. Illud in quo alia omnia cognoscimus, & per quod de aliis judicamus, est nobis secundum se notum. Sed omnia etiam nunc in Deo cognoscimus: dicit enim Augustinus XII. Confess. (cap. xxv. circa med.) *Si ambo videmus verum esse quod dicas; & ambo videmus verum esse quod dico: ubi, queso, illud videmus (*)? Nec ego in te, nec tu in me; sed ambo in ipso, quæ supra montes nostras est, incomparabili veritate.* Idem etiam in Lib. de vera Religione (cap. xxxi. per totum) dicit, quod secundum veritatem divinam de omnibus judicamus: & XII. de Trinit. (cap. II. vers. fin.) dicit (2), quod rationis est judicare de istis corporalibus secundum rationes incorporales, & sempiternas: quæ nisi supra mentem essent, incomparabiles profecto non essent. Ergo & in hac vita ipsum Deum videmus.

4. Præterea. Secundum Augustinum XII. super Genes. ad litteram (cap. xxv. & præc.) visione intellectuali videntur ea quæ sunt in anima per suam essentiam. Sed visio intellectua-

(1) Vel secundum 70. *Ore ad os loquar ei* (λαλήσομαι) & in specie non per ænigmata; & gloriam Domini videt.

(2) *Ali.* Nec ego utique in te.

(2) *S*ive plenius: *Nec jam ambigendum est in-*

commutabilem naturam quæ super rationalem animam fit, Deum esse: Nam hec est illa incomparabilis veritas quæ lex omnium artium recte dicitur: Et postea Nas (inquit) secundum veritatem de inferioribus iudicamus: De nobis ensem sola ipse judicat, &c.

Etualis est de rebus intelligibilibus, non per aliquas similitudines, sed per suas essentias, ut ipse ibidem dicit. Ergo cum Deus sit per essentiam suam in anima nostra, per essentiam suam videtur a nobis.

Sed contra est quod dicitur Exod. xxxiiii.
20. *Non videbit me homo, & vivet.* Glossa ord. „ Quamdui hic mortaliter vivitur, vi- „ deri per quasdam imagines Deus potest, „ sed per ipsam naturam suam speciem non po- „ test “ (1).

Respondeo dicendum, quod ab homine pu- ro Deus videri per essentiam non potest, nisi ab hac vita mortali separetur. Cujus ratio est, quia, sicut supra dictum est (art. 4. hujus quæst.) modus cognitionis sequitur mo- dum naturæ rei cognoscens. Anima autem nostra, quamdui in hac vita vivimus, habet esse in materia corporali: unde naturaliter non cognoscit aliqua, nisi quæ habent for- mam in materia, vel quæ per hujusmodi cognosci possunt. Manifestum est autem quod per naturas rerum materialium divina esen- tia cognosci non potest. Ostensum est enim supra (art. 1. & 9. hujus quæst.) quod co- gnitio Dei per quamcumque similitudinem creatam non est visio essentiaz ipsius. Unde impossibile est animæ hominis secundum hanc vitam viventis essentiam Dei videre. Et hu- jus signum est quod anima nostra quanto magis a corporalibus abstractur, tanto in- telligibiliū abstractorum fit capacior. Unde in somniis, & alienationibus a sensibus cor- poris magis divinæ revelationes percipiun- tur, & prævisions futurorum. Quod ergo ani- ma elevetur usque ad supremum intelligibiliū, quod est essentia divina, esse non po- test, quamdui hac mortali vita utitur.

Ad primum ergo dicendum, quod secun- dum Dionysium i.v. cap. cœlest. Hierar. (circa med.) sic in Scripturis dicitur aliquis Deum vidisse, inquantum formatæ sunt aliquæ fi-

guræ vel sensibiles, vel imaginariæ secundum aliquam similitudinem aliquod divinum re- præsentantes. Quod ergo dicit Jacob, *Vidi Deum facie ad faciem*, referendum est non ad ipsam divinam essentiam, sed ad figuram, in qua repræsentabatur Deus. Et hoc ipsum ad quamdam prophetiaz eminentiam perti- net (*) ut videatur loquens Deus, licet ima- ginaria visione, ut infra patebit (2. 2. quæst. clxxiv.) cum de gradibus prophetiaz loque- mur. Vel hoc dicit Jacob ad designandam quamdam eminentiam intelligibilem contem- plationis supra communem statum (2).

Ad secundum dicendum, quod sicut Deus miraculoſe aliquid supernaturaliter in rebus cor- poreis operatur, ita etiam & supernaturaliter, & præter communem ordinem mentes ali- quorum in hac carne viventium, sed non sensibus carnis utentium, usque ad visionem suæ essentiaz elevavit, ut dicit Augustinus XII. super Genes. ad litteram (cap. xxv. xxvii. & xxviii.) & in Libro de videndo Deum (cap. xiiii. præcipue) de Moyse, qui fuit magister Iudeorum, & de Paulo, qui fuit Magister Gentium. Et de hoc plenus tractabitur, cum de raptu ejus agemus (2. 2. quæst. clxxv. art. 3. præcipue.)

Ad tertium dicendum, quod omnia dici- mur in Deo videre, & secundum ipsum de omnibus judicare, inquantum per participa- tionem sui luminis omnia cognoscimus, & dijudicamus: nam & ipsum lumen naturale rationis participatio quædam est divini lumi- nis: sicut etiam omnia sensibilia dicimur vi- dere, & judicare in Sole, id est per lumen Solis. Unde dicit Augustinus I. Soliloquiorum (cap. viii. in princ.) (3) *Disciplinarum spectamina videri non possunt, nisi aliquo velut suo sole illustrentur*, videlicet Deo. Sicut er- go ad videndum aliquid sensibiliter non est necesse quod videatur substantia Solis; ita ad videndum aliquid intelligibiliter, non est ne- cef-

(1) Usurpatum ex Gregorio lib. 18. Moral. cap. 37. vel in modernis 28. super illud lob. 28. *Sapien- sia ubi invenerit?* vel secundum 70. *Unde sapientia est?* (τόπος οὐ πάντα) vel sicut legit Gregorius, *unde sapientia venit?* Mortaliter autem vivere intelligit vitales actus exercere quibus mortalium vita eget, quia distrahit intellectum ne spiritualia & divina plene capiat: Sive paulo aliter: *Quia quisquis sapientiam quo Deus est videt, hunc visa funditus mor- ritur, ne jam eis amor teneatur: Nullus quippe eam vides qui carnaliter adhuc vivit: quia nemo potest Deum simul amplecti & seculum: Qui enim Deum vides, eo ipso moritur, quo vel insensio- cordis vel effectu operis ab bujus vita delectationibus*

sese mente separatur: Sed hoc ad essentiaz visionem non spectat.

(2) *Isa codd. Alcan. & Camer. Al.* ut videatur persona Dei loquentis, vel loquens Deus.

(2) Nec idem est *facie ad faciem* in veteri & no- vo Testamento; quia ibi corporaliter per figuram creatam apparebat; hic autem tantum spirituali vi- sione: Unde *visio faciei* tunc erat quando per cor- pus magis luminosum videntium oculis resulgebat. Sed nunc *visio faciei* spiritualiter intelligitur essen- tia visio &c.

(3) Non in Soliloquiis illis adulterinis que sub eius nomine inscribuntur ad finem tom. 9. sed in veris ac legitimis que habentur ab illo scriptis tom. 1.

cessarium quod videatur essentia Dei.

Ad quartum dicendum, quod visio intellectualis est eorum quae sunt in anima per suam essentiam, sicut intelligibilia in intellectu. Sic autem Deus est in anima beatorum, non autem in anima nostra, sed per presentiam, essentiam, & potentiam.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem elidas haeresim *Begardorum*, & *Beguinorum* dicentium: hominem in praesenti vita posse consequi finalem beatitudinem secundum omnem perfectionis gradum, quem habebit in patria, atque in vita beata. Unde secundum istorum diabolicam illusionem poterat homo in praesenti videre divinam essentiam clare; cum ista sit hominis finalis beatitudo. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hanc jure fuisse damnatam a Papa Clemente in *Coneilio Vienensis*. Clementina de haeret. Ad nostrum. Ibi enim recensito hoc inter alios predictorum errore, subjunxit damnationem in forma, quam habes supra quest. ista artic. 4. Item ab *Evaristo* Papa epistola prima ad *Episcopos Africanos* sic. *Nam lucem inaccessibilem, quam Pater & Filius inhabitant, nullus in hoc mortali corpore constitutus potest aliquatenus contueri.* Tertio vides: quomodo ex his &c.

ARTICULUS XII. 66

Utrum per rationem naturalem Deum in hac vita cognoscere possimus.

I. dist. III. quest. i. art. 1. & IV. cont. cap. L
& Boetius de Trinitate quest. I. art. 2.

AD duodecimum sic proceditur. Videtur quod per naturalem rationem Deum in hac vita cognoscere non possimus. Dicit enim Boetius in lib. de consolat. (V. inter med. & fin. prosa iv.) quod *ratio non capit simplicem formam*. Deus autem maxime est simplex forma, ut supra ostensum est (quest. IIII. art. 7.) Ergo ad ejus cognitionem ra-

Summi. S.Th, T.I.

tio naturalis pervenire non potest.

2. Præterea. Ratione naturali sine phantasmatu nihil intelligit anima, ut dicitur in III. de Anima (tex. 30. habetur etiam de mem. & remin. cap. i.) (1). Sed Dei, cum sit incorporeus, phantasma in nobis esse non potest. Ergo cognosci non potest a nobis cognitione naturali.

3. Præterea. Cognitio quæ est per rationem naturalem, communis est bonis, & malis, sicut natura eis communis est. Sed cognitio Dei competit tantum bonis: dicit enim Augustinus I. de Trinitate (cap. ii. parum a prin.) quod *mentis humanae acies in tam excellenti luce non figuratur, nisi (...) per justitiam fidei emundetur.* Ergo Deus per rationem naturalem cognosci non potest.

Sed contra est quod dicitur Rom. i. 19. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis,* (2) idest quod cognoscibile est de Deo per rationem naturalem.

Respondeo dicendum, quod naturalis nostra cognitio a sensu principium sumit. Unde tantum se nostra naturalis cognitio extendere potest, in quantum manuduci potest per sensibilia. Ex sensibilibus autem non potest usque ad hoc intellectus noster pertinere quod divinam essentiam videat: quia creaturæ sensibiles sunt effectus Dei, virtutem causæ non adæquantes. Unde ex sensibili cognitione non potest tota Dei virtus cognosci, & per consequens nec ejus essentia videri. Sed quia sunt ejus effectus a causa dependentes, ex eis in hoc perduci possumus ut cognoscamus de Deo an est, & ut cognoscamus de ipso ea quæ necesse est ei convenire, secundum quod est prima omnium causa, excedens omnia sua causata (3).

Unde cognoscimus de ipso habitudinem ipsius ad creaturas, quod scilicet omnium est causa; & differentiam creaturarum ab ipso, quod scilicet ipse non est aliiquid eorum quæ ab eo causantur; & quod hæc non resumentur ab eo propter ejus defectum, sed quia superexcedit.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio ad formam simplicem pertinere non potest, ut sciar de ea quid est; potest tamen de ea

O cognoscere.

(1) Quia scilicet phantasmatu veluti quedam sensibilia sunt, in quibus ut exemplis objectum suum intellectus inspicit, sicut partim ibidem, partim text. 39. videtur est.

(2) *Ali. per justitiam fidei nutrita vegetetur.*

(3) *Vel ex Biblio emendatis, manifestum in illis, ut hic Exemplaria quedam legunt & ipse S.*

Thomas ibi lect. 6. ubi explicat *manifestum in illis* quasi dicat, *ex eo quod in illis est* (intressoco lumine). Quin & ibidem *notum Dei* explicat ut hic, nempe cognoscibile iuxta græcum τὸ γνῶναι.

(3) Puta quod sit immensus, infinitus, aternus, independens, & summe intelligens, vel summo potens ac omnino perfectus.

cognoscere, ut sciat, an est (1).

Ad secundum dicendum, quod Deus naturali cognitione cognoscitur per phantasmata effectus sui.

Ad tertium dicendum, quod cognitio Dei per essentiam, cum sit per gratiam, non competit nisi bonis; sed cognitio ejus quæ est per rationem naturalem, potest competere bonis, & malis: unde dicit Augustinus in Lib. I. Retractionum (cap. iv. retractans quod dixerat I. Lib. Soliloq. cap. i.) Non approbo quod in oratione dixi: *Deus, qui non nisi mundos verum scire voluisti. Responderi enim potest, multos etiam non mundos multa scire vera, scilicet per rationem naturalem.*

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito scripturam sacram in locis multis, & philosophiam testari nos posse cognoscere intellectu naturali Deum in hac vita. De quibus, quia in q. 2. artic. 2. pro aperiendo tibi viam tactum est, nihil in praesenti est dicendum. Vide tu illic. Secundo habes: quomodo hujusmodi scripturarum testimonia catholice interpretari valeas, atque a contrariis defendere. Tertio vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S XIII. 67

Utrum per gratiam habeatur altior cognitio Dei quam ea que habetur per rationem naturalem.

Quest. XXXII. artic. 1. & I. dist. III. quest. I. artic. 4. & ver. quest. X. artic. ult. & Boe. Tri. quest. I. artic. 4.

AD decimumtertium sic proceditur. Videtur quod per gratiam non habeatur altior cognitio Dei quam ea quæ habetur per rationem naturalem rationem. Dicit enim Diony-

sius I. Lib. de mystica Theologia (cap. 1, in fin.) quod ille qui melius unitur Deo in hac vita, unitur ei sicut omnino ignoto. Quod etiam de Moyse dicit; qui ramen excellentiam quamdam obtinuit in gratia cognitione. Sed conjungi Deo, ignorando de eo quid est, hoc contingit etiam per rationem naturalem. Ergo per gratiam (2) non plenus cognoscitur a nobis Deus quam per rationem naturalem.

2. Præterea. Per rationem naturalem in cognitionem divinorum pervenire non possumus, nisi per phantasmata, (*) similiter etiam nec secundum cognitionem gratia. Dicit enim Dionysius 1. cap. cœl. Hierarchie (cir. med.) quod *impossibile est nobis aliter lucere (3) divinum radium, nisi (**) varietate sacrorum velaminum circumvelatum.* Ergo per gratiam non plenus cognoscimus Deum quam per rationem naturalem.

3. Præterea. Intellectus noster per gratiam fidei Deo adhæret. Fides autem non videtur esse cognitio: dicit enim Gregorius in hom. (xxvi. in Evang. a med. illius) quod ea que non videntur, fidem habent, & non agnitionem (4). Ergo per gratiam non additur nobis aliqua excellentior cognitio de Deo.

Sed contra est quod dicit Apostolus I. Cor. 11. 10. *Nobis revelavit Deus per spiritum suum, illa scilicet que nemo principum bujus seculi novit, idest Philosophorum, ut exponit Glossa (Hier. in illum loc.)*

Respondeo dicendum, quod per gratiam perfectior cognitio de Deo habetur a nobis quam per rationem naturalem: quod sic patet. Cognitio enim quam per rationem naturalem rationem habemus, duo requirit, scilicet phantasmata ex sensibilibus accepta, & lumen naturale intelligibile, cuius virtute inelligibilis conceptiones ab eis abstrahimus.

Et quantum ad utrumque juvarum humana cognitione per revelationem gratia. Nam & lumen naturale intellectus confortatur per infu-

(1) An non aliud quoque sensum Boetius videtur indicare? cum sic plenus sit: *Ratio non capis simplicem formam; sed intelligentia quasi desuper specios, concepta forma, qua subsunt cuncta diuidit.* Intelligentia taliter tribuens velut oculo celsiori quod rationi non concedit.

(2) Pro gratuito dono sumptam qualis est fides ipsa, etiam peccatoris; non pro gratia justificante.

(*) Edit. Rom. sic etiam.

(3) Significantius & majori emphasi græce, *Stapxu' axti'q; quasi dævino principalem radium,* ut qu. I. notatum est.

(**) Edit. eadem, veritate.

(4) Imo potius e converso, quod es que videntur, fidem non habens sed agnitionem; ut hom. 26. in Evang. videtur est super illud Joan. 20. *Quis videt me, Thoma, credidisti:* Æquivalenter tamen pro eodem habetur quod sensum. Explicatio autem sequens Glossæ, habetur tum in veteri manuscripto que de malignis etiam spiritibus præmittit illud intelligi, tum in impressa nova interlin. quis denomenum, *Philosophorum & Doctorum ignorantiam simul jungit.*

infusionem luminis gratuiti ; & interdum etiam phantasma in imaginatione hominis formantur divinitus magis experientia res divinas quam ea que naturaliter a sensibilibus accipimus , sicut appareat in visionibus prophetaribus : & interdum etiam aliquæ res sensibiles formantur divinitus , aut etiam voces ad aliquid divinum exprimendum ; sicut in baptismo visus est Spiritus sanctus in specie columba⁽¹⁾ , & vox Patris auditæ est : *Hic est Filius meus dilectus . Matth. 11. 17.*

Ad primum ergo dicendum , quod licet per revelationem gratiæ in hac vita non cognoscamus de Deo quid est , & sic ei quasi ignoto conjungamur ; tamen plenius ipsum cognoscimus , inquantum plures , & excellentiores effectus ejus nobis demonstrantur , & inquantum ei aliqua attribuimus ex revelatione divina , ad quæ ratio naturalis non pertingit , ut Deum esse trinum , & unum .

Ad secundum dicendum , quod ex phantasmatis vel a sensu acceptis secundum naturalem ordinem , vel divinitus in imaginatione formati tanto excellentior cognitione intellectualis habetur , quanto lumen intelligibile in homine fortius fuerit : & sic per revelationem ex phantasmatis plenor cognitione accipitur ex infusione divini luminis .

Ad tertium dicendum , quod fides cognitione quedam est , inquantum intellectus determinatur per fidem ad aliquod cognoscibile . Sed hæc determinatio ad unum non procedit ex visione creditis , sed a visione ejus cui creditur . Et sic inquantum deest vi-
cio , deficit a ratione cognitionis quæ est in scientia⁽²⁾ : nam scientia determinat intellectum ad unum per visionem , & intellectum primorum principiorum .

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per ratio-
Nem interimas hæreses Raymundi Lull. &
Suenfeldii (Direct. Inqu. 2. p. qu. 9. a. 98.)

quorum primus ait ; *Sicut verius cognoscimus ea , que videmus , quam ea , que palparus : ita sumus dispositi ad cognoscendum veritatem per rationem , quam per fidem . Secundus autem inquit . Homo quilibet præditus est ea iustitia , sapientia , caritate ; atque virtutibus omnibus pari dignitate , & modo , quibus Deus essentialiter est prædictus . Non ergo secundum istos superbissimos homunciones , maximeque ignaros major cognitione de Deo poterat haberi per gratiam , quam per naturalem rationem . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas , has justissime damnari a scripturis sanctis 1. Cor. 2. Quam sapientiam nemo principum hujus seculi novit ; nobis autem revelavit Deus per spiritum suum . Item Rom. 8. quid oremus , sicut oportet , nescimus , ipse autem spiritus adjuvat infirmitatem nostram , & posuit pro nobis gemitibus inenarrabilibus . Item a mille locis scripturarum specialiter Heb. 11. Fides est argumentum non apparentium . Ecce : non apparent multa rationi humanae naturali , quæ tamen per fidem certo cognoscuntur . Item pro confusione illorum a Phil. 2. Met. , intellectus noster se habet ad manifestissima natura , sicut oculus noctua ad lunam solis . Applica tu . Item a Papa Gregor. 11. post diligenter examinationem per viginti volumina Raymundi Lull. tandem ut vere hæreticalia de fratum suorum consilio condemnata sunt , & ejus doctrina generaliter interdicta , quæ plusquam quingentos articulos erroneos continebat : de quibus ille unus est , qui sup. fuit positus . Vide Direct. ibi . Suenfeldianam vero arrogantium , Luciferianamque superbiam , quæ scripturæ , quæ Concilia , quæ jura Pontificia , Cæsareaque & philosophica non abhorreant , non stomachentur , non condemnent ? Ideo specialia contra tam manifestam insaniam consulto hic omittuntur . Tertio vides : quomodo , &c.*

(1) Non ergo fantastica & imaginalia tantum columba fuit quæ in baptismo Christi apud Evangelistas omnes apparuisse indicatur ; sed verum fuit & reale animal eo fine formatum divinitus , ut ex professo docet S. Thomas 3. part. qu. 39. art. 7. & ibi rursas expendetur .

(2) Hinc fides aliquando significatur visionis nomine ut & cognitionis propter primam conditionem : Ut cum dicitur 1. ad Corinth. 13. vers. 12. *Videamus nunc in enigmate , quod ad fidem ex Augustino Beda referit : Et mox : Nunc cognoscere ex parte ; Si-*

cut & paulo supra : Ex parte cognoscimus : Cum autem veneris quod perfectum est , evacuabitur quod ex parte est : Evacuatur enim sola fides , non cognitione qualiscumque . Per oppositum vero aliquando negatur esse vel cognitione vel visu proper secundam rationem : Ut cum agnitione fidem opponit Gregorius ; cum Augustinus fidem definit esse quæ creduntur quæ non videantur ; cum Apostolus ad Rom. 8. dicit . Quod vides quis , quid sperat ? Perinde ac si dicat , quid credit ? Sed hæc suo loco planius .

QUESTIO DECIMATERTIA.

*De nominibus Dei,**In duodecim articulos divisa.*

Consideratis his quæ ad divinam (*) cognitionem pertinent, procedendum est ad considerationem divinorum nominum. Urumquodque enim nominatur a nobis, secundum quod ipsum cognoscimus.

Circa hoc ergo queruntur duodecim.

Primo, utrum Deus sit nominabilis a nobis.

Secundo, utrum aliqua nomina dicta de Deo predicentur de ipso substantialiter.

Tertio, utrum aliqua nomina dicta de Deo proprie dicantur de ipso, an omnia attribuantur ei metaphorice.

Quarto, utrum multa nomina dicta de Deo sint synonyma.

Quinto, utrum nomina aliqua dicantur de Deo, & creaturis univoce, vel æquivoce.

Sexto, supposito quod dicantur analogice, utrum dicantur de Deo per prius, vel de creaturis.

Septimo, utrum aliqua nomina dicantur de Deo ex tempore.

Octavo, utrum hoc nomen *Dens* sit nomen naturæ, vel operationis.

Nono, utrum hoc nomen *Dens* sit nomen communicabile.

Decimo, utrum accipiatur univoce, vel æquivoce, secundum quod significat Deum per naturam, & per participationem, & secundum opinionem.

Undecimo, utrum hoc nomen qui est sit maxime proprium nomen Dei.

Duodecimo, utrum propositiones affirmativaæ possint formari de Deo.

ARTICULUS I. 68

Utrum aliquod nomen Deo conveniat.

I. dist. XXII. quest. I. art. I.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod nullum nomen Deo conveniat. Dicit enim Dionysius I. cap. de div. Nom. (a med. ill. lect. 3.) quod neque nomen ejus est, neque opinio: & Proverb. xxx. 4. dicitur: Quod nomen ejus, & quod nomen filii ejus, si non sit (1)?

2. Præterea. Omne nomen aut dicitur in abstracto, aut in concreto. Sed nomina significantia in concreto non competit Deo, cum simplex sit; neque nomina significantia in abstracto, quia non significant aliquid perfectum subsistens. Ergo nullum nomen potest dici de Deo.

3. Præterea. Nomina significant substantiam cum qualitate; verba autem & participia significant cum tempore; (2) pronomina autem cum demonstratione, vel relatione: quorum nihil competit Deo: quia sine qualitate est, & sine omni accidente, & sine tempore, & sentiri non potest, ut demonstrari possit, nec relative significari; cum relativa sint aliquorum antedictorum recordativa, vel nominum, vel participiorum, vel pronominum demonstrativorum. Ergo Deus nullo modo potest nominari a nobis.

Sed contra est quod dicitur Exod. xv. 3. *Quasi vir pugnator, Omnipotens nomen ejus.*

Respondeo dicendum, quod secundum Philosophum (I. Periher. cap. 1. in princ.) (3) voces sunt signa intellectuum, & intellectus sunt rerum similitudines: & sic patet quod voces referuntur ad res significandas mediante conceptione intellectus. Secundum igitur quod aliquid a nobis intellectu cognosci potest, sic a nobis potest nominari. Ostensum est autem supra (art. II. quest. prec.) quod Deus in hac vita non potest a nobis videri per suam essentiam, sed cognoscitur a nobis ex

(*) Edis. Rom. perfectionem.

(1) Ubi de Dei Patris, & Fili nomen dicti Be- da expresso notat cuius antiquæ mysterium sapientia secularis narratione scire non posset, inquit: Sed haec pars græca non habetur.

(2) Id est, ad principale significatum suum temporis notam adjiciunt; quod Philosophus vocat προσηγουμενα seu adsignificare vel consignificare, ut videlicet est lib. 1. de interpretatione (vel πριδικουμενα)

ubi de verbo.

(3) Colligitur ex libro mox notato statim ab initio libri sub his aliis verbis: *Ea que sunt in voce sunt earum affectionum vel passionum, que sunt in anima nota (ταχθυτας σύμβολα)* Et mox: *Eadem sunt omnibus anima passiones: Et res eadem, quae sunt similitudines (συμπάντα) passiones ipsa sunt, &c.*

ex creaturis secundum habitudinem principii, & per modum excellentiarum, & remotionis. Sic igitur potest nominari a nobis ex creaturis; non tamen ita quod nomen significans ipsum exprimat divinam essentiam, secundum quod est; sicut hoc nomen *homo* exprimit sua significatione essentiam hominis, secundum quod est, significat enim ejus definitionem declarantem ejus essentiam: ratio enim quam significat nomen, est definitio.

Ad primum ergo dicendum, quod ea ratione dicitur Deus non habere nomen, vel esse supra nominationem (1), quia essentia ejus est supra id quod de Deo intelligimus, & voce significamus.

Ad secundum dicendum, quod quia ex creaturis in Dei cognitionem venimus, & ex ipsis eum nominamus; nomina quae Deo attribuimus, hoc modo significant secundum quod competit creaturis materialibus, quarum cognitio est nobis connaturalis, ut supra dictum est (quest. præc. art. 4.) Et quia in hujusmodi creaturis ea quae sunt perfecta, & subsistentia, sunt composita; forma autem in eis non est aliquid completem subsistens, sed magis quo aliquid est: inde est quod omnia nomina a nobis imposita ad significandum aliquid completem subsistens, significant in concretione, prout competit compositis; quae autem imponuntur ad significandas formas simplices, significant aliquid non ut subsistens, sed ut quo aliquid est; sicut albedo significat ut quo aliquid est album. Quia igitur & Deus simplex est, & subsistens est, attribuimus ei (*) nomina abstracta ad significandam simplicitatem ejus, & nomina concreta ad significandam subsistentiam, & perfectionem ipsius; quamvis utraque nomina deficit a modo ipsius, sicut intellectus noster non cognoscit eum ut est, secundum hanc vitam.

Ad tertium dicendum, quod significare substantiam cum qualitate est significare suppositum cum natura, vel forma determinata, in qua subsistit. Unde sicut de Deo dicuntur aliqua in concretione ad significandum

(**) (2) subsistentiam, & perfectionem ipsius, sicut jam dictum est (in solut. præc.) ita dicuntur de Deo nomina significantia substantiam cum qualitate. Verba vero, & participia consignificantia tempus dicuntur de ipso ex eo quod æternitas includit omne tempus. Sicut enim simplicia subsistentia non possumus apprehendere, & significare nisi per modum compositorum; ita simplicem æternitatem non possumus intelligere, vel voce exprimere nisi per modum temporalium rerum: & hoc propter connaturalitatem intellectus nostri ad res compositas, & temporales. Pronomina vero demonstrativa dicuntur de Deo, secundum quod faciunt demonstrationem ad id quod intelligitur, non ad id quod sentitur. Secundum enim quod a nobis intelligitur, secundum hoc sub demonstratione cadit. Et sic secundum illum modum quo nomina, & participia, & pronomina demonstrativa de Deo dicuntur, secundum hoc (***) & pronominiis, & nominibus relativis significari potest.

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte dictum ab Isa. 42. *Ego Dominus, hoc est nomen meum: & nihilominus bene dictum a Concilio Lateran. sub Innoc. III. de sum. Trinit. & Fid. Cath. firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod &c. Deus est ineffibilis.* Per Isa. enim sicut per Moysen Exod. 3. *Dominus vir pugnator, Omnipotens nomen ejus,* ostenditur, quod Deus nominatur ex creaturis: per Concilium vero, quod hujusmodi nomina divinam essentiam, secundum quod est in seipso, nec exprimunt, nec exprimere possunt. *Secondo* habes: quomodo per hanc etiam rationem articuli derideas hereticum *Suenfeldi* art. 13. quest. 12. narratam. Si enim Deum non possumus perfecte nominare; utique pari sapientia cum Deo seipsum per seipsum perfectissime nominante prediti non sumus. *Secunda* ergo pars conclusionis est contra Suen-

(1) Sicut verus Interpres reddit græcum ὑπερώνυμον quod §. 5. Dionysius hic usurpat, nec uno vocabulo latino reddi potest: Idem autem est quod super nomine *huius nomen superior*; vel ab omni nomine *superlativus segregatus* (ὑπεροχής αὐγημένος) ut & infra subiungit.

(*) Rom. edit. nomina simplicia, & nomina abstracta.

(**) Edis. cip. in textu substantiam, in margine substantientiam.

(2) Sic ex Manuscriptis, ex Gothicis, & ex impressis

sis passim; quamvis in Exemplari Colonienſi ad marginem notatur *substantiam*. Sed hac mutatione non est opus: Concreta quippe non substantiam tantum pro essentia sumptam; sed essentiam subsistentia important implicite: Nec tamen absoluta subsistentia inde magis inferri potest quam suppositum abolutum, quod hereticum esset: Sensus ergo est subsistentiam significari personalem consuam triplex suppositorum, &c.

(***) Ali. a pronominiis, vel nominibus, relativis.

Suencfeldianam insaniam : cuius quidem op-
positum ipse ibi supra virtualiter dicit. Ter-
tio etiam habet : quomodo per eamdem ra-
tionem demonstres, hanc haeresim rite damna-
ri a Concilio supradicto ibi, Deus est ineffa-
bilis. Quarto vides : quomodo ex his vicissim
stabilitur conclusio.

A R T I C U L U S II. 69

*Utrum aliquod nomen dicatur de Deo
substantialiter.*

Pot. quest. VII. artic. 4. & 5. & I. dist. II.
artic. 2. & I. con. cap. li.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod nullum nomen dicatur de Deo substantialiter. Dicit enim Damascenus (Lib. I. de Fid. orth. cap. IV.) Oportet singula eorum quae de Deo dicuntur, non quid est secundum substantiam significare, sed quid non est ostendere, aut habitudinem quamdam, aut aliquid eorum quae aequantur naturam, vel operationem.

2. Præterea. Dicit Dionysius I. cap. de div. Nom. (1) (ante med. lect. 3.) Omnia (2) sanctorum Theologorum hymnum invenies (3) ad beatos Thearchie processus manifestative, & laudative Dei nominationes dividentem. Et est sensus, quod nomina, quæ in divinam laudem sancti doctores assumunt, secundum processus ipsius Dei distinguuntur. Sed quod significat processum alicujus rei, nihil significat ad ejus essentiam pertinens. Ergo nomina dicta de Deo non dicuntur de ipso substantialiter.

3. Præterea. Secundum hoc nominatur aliiquid a nobis, secundum quod intelligitur. Sed non intelligitur Deus a nobis in hac vita secundum suam substantiam. Ergo nec aliquod nomen impositum a nobis dicitur de Deo secundum suam substantiam.

Sed contra est quod dicit Augustinus VII. de Trinitat. (cap. I. & VII. per totum &

Lib. VI. cap. IV.) (2) Deo hoc est esse quot forte esse, vel sapientem esse, & si quid de illa simplicitate dixeris, qua ejus substantia significatur. Ergo omnia nomina hujusmodi significant divinam substantiam.

Respondeo dicendum, quod de nominibus quæ de Deo dicuntur negative, vel quæ relationem ipsius ad creaturam significant, manifestum est quod substantiam ejus nullo modo significant, sed remotionem alicujus ab ipso, vel relationem ejus ad alium, vel potius alicujus ad ipsum.

Sed de nominibus quæ absolute, & affirmative de Deo dicuntur, sicut bonus, sapiens, & hujusmodi, multipliciter aliqui sunt opinati. Quidam enim dixerunt, quod hæc omnia nomina, licet affirmative de Deo dicuntur, tamen magis inventa sunt ad aliquid removendum a Deo, quam ad aliquid ponendum in ipso. Unde dicunt, quod cum dicimus Deum esse viventem, significamus quod Deus non hoc modo est sicut res inanimatae; & similiter accipendum est in aliis: & hoc posuit Rabbi Moyes (3) (in Lib. qui dicitur קָדְשָׁךְ בָּבֶל, idest Doctorem dubiorum.) Alii vero dicunt, quod hæc nomina imposita sunt ad significandum habitudinem ejus ad creata; ut cum dicimus, Deus est bonus, sit sensus, Deus est causa bonitatis in rebus; & eadem ratio est in aliis.

Sed utrumque istorum videtur esse inconveniens propter tria. Primo quidem quia secundum neutram harum positionum posset assignari ratio quare quedam nomina magis de Deo dicentur quam alia. Sic enim est causa corporum, sicut est causa bonorum: unde si nihil aliud significatur, cum dicitur, Deus est bonus, nisi Deus est causa bonorum; poterit similiter dici, quod Deus est corpus, quia est causa corporum. Item per hoc quod dicitur, quod est corpus, removetur quod non sit ens in potentia tantum, sicut materia prima. Secundo quia sequeretur quod omnia

(1) Vel pliōre sensu: *Omne sacra Theologorum hymnologia* (ιερὰ θεολόγων ὑμνολογία) ad bonicos primordialis deitatis progressus (αὐτούς τοὺς θεοράτους προέστε) nominationes divinas efformantem (διανοδάλωσις) seu disponentem, &c.

(2) Al. sanctum.

(3) Al. ad bonos.

(2) Ubi paulo plenius: *Ea si quid de illa simili multiplicitate vel multiplici simplicitate dixeris, &c.* Non sicut prius lib. 7. & ad marg. cap. I. & 7. vel totum, ut cirat Bannez; qui tamen legitimum indicem addit, ut & exemplaria quedam S. Th. licet aliqua similitudine lib. 7. quoad sensum.

(3) Unus nimisrum ex Magistris vel Doctoribus

Judeorum qui *Moses Ben Maimon* vel *Barmachim* (seu filius Maimonis) appellatur, ut Raymundus Martini noster (hoc est ordinis *Predicatorum*) S. Thomæ coetaneus author in suo *Pugione fidei* numerico excuso passim vocat; ubi 3. part. dist. 3. cap. 2. §. 9. quedam ex ejus libro quem inscripsit *Directio-*
nem perplexorum (five Doctorem dubiorum) ad hujus loci sensum pertinentiam refert; nempe quod in proprio Dei nomine substantiam vel esse Dei significante non communiceat ulla omnino creatura; cetera vero ejus nomina ex operibus desumpta sint quæ ipse fecit, &c.

Omnia nomina dicta de Deo , per posterius dicerentur de ipso ; sicut sanum per posterius dicitur de medicina , eo quod significat hoc tantum quod sit causa sanitatis in animali , quod per prius dicitur sanum . Tertio quia hoc est contra intentionem loquentium de Deo . Aliud enim intendunt dicere , cum dicunt Deum viventem , quam quod sit causa vitae nostrae , vel quod differat a corporibus inanimatis .

Et ideo aliter dicendum est , quod hujusmodi quidem nomina significant substantiam divinam , & prædicantur de Deo substantia-
liter , sed deficient a repræsentatione ipsius . Quod sic patet . Significant enim sic nomina Deum , secundum quod intellectus noster cognoscit ipsum . Intellectus autem noster , cum cognoscat Deum ex creaturis , sic cognoscit ipsum , secundum quod creaturæ ipsum repræsentant . Ostensum est autem supra (qu. 111. art. 2.) quod Deus in se præhabet omnes perfectiones creaturarum , quasi simpliciter , & universaliter perfectus . Unde quælibet creatura intantum eum repræsentat , & est ei similis , inquantum perfectionem aliquam habet , non tamen ita quod repræsentet eum sicut aliiquid ejusdem speciei , vel generis , sed sicut excellens principium , a cuius forma effectus deficient , cuius tamen aliqualem similitudinem effectus consequuntur ; sicut formæ corporum inferiorum repræsentant virtutem solarem . Et hoc supra expositum est (quest. iv. art. 3.) (1) cum de perfectione divina agebatur . Sic igitur prædicta nomina divinam substantiam significant ; imperfecte tamen , sicut & creaturæ imperfecte eam repræsentant . Cum igitur dicitur , Deus est bonus , non est sensus , Deus est causa bonitatis , vel Deus non est malus ; sed est sensus , Id quod bonitatem dicimus in creaturis , præexistit in Deo , & hoc quidem secundum modum altiore . Unde ex hoc non sequitur quod Deo competit esse bonum inquantum causat bonitatem ; sed potius e converso , quia est bonus , bonitatem rebus diffundit , secundum illud Augustini de doctrina christiana (Lib. I. cap. xxxii.) In quantum bonus est , sumus .

Ad primum ergo dicendum , quod Damascenus ideo dicit , quod hæc nomina (2) non significant quid est Deus , quia a nullo istorum nominum exprimitur , quid est Deus perfecte , sed unumquodque imperfecte eum significat , sicut & creaturæ imperfecte eum repræsentant .

Ad secundum dicendum , quod in significacione nominum aliud est quandoque a quo imponitur nomen ad significandum , & aliud ad quod significandum nomen imponitur ; sicut hoc nomen *lapis* imponitur ab eo quod lædit pedem (3) non tamen imponitur ad hoc significandum quod significet lædens pedem , sed ad significandam quædam speciem corporum , alioquin omne lædens pedem esset lapis . Sic igitur dicendum est , quod hujusmodi divina nomina imponuntur quidem a processibus Deitatis : sicut enim secundum diversos processus perfectionum creaturæ Deum repræsentant , licet imperfecte ; ita intellectus noster secundum unumquemque processum Deum cognoscit , & nominat ; sed tamen hæc nomina non imponit ad significandum ipsos processus , ut cum dicitur , Deus est vivens , sit sensus , ab eo procedit vita ; sed ad significandum ipsum rerum principium , prout in eo præexistit vita , licet eminentiōri modo quam intelligatur , vel significetur .

Ad tertium dicendum , quod essentiam Dei in hac vita cognoscere non possumus , secundum quod in se est , sed cognoscimus eam , secundum quod repræsentatur in perfectionibus creaturarum : & sic nomina a nobis imposita eam significant .

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo : quomodo per rationem confundas hæresim *Algazelis* (Director . Inquis. 2. far. qn. 4.) somniantis , quod perfectiones Deo attributæ , puta , sanctitas , bonitas , &c. nihil dicunt positive in Deo . Secundo habes : quomodo per rationem demonstres , hanc justissime damnari a scripturis , que passim Deum vocant sanctum , bonum , suavem , & hujusmodi , si catholice , intelligantur . Item particulariter a Levit. 19.

San-

(1) Ubi ex professo queritur *utrum aliqua creatura possit esse similis Deo* , & afferitur quod sic , sed imperfecte tantum .

(2) Non corum *singulum tantum* , sicut in argumento ut sub finem capituli ibi citati videre est .

(3) Sic apud Isidorum lib. 16. Etymol. vel Origin. cap. 3. explicatur : Quasi *lædipes* , ut etiam

agnoscit Calepinus : Et hoc referri p. t. si illud Psal. 90. ver. 12. *Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum* ; ut & Isa. 8. vers. 14. & quod ad Rom. 9. vers. 32. ac 1. Petri 2. vers. 8. *lapis offensionis* appellatur : Quamvis potius allusio inventitia videatur quam legitima derivatio .

Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester.

Si enim, ut Algazel vult, sanctitas dicit tantum remotionem in Deo, sufficeret populo, cui sic loquebatur, non esse malum: & tamen ultra hoc requirebatur ad ejus sanctitatem aliquid positivum, scilicet, *timere patrem, & matrem: sabbata custodire.* Sic enim mox ibi subjungitur: *Unusquisque patrem suum, & matrem timeat, sabbata mea custodite: ego Dominus Deus vester.* Nolite converti ad idola, nec Deos confariles facietis vobis. Duo igitur exigit sanctitas, quam Deus a populo requirit scilicet servare precepta negativa. *Nolite converti ad &c. & servare precepta affirmativa. Unusquisque patrem timeat, &c.* Ergo & declinare a malo, & facere bonum sanctitatem Deo similem in nobis constituit. Quod, si in Deo sanctitas non nisi remotionem mali importat: dixisset Deus: *Sancti estote, quia ego sanctus sum: Nolite converti ad idola, &c.* nullam penitus faciendo mentionem de preceptis affirmativis. Alioquin videretur Deus velle, non esse sanctiores se, cum ipse secundum istum tantum remotive sit sanctus, & tamen a nobis non remotivam tantum, quæ dicit non esse malum, sed etiam positivam, quæ dicit facere bonum, sanctitatem requirit. Item ab ipso Directorio Inquisitor. sic in principio illius quæstionis dicente: *Antiqui philosophi, ut Platonici, Stoici, Pythagorici, Epicurei in generali: Aristoteles, Peripateticci, Averroes, Avicenna, Algazel, Alundus, & Rabbi Moses in speciali multos errores, & hæreses contra fidem sanctam nostram posuerunt:* quod patet prosequendo, ut sequitur. Et post inter multos enumerat illum Algazelis dictum: qui etiam cum Rabbi Moysi, ut hic dicitur, coincidit. Item a locis *supra quæst. 4. art. 1. & 2. citatis. Tertio vides: &c.*

ARTICULUS III. 70

Uerum aliquod nomen dicatur de Deo proprie.

*Pot. quæst. VII. art. 4. ad 6. & I. dist. VIII.
quæst. IV. artic. 3. & dist. XXII.
artic. 2. & I. cont. cap. XXX.*

AD tertium sic proceditur. Videtur quod nullum nomen dicatur de Deo proprie. Omnia enim nomina quæ de Deo dicimus, sunt a creaturis accepta, ut dictum est (art. 1. hujus quæst.). Sed nomina creaturarum metaphorice dicuntur de Deo, sicut cum dicitur, Deus est lapis, vel leo, vel aliquid hujusmodi. Ergo nomina dicta de Deo dicuntur metaphorice.

2. Præterea. Nullum nomen proprie dicitur de aliquo, a quo verius removetur quam de eo prædicetur. Sed omnia hujusmodi nomina, *bonus, sapiens, & similia,* verius removentur a Deo quam de eo prædicentur, ut patet per Dionysium 11. capit. *cœlestis Hierarchiæ* (parum ante med. & iv. similiter.) (1) Ergo nullum istorum nominum proprie dicitur de Deo.

3. Præterea. Nomina corporum non dicuntur de Deo nisi metaphorice, cum sit incorporeus. Sed omnia hujusmodi nomina implicant quasdam corporales conditions: significant enim cum tempore, & cum compositione, & cum aliis hujusmodi, quæ sunt conditions corporum. Ergo omnia hujusmodi nomina dicuntur de Deo metaphorice.

Sed contra est quod dicit Ambrosius in Lib. II. de fide (in princ. prologi.) *Sunt quedam nomina que evidenter proprietatem Divinitatis ostendunt, & quedam que perspicuum divinis majestatis exprimunt (*) veritatem (2); alia vero sunt que translative per similitudinem de Deo dicuntur.* Non igitur omnia nomina dicuntur de Deo metaphorice, sed aliqua dicuntur proprie.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est (art. præc.) Deum cognoscimus ex perfectione

(1) Ubi hoc ipsum quod Scriptura Deum appellat *mentem, sapientiam, lumen, vitam (& similia) multum ab ejus praestantia semotum esse* dicit, quia superat & excedit omnia.

(*) *Ali. unitatem.*

(2) Ambrosii textus habet unitatem; Opponit enim iis quæ personarum proprietatem significant: Et quæ tertio loco hic ponuntur, paulo aliis verbis ponit in secundo; nempe quæ *similitudinem*

Patris & Filiæ ostendunt. Unde pro aliorum exemplo assert *generationem, filium, verbum, quæ ad proprietates personales pertinent: Pro aliis virtutem, veritatem, sapientiam, vitam, quæ pertinent ad unitatem essentia: At pro aliis quæ splendorem, characterem, speculum, imaginem, quæ similitudinem tantum ejus per metaphoram representant.*

cionibus precedentibus in creaturas ab ipso: quæ quidem perfectiones in Deo sunt secundum eminentiorem modum quam in creaturis, intellectus autem noster eo modo apprehendit eas secundum quod sunt in creaturis: & secundum quod apprehendit, ita significat per nomina. In nominibus igitur quæ Deo attribuimus, est duo considerare, scilicet perfectiones ipsas significatas, ut bonitatem, vitam, & hujusmodi, & modum significandi. Quantum igitur ad id quod significant hujusmodi nomina, proprie compertunt Deo, & magis proprie quam ipsis creaturis, & per prius dicuntur de eo. Quantum vero ad modum significandi non proprie dicuntur de Deo: habent enim modum significandi qui creaturis competit.

Ad primum ergo dicendum, quod quædam nomina significant hujusmodi perfectiones a Deo procedentes in res creatas hoc modo quod ipse modus imperfectus quo a creatura participatur divina perfectio, in ipso nominis significato includitur; sicut lapis significat aliquid materialiter ens: & hujusmodi nomina non possunt attribui Deo nisi metaphorice (1). Quædam vero nomina significant ipsas perfectiones absolute absque hoc quod aliquis modus participandi claudatur in eorum significatione, ut *ens*, *bonum*, *vivens*, & hujusmodi: & talia proprie dicuntur de Deo.

Ad secundum dicendum, quod ideo hujusmodi nomina dicit *Dionysius* (loco in arg. citato) negari a Deo, quia id quod significatur per nomen, non convenit eo modo ei quo nomen significat, sed excellentiori modo. Unde ibidem dicit *Dionysius*, quod est super omnem substantiam, & vitam.

Ad tertium dicendum, quod ista nomina quæ proprie dicuntur de Deo, important conditions corporales non in ipso significatio nominis, sed quantum ad modum significandi; ea vero quæ metaphorice de Deo dicuntur, important conditionem corporalem in ipso suo significato.

Summ. S.Th. T. I.

(1) Sicut cum *lapis angularis* vel in *caput angulatum* facetus appellatur *Matth.* 21. verf. 42. *Marc.* 12. verf. 10. *Luc.* 20. ver. 17. *A&t. 4.* verf. 11. *Ephes.* 2. verf. 20. ut & i. *Petri* 3. verf. 4 ac deinceps; ubi etiam *lapis vivus* dicitur esse super quem & nos tamquam *lapidem vivi* adificamus, &c.

(2) Juxta significationem quæ communius apud Latinos usurpatur pro his quæ idem re ac ratione significant, quod est *omnino idem* significare: Quamvis potius apud Græcos ut & apud Latinos quosdam

A P P E N D I X.

Ex art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte in Decretis 24. q. 1. ca. *Odi*, & *projeci*, dictum fuisse, *odire*, & *projicere*, & non *odorari*, *humana* dicitur *similitudine*: ut nos *affectionem* Dei nostris sermonibus agnoscamus. Hæc ibi. Quasi ad litteram planiorem dicat. Aliqua nomina dicuntur metaphorice de Deo licet aliqua proprie ex consequenti dicantur de ipso. Secundo ex hoc decreto regulam unam principalius ad litteram sumere potes: aliam ex consequenti. Prima sit hæc. Quando scriptura sacra Deo attribuit aliquid, quod est hominis, vel alterius creaturæ, tunc per metaphoram, seu similitudinem loquitur; non proprietatem. Altera virtualiter inclusa, & ex consequenti hinc habita sit hæc. Quando sacra litteræ attribuunt Deo aliquid, quod non est proprium creaturæ, sed est perfectio secundum seipsum absolute: tunc de Deo loquuntur non per similitudinem, sed per proprietatem. Regularum harum sensum declarant responsiones datæ in textu ad argumenta. Pro hoc articulo facit etiam appendix art. 2. *Tertio* vides: quomodo, &c.

A R T I C U L U S IV. 72

Utrum nomina dicta de Deo sint nomina synonyma.

Pot. quest. VII. artic. 4. & I. cont. cap. V.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod ista nomina dicta de Deo sint nomina synonyma. Synonyma enim nomina dicuntur quæ omnino idem significant (2). Sed ista nomina dicta de Deo omnino idem significant in Deo: quia bonitas Dei est ejus essentia, & similiter sapientia. Ergo ista nomina

P

mina

intelliguntur synonyma (vel συνώνυμα) quæ nos univoca dicimus: *Polyonyma* vero (sive τολμηρά) quasi multinomina, quæ hic *synonyma* dicuntur: Quia tamen etiam univoca sunt illa quorum est idem nomen & eadem ratio (idest eadem essentia) inde factum est ut *synonyma* dicerentur quæ omnimode ratione idem sunt; idest etiam intellectu: Quod hie non superflue nec extra rem notandum fuit, ne inexpertos ambiguitas loquutionis fallat,

mina sunt omnino synonyma.

2. Præterea. Si dicatur, quod ista nomina significant idem secundum rem, sed secundum rationes diversas; contra. Ratio cui non respondet aliquid in re, est vana. Si ergo istæ rationes sunt multæ, & res est una, videtur quod rationes istæ sint vanæ.

3. Præterea. Magis est unum quod est unum re, & ratione, quam quod est unum re, & multiplex ratione. Sed Deus est maxime unus. Ergo videtur quod non sit unus re, & multiplex ratione; & sic nomina dicta de Deo non significant rationes diversas, & ita sunt synonyma.

Sed contra. Omnia synonyma sibi invicem adjuncta nugationem adducunt, sic ut si dicatur *verbis*, indumentum. Si igitur omnia nomina dicta de Deo sunt synonyma, non posset convenienter dici Deus bonus, vel aliquid hujusmodi; cum tamen scriptum sit Hier. xxxii. 19. *Fortissime, magne, posens, Dominus exercitum nomen tibi.*

Respondeo dicendum, quod hujusmodi nomina dicta de Deo non sunt synonyma.

Quod quidem facile esset videris, si dicieremus, quod hujusmodi nomina sunt industia ad removendam, vel ad designandam habitudinem causæ respectu creaturarum: sic enim essent diversæ rationes horum nominum secundum diversa negata, vel secundum diversos effectus connotatos.

Sed secundum quod dictum est (art. 2. hujus qu.) hujusmodi nomina substantiam divinam significare, licet imperfecte, etiam plane appareat secundum præmissa (art. 1. hujus quest.) quod habent rationes diversas. Ratio enim quam significant nomen, est concepcionis intellectus de re significata per nomen. Intellectus autem noster, cum cognoscat Deum ex creaturis, format ad intelligendum Deum conceptiones proportionatas perfectionibus procedentibus a Deo in creaturas: quæ quidem perfectiones in Deo præexistunt unite & simpliciter (1), in creaturis vero recipiuntur diverse & multipliciter. Sicut igitur diversis perfectionibus creaturarum respondet unum simplex principium representatum per diversas perfectiones creaturarum variæ & multipliciter; ita variis & multiplicibus conceptionibus intellectus nostri respondet unum omni-

vo simplex, secundum hujusmodi conceptiones imperfecte intellectum. Et ideo nomina Deo attributa licet significant unam rem, tamen quia significant eam sub rationibus multis, & diversis, non sunt synonyma.

Et sic patet solutio ad primum: quia nomina synonyma dicuntur quæ significant unum secundum unam rationem: quæ enim significant rationes diversas unius rei, non primo & per se unum significant, quia unum non significat rem nisi mediante concepcionis intellectus, ut dictum est (art. 1. hujus quest.)

Ad secundum dicendum, quod rationes plures horum nominum non sunt cassæ & vanæ: quia omnibus eis respondet unum quid simplex per omnia hujusmodi multipliciter, & imperfecte representatum.

Ad tertium dicendum, quod hoc ipsum ad perfectam Dei unitatem pertinet quod ea quæ sunt multipliciter, & divisim in aliis, in ipso sunt simpliciter, & unite. Et ex hoc continget quod est unus re, & plures secundum rationem: quia intellectus noster ita multipliciter ipsum representant.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem demonstres, recte fuisse dictum a Job, 33. *semel loquitur, & secundo id ipsum non repetit.* Quod si dicta nomina essent synonyma, videretur id ipsum prorsus, & re scilicet, & ratione repetere, dum loquitur in scriptura sic. *Bonus, suavis, longanimis, fortis, patiens, admirabilis, misericors, justus, &c.* in eodem etiam quandoque contextu. Neque negandum, quod hujusmodi nominibus frequenter utantur sacra litteræ. Videtur ergo ibi voluisse dicere Job, quod nomina hujusmodi, quæ Deus de seipso loquitur, non sunt synonyma. Adeo, quod, repetendo penitus idem & re, & ratione, videretur nugationem committere; quod est inconveniens, ut habetur ex argumento sed contra. Tanto magis autem inconveniens hoc est, quanto excusationem quamdam videretur obtendere Hermanno, Quintino, Libertinis, Joanni de Parma plurquam blasphemie calumniantibus, quod scriptura est fatua,

(1) Ut jam supra cum de perfectione Dei quest. q. art. 2. ageretur, ex lib. de divinis nominibus cap. 5. notatum est; ubi dicuntur non unice dumtaxat, ut latine redditum fuisse propter defectum vocum, sed significantius græce ac expressius *isomia;*

quasi per modum singularis unicissime perfectionis existere; ac interius κατὰ μίαν & ἀπλότος ὑπερχάει id est secundum unam simplicitatis excellētiām, vel quandam excellenter simplicissimam unitatēm.

fatura, facta, delira, ridenda, pro fabulis habenda, continens citra veritatem quedam ad decorum, & ornamentum (Prat. *Hermannus Rissiob*, *Quintinus*, *Libertini*) Direct. testimonium de Divina sapientia in sacris literis loquente, Proverb. 8. *Iusti sunt omnes sermones mei, non est in eis praevarum quid, neque perversum; recti sunt intelligentibus, & equi invenientibus scientiam.* Item Michez 2. *Nonne verba mea bona sunt cum eo, qui recte graditur? Ne igitur videatur, vel apparenter favere his haereticis: semel loquitur scriptura sacra, id ipsum non repetit modo supra exposito. Facit contra predictos blasphemos impiissimos quest. 1. articul. 1. & 6. Secundo vides: quomodo, &c.*

ARTICULUS V. 72

Utrum ea que de Deo dicuntur, & creaturis, univoce dicantur de ipsis.

Pot. quest. vii. artic. 7. & opusc. II. cap. xxvii. & I. cont. cap. xxxii. xxxiii. & xxxiv.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod ea que dicuntur de Deo, & creaturis, univoce de ipsis dicantur. Omne enim æquivocum reducitur ad univocum, sicut multa ad unum: nam si hoc nomen *canis* æquivoce dicitur de latribili, & marino oportet quod de aliquibus univoce dicatur, scilicet de omnibus latrabilibus (1): aliter enim esset procedere in infinitum. Inveniuntur autem quedam agentia univoca, que conveniunt cum suis effectibus in nomine, & definitione, ut homo generat hominem; quedam vero agentia æquivoca, sicut Sol causat calidum, cum tamen ipse non sit calidus nisi æquivoce. Videtur igitur, quod primum agens, & ad quod omnia agentia reducuntur, sit agens univocum; & ita que de Deo, & creaturis dicuntur, univoce prædicanter.

2. Præterea. Secundum æquivoca non attenditur aliqua similitudo. Cum igitur crea-

turz ad Deum sit aliqua similitudo, secundum illud Genet. i. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: videtur quod aliquid univoce de Deo, & creaturis dicatur.*

3. Præterea. Mensura est homogenea mensurato (2), ut dicitur in X. Metaphys. (tex. 4.) Sed Deus est prima mensura omnium entium: ut ibidem dicitur. Ergo Deus est homogenus creaturis, & ita aliquid univoce de Deo, & creaturis dici potest.

Sed contra. Quidquid prædicatur de aliis quibus secundum idem nomen, & non secundum eamdem rationem, prædicatur de eis æquivoce. Sed nullum nomen convenit Deo secundum illam rationem secundum quam dicitur de creatura: nam sapientia in creaturis est qualitas, non autem in Deo: genus autem variatum mutat rationem, cum sit pars definitionis: & eadem ratio est in aliis. Quidquid ergo de Deo, & creaturis dicitur, æquivoce dicitur.

2. Præterea. Deus plus distat a creaturis quam quæcumque creaturæ ab invicem. Sed propter distantiam quarundam creaturarum contingit quod nihil univoce de eis prædicari potest, sicut de his que non convenient in aliquo genere. Ergo multo minus de Deo, & creaturis aliquid univoce prædicatur, sed omnia prædicant æquivoce.

Respondeo dicendum, quod impossibile est aliquid prædicari de Deo, & creaturis univoce. Quia omnis effectus non adæquans virtutem agentis recipit similitudinem agentis non secundum eamdem rationem, sed deficiente; ita quod id quod & divisim, & multipliciter est in effectibus, in causa est simpliciter, & eodem modo; sicut Sol secundum unam (3) virtutem multififormes, & varias formas in istis inferioribus producit. Eodem modo, ut supra dictum est (art. præc.) omnes rerum perfectiones, que sunt in rebus creatis divisim, & multipliciter, in Deo præexistunt unite, & simpliciter. Sic igitur cum aliquid nomen ad perfectionem pertinens de creatura dicitur, significat illam perfectio-

P 2 nem

(1) Ac eadem etiam rationis de omnibus marinis respectiva; qui sequuntur suam speciem univocam ac latrabiles constituant five latritiæ canes a naturali proprietate minus latrone ita dicti.

(2) Hoc est ejusdem rationis vel ejusdem generis juxta græcum συγγένης quod & novus Interpres vertit *congenes*: Non autem quoad genus physicum & materialiter *homogenes* intelligitur, sed formaliter quoad genus logicum: ut in exemplis ibi allatis patet; puta quod magnitudo sit mensura magnitudinis;

(et si una sit alterius generis materialiter & physice considerati quam altera; sicut ulla lignea magnitudo mensura est magnitudinis panni) ut & gravitas gravitatis, unitas unitatis; & vox vocis mensura: ex cap. 3. text. 4.

(3) Juxta exemplum quod & supra Dionylius affert 5. cap. de divinis nominibus §. 8. ubi ait virtutes omnes inferiorum rerum in uno Sole velint omnium causa uniformiter (uniformiter) præexistere ab illo produci &c.

nem (*) distinctam secundum rationem (**) definitionis ab aliis ; puta , cum hoc nomen *sapiens* de homine dicitur , significamus aliquam pefectionem distinctam ab essentia hominis , & a potentia , & ab esse ipsius , & ab omnibus hujusmodi ; sed cum hoc nomen de Deo dicimus , non intendimus significare aliquid distinctum ab essentia , vel potentia , vel esse ipsius . Et sic cum hoc nomen *sapiens* de homine dicitur , quodammodo describit , & comprehendit rem significatam , non autem cum dicitur de Deo ; sed relinquit rem significatam ut incomprehensam & excedentem nominis significationem . (1) Unde patet quod non secundum eamdem rationem hoc nomen *sapiens* de Deo , & de homine dicitur . Et eadem ratio est de aliis . Unde nullum nomen univoce de Deo , & creaturis praedicatur .

Sed nec etiam pure æquivoce , ut aliqui dixerunt . Quia secundum hoc ex creaturis nihil posset cognosci de Deo , nec demonstrari , sed semper incideret fallacia æquivocationis . Et hoc est tam contra Philosophum (VIII. Phys. & XII. Metaph.) qui multa demonstrative de Deo probat (2) , quam etiam contra Apostolum dicentem Rom. 1. 20. *Invisibilia Dei per ea que facta sunt , in tellesta conficiuntur* . Dicendum est igitur , quod hujusmodi nomina dicuntur de Deo , & creaturis secundum analogiam , idest proportionem .

Quod quidem dupliciter contingit in nominibus : vel quia multa habent proportionem ad unum , sicut sanum dicitur de medicina , & urina , inquantum utrumque habet ordinem , & proportionem ad sanitatem animalis : cuius hoc quidem signum est , illud vero causa : vel ex eo quod unum habet proportionem ad alterum , sicut sanum dicitur de medicina , & animali , inquantum medicina est causa sanitatis , quæ est in animali . Et hoc modo aliqua dicuntur de Deo , & creaturis analogice , & non æquivoce pure , neque univoce .

(*) *Ali. ut distinctam.*

(**) *Ali. definitionis.*

(1) Ex cap. 7. de divinis nominibus , ubi sapientia Dei super omnem sapientiam esse dicitur , & ideo *suras* nuncupatur (*μωρα σοφια*) quia excedit rationem .

(2) Nempe quod sit aliquis primus motor , quod immobilis esse debeat , quod perpetuus & aeternus ; quod alia omnia ex illo sint , omnemque motum suum ab illo recipient qualiter oportet esse Deum , ut videre est Physic. 8. text. 45. ac deinceps ; ut & lib. 12. Metaph. a text. 29. usque ad finem libri .

Non enim possumus nominare Deum nisi ex creaturis , ut supra dictum est (art. 1. hujus qu.) Et sic quidquid dicitur de Deo , & creaturis , dicitur secundum quod est aliquis ordo creaturæ ad Deum ut ad principium , & causam , in qua præexistunt excellenter omnes rerum perfectiones . Et iste modus communis medius est inter puram æquivocationem , (3) & simplicem univocationem . Neque enim in iis quæ analogice dicuntur , est una ratio , sicut est in univocis , nec totaliter diversa , sicut in æquivocis ; sed nomen quod sic multipliciter dicitur , significat diversas proportiones ad aliquid unum ; sicut sanum de urina dictum significat signum sanitatis animalis , de medicina vero dictum significat causam ejusdem sanitatis .

Ad primum ergo dicendum quod licet in prædicationibus oporteat æquivoca ad univoca reduci , tamen in actionibus agens non univocum ex necessitate præcedit agens univocum . Agens enim non univocum est causa universalis totius speciei , ut Sol est causa generationis omnium hominum ; agens vero univocum non est causa agens universalis totius speciei , alioquin esset causa sui ipsius , cum sub specie contineatur , sed est causa particularis respectu hujus individui , quod in participatione speciei constituit . Causa igitur universalis totius speciei non est agens univocum . Causa autem universalis est prior particulari . Hoc autem agens universale , licet non sit univocum , non tamen est omnino æquivocum , quia sic non faceret fibi simile ; sed potest dici agens analogicum ; sicut in prædicationibus omnia univoca reducuntur ad unum primum non univocum , sed analogicum , quod est ens .

Ad secundum dicendum , quod similitudo creaturæ ad Deum est imperfecta : quia etiam nec idem secundum genus repræsentat , ut supra dictum est (quest. iv. artic. 3.)

Ad tertium dicendum , quod Deus non est men-

(3) Quæ dici solet *æquivocatio a causa* , quia causa factum est ut res tam extraneas ac diversas a se in vicem uno nomine contingere exprimi : Per oppositum ad æquivocationem a consilio quæ cum analogia coincidit ; quia propter aliquam convenientiam deliberate impositum est unius rei nomen alieci alteri ; Sic cum *videntem achansum* Virgilius Egloca 4. vel *videntem fortunam* Ovidius lib. 1. Tristium Elegia 4. vocavit , & nos prata dicimus *videntia* : Sic Psal. 64. vers. 13. *exultatione colles accensi* , ac etiam 113. vers. 4. *montes us aviles aruisse dicuntur* , &c.

mensura proportionata mensuratis : (1) unde non oportet quod Deus , & creaturæ sub uno genere contineantur .

Ea vero quæ sunt in contrarium , concludunt , quod non univoce hujusmodi nomina de Deo , & creaturis prædicentur , non autem quod æquivoce .

A P P E N D I X .

EX art. habes primo : quomodo per rationem ostendas , Papam *Innocentium* in Concilio generali de summa Trinit. & fide cath. *Damnamus* , merito dixisse ; *Estate perfecti perfectione gratie* , sicut & Pater *vester celestis perfectus est perfectione nature* : utraque videlicet suo modo , quia inter creatorem & creaturam non potest tanta similitudo notari , quin inter eos major sit dissimilitudo notanda . Hæc ibi . Ecce , quod l'apa ponit analogiam inter creaturam , & creatorem . Secundo vides : quomodo &c.

A R T I C U L U S VI. 73

Utrum nomina per prius dicantur de creaturis quam de Deo .

I. cont. cap. XXXIV. & pot. quest. VII.
artic. 5. ad 8.

AD sextum sic proceditur . Videtur quod nomina per prius dicantur de creaturis quam de Deo . Secundum enim quod cognoscimus aliquid , secundum hoc illud nominamus , cum nomina secundum Philosophum (Lib. I. Perih. cap. 1.) sint signa intellectuum (2) . Sed per prius cognoscimus creaturam quam Deum . Ergo nomina a nobis imposita per prius convenientur creaturis quam Deo .

2. Præterea . Secundum Dionysium in Lib. de divin. Nom. (cap. 1. aliquantul. ante

fin. lect. 4.) *Deum ex creaturis nominamus* . Sed nomina a creaturis translata in Deum , per prius dicuntur de creaturis quam de Deo , sicut leo , lapis , & hujusmodi . Ergo omnia nomina quæ de Deo , & de creaturis dicuntur , per prius de creaturis quam de Deo dicuntur .

3. Præterea . Omnia nomina quæ communiter de Deo , & creaturis dicuntur , dicuntur de Deo sicut de causa omnium , ut dicit Dionysius (cap. 1. de myst. Theol. parum ante med.) (3) Sed quod dicitur de aliquo per causam , per posterius de illo dicitur : per prius enim dicitur animal sanum quam medicina , quæ est causa sanitatis . Ergo hujusmodi nomina per prius dicuntur de creaturis quam de Deo .

Sed contra est quod dicitur Ephes. III. 14. *Fletio genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu* , *ex quo omnis paternitas* (4) *in cælo* , & *in terra nominatur* : & eadem ratio videtur de omnibus aliis quæ de Deo , & creaturis dicuntur . Ergo hujusmodi nomina per prius de Deo quam de creaturis dicuntur .

Respondeo dicendum , quod in omnibus nominibus quæ de pluribus analogice dicuntur , necesse est quod omnia dicantur per spectrum ad unum . Et ideo illud unum oportet quod ponatur in definitione omnium . Et quia ratio quam significat nomen , est definitio , ut dicitur in IV. Metaph. (text. 28.) necesse est quod illud nomen per prius dicatur de eo quod ponitur in definitione aliorum , & per posterius de aliis secundum ordinem quo appropinquant ad illud primum vel magis , vel minus : sicut sanum quod dicitur de animali , cadit in definitione sanitatis quod dicitur de medicina , quæ dicitur sana , in quantum causat sanitatem in animali ; & in definitione sani quod dicitur de urina , quæ dicitur sana , in quantum est signum sanitatis animalis .

Sic ergo omnia nomina quæ metaphorice de

(1) Sic ergo illud quod ex Philosopho retulit , vult intelligi de mensura proportionata tantum .

(2) Jam notatum est supra paulo aliis verbis ex ejus libro de interpretatione seu περὶ εἰρήνης ad art. 1. hujus quæ nempe quod sunt animæ passionum signa , &c.

(3) Hic satis expresse ; ac de div. nom. cap. 5 implicite .

(4) De Angelorum paternitate qua propter illuminationem unus est pater alterius , explicat ibi S. Thomas , ut lect. 4. videre est : De hominum spirituali paternitate per quam caelestes patres dici possunt , sicut carnales per terrenos intelliguntur , Theo-

doretus explicandum vult ; & Apostolum ipsum tam spiritualem sive caelestem patrem suffit addit : Paulo aliter Hieronymus paternitatem intelligit cognitionem vel familiam , ut ex græco πατρία intellegi proprie potest : sicut & Num. 1. vers. 18. & Psalm. 21. vers. 28. usurpatur : Ut fit sensus quod omnis vel hominum vel Angelorum societas ex uno Deo Patre ut omnium auctore derivatur ; Et si subiungit in Angelis etiam esse paternitatem quamdam spiritualem qua suos illuminatores gaudens patres appellare adoptione non natura , sicut nos appellamus Prophetas , &c.

de Deo dicuntur, per prius de creaturis dicuntur quam de Deo: quia dicta de Deo nihil aliud significant quam similitudines ad tales creaturas. Sicut enim ridere dictum de prato nihil aliud significat quam quod pratum similiter se habet in decoro, cum floret, sicut homo cum ridet, secundum similitudinem proportionis; sic nomen leonis dictum de Deo nihil aliud significat quam quod Deus similiter se habet, ut fortiter operetur in suis operibus, sicut leo in suis. Et sic patet quod, secundum quod dicuntur de Deo, eorum significatio definiri non potest, nisi per illud quod de creaturis dicitur.

De aliis autem nominibus quae non metaphorice dicuntur de Deo, esset etiam ea-
dem ratio, si dicerentur de Deo causaliter tantum, ut quidam posuerunt. Sic enim cum dicitur, Deus est bonus, nihil aliud esset quam Deus est causa bonitatis creaturae; & sic hoc nomen *bonum* dictum de Deo clauderet in suo intellectu bonitatem creaturae (1). Unde bonum per prius diceretur de creatura quam de Deo.

Sed supra ostensum est (art. 2. hujus quest.) quod hujusmodi nomina non solum dicuntur de Deo causaliter, sed etiam essentialiter. Cum enim dicitur, Deus est bonus, vel sapiens, non solum significatur, quod ipse sit causa sapientiae, vel bonitatis, sed quod haec in eo eminentius praesistunt. Unde secundum hoc dicendum est, quod quantum ad rem significatam per nomen, per prius dicuntur de Deo quam de creaturis, quia a Deo hujusmodi perfectio-
nes in creaturas manant; sed quantum ad impositionem nominis per prius a nobis imponuntur creaturis, quas prius cognoscimas. Unde & modum significandi habent qui competit creaturis, ut supra dictum est (art. 3. hujus quest.)

Ad primum ergo dicendum, quod objectio illa procedit quantum ad impositionem nominis.

Ad secundum dicendum, quod non est ea-
dem ratio de nominibus quae metaphorice de Deo dicuntur, & de aliis, ut dictum est (in corp. art.)

(1) Quod ergo Damasc. lib. 1. de fide orthodox. cap. 14. ait ideo Deum essentiam vocari & ens, quia essentiam & entium omnium causa est, ut & vitam, sapientiam, &c. vel minus accurate loquitur ac proprie, vel ad sensum presentem logum supponendus est, quod hanc ipsa in Deo ut in causa eminens praeservat, sed formaliter tamen,

Ad tertium dicendum, quod objectio illa procederet, si hujusmodi nomina solum de Deo causaliter dicerentur, & non essentialiter, sicut sanum de medicina.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per ratio-
nem ostendas, merito dictum ab Apo-
stolo Eph. 3. Flecto genua ad Patrem Domini
nostrri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in
celo, & in terra nominatur. Ubi Apostolus
tenet, quod paternitatis nomen de Deo, &
creaturis dictum convenit prius Deo, quam
creaturis. De similibus autem est idem judi-
cium. Consule supra articulorum 2. & 3. ap-
pendices, quantum expedit. Secundo vides:
quomodo, &c.

A R T I C U L U S VII. 74

*Utrum nomina que important relationem ad
creaturas, dicantur de Deo ex tempore.*

*Infra quest. XXXIV. artic. 3. ad 2. & quest.
XXXVIII. artic. 2. & I. dist. XIV. quest. 1.
artic. 1. ad 5. & dist. XXX. artic. 1. per
totum, & 2. corp. & dist. XXXVII. quest.
II. artic. 3. c. & ad 3. & dist. XXXVIII.
artic. 4. ad 1. & III. dist. XXXII. art. 3.*

AD septimum sic proceditur. Videtur
quod nomina que important relationem
ad creaturas, non dicantur de Deo ex tem-
pore. Omnia enim hujusmodi nomina signi-
fificant divinam substantiam, ut communiter
dicitur. Unde & Ambrosius (Lib. I. de
fid. cap. 1. circa med.) dicit, quod hoc no-
men Dominus est nomen potestatis, que est
divina substantia, (*) & *Creator* significat
Dei actionem, que est ejus essentia. Sed
divina substantia non est temporalis, sed æ-
terna. Ergo hujusmodi nomina non di-
cuntur de Deo ex tempore, sed ab æternio.

2. Praeterea. Cuicunque convenit aliquid
ex tempore, potest dici factum: (2) quod enim
ex tempore est album, fit album. Sed Deo
non convenit esse factum. Ergo de Deo ni-
hil prædicatur ex tempore.

3. Prä-

(*) *Al.* & *creatio.*

(2) Vel simpliciter, si aliquid ei convenit ex tem-
pore quod sit substantiale prædicatum; sicut quando
dicitur homo fieri: Vel secundum quid, si tolum-
modo sit prædicatum accidentale; ut exemplum ad-
junctum significat de illo quod sit album.

3. Præterea. Si aliqua nomina dicuntur de Deo ex tempore, propter hoc quod important relationem ad creaturas, eadem ratio videtur de omnibus quæ relationem ad creaturas important. Sed quædam nomina importantia relationem ad creaturas dicuntur de Deo ab æterno; ab æterno enim scivit creaturam, & dilexit, secundum illud Hierem. xxxi. 3. *In caritate perpetua dilexi te.* Ergo & alia nomina quæ important relationem ad creaturas, ut *Dominus*, & *Creator*, dicuntur de Deo ab æterno.

4. Præterea. Hujusmodi nomina relationem significant. Oportet igitur quod relatio illa vel sit aliquid in Deo, vel in creatura tantum. Sed non potest esse quod sit in creatura tantum, quia sic Deus denominaretur *Dominus* a relatione opposita, quæ est in creaturis; nihil autem denominatur a suo opposto⁽¹⁾. Relinquitur ergo quod relatio est aliquid in Deo. Sed in Deo nihil potest esse ex tempore, cum ipse sit supra tempus. Ergo videtur quod hujusmodi nomina non dicantur de Deo ex tempore.

5. Præterea. Secundum relationem dicitur aliquid relative, puta secundum dominium dominus, sicut secundum albedinem albus. Si igitur relatio dominii non est in Deo secundum rem, sed solius secundum rationem, sequitur quod Deus non sit realiter dominus, quod patet esse falsum.

6. Præterea. In relativis quæ non sunt simul natura, unum potest esse altero non existente; sicut scibile existit non existente scientia, ut dicitur in Prædic. (cap. vii. tex. 5.) Sed relativa quæ dicuntur de Deo, & creaturis, non sunt simul natura. Ergo potest aliquid dici relative de Deo ad creaturam, etiam creatura non existente; & sic hujusmodi nomina, *Dominus*, & *Creator* dicuntur de Deo ab æterno, & non ex tempore.

Sed contra est quod dicit Augustinus V. de Trin. (cap. xvi.) quod hæc relativa ap-

pellatio *Dominus* Deo convenit ex tempore⁽²⁾.

Respondeo dicendum, quod quædam nomina importantia relationem ad creaturam, ex tempore de Deo dicuntur, & non ab æterno.

Ad cuius evidentiam sciendum est, quod quidam posuerunt relationem non esse rem naturæ, sed rationis tantum. Quod quidem apparet esse falsum ex hoc quod ipsæ res naturæ ordinem, & habitudinem habent ad invicem.

Verumtamen sciendum est, quod, cum relatio requirat duo extrema, tripliciter se habet ad hoc quod sit res naturæ, aut rationis. Quandoque enim ex utraque parte est res rationis tantum, quando scilicet ordo, vel habitudo non potest esse inter aliqua nisi secundum apprehensionem rationis tantum, utpote cum dicimus idem eidem idem. Nam secundum quod ratio apprehendit bis aliquod unum, statuit illud ut duo; & sic apprehendit quædam habitudinem ipsius ad seipsum. Et similiter est de omnibus relationibus quæ sunt inter ens, & non ens, quas format ratio, in quantum apprehendit non ens ut quædam extremum. Et idem est de omnibus relationibus quæ consequuntur actum rationis, ut genus, & species, & hujusmodi. Quædam vero relations sunt quantum ad utrumque extremum res naturæ, quando scilicet est habitudo inter aliqua duo secundum aliquod realiter conveniens utriusque; sicut patet de omnibus relationibus quæ consequuntur quantitatem, ut magnum, & parvum, duplum, & dimidium, & hujusmodi: nam quantitas est in utroque extremorum: & simile est de relationibus quæ consequuntur actionem, & passionem, ut motivum, & mobile, pater, & filius, & similia. Quandoque vero relatio in uno extremorum est res naturæ, & in altero est res rationis tantum: & hoc contingit quandocumque duo extrema non

(1) Ut ex 5. Metaph. text. 16. vel cap. 10. & ex cap. de oppositis in postprædicamentis colligi potest; non quoad solam denominationem in oblique de qua hic nominatum agitur, qualis nempo relativa est, ut domini ad servum vel subditum, sed quoad illam quæ in recto denominare supponitur, & est impossibilis in oppositis.

(2) Sive paulo plenius in huic medium: si dominus non dicitur nisi cum habeat incipit servum, etiam ista appellatio relativa ex tempore est Deo (sive convenit Deo). Non enim simpliciter creatura est cuius est ille *Dominus* &c. Sic Damascenus quoque lib. 3. de fide orthodoxa cap. 32. prope finem refu-

mens quartum genus nominum quæ de Deo enuntiari posse dixit (nimis vel quid non est, vel essentiam ejus, vel operationem, vel extrinsecam habitudinem designantia seu respectum). *Hoc autem* (inquit) *Dominus, Rex, & similia, quædam relations ad opposita manifestatione* (sive habitudinem exteriorum). *Earum enim quibus dominatus, appellatur dominus;* *corum quos regit, Rex dicitur;* & similiiter conditorum conditor appellatur, sicut corum quæque postea poscit: *Quæ omnia intelliguntur ex tempore;* sive interim ab æterno, sive non, mundus produci poterit, ut infra suo loco.

non sunt unius ordinis; sicut sensus, & scientia referuntur ad sensibile, & scibile: quæ quidem, inquantum sunt res quædam in esse naturali existentes, sunt extra ordinem esse sensibilis, & intelligibilis. Et ideo in scientia quidem, & sensu est relatio realis, secundum quod ordinantur ad sciendum, vel sentiendum res; sed res ipsæ in se consideratae sunt extra ordinem hujusmodi: unde in eis non est aliqua relatio realiter ad scientiam, & sensum, sed secundum rationem tantum, inquantum intellectus apprehendit ea ut terminos relationum scientiarum, & sensus. Unde Philosophus dicit in V. Metaph. (tex. 20.) (1) quod non dicuntur relative, eo quod ipsa referantur ad alia, sed quia alia referuntur ad ipsa. Et similiter dextrum non dicitur de columna, nisi inquantum ponitur animali ad dexteram. Unde hujusmodi relatio non est realiter in columna, sed in animali.

Cum igitur Deus sit extra totum ordinem creaturarum, & omnes creaturæ ordinantur ad ipsum, & non e converso; manifestum est quod creaturæ realiter referuntur ad ipsum Deum; sed in Deo non est aliqua realis relatio ejus ad creaturas, sed secundum rationem tantum, inquantum creature referuntur ad ipsum. Et sic nihil prohibet, hujusmodi nomina importantia relationem ad creaturam prædicari de Deo ex tempore, non propter aliquam mutationem ipsius, sed propter creature mutationem, sicut columna fit dextera animali, nulla mutatione circa ipsam existente, sed animali translato.

Ad primum ergo dicendum, quod relativa quædam sunt imposita ad significandum ipsas habitudines relatives, ut dominus, & servus, pater, & filius, & hujusmodi; & hæc dicuntur relativa secundum esse. Quædam vero sunt imposta ad significandas res quas consequuntur quædam habitudines, sicut movens, & motum, caput, & capita-

tum, & alia hujusmodi; quæ dicuntur relativa secundum dici. Sic igitur & circa nomina divina hæc differentia est consideranda dupliciter. Nam quædam significant ipsam habitudinem ad creaturam, ut *Dominus*; & hujusmodi non significant substantiam divinam directe, sed indirecte, inquantum præsupponunt ipsam, sicut dominium præsupponit potestatem, quæ est divina substantia. Quædam vero significant directe essentiam divinam, & ex consequenti important habitudinem, sicut *Salvator*, *Creator*; & hujusmodi significant actionem Dei, quæ est ejus essentia (2). Utraque tamen nomina ex tempore de Deo dicuntur quantum ab habitudinem, quam important vel principaliter, vel consequenter, non autem quantum ad hoc quod significant essentiam vel directe, vel indirecte.

Ad secundum dicendum, quod sicut relationes quæ de Deo dicuntur ex tempore, non sunt in Deo nisi secundum rationem; ita nec fieri, nec factum esse dicitur de Deo nisi secundum rationem nulla mutatione circa ipsum existente, sicut est id: *Domine, refugium factus es nobis*: Ps. lxxxix. 1.

Ad tertium dicendum, quod operatio intellectus, & voluntatis est in operante: & ideo nomina quæ significant relationes consequentes actionem intellectus, vel voluntatis, dicuntur de Deo ab æterno; quæ vero consequuntur actiones procedentes secundum modum intelligendi ad exteriores effectus, dicuntur de Deo ex tempore, ut *Salvator*, *Creator*, & hujusmodi.

Ad quartum dicendum, quod relationes significatae per hujusmodi nomina quæ dicuntur de Deo ex tempore, sunt in Deo secundum rationem tantum; oppositæ autem relationes in creaturis sunt secundum rem. Nec est inconveniens quod a relationibus realiter existentibus (*) in re Deus denominetur, tamen secundum quod cointelliguntur per

(1) Colligitur ex text. 20. vel cap. 15. versus finem, ubi omnia quæ secundum numerum vel potentiam dicuntur ad aliiquid, ait ad aliiquid referri eo ipso quod alterius dicitur ipsum quod est, sed non eo quod aliud ad illud; mensurable autem & scibile & intelligibile dicitur ad aliiquid eo quod aliud ad illud; quia intelligibile significat quod ejus est intellectus: non est autem intellectus ad illud cuius intellectus est, quia idem bis dictum esset; id est bis intellectus nomen repeteretur ejus relationem explicando: Et idem pergit ostendere in visu ac in quolibet sensu.

(2) Quia nempe actio Dei entitative sumpta ut est idem cum essentia Dei prius intelligitur quam

ut ad creaturam terminata & sic habitudinem habens ad creaturam: Unde *creator* & *salvator* primo important essentiam cum qua identitatem habet entitas actionis, relationem autem consequenter: Sed non sic de *domini* nomine quod significat formaliter quamdam relationem ad subditum, & propter creaturam jam existentem præsupponit quæ dominio actualiter sit subiecta: Unde non per se primo essentiam importat; nisi accipiat dominium pro potestate fundamentali, propter quam dicit Damasc. lib. 3. fidei orthod. cap. 12. *Dominum* significare naturam &c.

(*) *Al. in creatura.*

per intellectum nostrum oppositæ relationes in Deo ; ut sic Deus dicatur relative ad creaturam, quia creatura refertur ad ipsum, sicut Philosophus dicit in V. Metaph. (tex. 2.) quod scibile dicitur relative, quia scientia refertur ad ipsum.

Ad quintum dicendum, quod cum ea ratione referatur Deus ad creaturam, quia creatura refertur ad ipsum; cum relatio subjectionis realiter sit in creatura; sequitur quod Deus non secundum rationem tantum, sed realiter sit Dominus: eo enim modo dicitur Dominus quo creatura ei subjecta est.

Ad sextum dicendum, quod ad cognoscendum, utrum relativa sint simul natura, vel non, non oportet considerare ordinem rerum de quibus relativa dicuntur, sed significations ipsorum relativorum. Si enim unum in sui intellectu (1) claudat aliquid, & e converso, tunc sunt simul natura, sicut duplum, dimidium; & pater, & filius, & similia. Si autem unum in sui intellectu claudat aliud, & non e converso, tunc non sunt simul natura. Et hoc modo se habent scientia, & scibile: nam scibile dicitur secundum potentiam (2), scientia autem secundum habitum, vel secundum actum. Unde scibile secundum modum suæ significacionis præexistit scientiæ; sed si accipiatur scibile secundum actum, tunc est simul cum scientia secundum actum: nam scitum non est aliquid, nisi sit ejus scientia. Licit igitur Deus sit prior creaturis, quia tamen in significacione domini clauditur quod habeat servum, & e converso, ista duo relativa, dominus, & servus sunt simul natura. Unde Deus non fuit Dominus, antequam haberet creaturam sibi subjectam.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte dici a Psalm. 9. factus est Dominus refugium pauperi. Item octauagésimo nono. Domine refugium factus es nō
Summ. S.Th. T.I.

(1) Id est in sui notitia; ita ut intelligi non possit sine altero.

(2) Non eo sensu quo Philosophus dicebat supra de relativis quæ secundum potentiam dicuntur: Ibi enim activam potentiam intelligebat, hic passivam.

(3) Ali, currere, & disponere omnia.

(3) Ut Deuteronom. 4. vers. 24. indeque ad Heb. 12. vers. 29. appellatur; vel purgando vel puniendo addit ibidem S. Thom.

(4) Ex lib. 1. ad Gratianum cap. 1. prius indicabatur ad marginem: Sed ibi tantum sic habetur:

bis. Item 117. factus est mihi Dominus in salutem. Item 49. Deus meus factus est fortitudo mea. Per haec enim innuitur, quod nomina importantia relationem ad creaturam dicuntur de Deo ex tempore, cum etenim alicui quidpiam conveniat ex tempore, quatenus ei convenit esse factum, ut ex ad secundum habetur. Sic & Concilium Nicenum dixit ly factorem dum declarabat symbolum Apostolorum dicens ly creatorum, ad significandum, quod Deus creavit in tempore cœlum, &c. Hoc Concilium juvatur ab his, quæ hic Sanctus Thomas dicit in responsione ad secundum, applicata ad argumentum, & vice versa juvatur a Concilio doctrina circa ly factum esse. Secundo vides, &c.

A R T I C U L U S VIII. 75

Utrum hoc nomen Deus sit nomen nature.

L dist. II. in expo. lits. & dist. XVIII. art. 5. ad 6. & dist. XXXII. quest. II. art. 2.

AD octavum sic proceditur. Videtur quod hoc nomen Deus non sit nomen naturæ. Dicit enim Damascenus in I. Lib. (orth. Fidei cap. XII.) quod Deus dicitur a diuī, quod est^(*) curare, & fovere universa: vel ab aīdī ardore: Deus enim nosfer ignis consumens est: (3) vel a diadū, quod est considerare omnia. Hæc autem omnia ad operationem pertinent. Ergo hoc nomen Deus operationem significat, & non naturam.

2. Præterea. Secundum hoc aliquid nominatur a nobis, secundum quod cognoscitur. Sed divina natura est nobis ignota. Ergo hoc nomen Deus non significat naturam divinam.

Sed contra est quod dicit Ambrosius in Lib. de Fide (4) (in prologo Lib. II. cir. princ. cap. III.) quod Deus est nomen naturæ.

Respondeo dicendum, quod non est semper idem id a quo imponitur nomen ad significandum, & id ad quod significandum nomen imponitur. Sicut enim substantiam

Q rei

Deus & Domines nomen est magnificens, nomen est po. ius ex prologo libri 2. ut jam supra, notandum fuit? ubi nomina quedam esse ait que evidentis proprietatibus deitatis ostendunt, & hoc nomen repot inter illa: Rursumque inferius: Generatio, filius, unigenitus, principaliter indicans ex Deo Filium: Deus, vita, veritas, virtus eius manifestant: qua condidit & subsistit se ei creaturam: Sub ejus autem inscriptione super illud ad Gal. 3. Deus unus est, ut hic.

rei ex proprietatibus , vel operationibus ejus cognoscimus ; ita substantiam rei denominamus quandoque ab aliqua ejus operatione , vel proprietate : sicut substantiam lapidis denominamus ab aliqua actione ejus , quia legit pedem ; non tamen hoc nomen impositum est ad significandum hanc actionem , sed substantiam lapidis . Si qua vero sunt quæ secundum se sunt nota nobis , ut calor , frigus , albedo , & hujusmodi , non ab aliis denominantur . Unde in talibus idem est quod nomen significat , & id a quo imponitur nomen ad significandum .

Quia igitur Deus non est notus nobis in sui natura , sed innotescit nobis ex operationibus , vel effectibus ejus ; ex his possumus eum nominare , ut supra dictum est (art. i. hujus quest.) Unde hoc nomen Deus est nomen operationis , quantum ad id a quo imponitur ad significandum . Imponitur enim nomen ab universali rerum providentia . Omnes enim loquentes de Deo hoc intendunt nominare Deum quod habet providentiam universalem de rebus ; unde dicit Dionysius xii. cap. de divin. Nomini bus (cir. princ. lect. i.) quod *Deitas est que omnia vides providentia , & bonitate perfecta* (1) . Ex hac autem operatione hoc nomen Deus assumptum , impositum est ad significandum divinam naturam .

Ad primum ergo dicendum , quod omnia quæ posuit Damascenus , pertinent ad providentiam , a qua imponitur hoc nomen Deus ad significandum .

Ad secundum dicendum , quod secundum quod naturam alicujus rei ex ejus proprietatibus , & effectibus cognoscere possumus , sic eam nomine possumus significare . Unde quia substantiam lapidis ex ejus proprietate possumus cognoscere secundum se ipsam , sciendo quid est lapis , hoc nomen *lapis ipsam lapidis naturam* , secundum quod in se est , significat : significat enim definitionem lapidis , per quam scimus quid est lapis : ratio enim quam significat nomen , est definitio , ut dicitur in IV. Metaph. (text. 28.) Sed ex effectibus divinis divinam naturam non possumus cognoscere , secundum quod in se est , ut sciamus de ea quid est , sed per modum

eminentie , & causalitatis , & negationis , ut supra dictum est (quest. xii. art. 12.) Et sic hoc nomen *Deus* significat naturam divinam (2) : impositum est enim nomen hoc ad aliquid significandum supra omnia existens , quod est principium omnium , & remotum ab omnibus : hoc enim intendunt significare nominantes Deum .

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo : quomodo per rationem ostendas , recte esse dictum Isa. 45. *Vere tu es Deus absconditus* . Innuit namque propheta hic , quod hoc nomen Deus , est nomen naturæ , idest , significans naturam divinam . Alioquin , si id esse nomen operationis , idest , significans operationem vidisset : dixisset : *Vere tu es Deus manifestus* . Manifestissimæ enim sunt operationes Dei , videlicet cœlum , terra , mare , gubernatio , & conservatio mundi . Econtra vero natura divina est nunc nobis , secundum quod in se est , occultissima , cum *habites lucem inaccessibilem* 1. Tim. 6. Propterea Deus dicitur absconditus antonomastice , idest in superlativo gradu , seu plusquam omnia alia . Item recte esse dictum Galat. 4. *Iis , qui natura non sunt Dii , serviebatis* . Quasi dicat Apostolus . Deus , cui ego cum mei similibus servio , est Deus natura , & consequenter hoc nomen Deus , est nomen naturæ . Item a regulis fidei traditis ab Augustino in lib. de fide ad Petrum , cap. i. sic : *cum enim aliud nomen sit Pater , aliud Filius , aliud Spiritus sanctus , hoc est unum naturæ nomen horum trium , quod dicitur Deus* . Hæc ibi . Item ab Ambrosio in lib. de fide , ut dicitur in argumento sed contra . Secundo videt : quomodo ex his &c.

A R -

(1) Siue plenius : *Deitas est providentia omnius contemplatrix que bonitate perfecta circumspicit omnia & causans , ac seipsum omnino imples ut in Edit. greco lat. videre est par. g. 2. ubi habetur θεοί τε πεποιητα , contemplatrix providentia ; non τεποιητα , sicut vetus interpres forte legit , cum veritatem ut hic*

ex illo refert S. Thomas , *omnia vides providentia , in ablative* .

(2) Ex instituto significantis non ex ipso significato vocis : Quo sensu Chrysostom. homil. 2. ad Hebr. negat significare substantiam .

ARTICULUS IX. 76

Utrum hoc nomen Deus sit communicabile.

Quest. XXXIX. art. 4. ad 1. & 1. dist. IV. quest. 1. art. 2. ad 3. & dist. XXI. quest. II. art. 1. ad 4. & po. quest. VII. art. 3. ad 1.

AD nomum sic proceditur. Videtur quod hoc nomen *Deus* sit communicabile. Cuicunque enim communicatur res significata per nomen, communicatur & nomen ipsum. Sed hoc nomen *Deus*, ut dictum est (art. præc.) significat divinam naturam, quæ est communicabilis aliis, secundum illud II. Petri 1. 4. (*) *Magna, & pretiosa promissa nobis donavit, ut per hoc officiamur (1) divine confortes nature.* Ergo hoc nomen *Deus* est communicabile.

2. Præterea. Sola nomina propria non sunt communicabilia. Sed hoc nomen *Deus* non est nomen proprium, sed appellativum: quod patet ex hoc quod habet plurale, secundum illud Psalm. XXXI. 6. *Ego dixi, Dii esis*. (2). Ergo hoc nomen *Deus* est communicabile.

3. Præterea. Hoc nomen *Deus* imponitur ab operatione, ut dictum est (art. proxime cit.) Sed alia nomina quæ imponuntur Deo ab operationibus, sive ab effectibus, sunt communicabilia, ut *bonus, sapiens, & hujusmodi*. Ergo hoc nomen *Deus* est communicabile.

Sed contra est quod dicitur Sapien. XIV. 21. *Incommunicabile nomen lignis, & lapidibus imposuerunt: & loquitur de nomine Deitatis* (3). Ergo hoc nomen *Deus* est nomen incommunicabile.

Respondeo dicendum, quod aliquod nomen potest esse communicabile dupliciter: uno modo proprie; alio modo per similitu-

dinem. Proprie quidem communicabile est quod secundum totam significationem nominis est communicabile multis; per similitudinem autem communicabile est quod est communicabile secundum aliquid eorum quæ includuntur in nominis significatione. Hoc enim nomen *leo* proprie communicatur omnibus illis in quibus inventur natura quam significat hoc nomen *leo*; per similitudinem vero communicabile est illis qui participant quid leoninum, ut puta audaciam, vel fortitudinem, qui metaphorice leones dicuntur.

Ad sciendum autem, quæ nomina proprie sunt communicabilia, considerandum est, quod omnis forma in supposito singulari existens, per quod individuatur, communis est multis vel secundum rem, vel secundum rationem saltem; sicut natura humana communis est multis secundum rem, & rationem; natura autem Solis non est communis multis secundum rem, sed secundum rationem tantum: potest enim natura Solis intelligi ut in pluribus suppositis existens; & hoc ideo quia intellectus intelligit naturam cuiuslibet speciei per abstractionem a singulari. Unde esse in uno supposito singulari, vel in pluribus est præter intellectum naturæ speciei. Unde servato intellectu naturæ speciei potest intelligi ut in pluribus existens. Sed singulare ex hoc ipso quod est singulare, est divisum ab omnibus aliis. Unde omne nomen impositum ad significantum aliquod singulare est incomunicabile & re, & ratione (4). Non enim potest in apprehensionem cadere pluralitas hujus individui. Unde nullum nomen significans aliquod individuum est communicabile multis proprie, sed solum secundum similitudinem; sicut aliquis metaphorice potest dici Achilles, in quantum habet aliquid de proprietatibus Achillis, scilicet fortitudinem (5).

Q 2

For-

(*) *Vulgata Maxima, & infra efficiamini.*

(1) *Vel officiamini* vers. 4. in secunda persona, sed non referit, ad sensum hic intentum.

(2) *Usurpatum a Christo ipso tamquam in lege scriptum, ut Joan. 10. vers. 34. patet. Præter illud etiam 1. ad Corinth. 8. vers. 3. *Etsi sunt qui discutunt dii, &c.**

(3) Ut ex adjunctis patet vers. 21. & 22. ubi additur: *Ei non sufficerat eos evræssi circa Dei sciemtiam, sed &c.* Sicut & supra præmittitur vers. 8. ac deinceps unde idolum caput cognominari *Deus* & quasi *Deus eis*. Non autem nomen illud incommunicabile personæs intelligitur, eo modo scilicet quo naturam incommunicabilem reddit subsistentia vel persona (cum deitas per illud nomen significata sit com-

munis tribus personis individuum) sed incommunicabile sanctorum essentialiter juxta materiam subjectum vel intentum istius loci; eo sensu scilicet quod alteri naturæ a natura divina vel pluribus naturis conveniat.

(4) Id est, nec realiter multiplicari, nec intelligi multiplicatum potest.

(5) Quæ tanta nempe fuit, ut fortissimi quique Duces eo nomine appellati fuerint passim; sicut lib. 2. Nocturna Atticarum cap. 11. Gellius de Siccio Dentato notat qui *Achilles Romanus* ob *ingens* fortitudinem appellatus est: & de Quinto Cætio Valerius Maximus lib. 3. cap. 2. num. 21. quem & proper fortitudinem cognominatum esse dicit.

Formæ vero quæ non individuantur per aliud suppositum, sed per se ipsas, quia scilicet sunt formæ subsistentes, si intelligerentur, secundum quod sunt in se ipsis, non possent communicari nec re, neque ratione, sed forte per similitudinem, sicut dictum est de individuis. Sed quia formas simplices per se subsistentes non possumus intelligere, secundum quod sunt, sed intelligimus eas ad modum rerum compositarum habentium formas in materia; ideo, ut dictum est (art. 1. hujus quest. ad 2. arg.) imponimus eis nomina concreta significantia naturam in aliquo supposito. Unde quantum pertinet ad rationem nominum, eadem ratio est de nominibus quæ a nobis imponuntur ad significandum naturas rerum compositarum, & de nominibus quæ a nobis imponuntur ad significandum naturas simplices subsistentes.

Unde cum hoc nomen *Deus* impositum sit ad significandum naturam divinam, ut dictum est (art. præc.) natura autem divina multiplicabilis non sit, ut supra ostensum est (quest. xi. art. 3.) sequitur quod hoc nomen *Deus* incommunicabile quidem sit secundum rem (1), sed communicabile secundum opinionem, quemadmodum hoc nomen *Sol* esset communicabile secundum opinionem ponentium multos Soles. Et secundum hoc dicitur Galat. iv. 8. *His qui natura non sunt dii, serviebatis*: Glossa (interlinearis ibi:) „Non sunt dii natura, sed opinione hominum.“ Est nihilominus communicabile hoc nomen *Deus* non secundum suam totam significationem, sed secundum aliquid ejus per quamdam similitudinem, ut dii dicantur qui participant aliquid divinum per similitudinem, secundum illud Psalm. lxxxii. 6. *Ego dixi, Dii es sis* (2).

Si vero esset aliquod nomen impositum ad significandum Deum non ex parte naturæ, sed ex parte suppositi, secundum quod consideratur ut hoc aliquid; illud nomen esset omnibus modis incommunicabile, sicut forte est nomen tetragrammaton (3) apud Hebreos: & est simile, si quis imponeret nomen Soli designans hoc individuum.

Ad primum ergo dicendum, quod natura divina non est communicabilis nisi secundum similitudinis participationem.

Ad secundum dicendum, quod hoc nomen *Deus* est nomen appellativum & non proprium, quia significat naturam divinam ut in habente, licet ipse Deus secundum rem non sit nec universalis, nec particularis. Nomina enim non sequuntur modum essendi quæ est in rebus, sed modum essendi, secundum quod in cognitione nostra est. Et tamen secundum rei veritatem est incommunicabile, secundum quod dictum est de hoc nomine *Sol* (in cor. artic.)

Ad tertium dicendum, quod hæc nomina *bonus*, *sapiens*, & similia imposita quidem sunt a perfectionibus procedentibus a Deo in creaturas, non tamen sunt imposita ad significandum divinam naturam, sed ad significandum ipsas perfectiones absolute: & ideo etiam secundum rei veritatem sunt communicabilia multis. Sed hoc nomen *Deus* impositum est ab operatione propria Deo, quam experimur continue, ad significandam divinam naturam.

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo: quomodo per rationem interimas hæreses prærecitatas in appendice questionis undecime articulo tertio. Secundo habes quomodo per rationem ostendas, rite damnatas illas fuisse a scriptura sacra Sapientie 15. *Incommunicabile nomen lignis, & lapidibus imposuerunt*. Ubi per nomen incommunicabile intelligit, ut ibi patet, nomen Deitatis. Item a regulis fidei traditis ab Augustino in libro de fide ad Petrum cap. 19. sic. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, neque Angelos, neque quamlibet aliam creaturam ejusdem natura esse, cuius est secundum naturalem divinitatem suam summa Trinitas, quæ est unus naturaliter Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Neque enim unius nature esse poterant ille, qui fecit, & ea, que fecit*. Hæc ibi. Ex quibus aperte monstratur, quod hoc nomen *Deus* est nomen secundum rea veri-

(1) Nempe alteri Deo qui sit alias essentialiter, ut iam supra: Nam aliqui tribus personis ad eamdem & indivisam essentialiam pertinentibus communiciatur secundum rem.

(2) Jam paulo ante indicatum ex 81. Psal. & Joan. 10. ubi usurpat ipse Christus.

(3) Id est quadrilaterum (juxta grecum τετραγράμμον) quod quatuor literis constet: nempe nomen

Iehous ex Jod, He, Vau, He, veluti præcipuum & sanctissimum nomen Dei apud Hebreos, ipsum divinitatis esse significans; ut art. 11. ad 1. paulo infra indicat S. Thomas; ubi & assertive ponit quod hic dubitative; quia ibi loquitur absolute ut res est, hic secundum Hebreos quorum certaina opinionem non habebat.

veritatem incomunicabile. Consule append. artic. 10. Tertio vides : quomodo, &c.

ARTICULUS X. 77

Utrum hoc nomen Deus univoce dicatur deo per participationem, secundum naturam, & secundum opinionem.

Sup. art. 5. corp. & infra quest. xxix. art. 4. & prol. art. 2. & II. dist. xxxv. art. 4. & I. contr. cap. xxxii. & xxxiii. & xxxiv. & veri. quest. II. art. II. & po. quest. VII. art. 7. & opusc. II. cap. xxvii.

AD decimum sic proceditur. Videtur quod hoc nomen *Deus* univoce dicatur deo per naturam, & per participationem, & secundum opinionem. Ubi enim est diversa significatio, non est contradicatio affirmantis, & negantis : æquivocatio enim impedit contradictionem. Sed catholicus dicens, Idolum non est Deus, contradicit pagano dicenti, Idolum est Deus. Ergo Deus utrobique sumptum univoce dicitur.

2. Præterea. Sicut idolum est Deus secundum opinionem, & non secundum veritatem, ita fructio carnalium delectationum dicitur felicitas secundum opinionem, & non secundum veritatem (1). Sed hoc nomen *beatitudine* univoce dicitur de hac beatitudine opinata, & de hac beatitudine vera. Ergo & hoc nomen *Deus* univoce dicitur de Deo secundum veritatem, & de Deo secundum opinionem.

3. Præterea. Univoca dicuntur quorum est ratio una (2). Sed catholicus, cum dicit unum esse Deum, intelligit nomine Dei rem omnipotentem, & super omnia venerandam; & hoc idem intelligit gentilis cum dicit, idolum esse Deum. Ergo hoc nomen univo-

ce dicitur utrobique.

Sed contra . Illud quod est in intellectu, est similitudo ejus quod est in re, ut dicitur in I. Periher. (3) (cap. 1.) Sed animal dictum de animali vero, & de animali picto; æquivoce dicitur . Ergo hoc nomen *Deus* dictum de Deo vero, & de Deo secundum opinionem æquivoce dicitur.

2. Præterea. Nullus potest signare id quod non cognoscit . Sed gentilis non cognoscit naturam divinam . Ergo cum dicit, Idolum est Deus, non signat veram Deitatem . Hanc autem signat catholicus dicens, unum esse Deum . Ergo hoc nomen *Deus* non dicitur univoce ; sed æquivoce de Deo vero, & de Deo secundum opinionem (4).

Respondo dicendum, quod hoc nomen *Deus* in præmissis tribus significationibus non accipitur neque univoce, neque æquivoce, sed analogice . Quod ex hoc patet. Quia unicorum est omnino eadem ratio; æquivorum est omnino ratio diversa; in analogicis vero oportet quod nomen secundum unam significationem acceptum ponatur in definitione eiusdem nominis secundum alias significaciones accepti; sicut ens de substantia dictum ponitur in definitione entis, secundum quod de accidente dicitur; & sanum dictum de animali, ponitur in definitione sani, secundum quod dicitur de urina, & de medicina. Hujus enim sani quod est in animali, urina est significativa, & medicina factiva . Sic accidit in proposito. Nam hoc nomen *Deus* secundum quod pro Deo vero sumitur, in ratione Dei sumitur secundum quod dicitur Deus secundum opinionem, vel participationem . Cum enim aliquem nominamus Deum secundum participationem, intelligimus nomine Dei aliquid habens similitudinem veri Dei (5). Similiter cum idolum nominamus Deum,

(1) Ut Philosophus ipse manifeste agnoscit Ethic. 1. & suo loco 1. 2. referemus .

(2) Vel plenius ex initio Categoriarum, *quorum communis nomen, & ratio essentia secundum illud nomen eadēs λόγος αὐτοῖς* .

(3) Seu της ἀπολείας vel de interpretatione, ut jam supra notatum art. 1. ubi Aristotelis verba possita sunt expresse ad marginem quae hic æquivalenter tantum referuntur .

(4) Minus videtur concludere superficietenus quam proponat; quia tertiam significationem proposuit quia *Deus* accipitur pro Deo secundum participationem: Sed haec æquivalenter quoad sensum includi potest in significatione Dei secundum opinionem, cum nec Deus participative sit verus Deus: Vel Deum tantum secundum opinionem exprimere voluit, quia op-

ponitur omnino vero Deo, non autem *Deus participative*, qui propter quamdam imitationem perfectiōnum veri Dei sic appellatur.

(5) Nempe quoad autoritatem dominii, vel quoad bonitatis imitationem: ut Genes. cap. 6. filii Dei filii Seth propter illius probitatem, virtutem, pietatem; & filii deorum ab Aquila redduntur (υἱοὶ Σάων) propter hebraicum Eloim in plurali; sed a Symmacho filii dominantium vel potentum (υἱοὶ δυναστῶν) ut Hieronymus in traditionibus hebraicis ad eum locum notat: & expressius Theodoreetus quest. 47. in Genesim, ubi potius Enos filium Seth, qui primus invocare capie nomen Domini Dei, ut ibidem dicitur, Deum a suis propter pietatem vocatum esse refert, ac ex Aquila versione confirmat, *καπίτιον nomine Domini*: Sic Exod. 7. vers.

Deum, hoc nomine *Deus* intelligimus significari aliquid de quo homines opinantur quod sit Deus; & sic manifestum est quod alia, & alia est significatio nominis, sed una illarum significationum clauditur in significationibus aliis. Unde manifestum est quod analogice dicitur.

Ad primum ergo dicendum, quod nominum multiplicitas non attenditur secundum nominis prædicationem, sed secundum significationem. Hoc enim nomen *bomo* de quocumque prædicetur, sive vere, sive false, dicitur uno modo. Sed tunc multipliciter dicetur, si per hoc nomen *bomo* intendemus significare diversa; puta, si unus intenderet significare per hoc nomen *bomo* id quod vere est homo, & alius intenderet significare eodem nomine lapidem, vel aliquid aliud. Unde patet quod catholicus dicens, idolum non esse Deum, contradicit pagano hoc afferenti: quia uterque utitur hoc nomine *Deus* ad significandum verum Deum. Cum enim paganus dicit, idolum esse Deum, non utitur hoc nomine, secundum quod significat Deum opinabilem: sic enim verum diceret, cum etiam catholici interdum in tali significatione hoc nomine utantur ut cum dicitur (*Psal. xcvi. 5.*) *Omnis dii gentium demona.*

Et similiter dicendum ad secundum, & tertium. Nam illæ rationes procedunt secundum diversitatem prædicationis nominis, & non secundum diversam significationem.

Ad quartum dicendum, quod animal dictum de animali vero, & de picto non dicitur pure æquivoco. Sed Philosophus (in *Antepræd. cap. de æquivoc.*) largo modo accipit æquivoca, secundum quod includunt in se analogia; quia & ens, quod analogice dicitur, aliquando dicitur æquivoco prædicari de diversis prædicamentis.

Ad quintum dicendum, quod ipsam natum Dei, prout in se est, neque catholicus, neque paganus cognoscit; sed uterque cognoscit eam secundum aliquam rationem causalitatis, vel excellentiz, vel remotionis, ut supra dictum est (*quæst. xii. artic. 12.*) Et secundum hoc in eadem significatione accipere potest gentilis hoc nomen *Deus*, cum dicit, Idolum est Deus, in qua accipit ipsum catholicus dicens, Idulum non est Deus. Si

vero aliquis esset qui secundum nullam rationem Deum cognosceret, nec ipsum nominaret, nisi forte sicut proferimus nomina quorum significationes ignoramus.

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo: quomodo per rationem interimas hæreses *Ophitarum*, *Cainanorum*, *Setbianorum*, *Angelicorum*, *Heliogonicorum*, *Collyridianorum*, *Demoniorum*, *Atborum*, *Muscoritarum*, *Muscaronitarum*, *Ranitarum* dicentium: adorandum esse serpentinum, eo quod serpens qui decepit Evam, fuerit Christus: item Cain esse adorandum: item adorandum esse Seth: item adorandos esse Angelos: item adorandum esse solem: item adorandam esse Mariam Virginem, ut Deum; item adorandum esse Judam illum proditorem: item adorandos esse sodomitas Chore, Datan, & Abiron: item adorandum esse dæmonem: item adorandos esse Mures, Muscas, Ranas, Arbores: Adde hæresim *Marcionis*, *Serpenticolarum* dicentium: Serpentem creatore meliorem esse, atque honore prosequendum: item serpentem æneum esse adorandum, eique sacrificandum. Hi namque Deitatem, vel divinitatis aliquid aliquo modo prædictis rebus secundum eorum opinionem adorandis attribuebant, & consequenter, hoc nomen Deus univoce dici de Deo secundum opinionem, participationem, & naturam dicebant. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas illas omnes justissime fuisse damnatas a regulis fidei traditis ab Augustino &c. vide *appendicem articuli noni*, ubi conspicies naturam Dei nulli prorsus esse communicabilem, ita scilicet, quod Deitas univoce conveniat creatori & creaturæ: item ab Apostolo Rom. primo. *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*, *& volucrum*, *& quadrupedum*, *& serpentium*, propter quod tradidit illus Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumelias afficiant corpora sua in semetipsis. Ubi Apostolus de virtu sodomitico, quod & fulsis explicat in sequentibus facit mentionem: forsitan tangere voluit idolatriam etiam Cainanorum, qui sodomitas forte præ amore illorum infatuati, adorandos dicebant. Et coluerunt, (subdit Apostolus) & servierunt creature potius, quam

vers. 1. Moysi dictum *Constitui te Deum Pharaonis*; quia ut cap. 2. lib. 1. de Abel & Cain Ambrofius loquitur, *humana dignitatem conditionis excessit*,

&c. Sic Exod. 22. vers. 28. *Diis non destrahes idest Principibus populi*: Ut & *Psal. 81. Deus stetit in synagoge deorum*, &c.

*quam creator qui est Deus benedictus in secula. Ecce idololatria omnium supradictorum, & similium explosa: item ab Ezechia quarto Regi 18. qui serpente illum aeneum, Judæos ab illius idololatrica adoratione compescendo, confregit: item a scripturis Isa. 43. *axi me non est formatus Deus, & post me non erit*, & 45. *Extra me non est Deus*: item a symbolo fidei. Credo in unum Deum: item a Papa in Concilio generali de summa Trinitate, & fide Catholica, firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, unum universorum principium: item a Deuter. c. 6. ut reperitur Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*. Cavendum tamen est hic venenum mixtum ab hereticis, qui hac autoritate sulti negant adorationes Sanctorum, vel scripturam hanc male intelligentes, vel adorationem Sanctis exhibitan a Christianis pervertentes. Non enim latræ, de qua ibi scriptura tantum loquitur, adorationem Sanctis aliis a Deo Christiani exhibent. Qualem autem illis deferant, alias, cum de adoratione in 3. p. quest. 25. a D. Thom. tractabitur, ostendetur. Non enim hic referentur predicta, nisi pro quanto articulo praesenti contraponuntur, ut visum est. Consulte append. art. 9. Tertio vides: quomodo &c.*

A R T I C U L U S XI. 78

Utrum hoc nomen qui est sit maxime nomen Dei proprium.

I. dist. VIII. quest. I. artic. I. & por. quest. III. artic. 6. & quest. VII. art. I. c. fin. & quest. x. artic. I. 9.

AD undecimum sic proceditur. Videtur quod hoc nomen *qui est* non sit maxime proprium nomen Dei. Hoc enim nomen *Deus* est nomen incomunicabile, ut dictum est (art. 9. hujus quest.) Sed hoc nomen *qui est* non est nomen incomunicabile. Ergo hoc nomen *qui est* non est maxime proprium nomen Dei.

2. Præterea. Dionysius dicit III. cap. de div. Nom. (in princ. lect. I.) quod *boni* no-

*minatio excellenter est manifestativa omnium Dei processionum. Sed hoc maxime Deo convenit quod sit universale rerum principium. Ergo hoc nomen (1) *bonum* est maxime proprium Dei, & non hoc nomen *qui est*.*

3. Præterea. Omne nomen divinum videtur importare relationem ad creaturas, cum Deus non cognoscatur a nobis nisi per creaturas. Sed hoc nomen *qui est* nullam importat habitudinem ad creaturas. Ergo hoc nomen *qui est* non est maxime proprium nomen Dei.

Sed contra est quod dicitur Exod. IIII. 13. quod Moysi querenti: *si dixerint mihi, quod est nomen ejus? quid dicam eis?* respondit ei Dominus: *Sic dices eis: Qui est, misit me ad vos.* Ergo hoc nomen *qui est* est maxime proprium nomen Dei.

Respondeo dicendum, quod hoc nomen *qui est* triplici ratione est maxime proprium nomen Dei.

Primo quidem propter sui significationem. Non enim significat formam aliquam, sed ipsum esse. Unde cum esse Dei sit ipsa ejus essentia, & hoc nulli alii conveniat, ut supra ostensum est (quest. IIII. art. 4.) manifestum est quod inter alia nomina hoc maxime proprie nominat Deum: unumquodque enim denominatur a sua forma.

Secundo propter ejus universalitatem. Omnia enim alia nomina vel sunt minus communia, vel si convertantur cum ipso, tamen addunt aliqua supra ipsum secundum rationem. Unde quodammodo informant, & determinant ipsum. Intellectus autem noster non potest ipsam Dei essentiam cognoscere in statu *vix*, secundum quod in se est, sed quemcumque modum determinet circa id quod de Deo intelligit, deficit a modo quo Deus in se est. Et ideo quanto aliqua nomina sunt minus determinata, & magis communia, & absoluta, tanto magis proprie dicuntur de Deo a nobis. Unde Damascenus (Lib. I. orthod. Fid. cap. XII. ante med.) dicit, quod *principalius omnibus, que de Deo dicuntur, nominibus est* qui est: (4) (2) totum enim in se

(1) Ut ex ipso capitilis initio colligi potest; ubi expendum proponit nomen boni tamquam perfectum quiddam (τὸν ὄλαν τὸ θεῖον προσόντος ἐπαρτίσταν) quod omnes Dei progressiones manifestat; nemini illas quibus ad creaturas progrederit, & que ad extra dici solent; non autem illas quibus ipsum personam a se invicem, in Trinitate per intellectu-
m vel amorem emanant, & que appellantur ad intra: quia voluntarie illæ non sunt; Et si aliquo sensu sed longe differenti progressiones boni dici possunt vel emanationes, ut modernus interpres vertit.

(*) Ali. totum enim in se ipso comprehendens velut quodam pelagus &c.

(1) Quid ergo dubitatur quin vera & formalis ratio (qualis existimari potest constitutiva Dei) sit ipsum *esse a se*? ut in Selectis expressius ex mente S. Thomæ ostendam, contra novam opinionem veteribus Thomistis incognitam, & S. Thomæ verbis repugnantem quod sit intellectio actualis; cum ad hanc ipsam presupponatur *esse a se* quod velut radix alias omnes perfectiones infert.

in se ipso comprehendens habet ipsum esse verum quoddam pelagus substantia infinitum, & indeterminatum. Quolibet enim alio nomine determinatur aliquis modus substantiae rei; sed hoc nomen qui est nullum modum essendi determinat, sed se habet indeterminate ad omnes & ideo nominat ipsum pelagus substantia infinitum.

Tertio vero ex ejus significacione: significat enim esse in praesenti; & hoc maxime proprie de Deo dicitur, cuius esse non novit præteritum, vel futurum, ut dicit Augustinus in V. de Trinit. (cap. II. & lib. lxxxiii. Qq. quest. xvii.)

Ad primum ergo dicendum, quod hoc nomen qui est est magis proprium nomen Dei quam hoc nomen Deus quantum ad id a quo imponitur, scilicet ab esse, & quantum ad modum significandi, & significandi, ut dictum est (in corp. art.) Sed quantum ad id ad quod imponitur nomen ad significandum, est magis proprium hoc nomen Deus, quod imponitur ad significandum naturam divinam: & adhuc magis proprium nomen est Tetragrammaton, quod est impositum ad significandam ipsam Dei substantiam incommunicabilem (1), & (ut sic liceat loqui) singularem.

Ad secundum dicendum, quod hoc nomen bonum est principale nomen Dei inquantum est causa, non tamen simpliciter: nam esse absolute præintelligitur causa.

Ad tertium dicendum, quod non est necessarium quod omnia divina importent habitudinem ad creaturas, sed sufficit quod imponantur ab aliquibus perfectionibus procedentibus a Deo in creaturas, & in quas prima est ipsum esse, a qua sumitur hoc nomen qui est.

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito dictum a Deo Exod. 3. *Qui est, misit me ad vos.* Querebat eum ibi Moyses a Deo, quod esset nomen ejus, ut sciret nuntiare filiis Israel, quem nomine vocaretur ipse, qui eum ad illos mittebat: & nota, quod Moyses secundum litteram inquirit de nomine magis proprio, quam sit hoc nomen Deus, consequenter de nomine maxime proprio. Pro cuius captu

adverte, quod Moyses sciebat huic, quem alloquebatur esse Deum, in cuius signum sic præmittitur ibi: *Ab condit Moyses faciem suam, non enim audiret aspicere contra Deum.* Quomodo autem Deum pro Deo reveretur, nisi ipsum vocari, & esse Deum cognoscatur? Ipsius igitur Moyses sciens hoc nomine Deus vocari Deum, inquirit non de nomine proprio quod est *ly Deus*, sed de nomine maxime proprio, idest inquirit, an Deus, quem scit jam nominari Deum habeat alium nomen sibi magis peculiare. Concludendum ergo est secundum litteram planam, quod de nomine proprio magis, quam sit hoc nomen Deus, consequenter de nomine proprio intellegitur responsum illud: *Qui est, misit me ad vos.* Consule questionis tercia articulum quartum, & melius adhuc penetrabis sensum authoritatis hujus. Secundo vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S XII. 79

Utrum propositiones affirmativa possint formari de Deo.

Pot. quest. VII. artic. 5. ad 2. & I. dist. IV.
quest. II. artic. I. & I. cont. cap. xxxvi.

AD duodecimum sic proceditur. Videtur quod propositiones affirmativa non possint formari de Deo. Dicit enim Dionysius II. cap. cc. Hierarch. (parum ant. med.) quod *negationes de Deo sunt vere, affirmatioes autem incompatibiles.*

2. Præterea Boetius dicit in Lib. de Trinit. (ante med.) quod *forma simplex subjectum esse non potest.* Sed Deus maxime est forma simplex, ut supra ostensum est (quest. IIII. articul. 7. & 8.) Ergo non potest esse subjectum. Sed omne illud de quo propositio affirmativa formatur, accipitur ut subjectum. Ergo de Deo propositio affirmativa formari non potest.

3. Præterea. Omnis intellectus intelligens rem alterum quam sit, est falsus. Sed Deus habet esse absque omni compositione, ut supra probatum est (quest. IIII. artic. 7.) (2) Cum igitur omnis intellectus affirmativus intelligat aliquid cum compositione, videtur quod propositio affirmativa vera de Deo formari non possit.

Sed

(1) Sic Raymundus Martini noster in suo Pugio ne fidei part. 3. dist. 3. cap. 2. §. 9. Ex Moysi Ben Maimon, cui hoc nomen proinde vocat gloriose sensificationis in qua non est incommunicatio nec per-

sicatio inter aliuum, &c.

(2) Sicut & quod sit forma simplex qualis indicabatur paulo ante.

Sed contra est quod fidei non subest falsum (1). Sed propositiones quazdam affirmativa subduntur fidei, utpote quod Deus est trinus & unus, & quod est omnipotens. Ergo propositiones affirmativa possunt vere formari de Deo.

Respondco dicendum, quod propositiones affirmativa possunt vere formari de Deo. Ad cuius evidentiam sciendum est, quod in qualibet propositione affirmativa vera oportet quod praedicatum, & subjectum significent idem secundum rem aliquo modo, (2) & diversum secundum rationem. Et hoc patet tam in propositionibus quaz sunt de praedicato accidental, quam in illis quaz sunt de praedicato substantiali. Manifestum est enim quod homo, & albus sunt idem subjecto, & differunt ratione: alia enim est ratio hominis, & alia ratio albi. Et similiter cum dico, Homo est animal: illud enim ipsum quod est homo, vere animal est, in eodem enim supposito est & natura sensibilis, a qua dicitur animal, & natura rationalis, a qua dicitur homo: unde & hic etiam praedicatum, & subjectum sunt idem supposito, sed diversa ratione. Sed in propositionibus in quibus idem praedicatur de se ipso, hoc aliquo modo invenitur, in quantum intellectus id quod ponit ex parte subjecti, trahit ad partem suppositi; quod vero ponit ex parte praedicati, trahit ad naturam formaz in supposito existentis, secundum quod dicitur, quod praedicata tenentur formaliter, & subjecta materialiter. Huic vero diversitatique est secundum rationem, respondet pluralitas praedicati, & subjecti; identitatem vero rei significat intellectus per ipsam compositionem. Deus autem in se consideratus est & omnino unus, & simplex; sed tamen intellectus noster secundum

Summ. S.Th. T. I.

diversas conceptiones ipsum cognoscit, eo quod non potest ipsum, ut in se ipso est, videre.

Sed quamvis intelligat ipsum sub diversis conceptionibus, cognoscit tamen quod omnibus suis (3) conceptionibus responderet una & eadem res simpliciter. Hanc ergo pluralitatem, quaz est secundum rationem, representat per pluralitatem praedicati, & subjecti; unitatem vero representat intellectus per compositionem.

Ad primum ergo dicendum, quod Dionysius dicit, affirmatiges de Deo esse incompletas, vel inconvenientes secundum aliam translationem, (4) inquantum nullum nomen Deo competit secundum modum significandi, ut supra dictum est (art. 3. hujus quaz.)

Ad secundum dicendum, quod intellectus noster non potest formas simplices subsistentes, secundum quod in se ipsis sunt, comprehendere; sed apprehendit eas secundum modum compositorum, in quibus est aliquid quod subjicitur, & est aliquid quod inest. Et ideo apprehendit formam simplicem in ratione subjecti, & attribuit ei aliquid.

Ad tertium dicendum, quod hac proposicio, *Intellectus intelligens rem aliter quam sit, est falsus*, est duplex, ex eo quod hoc adverbium *aliter* potest determinare hoc verbum *intelligens* ex parte intellecti, vel ex parte intelligentis. Si ex parte intellecti, sic propositio vera est, & est sensus: Quicumque intellectus intelligit rem esse aliter quam sit, falsus est. Sed hoc non habet locum in proposito, quia intellectus noster formans propositionem de Deo non dicit eum esse compositum, sed simplicem. Si vero ex parte intelligentis, sic propositio falsa est. Alius est enim modus intellectus

R in in-

(1) Nec subesse omnino potest, etiam per extraordinarium & absolutam Dei potentiam, ut 2. 2. q. 1. art. 3. ex professo dicitur; cum fallere vel falli Deum oportet, quod utrolibet modo absolute repugnat: quia vel omnisciens non esset vel non bonus.

(2) Puta materialiter tantum non formaliter: Nam realiter formaliter secundum essentiam homo ab albo distinguitur, licet identitate materiali unum cum illo constitutus, sicut *subjectum*, & *ens in subjecto*. Unde quod subiungitur ea diffire ratione, non est logice tantum intelligendum quasi per solam intellectus considerationem differant, sed physique per suas alterutras effectuales rationes: ut & in similibus respectivo.

(3) Hoc est, *similes intellectus activo sensu*, acm-

pe quibus concipit. Vel passim acceptis, hoc est Dei, quibus ipfmet concipitur; minus latine pro ipsis.

(4) Quaz legitima sola & congruens, ex graco *αντίφυσις*, vel *non conveniens*, ut Modernus interpres quoque reddit; seu *incongrua*, ut aliis; & reddi potest *non consonantes*, per metaphoram ab harmonia inconcinnia in qua voces invicem non concordant. Sic enim appellantur, quasi non tales quae aptari vel convenire Deo possint, iuxta sensum hic explicatum; licet aliquo modo & secundum aliud sensum prius etiam indicatum non incongrue convenient; Nec *incompletas* hoc significat nisi valde obtuso sensu, quasi *male composta* dicantur; quantumvis *αντίφυσις* significare possit *incompletas*, ut cum pars una non coheret alteri &c.

in intelligendo quam rei in essendo. Manifestum est enim quod intellectus noster res materiales infra se existentes intelligit immaterialiter, non quod intelligat eas esse immateriales, sed habet modum immaterialis in intelligendo. Et similiter cum intelligit simplicia, quae sunt supra se, intelligit ea secundum modum suum, scilicet composite, non tamen ita quod intelligat ea esse composita. Et sic intellectus noster non est falsus formans compositionem de Deo.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem demonstres, a facris litteris, & Conciliis merito formari propositiones affirmativas de Deo. Ut: Deus multus est ad agnoscendum. Isa. 55. Item fidelis Deus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Psal. 144. Item passim per totum capitulum primum & secundum Papae Innoc. in Concilio Extra de sum. Trinit. & fid. Catb. Secundo habes; quomodo per rationem illarum propositionum verum sensum a falso discernas, & consequenter ab errore seipsum, ab hereticorumque insultatione scripturam sacram defendas. De similibus hereticis vide quest. 1. artic. 1. & 6. & quest. banc 13. a. 6. in appendicibus. Tertio vides: &c.

Q U E S T I O DECIMAQUARTA.

De scientia Dei,

In sexdecim articulos divisa.

POst considerationem eorum quae ad divisionem substantiam pertinent (1); restat considerandum de his quae pertinent ad operationem ipsius. Et quia operatio quedam est quae manet in operante, quedam vero quae procedit in exteriorem effectum; primo agemus de scientia, & voluntate (nam intelligere in intelligenti est, & velle in volente) & postmodum de potentia Dei, quae

AR-

(1) Vel haec unica loquutio sufficeret ad ostendendum evidenter, quod actualis intellectus non sit ratio vera constitutiva Dei ex mente S. Thomae.

(2) Insinuator lib. 2. de anima. text. 13. ubi dicitur quod cum vivere possit multipliciter intelligi, sufficit unus modus ut res aliqua vivat scilicet intellectus, vel sensus &c. & ex lib. 13. Metaph. text. 39. vel cap. 7. ubi dicitur intellectus operatio vita

consideratur ut principium operationis divinæ in effectum exteriorem procedentis. Quia vero intelligere quoddam vivere est, post considerationem divinæ scientiæ; considerandum est de vita divina. Et quia scientia verorum est, (2) etiam considerandum de veritate, & falsitate. Rursus quia omne cognitionis in cognoscente est, rationes autem rerum, secundum quod sunt in Deo cognoscente, idæ vocantur; cum consideratione scientiæ erit etiam adjungenda consideratio de ideis.

Circa scientiam vero queruntur
sexdecim.

Primo, utrum in Deo sit scientia.

Secundo, utrum Deus intelligat seipsum.

Tertio, utrum comprehendat le.

Quarto, utrum suum intelligere sit sua substantia.

Quinto, utrum intelligat alia a se.

Sexto, utrum habeat de eis propriam cognitionem.

Septimo, utrum scientia Dei sit discursiva.

Octavo, utrum scientia Dei sit causa rerum.

Nono, utrum scientia Dei sit eorum quae non sunt.

Decimo, utrum sit malorum.

Undecimo, utrum sit singularium.

Duodecimo, utrum sit infinitorum.

Tertiodecimo, utrum sit contingentium futurorum.

Quartodecimo, utrum sit enuntiabilium.

Quintodecimo, utrum scientia Dei sit variabilis.

Sextodecimo, utrum Deus de rebus habeat speculativam scientiam, vel practicam.

esse; indeque concluditur quod quia Deus est optimus & summum intelligens ac in actu intelligendi semper existens, est etiam optimus, summus & semper vivens; ut & illius vita propter deliciationem intellectus-ipsius est optima & perpetua; non sicut nos qui non semper intelligimus vel non semper intelligendo delectamur.

ARTICULUS I. 80

Utrum in Deo sit scientia.

- I. *diss. xxxv. art. 1. & I. cont. cap. xliv.
C. pos. quest. viii. art. 1. corp. & art. 5.
corp. & ver. quest. II. art. 1. & opusc. III. cap.
xxviii. & xxxv. & XII. Met. lect. vi.*

AD primum sic proceditur. Videtur quod in Deo non sit scientia. Scientia enim habitus est, qui Deo non competit, cum sit medius inter potentiam, & actum. Ergo scientia non est in Deo.

2. Præterea. Scientia, cum sit conclusio-num, est quædam cognitio ab alio causata, scilicet ex cognitione principiorum. Sed ni-hil causatum est in Deo. Ergo scientia non est in Deo,

3. Præterea. Omnis scientia vel universali-s, vel particularis est. Sed in Deo non est universale, & particolare, ut ex superio-ribus patet (quest. iij. art. 5.) Ergo in Deo non est scientia.

Sed contra est quod Apostolus dicit Rom. xi. 33. *O altitudo (1) divitiarum sapientie & scientie Dei!*

Respondeo dicendum, quod in Deo perfe-c-tissime est scientia. Ad cuius evidentiam considerandum est, quod cognoscentia a non cognoscentibus in hoc distinguuntur, quia non cognoscentia nihil habent nisi formam suam tantum, sed cognoscens natum est ha-bere formam etiam rei alterius, nam spe-cies cogniti est in cognoscente. Unde mani-festum est quod natura rei non cognoscentis est magis coarctata, & limitata; natura autem rerum cognoscentium habet maiorem amplitudinem, & extensionem: propter quod dicit Philosophus III. de Anima (tex. 37.) quod *anima est quodammodo omnia* (2). Coar-ctatio autem formæ est per materiam. Unde & supra diximus, quod formæ, secundum quod sunt magis immateriales, secundum hoc

magis accidunt ad quamdam infinitatem. Patet igitur quod immaterialitas alicujus rei est ratio quod sit cognoscitiva, & secundum modum immaterialitatis est modus cognitio-nis. Unde in II. de Anima (tex. 124.) dicitur, quod plantæ non cognoscunt (3) propter suam materialitatem. Sensus autem cognoscitivus est, quia receptivus est specie-rum sine materia; & intellectus adhuc magis cognoscitivus, quia magis separatus est a materia, & immixtus, ut dicitur in III. de Anima (tex. 4. usque ad 7.) Unde cum Deus sit in summo immaterialitatis, ut ex superioribus patet (quest. vii. art. 1.) se-quitur quod ipse sit in summo cognitionis.

Ad primum ergo dicendum, quod quia perfections procedentes a Deo in creaturas al-tiori modo sunt in Deo, ut supra dictum est (quest. vi. art. 4.) oportet quod quan-documque nomen sumptum a quacumque perfectione creaturæ Deo attribuitur, secludatur ab ejus significatione omne illud quod pertinet ad imperfectum modum, qui com-petit creaturæ. Unde scientia non est qual-i-tas in Deo, vel habitus, sed substantia, & actus purus.

Ad secundum dicendum, quod ea que sunt divisi, & multipliciter in creaturis, in Deo sunt simpliciter, & unite, ut supra (4) dictum est (quest. xiiii. art. 4.) Hocno autem secundum diversa cognita habet di-versas cognitiones. Nam secundum quod co-gnoscit principia, dicitur habere intelligen-tiam; scientiam vero, secundum quod co-gnoscit conclusiones; sapientiam, secundum quod cognoscit causam altissimam; consil-ium, vel prudentiam, secundum quod co-gnoscit agibilia. Sed hæc omnia Deus una & simplici cognitione cognoscit, ut infra patebit (art. 7. hujus quest.) Unde simplex Dei cognitione omnibus istis nominibus nomi-nari potest; ita tamen quod ab unoquoque eorum, secundum quod in divinam prædi-cationem venit, secludatur quidquid imper-fectio-nis est, & retineatur quidquid perfectio-nis

R 2 nis

(1) *Sublimissimum explicare videtur ibi* S. Tho-mas optimo quidem sensu propter excellentiam scien-tie divinae omnem aliam excedentis: *Profunditatem* tamen pro qua sepe ponitur *altitudo*, vox græca significat τὸ βαθός ad quam illudit quoque illud Ecclæsiast. 7. ver. 25 quod & ibidem refert S. Tho-mas, *alia profunditas* &c.

(2) Colligitur ex textu 37. vel cap. 8. Ubi etiam exprefsus dicitur quod *est omnia quodammodo ensis* (τὰ ὄντα τὰ πάντα) &c.

(3) *Seu non sensuum* (juxta græcum σὺν αἰσθη-

σει) ut cap. 12. text. 124. videre est. Appendix autem sequens colligitur ex textu 4. sive cap. 4. lib. 3. de anima ubi dicitur id quod omnia intel-ligit, *immixtum esse* oportere αἴρεσθαι ut scilicet omnium formas recipere indifferenter possit; ac ex Anaxagora id refertur.

(4) Non sicut prius qu. 3. sed quest. 13. art. 4. in corp. & ad 3. Appendix autem que ad 1. nota-tur superius, ex ejusdem quoque questionis 13. ar-ticulo 5. col ligatur.

nis est. Et secundum hoc dicitur Job xii.
13. *Apud ipsum est sapientia, & fortitudo*
(1), *& ipse habet consilium, & intelligentiam.*

Ad tertium dicendum, quod scientia est secundum modum cognoscentis: scitum enim est in scientie secundum modum scientis. Et ideo cum modus divinæ essentiaz sit auctor quam modus quo creaturæ sunt, scientia divina non habet modum creaturæ scientiaz, ut scilicet sit universalis, vel particularis, vel in habitu, vel in potentia, vel secundum aliquem talem modum disposita.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, tum scripturas passim, tum Pontifices summos, tum Concilia semper, quando de hoc tractatur, reponere in Deo scientiam perfectissime. Secundo habes: quomodo verum sensum omnium præmissorum a falso vendices, & teipsum in esse catholicum inter hujusmodi custodias. Tertio vides: quomodo ex his &c.

A R T I C U L U S II. 81

Utrum Deus intelligat se.

Verit. quest. 11. art. 2. & I. cont. cap. xlviij.
& xlviij. & IV. cap. 11. co. 3. & I. dist.
xxv. art. 2. & II. Metab. lect. viii.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod Deus non intelligat se. Dicitur enim in Lib. de causis (prop. 13. in princ.) quod *omnis sciens, qui scit suam essentiam, est re-diens ad essentiam suam reditione completa.* Sed Deus non exit extra essentiam suam, nec aliquo modo movetur: & sic non competit sibi redire ad essentiam suam. Ergo ipse non est sciens essentiam suam.

2. Præterea. Intelligere est quoddam pati, & moveri, ut dicitur in III. de Anima

(tex. 12. & 28.) (2) scientia etiam est assimilatio ad rem scitam; & scitum etiam est perfectio scientis. Sed nihil moverur, vel patitur, vel perficitur a se ipso, neque similitudo sibi ipsi est, ut Hilarius dicit (Lib. III. de Trinit. non multum remote ante fin.) Ergo Deus non est sciens se ipsum.

3. Præterea. Præcipue Deo sumus similes secundum intellectum: quia secundum mentem sumus ad imaginem Dei, ut dicit Augustinus (Lib. XV. de Trini. cap. 1. & Lib. VI. super Genes. cap. xii.) (3). Sed intellectus noster non intelligit se, nisi sicut intelligit alia, ut dicitur in III. de Anima (tex. 15.). Ergo Deus non intelligit se, nisi forte intelligendo alia.

Sed contra est quod dicitur I. ad Cor. 11.
11. *Quae sunt Dei nemo novit nisi spiritus* Dei.

Respondeo dicendum, quod Deus se per se ipsum intelligit. Ad cuius evidentiam sciendum est, quod licet in operationibus quæ transiunt in exteriorem effectum, objectum operationis, quod significatur ut terminus, sit aliquid extra operantem; tamen in operationibus quæ sunt in operante, objectum, quod significatur ut terminus operationis, est in ipso operante: & secundum quod est in eo, sic est operatio in actu. Unde dicitur in Lib. III. de Anima (tex. 36. & 37.) quod *sensibile in actu est sensus in actu, & intelligibile in actu est intellectus in actu* (4). Ex hoc enim aliquid in actu sentimus, vel intelligimus, quod intellectus noster, vel sensus informatur in actu per speciem sensibilis, vel intelligibilis. Et secundum hoc tantum sensus, vel intellectus aliud est a sensibili, vel intelligibili, quia utrumque est in potentia. Cum igitur Deus nihil potentialitatis habeat, sed sit actus purus, oportet quod in eo intellectus, & intellectum sint idem omnibus modis, ita scilicet ut neque careat specie intelligibili, si-
cut intellectus noster, cum intelligit in poten-

(1) Sive *divisa* apud 70. id est *potentia* vel *virtus*, ut redditur in Sixtiana Editione vers. 13. Sed in eundem sensum redit ac *fortitudo spiritualis*, vel una ex alia sequitur.

(2) Ex textu quidem 12. five cap. 4. quoddam *pass.*: Ex textu autem 28. seu cap. 7. quoddam *moveri*, ut expressius infra.

(3) *Æquivalenter lib. 15. de Trinit. cap. 1.* ubi ait: *Iam pervenimus ad imaginem Dei quod est homo in eo quo ceteris animalibus ansecollis, & mens vocatur vel animus: & lib. 6. super Genes. ad litt. cap. 12. Deus ad imaginem suam hominem fecit*

propter hoc quod ei dedit mentem &c.

(4) Sic enim sicutem æquivalenter sensu ibi text. 36. ac deinceps, vel cap. 7. & 8. *Omnino intellectus qui actu intelligit, res ipsa est*; ut ab omnibus passim latine reddi solet: *Quamvis græce sit sic potius, r̄ος ἐστιν ὁ ναός ἵππος τὰ πρόγυμνα τεῖχος.* Scilicet est que secundum actum res intelligit: Et paulo post: *Est scientia quidem quoddammodo scibilis, sensus autem sensibilis:* & mox adhuc: *Secatur ergo scientia & sensus in rei: Potentialis quidem in eas que sunt in potentia, sed actualis in eas que sunt actu &c.*

tentia ; neque species intelligibilis sit aliud a substantia intellectus divini , sicut accidit in intellectu nostro , cum est actu intelligens ; sed ipsa species intelligibilis est ipse intellectus divinus , & sic se ipsum per se ipsum intelligit .

Ad primum ergo dicendum , quod redire ad essentiam suam nihil aliud est quam rem subsistere in se ipsa . Forma enim , in quantum perficit materiam dando ei esse , quodammodo supra ipsam effunditur ; in quantum vero in se ipsa habet esse , in se ipsam reddit . Virtutes igitur cognoscitivæ , quæ non sunt subsistentes , sed actus aliquorum organorum , non cognoscunt se ipsas , sicut patet in singulis sensibus ; sed virtutes cognoscitivæ per se subsistentes cognoscunt se ipsas : & propter hoc dicitur in Libro de causis , quod *sciens essentiam suam reddit ad essentiam suam* . Per se autem subsistere maxime convenit Deo . Unde secundum hunc modum loquendi ipse est maxime rediens ad essentiam suam , & cognoscens se ipsum .

Ad secundum dicendum , quod moveri , & pati sumuntur æquivoce , secundum quod intelligere dicitur esse quoddam moveri , vel pati , ut dicitur in IIII. de Anima (loc. cit. in argum.) (1) . Non enim intelligere est motus , qui est actus imperfecti , qui est ab alio in aliud ; sed actus perfecti existens in ipso agente . Similiter etiam quod intellectus perficiatur ab intelligibili , vel assimilatur ei , hoc convenit intellectui , qui quandoque est in potentia : quia per hoc quod est in potentia , differt ab intelligibili , & assimilatur ei per speciem intelligibilem , quæ est similitudo rei intellectæ , & perficiatur per ipsam , sicut potentia per actum . Sed intellectus divinus , qui nullo modo est in potentia , non perficitur per intelligibile , neque assimilatur ei , sed est sua perfectio , & suum intelligere .

Ad tertium dicendum , quod esse naturale non est materiæ primæ , quæ est in potentia , nisi secundum quod est reducta in actum per formam . Intellectus autem noster possibilis se habet in ordine intelligibilium sicut materia prima in ordine rerum naturalium , eo quod est in potentia ad intelligi-

bilia sicut materia prima ad naturalia . Unde intellectus noster possibilis non potest habere (4) intelligibilium operationem (2) , nisi in quantum perficit per speciem intelligibilem alicujus : & sic intelligit se ipsum per speciem intelligibilem , sicut & alia . Manifestum est autem quod ex eo quod cognoscit intelligibile , intelligit ipsum suum intelligere , & per actum cognoscit potentiam intellectivam . Deus autem est sicut actus purus tam in ordine existentium , quam in ordine intelligibilium ; & ideo per se ipsum se ipsum intelligit .

A P P E N D I X .

EX art. habes primo : quomodo per rationem ostendas , recte dictum ab Apostolo i. Cor. 2. *Que sunt Dei , nemo novit , nisi spiritus Dei* . Item recte dictum ab Innoc. Papa de sum. Trin. & fid. cath. firmiter credimus , & simpliciter intelligimus , quod &c. *Deus est omnino simplex* . Apostolus enim ibi fatetur , quod Deus intelligit seipsum , & Innoc. quod Deus per seipsum intelligit seipsum . Nam , si Deus non per seipsum intelligeret seipsum : tunc Deus non esset omnino simplex . Non enim videtur intelligi posse , quod sit omnino actus purus , qui se non per seipsum cognoscit . Si enim cognosceret per aliquid aliud , cognosceret ad minus per speciem intelligibilem : & consequenter recipere illam speciem , tamquam potentiale quoddam recipiens formam suam ; quod si potentia in Deo esset , & actus (actus esset illa species intelligibilis ab ipso numeraliter diversa) utique Deus non esset omnino purus actus . Cum igitur dicit Papa , quod Deus est omnino simplex : vult dicere , quod Deus seipsum non intelligit per speciem a se numero diversam . Secundo vides : quomodo , &c.

A R -

(1) Textu nimis 28. vel cap. 7. ubi & duplex motus hic indicatus assignatur obiter tantum ; nec ad solum *intelligere* sed ad *sensare* motus ille dicitur pertinere qui est *actus perfecti* (πεντερημένος) id est ejus quod ad perfectionem jam pervenit , vel quod seipso perfectum est ; per oppositum ad *actus*

imperfecti (ατελῆς) idest ejus quod ad perfectionem tendit , vel movetur ad illud per quod perfici potest .

(2) *At. intelligibilem operationem* .

(3) Ut in Gottho exemplari : non sicut pannum in impressis non fatis piano sensu *intelligibilem operationem* .

A R T I C U L U S III. 82

Utrum Deus comprehendat se ipsum.

III. dist. XIV. artic. 2. quest. 1. & 2. & I. cont. cap. III. & ver. quest. II. artic. 2. ad 5. & quest. XX. artic. 4. & opusc. II. cap. VI. CCXIII. & CCXIV. & opusc. IX. cap. LXXXIX.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod Deus non comprehendat se ipsum. Dicit enim Augustinus in Lib. lxxxiii. Quaestorum (quest. XIV.) quod id quod comprehendit se, finitum est sibi. Sed Deus est omnibus modis infinitus. Ergo non comprehendit se.

2. Si dicatur, quod Deus infinitus est nobis, sed sibi finitus; contra. Verius est unumquodque, secundum quod est apud Deum quam secundum quod est apud nos. Si igitur Deus sibi ipse est finitus, nobis autem infinitus, verius est Deum esse finitum quam infinitum; quod est contra prius determinata (quest. VII. art. 1.) Non ergo Deus comprehendit se ipsum.

Sed contra est quod Augustinus dicit ibidem (1): *Omne quod intelligit se, comprehendit se. Sed Deus intelligit se. Ergo comprehendit se.*

Respondeo dicendum, quod Deus perfecte comprehendit se ipsum. Quod sic patet. Tunc enim dicitur aliquid comprehendi. quando pervenitur ad finem cognitionis ipsius; & hoc est quando res cognoscitur ita perfecte sicut cognoscibilis est; sicut propositio demonstrabilis comprehenditur quando fitur per demonstrationem, non autem quando cognoscitur per aliquam rationem probabilem. Manifestum est autem quod Deus ita perfecte cognoscit se ipsum sicut perfecte cognoscibilis est: est enim unumquodque cognoscibile secundum modum sui actus. Non enim cognoscitur aliquid, secundum quod in potentia est, sed secundum quod

est in actu, ut dicitur in IX. Metaph. (tex. 20.) Tanta est autem virtus Dei in cognoscendo, quanta est actualitas ejus in existendo (2): quia per hoc quod actu est, & ab omni materia, & potentia separatus, Deus cognoscitivus est, ut ostensum est (art. 1. hujus quest.) Unde manifestum est quod tantum se ipsum cognoscit, quantum cognoscibilis est; & propter hoc se ipsum perfecte comprehendit.

Ad primum ergo dicendum, quod comprehendere, si proprie accipiatur, significat aliquid habens, & includens alterum: & sic oportet quod omne comprehensum sit finitum, sicut omne includum. Non sic autem comprehendendi dicitur Deus a se ipso, ut intellectus suus sit aliud quam ipse, & capiat ipsum, & includat; sed hujusmodi locutiones per negationem sunt exponenda. Sicut enim Deus dicitur esse in se ipso, quia a nullo exteriori continetur; ita dicitur comprehendendi a se ipso, quia nihil est sui quod lateat ipsum. Dicit enim Augustinus in Lib. de videndo Deum (epist. CXII. ad Paulini. cap. IX. circa princ.) (3) quod rotum comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem.

Ad secundum dicendum, quod cum dicitur, Deus finitus est sibi, intelligendum est secundum quendam similitudinem proportionis: quia sic se habet in non excedendo intellectum suum, sicut se habet aliquid finitum in non excedendo intellectum finitum. Non autem sic dicitur Deus sibi finitus, quod ipse intelligat se esse aliquid finitum.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito esse dictum a psal. 146. *Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientia ejus non est numerus.* Hoc est Dominus noster tanta sapientia pollet, ut comprehendat semetipsum. Si enim minori modo cognoscit se ipsum Deus, quam sit cognoscibilis: jam patet, quod sapientia ejus

(1) Hoc est eodem libro 83. quest. qu. 14. immediate ante verba que argum. 1. relata sunt. His autem verbis non videtur perfecta illa comprehensio intelligi que se comprehendere probatur Deus; cum non omnis intellectio talis comprehensio dici possit. Sed nihil refert, cum eiusmodi argumenta sed contra non semper accurato sensu intelligentur.

(2) Colligitur ex text. 20. five cap. XI. vel in Edit. græco lat. cap. 9. ubi ea que sunt in poten-

tia, tum demum inventi dicuntur; cum ad actu reduci ea contigerit & subjungitur causa, quia intellectio ipsa est actus quidam, ideoque agendo cognoscimus, vel (juxta græcum *ποιεῖτε γνῶσαν*) facientes cognoscere.

(3) Ubi ad mensis obsecrum istud refert, & alias explicationem addit ad oculos corporis pertinentem quod circumspici possint ejus fines; ut iam notatum sup.

ejus est numerus. Non enim modo infinito tunc se cognosceret, sicut modo infinito est, idest non tantum se tunc cognosceret, quantum cognoscibilis est. Secundo vides: quo modo, &c.

ARTICULUS IV. 83

Utrum ipsum intelligere Dei sit ejus substantia.

I. cont. cap. xlvi. & xlvii. & IV. cap. xi. & xii. & opusc. II. cap. xxix. & xxx. & xxxi.

AD quartum sic proceditur. Videretur quod ipsum intelligere Dei non sit ejus substantia. Intelligere enim est quedam operatio: operatio autem aliquid significat procedens ab operante: substantia autem operantis non procedit ab operante. Ergo ipsum intelligere Dei non est ipsa substantia.

2. Præterea. Cum aliquis intelligit se intelligere, hoc non est intelligere aliquid magnum, (1) vel principale intellectum, sed intelligere quoddam secundarium, & accessorum. Si igitur Deus sit ipsum suum intelligere, intelligere Dei erit sicut cum intelligimus intelligere; & sic non erit aliquid magnum intelligere Dei.

3. Præterea. Omne intelligere est aliquid intelligere. Cum ergo Deus intelligit se, si ipsemet non est aliud quam suum intelligere, intelligit se intelligere, & intelligere se intelligere se, & sic in infinitum. Non ergo ipsum intelligere Dei est ejus substantia.

Sed contra est quod dicit Augustinus Lib. VII. de Trinitate (cap. vii.) *Deo hoc est esse quod sapientem esse.* (2) Hoc autem est sapientem esse quod intelligere. Ergo Deo hoc est esse quod intelligere. Sed esse Dei est ejus substantia, ut supra ostensum est (quæst. iii. art. 4.) Ergo intelligere Dei est ejus substantia.

(1) An non potius, *boc intelligere* (vel hæc intellectio) non est aliquid magnum, &c. ut sequentia coherent, in quibus non ut verbum infinitum, sed ut substantivatum accipitur.

(2) Ex cap. 2. colligitur ubi paulo aliis verbis; *Hoc est esse quod sapere*: Sed expressius lib. 6. cap. 4. ut iam antea notatum est: *Hoc est esse quod formam esse*, *quod justum esse quod sapientem esse*: Cap. autem 7. lib. 7. dicitur tantum: *Hoc est esse quod magnum esse*, *quod bonum esse*: Quamvis & ræque idem de sapiente subintelligi possit.

Respondeo dicendum, quod est necesse dicere, quod intelligere Dei est ejus substantia. Nam si intelligere Dei sit aliud quam ejus substantia, oporteret, ut dicit Philosophus in XII. Metaph. (tex. 39.) quod aliquid aliud esset actus, & perfectio substantiarum divinarum sicut potentia ad actum; quod est omnino impossibile. Nam intelligere est perfectio, & actus intelligentis (3). Hoc autem qualiter sit, considerandum est. Sicut enim supra dictum est (art. 2. hujus quæst.) intelligere non est actio progrediens ad aliquid extrinsecum, sed manet in operante sicut actus, & perfectio ejus, prout esse est perfectio existentis. Sicut enim esse consequitur formam, ita intelligere sequitur species intelligibilem. In Deo autem non est forma, quæ sit aliud quam suum esse, ut supra ostensum est (quæst. iii. art. 4. & 7.) Unde cum ipsa sua essentia sit etiam species intelligibilis, ut dictum est (quæst. iii. art. 7. præcipue) ex necessitate sequitur quod ipsum ejus intelligere sit ejus essentia, (4) & ejus esse.

Et sic patet ex omnibus præmissis quod in Deo intellectus intelligens, & id quod intelligitur, & species intelligibilis, & ipsum intelligere sunt omnino unum & idem. Unde patet quod per hoc quod Deus dicitur intelligens, nulla multiplicitas ponitur in ejus substantia.

Ad primum ergo dicendum, quod intelligere non est operatio exiens ab ipso operante, sed manens in ipso.

Ad secundum dicendum, quod cum intelligitur illud intelligere, quod non est subsistens, non intelligitur aliquid magnum. sicut cum intelligimus intelligere nostrum: & ideo non est simile de ipso intelligere divino, quod est subsistens.

Et per hoc patet responsio ad tertium. Nam intelligere divinum, quod est in seipso subsistens, est sui ipsius, & non alicuius

(3) *Hinc & optimum Dei speculatio*, & id quod maxime divinum habet ipsa mens, ut in predicto text. 39. seu cap. 7. concluditur.

(4) Non in formaliter sensu sed identico tantum: Unde hinc eruere quod formalis ratio constitutus divinitatem sit actualis intellectio figuratum est: Alioquin de voluntate idem dici deberet; cum etiam de illa dicat quæst. 19. in corp. quod *sicut esse Dei est ipsum ejus intelligere*, *ita & ejus volle*: Ac expressius ad 3. quod cum *voluntas Dei sit ejus essentia*, &c. Et art. 4. ad 2. quod *essentia Dei est ipsum ejus intelligere & volle*.

jus alterius, ut sic oporteat procedere in infinitum.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem devites etiam in esse intelligibili divino hæresim Arnaldistarum dicentium, in Deo esse quidpiam compositum. Secundo habes: quomodo per rationem monstres, Concilium sub Innocentio Papa, de summa Trinitate, & fide Catholica firmiter, merito damnare illam ibi: Credimus firmiter, & simpli citer confitemur, quod Deus est simplex omnino. Et quomodo esset simplex omnino, si etiam in esse intelligibili non esset simplex, ita quod ipse substantialiter non esset suum intelligere? Concilium enim, dicendo ly omnino, amplectitur esse Dei, & naturale, & intelligibile. Voluit ergo per ly simplex omnino, si in esse intelligibili loquamus, quod intellectus, & id, quod intelligitur, & species intelligibilis, & ipsum intelligere, sunt in Deo unum omnino, & idem. Vide questionis 3. articulum 7. & questionis 14. articulum 2. Tertio vides: quomodo ex his bene applicatis, & consideratis vicissim confirmetur, & explicetur Angelica præsentis articuli Conclusio.

ARTICULUS V. 84

Utrum Deus cognoscat alia a se.

I. dist. xxxv. artic. 2. & ver. quest. II. artic. 4. & I. con. cap. xlvi. & xlix.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod Deus non cognoscat alia a se. Quæcumque enim sunt alia a Deo, sunt extra ipsum. Sed Augustinus dicit in Lib. lxxxiii. Qq. (quest. xlvi. post medium) quod ne que quidquam Deus extra se ipsum intuetur (1). Ergo non cognoscit alia a se.

2. Præterea. Intellectum est perfectio intelligentis. Si ergo Deus intelligat alia a

(1) Colligitur ex qu. 46. Sed quo sensu, explicabitur inferius, tum in solutione S. Thomæ, tum ad marginem.

(2) Supple speciem habet; idest specifatur per objectum.

(3) Vel significantius græce τετραχλιτρόν per metaphoram excoriati colli carnem intus latentem detegentis ut Chrysost. homil. 7. in epistolam ad Hebreos explicat: Vel etiam per metaphoram faciei resupinato collo exporrecte ad eam apertius lugran-

A.R.T. IV. & V.

se, aliquid aliud erit perfectio Dei, & nobilior ipso: quod est impossibile.

3. Præterea. Ipsum intelligere speciem habet ab intelligibili, sicut & omnis altius aetus a suo objecto (2). Unde & ipsum intelligere tanto est nobilior, quanto etiam nobilior est ipsum quod intelligitur. Sed Deus est ipsum suum intelligere, ut ex dictis patet (art. præc.) Si igitur Deus intelligit aliquid aliud a se, ipse Deus specifatur per aliquid aliud a se; quod est impossibile. Non igitur intelligit alia a se.

Sed contra est quod dicitur Hebr. iv. 13. *Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus* (3).

Respondeo dicendum, quod necesse est Deum cognoscere alia a se. Manifestum est enim quod se ipsum perfecte intelligit: aliquin suum esse non esset perfectum, cum suum esse sit suum intelligere. Si autem perfecte aliquid cognoscitur, necesse est quod virtus ejus perfecte cognoscatur. Virtus autem alicuius rei perfecte cognosci non potest, nisi cognoscantur ea ad quæ virtus se extendit. Unde cum virtus divina se extendat ad alia, eo quod ipsa est prima causa effectiva omnium entium, ut ex supradictis patet (quest. II. art. 3.) necesse est quod Deus alia a se cognoscat. Et hoc etiam evidenter fit, si adjungatur, quod ipsum esse causæ agentis primæ, scilicet Dei, est ejus intelligere. Unde quicumque effectus praexistunt in Deo sicut in causa prima, necesse est quod sint in ipso ejus intelligere, & quod omnia in eo sint secundum modum intelligibilem. Nam omne quod est in altero, est in eo secundum modum ejus in quo est.

Ad sciendum autem, qualiter alia a se cognoscat, considerandum est, quod dupliciter aliquid cognoscitur: uno modo in se ipso; alio modo in altero. In se ipso quidem cognoscitur aliquid, quando cognosciatur per speciem propriam adæquatam ipsi cognoscibili; sicut cum oculus videt hominem per speciem hominis: in alio autem videtur id quod videtur per speciem continentis; (4) sicut cum pars videtur in toto

per

dum undequaque, sicut explicat Occumenius: Vel denique per metaphoram dorsum a collo ipso per medium disiecti ad intima viscera denudanda & penetranda, ut alii exponunt. Et hoc spectat explicatio Commentarii Ambrosii perperam attributi qui revelatae ponit pro apertis.

(4) Quocumque modo continet; vel realiter, ut in exemplo partis patet; vel representative, ut speculi exemplo indicatur,

per speciem totius, vel cum homo videtur in speculo per speciem speculi, vel quocumque alio modo contingat aliquid in alio videri.

Sic igitur dicendum est, quod Deus se ipsum videt in se ipso, quia se ipsum videt per essentiam suam; alia autem a se videtur in ipsis, (1) sed in se ipso, inquantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum Augustini dicentis, quod Deus nihil extra se intuetur, non est sic intelligendum, quasi nihil quod sit extra se, intueatur, sed quia id quod est extra se ipsum, non intuetur nisi in se ipso, ut dictum est (in corp. art.) (2).

Ad secundum dicendum, quod intellectum est perfectio intelligentis, non quidem secundum suam substantiam, sed secundum suam speciem, secundum quam est in intellectu ut forma, & perfectio ejus. Lapis enim non est in anima sed species ejus, ut dicitur in III. de Anima (tex. 38.) Ea vero quae sunt alia a Deo, intelliguntur a Deo, inquantum essentia Dei continet species eorum, ut dictum est (in cor. art.) unde non sequitur quod aliud aliud sit perfectio divini intellectus quam ipsa essentia Dei.

Ad tertium dicendum, quod ipsum intelligere non specificatur per id quod in alio intelligitur, sed per principale intellectum, in quo alia intelliguntur. Intantum enim ipsum intelligere specificatur per objectum suum, inquantum forma intelligibilis est principium intellectualis operationis. Nam omnis operatio specificatur per formam, quae est principium operationis, sicut calefactio per calorem. Unde per illam formam intelligibilem specificatur intellectualis operatio, quae facit intellectum in actu. Et hæc est species principalis intellecti, quae in Deo nihil est aliud quam essentia sua, in qua omnes species rerum comprehenduntur. Unde non oportet quod ipsum intelligere divinum, vel potius ipse Deus specificetur per aliud quam per essentiam divinam,

Summ. S.Tb. T.I.

(1) Tamquam in medio videndi, ut adjuncta ostendunt; cum in ipsis nihilominus objective videat, ut patebit sequenti art.

(2) Quippe hoc Augustinus dicit de ideis per quas Deus res intelligit: *Singula (inquit) propriis suis rationibus: Has autem rationes ubi arbitrandam est esse nisi in ipsa mente creatoris? Non enim*

A P P E N D I X.

Ex art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito dictum a regulis fidei traditis ab Augustino in lib. de fide ad Petrum, c. 31. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, Trinitatem Deum incommutabilem rerum omnium, atque operum tam suorum, quam humanorum cerissimum cognitorem.* Hæc ibi. Item a scripturis sanctis fere ubique: specialiter Psal. 93. *Dominus scit cogitationes hominum: Gen. 1. Vidit Deus cuncta, que fecerat, & erant (id. etiam, & hoc esse cognovit) valde bona.* Hier. 28. *Si occulabis vir, & ego non video eum!* Secundo habes: quomodo per rationem omnia predicta in sensu catholicō intelligas, intellectaque ab insolentibus argumentis defendas. Et hoc sit universaliter dictum nunc pro semper in omnibus similibus ubi utilitas affiri designatur S. Ecclesiaz a D. Thom. ad intelligentias scripturas, vel Concilia, vel spectantia alia ad catholicam fidem. Semper enim subintelligendum relinquitur: quod doctrina S. Tho. dat etiam Ecclesiaz Apostolicz modum defendendi, quae pro tunc adducuntur, & similia a quibuscumque adversariis: etiam quod hoc specialiter ibi non explicaretur. *Tertiy* vides: &c.

A R T I C U L U S VI. 85

Utrum Deus cognoscat alia a se propria cognitione.

I. *diss. xxxv. artic. 3. & diss. xxxvi. quest.*
I. *artic. 1. & I. contr. cap. xxxxx. lxiii.*
& lxxii. & III. cap. lxxv. & lxxvi. & ver. quest. II. artic. 4. & 5. & opusc. II. cap. cxxxiv. cxxxv.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod Deus non cognoscat alia a se propria cognitione. Sic enim cognoscit alia a se, ut dictum est (art. præc.) secundum quod alia ab ipso in eo sunt. Sed alia ab eo sunt in ipso sicut in prima causa communi & uni-

S ver-

extra se quidquam intuebatur, ut secundum id constitueret quod constitueret: Nam hoc opinari sacrilegium est. Quasi dicat quod nihil tamquam formam intuebatur extra seipsum per quam constituenda cognosceret, sed formas tantum in seipso præexistentes quae non aliud essent ab essentia sua, ut qu. 15. ar. 1. ex professo dicetur.

versali. Ergo alia cognoscuntur a Deo sicut in causa prima, & universali. Hoc autem est cognoscere in universali, & non secundum propriam cognitionem. Ergo Deus cognoscit alia a se in universali, & non secundum propriam cognitionem.

2. Præterea. Quantum distat essentia creaturæ ab essentia divina, tantum distat essentia divina ab essentia creaturæ. Sed per essentiam creaturæ non potest cognosci essentia divina, ut supra dictum est (quæst. XII. art. 1.) (1). Ergo nec per essentiam divinam potest cognosci essentia creaturæ. Et sic cum Deus nihil cognoscat nisi per essentiam suam, sequitur quod non cognoscat creaturam secundum ejus essentiam, ut cognoscat de ea quid est: quod est propriam cognitionem de re habere.

3. Præterea. Propria cognitio non habetur de re nisi per propriam ejus rationem. Sed cum Deus cognoscat omnia per essentiam suam, non videtur quod unumquodque per propriam rationem cognoscat: idem enim non potest esse propria ratio multorum, & diversorum. Non ergo habet propriam cognitionem Deus de rebus, sed communem: nam cognoscere res non secundum propriam rationem, est cognoscere res solum in communi.

Sed contra. Habere propriam cognitionem de rebus est, cognoscere res non solum in communi, sed secundum quod sunt ab invicem distinctæ. Sic autem Deus cognoscit res: unde dicitur Hebr. IV. 12. quod pertinet usque ad divisionem spiritus, & anima, (2), compagum quoque, & medullarum; & discretor cogitationum, & intentionum cordis: & non est illa creatura invisibilis in conspectu ejus.

Respondeo dicendum, quod circa hoc quidam erraverunt, dicentes, quod Deus alia a se non cognoscit nisi in communi, scilicet inquantum sunt entia. Sicut enim ignis, si cognosceret se ipsum, ut est principium

caloris, cognosceret naturam caloris, & omnia alia, inquantum sunt calida; ita Deus, inquantum cognoscit se ut principium essendi, cognoscit naturam entis, & omnia alia, inquantum sunt entia.

Sed hoc non potest esse. Nam intelligere aliquid in communi, & non in speciali, est imperfecte aliquid cognoscere. Unde intellectus noster, dum de potentia in actum reducitur, pertingit prius ad cognitionem universalis & consuam de rebus quam ad propriam rerum cognitionem, sicut de imperfecto ad perfectum procedens, ut patet in I. Physic. (in princ. com.) Si igitur cognitionis Dei de rebus aliis a se esset in universalis tantum, & non in speciali, sequeretur quod ejus intelligere non esset omnibus modis perfectum, & per consequens nec ejus esse; quod est contra ea quæ superius ostensa sunt (quæst. IV. art. 1. & art. 3. 4. & 5. hujus quæst.)

Oportet igitur dicere, quod alia a se cognoscat propria cognitione, non solum secundum quod communicant in ratione entis, sed secundum quod unum ab alio distinguitur. Et ad hujus evidentiam considerandum est, quod quidam volentes ostendere, quod Deus per unum cognoscit multa, utuntur quibusdam exemplis; ut puta, quod si centrum cognosceret se ipsum, cognosceret omnes lineas progredientes a centro; vel lux, si cognosceret se ipsam, cognosceret omnes colores.

Sed hæc exempla, licet quantum ad aliquid similia sint, scilicet quantum ad universalis causalitatem, tamen deficiunt quantum ad hoc quod multitudo, & diversitas non causantur ab illo uno principio universalis quantum ad id quod principium distinctionis est, sed solum quantum ad id in quo communicant. Non enim diversitas coloris causatur ex luce solum, sed ex diversa dispositione diaphani recipientis; & similiter diversitas linearum ex diverso situ. Et inde est

(1) Ubi proinde infert non posse Deum in hac vita nominari a nobis qualis in lepto est secundum essentiam, quia non cognoscimus eum nisi ex creationis &c. .

(2) De Verbo Dei hæc dicuntur, ut ibi patet; ubi scilicet præmittitur quod *vivus est sermo Dei efficax & penetrans omni gladio encipiti*; hoc est *utraque pars acuta* (ut græca vox discors quasi gemini oris pro acie gemina, metaphorice significat) Ac deinde additur: *Et perrigens usque ad divisionem animæ ac spiritus*: Intelligendo per animam quem dat esse corpori, animalem vel sensualem par-

tem: & per spiritum qui subtilius aliquid significat, intelligendo partem spirituali seu mentalem; ut ipse S. Thomas explicat ibi lect. 2. Quamvis ex Gloria quoque addit quod per *animam carnaliam percata*, quæ in rebus ad vitam corporalem vel ad corporis voluptatem pertinentibus sunt, sed per spiritum intelliguntur ea quæ spiritualia dici solent; quia in iis sunt quæ ad mentem pertinent. Sensus ergo est quod omnia bona vel mala nostra, non tantum interius latentes & quantumlibet occultata, Deum perfectissime servit.

est quod hujusmodi diversitas , & multitudo non potest cognosci in suo principio secundum propriam cognitionem , sed solum in communi . Sed in Deo non sic est . Supra enim ostensum est (quest . iv . art . 1.) (1) quod quidquid perfectionis est in quacunque creatura , totum præexistit , & continetur in Deo secundum modum excellentem . Non solum autem id in quo creature communicant , scilicet ipsum esse , ad perfectiōnem pertinet , sed etiam ea per quæ creature ab invicem distinguuntur , sicut vivere , & intelligere , & hujusmodi , quibus videntia a non viventibus , & intelligentia a non intelligentibus distinguuntur . Et omnis forma , per quam quelibet res in propria specie constitutur , perfectio quædam est . Et sic omnia in Deo præexistent , non solum quantum ad id quod commune est omnibus , sed etiam quantum ad ea secundum quæ res distinguuntur (2) .

Et sic cum Deus in se omnes perfectiones contineat , comparatur Dei essentia ad omnes rerum essentias , non sicut commune ad propria , ut unitas ad numeros , vel centrum ad lineas ; sed sicut perfectus actus ad imperfectos ; ut si dicerem , homo ad animal , vel senarius , qui est numerus perfectus , ad imperfectos sub ipso contentos . Manifestum est autem quod per actum perfectum cognosci possunt actus imperfecti non solum in communi , sed etiam propria cognitione : sicut qui cognoscit hominem , cognoscit animal propria cognitione ; & qui cognoscit senarium , cognoscit trinarium propria cognitione . Sic igitur cum essentia Dei habeat in se quidquid perfectionis habet essentia cuiuscumque rei alterius , & adhuc amplius ; Deus in se ipso potest omnia propria cognitione cognoscere . Propria enim natura uniuscujusque consistit , secundum quod per aliquem modum divinam perfectionem participat . Non autem Deus perfecte se ipsum cognosceret , nisi cognosceret quomodo

documque participabilis est ab aliis sua perfectio . Nec etiam ipsam naturam essendi perfecte sciret , nisi cognosceret omnes modos essendi . Unde manifestum est quod Deus cognoscit omnes res propria cognitione , (3) secundum quod ab aliis distinguntur .

Ad primum ergo dicendum , quod sic cognoscere aliquid sicut in cognoscente est , potest dupliciter intelligi . Uno modo secundum quod hoc adverbium sic importat modum cognitionis ex parte rei cognitæ ; & sic falsum est . Non enim semper cognoscens cognoscit cognitionem secundum illud quod habet in cognoscente : (4) oculus enim non cognoscit lapidem secundum esse quod habet in oculo , sed per speciem lapidis , quam habet in se , cognoscit lapidem secundum esse quod habet extra oculum . Et si aliquis cognoscens cognoscat cognitionem secundum esse quod habet in cognoscente , nihilominus cognoscit ipsum secundum esse quod habet extra cognoscētē : sicut intellectus cognoscit lapidem secundum esse intelligibile , quod habet in intellectu , inquantum cognoscit se intelligere ; sed nihilominus cognoscit esse (*) lapidis in propria natura . Si vero intelligatur , secundum quod hoc adverbium sic importat modum ex parte cognoscētis ; verum est quod sic solum cognoscens cognoscit cognitionem , secundum quod est in cognoscēte . Quia quanto perfectius est cognitionis in cognoscēte , tanto perfectior est modus cognitionis .

Sic igitur dicendum est , quod Deus non solum cognoscit res esse in se ipso ; sed per id quod in se ipso continet res , cognoscit eas in propria natura , & tanto perfectius , quanto perfectius est unumquodque in ipso .

Ad secundum dicendum , quod essentia creature comparatur ad essentiam Dei ut actus imperfectus ad perfectum . Et ideo essentia creature non sufficienter dicit in cognitionem essentiaē divinæ , sed e converso .

Ad tertium dicendum , quod idem non potest

S 2

(1) Nec tantum ibi ex professo ubi queritur an in Deo sint perfectiones omnium rerum ; Sed quæst . quoque præcedenti art . 2. cum explicatur an aliquod nomina substantialiter de Deo dici possit .

(2) Sensu jam paulo supra explicato ; nempe secundum modum excellentem ; non formaliter denominando Deum velut subjectum earundem perfectionum quæ in singulis inveniuntur (quod absurdum omnino foret) sed eminenter tantum sive virtualiter velut omnium causam , quod sufficit ut ea significatione secundum singularem proprias rationes cognoscatur .

(3) Seu ad proprias & singulares quarumlibet con-

ditiones terminata , ut ex adjunctis patet .

(4) Quæ nimirum esse illud quod habet vel habere presupponitur in cognoscēte , sit objectum cognitionis ad quod ipsa præcisē terminetur ; nec ulterius ad objectum extra se sive materiae tendat quod est esse reale : Alioqui verum est quantum ad formale objectum coincidens cum ipso modo cognoscendi ex parte cognoscētis , quod res quelibet cognoscitur secundum illud esse immaterialē , depuratum . spirituale , quod per speciem suam in cognoscēte habet ; ut adjuncta indicant .

(*) Ibi sodd . Alcan . & Cam . Al . lapidem .

potest accipi ut ratio diversorum per modum adæquationis (1). Sed divina essentia est a-liquid excedens omnes creatureas. Unde potest accipi ut propria ratio uniuscujusque, secundum quod diversimode est participabilis, vel imitabilis a diversis creatureis.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per rationem interimas haeresim Averrois, & Al-gazelis, Direct. inquisito. 2. par. qu. 4. di- centium ; quod Deus non cognoscit res singu- lares in propria forma. Secundo habes : quomodo per rationem ostendas, haeresim hanc, licet ipsi forsitan non fuerint Christiani, fuisse merito damnatam Heb. 4. ubi lo- quens Apost. de Deo filio inquit : *sermo Dei efficax est, & penetrabilior omni gladio anticipati, & pertingens usque ad divisionem spiritus, & anima, compagum quoque, & medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis: & non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus.* Vide sine hic, minutissima quæque mi- nutissime, distinctissime, propriissime a Deo cognosci ? alioquin, si vel res aliqua, quan- tumcumque minima, vel modus rei, quan- tumlibet parvulus, vel rei differentia, aut exterorum quidpiam etiam abstrusissimum, ac nullius ferme entitatis Dei lucidissimam cognitionem subterfugere: jam falsificaret illud. Apostoli, quod non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. Nec ad insa- niam haereticalem Petri Abaylardi recursas dicentem, quod extra Deum est aliquid, quod neque creator, neque creatura est : quoniam, si R. P. Bannes credimus, a Con- cilio Senonensi olim damnata est. Item a regulis fidei catholicæ per D. Aug. expressis in lib. de fide ad Petrum, c. 21. *firmissime zene, & nullatenus dubites, Trinitatem Deum incommutabilem rerum omnium, atque operum tam suorum, quam humanorum certissimum cognitorem.* Item a symbolo fidei sic. *Credo in Deum omnipotentem.* Sub omnipotentia enim includitur apud fideles omnium scientia :

A R T. VI. & VII.

ut est in 2. 2. quest. 1. art. 8. ad 2. Terio vi- des: quomodo &c.

ARTICULUS VII. 86

Utrum scientia Dei sit discursiva.

I. con. cap. lv. lvii. & post. quest. ix. artic. 2. ad 10. & quol. xi. artic. 2. & opusc. ii. cap. xxix.

AD septimum sic proceditur. Videtur quod scientia Dei sit discursiva. Scientia enim Dei non est secundum scire in habi- tu, sed secundum intelligere in actu. Sed secundum Philosophum in II. Topic. (cap. iv. in declaratione loci 33.) *scire in habitu contingit multa simul; sed intelligere actu unum tantum.* Cum ergo Deus multa cognoscat, quia & se, & alia, ut ostensum est (art. 2. & 5. hujus quest.) videtur quod non si- mul omnia intelligat, sed de uno in aliud discurrat.

2. Præterea. Cognoscere effectum per cau- sam est scientiaz (2) discurrentis. Sed Deus cognoscit alia per se ipsum, sicut effectum per causam. Ergo cognitio sua est discur- siva.

3. Præterea. Perfectius Deus scit unam- quamque creatuream quam nos sciamus. Sed nos in causis creatis cognoscimus earum effec- tus; & sic de causis ad causata discurri- mus. Ergo videtur similiter esse in Deo.

Sed contra est quod Augustinus dicit in XV. de Trinit. (cap. xiv. a med.) quod *Deus non particulatim, vel sigillatim omnia vides velut alterante (*) conceptu hinc illuc, inde hoc; sed omnia vides simul.*

Respondeo dicendum, quod in scientia di- vina nullus est discursus : quod sic pater. In scientia enim nostra duplex est discursus. Unus secundum successionem tantum; sicut cum, postquam intelligimus aliquid in actu, convertimus nos ad intelligendum aliud (3). Alius discursus est secundum causalitatem; sicut cum per principia pervenimus in cogni- tio-

(1) Id est, hoc modo ut singulis veluti adæquata ratio respondeat; quia simul non est adæquata & effet.

(2) Ut Manuscriptum abbreviatis characteribus legit *scire* juxta veterem usum qui diphthongos nota- re non solebant: Hinc luscus nescio quis inepte fe- cit, *est scire discurrentis*, ut in impressis & in go- thicis, passim; cum sit planus omnino sensus, *est scientia discurrentis*; hoc est, *persistet ad scientiam discurrentem*.

(*) *Al. conspectu.*

(3) Vel etiam aliter, quando circa idem objec- tum successiva versamur, prout illud non uno intui- tum apprehendimus plene ac perfecte, sed per con- tinuum actuum intelligendi: minus tamen pertinet ad propositum hanc successio, vel reducitur ad eam- dem de qua hic, per quam scilicet uolum intelligi- mus post aliud; puta uolum partem objecti post aliud, quia circa eandem successiva cogitatio per accidens est.

tionem conclusionum. Primus autem discursus Deo convenire non potest. Multa enim, quæ successive intelligimus, si unumquodque eorum in se ipso consideretur, omnia simul intelligimus, si in aliquo uno ea intelligamus; puta si partes intelligamus in toto, vel diversas res videamus in speculo. Deus autem omnia videt in uno, quod est ipse, ut habitum est (art. 4 & 5. hujus quest.) Unde simul, & non successive omnia videt. Similiter etiam secundus discursus Deo competere non potest. Primo quidem quia secundus discursus presupponit primum; procedentes enim a principiis ad conclusiones non simul utrumque considerant. Deinde quia discursus talis est procedentis de noto ad ignotum. Unde manifestum est quod quando cognoscitur primum, adhuc ignoratur secundum; & sic secundum non cognoscitur in primo, sed ex primo. (*) Terminus vero discursus est, quando secundum videtur in primo, resolutis effectibus in causis: & tunc cessat discursus. Unde cum Deus effectus suos in se ipso videat sicut in causa, ejus cognitio non est discursiva.

Ad primum ergo dicendum, quod licet sit unum tantum intelligere in se ipso, (1) tamen contingit multa intelligere in aliquo uno, ut dictum est (in cor. art. & art. præc.)

Ad secundum dicendum, quod Deus non cognoscit per causam, quasi prius cognitam, effectus incognitos, sed eos cognoscit in causa: unde ejus cognitio est sine discursu, ut dictum est (in corp. ar.)

Ad tertium dicendum, quod effectus causarum creatarum videt quidem Deus in ipsis causis multo melius quam nos; non tamen ita quod cognitio effectuum causetur in ipso ex cognitione causarum creatarum, sicut in nobis: unde ejus scientia non est discursiva.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim Agnoistarum dicendum: Deus, quod non extat praesciens, quod extat sciens, quod extitit memoria tenens, non

codem modo semper se habet, ut qui cognitionem transferat ad presentia, præterita, & futura. Vides hic ab istis sciolis ponit in Deo discursum. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, quod hanc jure damnavit olim Apostolus Jacob. cap. 1. Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Loquitur ibi de Deo & quoad scientiam, in cuius signum præmittit, quod est pater luminum, & subdit, quod genuit nos verbo veritatis, quorum utrumque scientiam denotat, sive connotat. Sine discursu igitur, qui est quædam conceptuum hinc illuc, inde huc alternatio, secundum Augustinum 15. de Trinit. c. 14. est cognitio Dei secundum Jacobum, qui illam alternationem vocat transmutationem, aut vicissitudinem, aut vicissitudinis obumbrationem. Item damnatur Heb. 4. Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus. Sunt, inquit, aperta, & nuda: nō dicit, fuerunt, aut erunt, quasi quod ejus cognitio transferatur ad præsentia, præterita, & futura: quod sine aliquo discursu esse non posset. Non ergo Deus particulatim, aut suggillatim omnia, quasi unum post aliud, vel unum ex alio novit secundum Apostol. Paulum, sed omnia simul unico intuitu videt. Tertio cognoscere potes: quomodo &c.

A R T I C U L U S VIII. 87

Utrum scientia Dei sit causa rerum.

I. *dīst. xxxviii. art. 1. & I. con. cap. lxi. & lxii. & ver. quest. II. artic. 14.*

AD octavum sic proceditur. Videtur quod scientia Dei non sit causa rerum. Dicit enim Origenes super epist. ad Rom. (sup. illud, *Quos vocavit, hos & justificavit:*) Non propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, ideo scitur a Deo, antequam fiat (2).

2. Præterea. Posita causa, ponitur effectus. Sed scientia Dei est æterna. Si ergo scientia Dei est causa rerum creatarum, videtur quod creature sint ab æterno.

3. Præterea. Scibile est prius scientia, & mensura ejus, ut dicitur in X. Metaph. (text. 5.)

(*) *Ali. Tertius vero.*

(1) *Sive, licet contingat unum tantum intelligere in se ipso, ut refungi ex argumento debet & in adjunctis exprimitur: id est, licet non possit nisi unum simul & semel intelligi, quando per propriam speciem intelligitur, &c.*

(2) Sic Hieronymus quoque super illud Hierem. 26. *Si forte audieris &c. Et similia Chrysost. homil. 60. in Matth. ad illud, cap. 18. Necesse est ut vobis scandala: Ut & Cyrilus in Joan. ad illud cap. 13. Ut adimplatur Scriptura.*

(tex. 5.) Sed id quod est posterius, & mensuratum, non potest esse causa. Ergo scientia Dei non est causa rerum.

Sed contra est quod dicit Augustinus XV. de Trinit. cap. xiii. (in med.) *Universas creaturas & spirituales, & corporales, non quia sunt, ideo novit Deus; sed ideo sunt, quia novit* (1).

Respondeo dicendum, quod scientia Dei est causa rerum. Sic enim scientia Dei se habet ad omnes res creatas sicut scientia artificis se habet ad artificiata. Scientia autem artificis est causa artificiorum, eo quod artifex operatur per suum intellectum. Unde oportet quod forma intellectus sit principium operationis, sicut calor est principium calefactionis. Sed considerandum est, quod forma naturalis, inquantum est forma manens in eo cui dat esse, non nominat principium actionis, sed secundum quod habet inclinationem ad effectum: & similiter forma intelligibilis non nominat principium actionis, secundum quod est tantum in intelligentia, nisi adjungatur ei inclinatio ad effectum, quæ est per voluntatem. Cum enim forma intelligibilis ad opposita se habeat, cum sit eadem scientia oppositorum, non produceret determinatum effectum, nisi determinaretur ad unum per appetitum, ut dicitur in IX. Metaph. (tex. 10.) Manifestum est autem quod Deus per intellectum suum causat res, cum suum esse sit suum intelligere: unde necesse est quod sua scientia sit causa rerum, secundum quod habet voluntatem conjunctam. Unde scientia Dei, secundum quod est causa rerum consuevit nominari scientia approbationis.

Ad primum ergo dicendum, quod Origenes locutus est attendens rationem scientiarum, cui non competit ratio causalitatis, nisi adjuncta voluntate, ut dictum est (in cor. art.)

Sed quod dicit, ideo praescire Deum aliqua, quia sunt futura, intelligendum est secundum causam consequentiam, non secun-

dum causam essendi. Sequitur enim, si aliqua sunt futura, quod Deus ea praescierit; non tamen res futuræ sunt causa quod Deus sciat.

Ad secundum dicendum, quod scientia Dei est causa rerum, secundum quod res sunt in scientia. Non fuit autem in scientia Dei quod res essent ab æterno: unde quamvis scientia Dei sit æterna, non sequitur tamen quod creaturæ sint ab æterno.

Ad tertium dicendum, quod res naturales sunt media inter scientiam Dei, & scientiam nostram. Nos enim scientiam accipimus a rebus naturalibus, quarum Deus per suam scientiam causa est: unde sicut scibilia naturalia sunt priora quam scientia nostra, & mensura ejus; ita scientia Dei est prior quam res naturales, & mensura ipsarum: sicut aliqua domus est media inter scientiam artificis, qui eam fecit, & scientiam illius qui ejus cognitionem ex ipsa jam facta capit.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem destruas heresim Arnaldistarum dicentem: Deum agere ex necessitate naturæ. Hoc enim idem sonat, quod Deum non causare res per scientiam adjuncta libera ad utrumlibet voluntate: ut vult articulus. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas; hanc esse damnatam merito ab Apoc. 4. *omnia creasti, & per tuam voluntatem erant, & creata sunt*. Ecce, quod per voluntatem Dei & erant producibilia in actu, & de facto producta sunt. Si per voluntatem Dei; ergo rationabilem, non irrationabilem; ergo per scientiam intellectus, quam voluntas sibi comitem jungit. Item a Psalm. 103. *omnia in sapientia fecisti, & ab Apostolo Eph. 1. qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue*. Secundum consilium, inquit: ecce scientia, voluntatis sua: ecce scientiarum juncta voluntas, ergo secundum Aposto-

(1) Et rationem deinceps reddit: *Non enim nescivit que fueras creaturas: Quia ergo scivis creavisti, non quia creavisti, scivis*. Et cap. 10. lib. 6. *Non enim haec quia creata sunt, ideo sciuntur a Deo quia facta sunt; ac non posius idea facta sunt vel mutabilis quia immutabiliter a Deo sciuntur*: Ex Gregor. 20. Moral. cap. 23. vel in antiquis 24. *Quae sunt non a Dei aeternitate ideo videntes quia sunt, sed ideo sunt quia videntes*. Nec inde tamen illa peccandi negligenter inferri potest, qui a praescientia libertatem non auferit: Hinc August. rursus lib. 5. de civit. Dei

cap. 10. prope fineam: *Non ideo peccat homo (inquit) quia Deus illum peccatorum praeservis; immo cum non dubitatur peccato dum peccat, quia ille praescrivit peccatorum qui si nolis usque non peccas, &c. Ac in eundem sensum loqui videtur Origenes ut probet quod in praescientia Dei perditissima nostra causa non consistit, & quod Judas posuit esse similitudinem Petri si voluisse; super illud nimisrum ad Rom. 8. Quos vocavistis vos & justificauistis*. Nec aliud est vel Meronymi sensus vel Cyrilli.

postolum scientia cum voluntate est causa omnium creatorum, & non eveniunt de necessitate, quasi Deus illa operetur ex necessitate naturæ. Item a Concil. Tolosano i. de regu. fidei cathol. cap. 21. sic; *Animam hominis creaturam dicimus Dei voluntate cretam*. Hæc ibi. Ergo a simili omnes creature Dei voluntate creatæ sunt secundum Concilium. Item a Synodo Lateran. anno Domini. 1140. sub Innoc. III. celebrata in suo capite Arnaldo. Arnaldistæ damnantur; quin & Arnaldistæ ipsi singulis annis Romæ in cœna Domini excommunicantur: & extra de her. c. *Excommunicatus*. Authorum autem damnatorum dicta omnia, nisi fiat exceptio, damnata intelliguntur secundum Aug. in lib. de fide catholica dicentem. *Cum Celestius, atque Pelagius in Ephesina Synodo sint damnati; quomodo poterint illa capitula recipi, quorum damnantur autores?* Tertio videt: quomodo ex his vicissim Angelica firmetur conclusio.

ARTICULUS IX. 88

Utrum Deus habeat scientiam non entium.

I. dist. xxxviii. artic. 4. Q̄ ver. quest. I. art. 8. & I. con. cap. lxvi.

AD nonum sic proceditur. Videtur quod Deus non habeat scientiam nisi entium. Scientia enim Dei non est nisi verorum. Sed verum, & ens convertuntur. Ergo scientia Dei non est non entium.

2. Præterea. Scientia requirit similitudinem inter scientem, & scitum. Sed ea quæ non sunt, non possunt habere aliquam similitudinem ad Deum, qui est ipsum esse. Ergo ea quæ non sunt, non possunt sciri a Deo.

3. Præterea. Scientia Dei est causa scitorum ab ipso. Sed non est causa non entium, quia non ens non habet causam. Ergo Deus non habet scientiam de non entibus.

Sed contra est quod dicit Apostolus ad

Rom. 14. 17. *Qui vocat ea que non sunt, tamquam ea que sunt* (1).

Respondeo dicendum, quod Deus scit omnia quæcumque sunt quocumque modo. Nihil autem prohibet ea quæ non sunt simpliciter, aliquo modo esse. Simpliciter enim sunt quæ actu sunt; ea vero quæ non sunt actu, sunt in potentia vel ipsius Dei, vel creature; sive in potentia activa, sive in passiva; sive in potentia opinandi, vel imaginandi, vel quocumque modo significandi. Quæcumque igitur possunt per creaturam fieri, vel cogitari, vel dici, & etiam quæcumque ipse facere potest, omnia cognoscit Deus, etiam si actu non sint. Et pro tanto dici potest, quod habet etiam non entium scientiam.

Sed horum quæ actu non sunt, est attendenda quædam diversitas. Quædam enim licet non sint nunc in actu, tamen vel fuerunt, vel erunt; & omnia ista dicitur Deus scire scientia visionis. Quia cum intelligere Dei, quod est ejus esse, aeternitate menutur, quæ sine successione existens totum tempus comprehendit, præsens intuitus Dei fertur in totum tempus, & in omnia quæ sunt in quocumque tempore, sicut in subjecta sibi præstantialiter. Quædam vero sunt, quæ sunt in potentia Dei, vel creature, quæ tamen nec sunt, nec erunt, neque fuerunt: & respectu horum non dicitur habere scientiam visionis, sed simplicis intelligentiæ. Quod ideo dicitur, quia ea quæ videntur apud nos, habent esse distinctum extra videntem.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum quod sunt in potentia, sic habent veritatem ea quæ non sunt actu, verum est enim ea esse in potentia; & sic sciuntur a Deo.

Ad secundum dicendum, quod cum Deus sit ipsum esse, intantum unumquodque est, in quantum participat de Dei similitudine; sicut unumquodque intantum est calidum, in quantum participat calorem. Sic & ea quæ sunt in potentia, etiamsi non sunt in actu, cognoscuntur ac si essent. Sic Hierem 1. vers. 5. *Priusquam tu formarem in utero novi te: Generalius autem Ecclesi. 23. vers. 29. Domino Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita;* Quod porro necesse est medium scientiam, quanii veteribus in cognitam fatetur ejus author, addere supradictis? Quia vel fictitum ejus objectum supponitur futurum, & sic pertinet ad scientiam visionis: Vel non futurum, & sic simplicem intelligentiam non excedit. Sed ea de re in Selectis.

(1) Vocationem referendo ad simplicem cognitionem Dei qua cognoscit futura quæ nondum sunt in actu, sicut & præsenta quæ actu sunt ut in eundem locum S. Thomas explicat lœt. 3. Ubi etiam ait quod per ea quæ non sunt intelliguntur Gentes propter earum vilitatem; sicut etiam Esther 14. vers. 11. *Ne tradas Domine sceptrum tuum his qui non sunt* (scilicet Gentilibus). Per ea vero quæ sunt, designantur Iudei quasi populus Dei verus &c. item quod ea Deus vocat que non sunt per aeternam præ-

destinationem ac si essent. Sic Hierem 1. vers. 5. *Priusquam tu formarem in utero novi te: Generalius autem Ecclesi. 23. vers. 29. Domino Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita;* Quod porro necesse est medium scientiam, quanii veteribus in cognitam fatetur ejus author, addere supradictis? Quia vel fictitum ejus objectum supponitur futurum, & sic pertinet ad scientiam visionis: Vel non futurum, & sic simplicem intelligentiam non excedit. Sed ea de re in Selectis.

cognoscuntur a Deo.

Ad tertium dicendum, quod Dei scientia est causa rerum voluntate adjuncta. Unde non oportet quod quicumque scit Deus, sint, vel fuerint, vel futura sint; sed solum ea quae vult esse, vel permittit esse. Et iterum non est in scientia Dei ut illa sint, sed quod esse possint.

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte Apostolum dixisse Rom. 4. *Deus vocat ea, quae non sunt, tanquam ea, quae sunt:* & Daniel. 13. *Tu Domine omnia nosti, antequam fiant.* Ubi in Apostolo nota, quod Deus cognoscit non entia, & ut sunt in seipso, & ut sunt in seipsis. Vocat (inquit) ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt. Subsume tu. Sed ea, quae sunt, cognoscit in seipsis: non tantum in seipso: ergo ea, quae non sunt, cognoscit etiam in seipsis. Nec obstat, quod ea, quae non sunt, non sunt in seipsis: quoniam, licet non sint in seipsis, ut mensurantur tempore, vel aeterno; sunt tamen in seipsis etiam tunc, ut ad illa videnda modo prospic illo, quo in seipsis futura sunt pro tempore, extenditur aeternitas. Videt itaque Deus Socratem non ambulaturum tantum, sed & actu ambulantem, antequam Socrates actu sit in semetipso apud semetipsum, idest ut creata mensura mensuretur: quamvis non antequam sit actu in semetipso apud Deum, idest ut ad quodlibet suum esse perfectissime videndum aeternitas coextenditur. Alioquin, si non cognosceret Deus non entia ab aeterno eo modo quo actualiter suo tempore sunt: tunc scientia Dei aut variabilis, aut imperfecta esset. Variabilis quidem, quia, quando illa non entia reducentur ad actum in tempore, tunc de illis cognosceret aliquid, quod non cognoscebat prius; cognosceret enim ea in seipsis, quae prius in seipsis, ut objiciebatur, non cognoscebat. Imperfecta vero, quia tunc, si ea non cognosceret in seipsis, aliquid esset in rebus, quod Deus ad plenum non agnosceret. Adde pro isto ultimo inconveniens; quod tunc nos cognosceremus aliquid, ut patet, quod Deus non cognosceret, id quod etiam philosophus pro maxima absurditate

habet 3. de anima sex. 80. & 2. Met. text. 15. Insuperissimus, inquit, esset Deus, si illa ignoraret, quae homines visu percipiunt. Conclusio igitur articuli intelligitur sic, scilicet, quod Deus cognoscit non entia, non solum, ut sunt in potentia ipsius Dei, & in potentia causarum creatarum, sed etiam, ut sunt in seipsis: loquendo tamen de non entibus, quae aliquando erunt in actu. Non entia enim, quae ad actum numquam reducentur, non possunt cognosci, ut in seipsis sunt; quia numquam erunt. Vide 1. 2. articul. num. 485. notat. post ad primum. Et contra Gent. lib. 1. c. 67. & 68. & lib. 3. cap. 154. Secundo vides: quomodo ex his bene applicatis, & consideratis firmetur vicissim, & declaretur articuli praesentis Conclusio.

A R T I C U L U S X . 89

Uerum Deus cognoscat mala.

I. diff. XXXVI. quest. 1. articul. 2. & ver. quest. II. articul. ad 5. & I. con. cap. lxxi. & XI. quest. II. articul. unico.

AD decimum sic proceditur. Videtur quod Deus non cognoscat mala. Dicit enim Philosophus in III. de Anima (text. xxv.) quod intellectus qui non est in potentia, non cognoscit privationem. Sed *malum est privatio boni*, ut dicit Augustinus (Ench. cap. xi, & Lib. III. confess. cap. 7.) Igitur cum intellectus Dei numquam sit in potentia, sed semper actu, ut ex dictis patet (art. 4. hujus quest.) videtur quod Deus non cognoscat mala.

2. Præterea. Omnis scientia vel est causa sciti, vel causatur ab eo. Sed scientia Dei non est causa mali, nec causatur a malo. Ergo scientia Dei non est malorum.

3. Præterea. Omne quod cognoscitur, cognoscitur per suam similitudinem, vel per suum oppositum (1). Quidquid autem cognoscit Deus, cognoscit per suam essentiam, ut ex dictis patet (præcipue art. 5. hujus quest.) Divina autem essentia neque est similitudo mali, neque ei malum opponitur: divinitas enim essentia nihil est contrarium, ut dicit Augustinus XII. de civitate Dei (cap. 11. circa fin. (2) Ergo Deus non cognoscit mala.

4. Præ-

(1) Directe quidem per similitudinem, sed indirecte per oppositum.

(2) Sic enim ibi cap. 3. prope haec: *Si natura*

qua summe est, contraria natura non est, nisi qua non est: Et propterea Deus, idest summa essentia, nulla essentia contraria est, &c.

4. Præterea . Quod cognoscitur non per se ipsum , sed per aliud , imperfecte cognoscitur . Sed malum non cognoscitur a Deo per se ipsum : quia sic oportet quod malum esset in Deo , oportet enim cognitum esse in cognoscente . Si ergo cognoscitur per aliud , scilicet per bonum , imperfecte cognoscetur ab ipso : quod est impossibile , quia nulla cognitio Dei est imperfecta . Ergo scientia Dei non est malorum .

Sed contra est quod dicitur Prov . xv . 12 . *Infernus , & perditio coram Deo* (1) .

Respondeo dicendum , quod quicumque perfecte cognoscit aliquid , oportet quod cognoscat omnia quæ possunt illi accidere . Sunt autem quedam bona , quibus accidere potest ut per mala corrumpantur : unde Deus non perfecte cognosceret bona , nisi etiam cognosceret mala . Sic autem est cognoscibile unumquodque , secundum quod est : unde cum hoc sit esse malum quod est privatio boni ; per hoc ipsum quod Deus cognoscit bona , cognoscit etiam mala , sicut per lucem cognoscuntur tenebrae . Unde dicit Dionysius vii . cap . de divin . Nomin . (non procul a med . lect . 3 .) quod Deus per semetipsum tenebrarum accipit visionem , non aliunde videns tenebras quam a lumine .

Ad primum ergo dicendum , quod verbum Philosophi est sic intelligendum , quod intellectus qui non est in potentia , non cognoscit privationem per privationem in ipso existentem : & hoc congruit cum eo quod supra dixerat , quod punctum , & omne indivisibile per privationem divisionis cognoscitur . Quod contingit ex hoc quia formæ simplices , & indivisibilis non sunt actu in intellectu nostro , sed potentia tantum : nam si essent actu in intellectu nostro non per privationem cognoscerentur : & sic cognoscuntur simplicia a substantiis separatis . Deus igitur non cognoscit malum per privationem in se existentem , sed per bonum oppositum .

Ad secundum dicendum , quod scientia Dei non est causa mali , sed est causa boni , per quod cognoscitur malum .

Ad tertium dicendum , quod licet malum

Summ . S.Th . T.I .

non opponatur essentia divinitatis , quia non est corruptibilis per malum , opponitur tamen effectibus Dei , quos per essentiam suam cognoscit : & eos cognoscens mala opposita cognoscit .

Ad quartum dicendum , quod cognoscere aliquid per aliud tantum est imperfecta cognitionis , si illud sit cognoscibile per se ; sed malum non est per se cognoscibile , quia de ratione mali est quod sit privatio boni : & sic neque definiri , neque cognosci potest nisi per bonum .

A P P E N D I X .

Ex art . habes primo : quomodo per rationem interimas heretikum Albarensum dicentem ; quod Deus ex se non praescit aliud quod malum , sed per suum adversarium , scilicet Demonem . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas , hanc rite fuisse damnatam a Proverb . 15 . *Infernus , & perditio coram Deo* . Item a psal . 50 . malum coram te feci , & 68 . Delicta mea a te non sunt abscondita . Item a Luc . 15 . Peccavi in cælum , & coram te , & a mille locis . Tercio vides : quomodo ex his bene applicatis , & consideratis firmetur vicissim , & declaretur articula præsentis Conclusio .

A R T I C U L U S X L . 90

Utrum Deus cognoscet singulare .

I. dist . IIII . artic . 3 . dist . XXXVI . quest . I . art . 1 . & I . cont . cap . L . lxxii . usque lxxii . & III . cap . lxxv . & lxxvi . & ver . quest . II . artic . 4 . & 5 . & opusc . II . cap . CXXXIV . & CXXXV .

Ad undecimum sic proceditur . Videtur quod Deus non cognoscat singulare . Intellectus enim divinus immaterialior est quam intellectus humanus . Sed intellectus humanus propter suam immaterialitatem non cognoscit singulare , sed , sicut dicitur in II . de Anima (text . 60 .) ratio est universalia ,

T

lignum ,

(1) Vel expressius apud 70 . Interpretes : *Infernus & perditio manifeste sunt apud Dominum , quare ut 11 . vers . videre est ; conformiter ad illud quoque quod habetur Job . 26 . vers . 6 . Nudus infernus coram illo , & nullum est experimentum perditiosi .* Ubi explicat Beda quod perditio quo diabolus non abscondit se , sed ab omnipotenti Dei non prevaleat abscondere . Nec difficili sensu Grego-

rius lib . 27 . Moral . cap . 12 . *Infernus & perditionis nomine (inquit) diabolus omnesque damnacionis ejus socios designavit .* Sic & Job . 11 . vers . 11 . ipso novis hominum vanitatem (sive iuxta 70 . novis opera iniquorum . & propriebus) & videns iniuriam non confidat ? seu vindicato non negligit , ut rursus ibi Beda : Et . Psal . 68 . Tu scis iniquitatem meam , & delicta mea a te non sunt abscondita , &c .

lium , sensus vero particularium . Ergo Deus non cognoscit singularia .

2. Præterea . Illæ sole virtutes in nobis sunt singularium cognoscitivæ , quæ recipiunt species non abstractas a materialibus conditionibus . Sed res in Deo sunt maxime abstracte ab omni materialitate . Ergo Deus non cognoscit singularia .

3. Præterea . Omnis cognitionis est per aliquam similitudinem . Sed similitudo singularium , in quantum sunt singularia , non videtur esse in Deo , quia principium singularitatis est materia (1) ; quæ , cum sit ens in potentia tantum , omnino est dissimilis Deo , qui est actus purus . Non ergo Deus potest cognoscere singularia .

Sed contra est quod dicitur Proverb . XVI . 2 .

Omnis via hominum patent oculis ejus (2) .

Respondeo dicendum , quod Deus cognoscit singularia . Omnes enim perfectiones in creaturis inventæ in Deo præexistunt secundum altioremodum , ut ex dictis patet (quæst . IV . art . 2 .) Cognoscere autem singularia pertinet ad perfectionem nostram . Unde necesse est quod Deus singularia cognoscat . Nam & Philosophus pro inconvenienti habet quod aliquid cognoscatur a nobis quod non cognoscatur a Deo : unde contra Empedoclem arguit in I . de Anima (tex . 80 .) & in III . Metaph . (text . 15 .) quod accideret Deum esse insipientissimum , si discordiam ignoraret (3) . Sed perfectiones quæ in inferioribus dividuntur , in Deo simpliciter , & unite existunt : unde licet nos per aliam potentiam cognoscamus universalia , & immaterialia , & per aliam singularia , & materialia ; Deus tamen per suum simplicem intellectum utraque cognoscit .

Sed qualiter hoc esse possit , quidam manifestare volentes dixerunt , quod Deus cognoscit singularia per causas universales . Nam nihil est in aliquo singularium quod non ex aliqua causa oriatur universalis . Et

ponunt exemplum , sicut si aliquis Astrologus cognosceret omnes motus universales corpori , posset prænuntiare omnes eclypes futuras . Sed istud non sufficit : quia singularia ex causis universalibus sortiuntur quasdam formas , & virtutes , quæ , quantumcumque ad invicem conjungantur , non individuantur nisi per materiam individualem . Unde qui cognosceret Socratem per hoc quod est albus , vel Sophronisci filius , (4) vel quidquid aliud sic dicatur , non cognosceret ipsum , in quantum est hic homo . Unde secundum modum prædictum Deus non cognoscet singularia in sua singularitate .

Alii vero dixerunt , quod Deus cognoscit singularia , applicando causas universales ad particulares effectus . Sed hoc nihil est : quia nullus potest applicare aliquid ad alterum , nisi illud præcognoscatur : unde dista applicatio non potest esse ratio cognoscendi particulae , sed cognitionem singularium presupponit .

Et ideo aliter dicendum est , quod cum Deus sit causa rerum per suam scientiam , ut dictum est (art . 8 . hujus quæst .) intratum se extendit scientia Dei , in quantum se extendit ejus causalitas (5) . Unde cum virtus activa Dei se extendat non solum ad formas , a quibus accipitur ratio universalis , sed etiam usque ad materiam , ut infra ostendetur (quæst . XLIV . art . 2 .) necesse est quod scientia Dei usque ad singularia se exrendat , quæ per materiam individuantur . Cum enim sciat alia a se per essentiam suam , in quantum est similitudo rerum , vel ut principium activum earum , necesse est quod essentia sua sit principium sufficiens cognoscendi omnia quæ per ipsum sunt , non solum in universalis , sed etiam in singulari . Et esset simile de scientia artificis , si esset productiva totius rei , & non formæ tantum .

Ad primum ergo dicendum , quod intellectus noster speciem intelligibilem abstrahit a

prin-

(1) Ut *figurae scilicet quantitate* ; idest huius potius quantitatibus per dispositiones in ea factas capax quam illius ex Thomisticis Philosophis .

(2) Ut videtur est vers . 2 . ubi additur quod *spirituum ponderatorem est* ; nempe quia omnia *actiones bonas & malas videntur* , ut *animus spiritus singularium quid in occulto cogitans , aqua lance discernens* , ait ibidem Beda .

(3) Expressæ quidem ut hic in I . de anima text . 80 . five cap . 4 . nempe Deum ex hypothesi Empedoclis *insipientissimum esse* (*insipientior*) : peius minus autem 3 . Metaph . text . 15 . five cap . 4 . cum

esset minus prudenter , sapienter , scienter , frugaverum (*propter ipsorum*) quia elementa omnia non cognoscit .

(4) Non fortuito dictum velut exempli causa folum : Nam Socrates re ipsa Sophronisci statuarii filius apud vitæ ipsius conscriptores notatur .

(5) Ita ut nihil omnino actu causetur quin sciat illud ut ens actualis ; sicut & nihil prorsus causare possit quin sciat illud ut possibile ac omni modo quo possibile supponatur : Sed hic de actuali tantum causalitate nominativum agitur , & de cognitione rerum actualium tantum quæ singularium , &c.

principiis individuantibus. Unde species intelligibilis nostri intellectus non potest esse similitudo principiorum individualium; & propter hoc intellectus noster singularia non cognoscit (1). Sed species intelligibilis divini intellectus, quæ est Dei essentia, non est immaterialis per abstractionem, sed per se ipsam principium existens omnium principiorum quæ intrant rei compositionem, sive sunt principia speciei, sive principia individui: unde per eam Deus cognoscit non solum universalia, sed etiam singularia.

Ad secundum dicendum, quod quamvis species intellectus divini secundum esse suum non habeat conditions materiales, sicut species receperæ in imaginatione, & sensu; tamen virtute se extendit ad immaterialia & materialia, ut dictum est (in cor. art.) (2).

Ad tertium dicendum, quod materia, licet recedat a Dei similitudine secundum suam potentialitatem, tamen in quantum vel sic esse habet, similitudinem quandam retinet divini esse.

A P P E N D I X .

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim Averrois, & Algarzelis, Direct. Inquis. 2. part. qu. 4. blasphemantium, quod Deus non cognoscit singularia in propria forma. Hanc ex seipso hæresim adduximus etiam supra art. 6. quia & contra illum articulum pugnabat in alio quodammodo sensu, in quantum scilicet res non cognosci a Deo propria cognitione continet. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnari ibi a Directorio universaliter sic. *Antiqui philosophi, ut, &c. Averroes, Algarzel multos errores, & hereses contra sanctam fidem nostram posuerunt, ut patet prosequendo, ut infra.* Item damnari a psal. centesimo trigesimo octavo: *Domine probasti me, & cognovisti me, tu cognovisti secessionem meam, & resurrectionem meam.* Ecce singularia, immo etiam singularissimæ conditions: ut & infra: *Intellexisti, inquit, cogitationes meas de longe, semitam meam, & funiculum meum investigasti:* ecce, quod non tantum cognoscit singularia hominibus, Angelisque ignota, scilicet cogitationes: sed etiam faciliter ea cognoscit, quoniam de

longe. Facilis enim, subtilis, & acutus est oculorum nostrorum intuitus, cum a longe videt minima, quæ sunt hic cogitationes. Item a Job. 31. *Nonne Deus ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?* Quasi aperte dicat sic: & stultissimi sunt, qui hanc veritatem apertissimam negant; & hæc veritas cuique aperta esse debet. Ad significandum enim ista tria utitur modo interrogatorio. Hinc dicimus, quod Catholicus Ecclesiæ Doctor S. Hieronymus veritatem hanc negare noluit: sed quod, *ut in primo sententiarum distinctione 39. in suis infrascriptis de providentia verbis talēm præcise habuit sensum, qualem Apostolus ibi 1. Cor. 9. Numquid cura est Deo de bobus? Infra qu. 22. ar. 2. ad quintum.* Item quod Hieron. intendit in suis infrascriptis de scientia verbis, quod Deus non per momenta singula res varie se per talia momenta habentes cognoscit: sed quod omnes illas, aliasque res & simul, & unico intuitu novit: ut supra art. 7. patet. Sancti autem Hieronymi verba super Abacuch 1. sic se habent. *Absurdum est, ad hoc deducere divinam majestatem, ut sciāt per momenta singula, quo culices nascentur, quo rōe moriantur, quota pulicum, & muscarum sit multitudo: quo rōe pisces nātent in mari, & similia.* Non simus tam fatus adulatores Dei, *ut dum providentiam ejus ad ima retrudimus, in nos ipsos injuriosi simus, eandem irrationalium, & rationalium providentiam esse dicentes.* Hæc ibi. Adde, quod Beatus Hieronymus in commentariis super prophetas inferuit multa, sicuti & hoc, ex aliorum, non ex propria sententia, testante ipsomet libro primo contra Rufinum. Illum ex propria sententia vide capitulo trigesimo-secondo Hieron. ibi: *Deus universæ carnis, &c. & eum scientiam exactissimam omnium, ac providentiam Deo attribuere conspicies, ut decet catholicum.* Tertio vides: quomodo, &c.

(1) Per se, directe, in seipsis, & sigillatum ac seorsum, sed per speciem essentiae ac in communione; ut per quandam reflexionem ad phantasmatata in qui-

bus ea intuetur: Aliter autem Deus, &c.

(2) Ubi species intellectus divini non alia intelligitur quam essentia ipsa qua cognoscit.

ARTICULUS XII. 91

Utrum Deus possit cognoscere infinita.

III. P. quest. x. artic. 3. & I. diss. xxxix.
quest. 1. art. 3. & ver. quest. II. artic. 9.
& artic. 5. ad 4. & I. cons. cap. lxix. &
lxxi. & opusc. II. cap. cxxxv.

AD duodecimum sic proceditur. Videret quod Deus non possit cognoscere infinita. Infinitum enim, secundum quod est infinitum, est ignotum: quia infinitum est cuius quantitatem accipientibus semper est aliquid extra assumere, ut dicitur in III. Phys. (tex. 63.) Augustinus etiam dicit XII. de civitate Dei (cap. xviii. post med. quod *quidquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur*. Sed infinita non possunt finiri. Ergo non possunt scientia Dei comprehendri.

2. Si dicatur, quod ea quae in se sunt infinita, scientiae Dei finita sunt; contra. Ratio infiniti est quod sit impertransibile, (*) & finiti, quod sit pertransibile, ut dicitur in III. Phys. (tex. 34.) Sed infinitum non potest transiri nec a finito, nec ab infinito, ut probatur in VI. Phys. (a text. 40. usque ad 66.) (1) Ergo infinitum non potest esse finitum finito, neque etiam infinito; & ita infinita non sunt finita scientiae Dei, quae est infinita.

3. Præterea. Scientia Dei est mensura scientiarum. Sed contra rationem infiniti est quod sit mensuratum. Ergo infinita non possunt sciri a Deo.

Sed contra est quod dicit Augustinus XII. de civit. Dei (cap. xviii. a med.) *Quamvis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non tamen est incomprehensibilis ei cuius (*) scientia non est numerus* (2)...

Respondeo dicendum, quod cum Deus sciat non solum ea quae sunt actu, sed et-

iam ea quae sunt in potentia, vel sua, vel creature, ut ostensum est (art. 9. hujus quest.) hæc autem constat esse infinita; necesse est dicere, quod Deus sciat infinita.

Et licet scientia visionis, quae est tantum eorum quae sunt, vel erunt, vel fuerint, non sit infinitorum, ut quidam dicunt, cum non ponamus mundum ab æterno fuisse, nec generationem, & motum in æternum manufara, ut individua in infinitum multiplicentur; tamen, si diligentius considerentur, necesse est dicere, quod Deus etiam scientia visionis sciat infinita. Quia Deus scit etiam cogitationes, & affectiones cordium, quae in infinitum multiplicabuntur, creaturis rationabilibus permanentibus absque fine.

Hoc autem ideo est, quia cognitio cuiuslibet cognoscientis se extendit secundum medium formæ, quae est principium cognitionis. Species enim sensibilis, quae est in sensu, est similitudo solum unius individui, unde per eam solum individuum cognosci potest. Species autem intelligibilis intellectus nostri est similitudo rei quantum ad naturam speciei, quae est participabilis a particularibus infinitis: unde intellectus noster per speciem intelligibilem hominis cognoscit quodammodo homines etiam infinitos; sed tamen non inquantum distinguuntur ab invicem, sed secundum quod communicant in natura speciei, propter hoc quod species intelligibilis intellectus nostri non est similitudo hominum quantum ad principia individualia, sed solum quantum ad principia speciei. Essentia autem divina, per quam intellectus divinus intelligit, est similitudo sufficiens omnium quae sunt, vel esse possunt, non solum quantum ad principia communia, sed etiam quantum ad principia propria uniuscujusque, ut ostensum est (art. præc.) unde sequitur quod scientia Dei se extendat ad infinita etiam secundum quod sunt ab invicem distincta.

Ad primum ergo dicendum, quod infiniti ratio-

(*) In cod. Alcon. & Camer. diss. & finiti quod sit pertransibile.

(1) Priori quidem loco quantum ad infinitum, ubi duplex *intransibile* notat; Alterum quod natura sua non est aptum transiri, ut vox: Alterum quod absolvit non potest transeundo, ut infinitum: Posteriori autem quoad finitum.

(**) *Al. intelligentia.*

(3) Vel *cuius intelligentia non est numerus*, ut est in Augustini texu, conformiter ad grecum *euweis* Psal. 146. Sed in Vulgata vers. 5. *Sapientia eius non est numerus*: Quod ad sensum inter-

tum parum refert; cum & sapientia sit altissima scientia, & in illa dicatur esse *spiritus intelligentia multiplex*, &c. Sap. 7. vers. 22. Addi etiam potest quod idem Augustinus lib. 21. de Civit. Dei cap. 10. de Sapientia Dei loquens ait: *In illa sunt immensi quidam atque infiniti thesauri rerum intelligibilium*, &c. Item quod Eccl. 1. maris arenam plus via gestas, dies seculi dinumerare dicitur solus; & Eccl. 23. corda hominum in absconditis partis insuetae, sive occultissimos quoque motus: Quod est utique inuita singularia cognoscere.

ratio congruit quantitati (1) secundum Philosophum in I. Physicorum (tex. 15.) De ratione autem quantitatis est ordo partium. Cognoscere ergo infinitum secundum modum infiniti, est cognoscere partem post partem; & sic nullo modo contingit cognosci infinitum. Quia quantacumque quantitas partium accipiatur, semper remanet aliquid extra accipientem. Deus autem non sic cognoscit infinitum, vel infinita, quasi enumerando partem post partem, cum cognoscat omnia simul, non successive, ut supra dictum est (art. 7. hujus quest.). Unde nihil prohibet ipsum cognoscere infinita.

Ad secundum dicendum, quod transitio importat quandam successionem in partibus: & inde est quod infinitum transiri non potest neque a finito, neque ab infinito; sed ad rationem comprehensionis sufficit adæquatio, quia id comprehendi dicitur, cuius nihil est extra comprehendentem. Unde non est contra rationem infiniti quod comprehendatur ab infinito: & sic quod in se est infinitum, potest dici finitum scientia Dei, tamquam comprehensum, non tamen tamquam pertransibile.

Ad tertium dicendum, quod scientia Dei est mensura rerum non quantitativa, qua quidem mensura carent infinita; sed qua mensurat essentiam, & veritatem rei. Numquid enim instantum habet de veritate suæ naturæ, inquantum imitatur Dei scientiam, sicut artificialium, inquantum concordat arti. Dato autem quod essent aliqua infinita actu secundum numerum, puta infiniti homines, vel secundum quantitatem continuam, ut si esset aer infinitus, ut quidam antiqui dixerunt; (2) tamen manifestum est quod haberent esse determinatum, & finitum, quia esse eorum esset limitatum ad alias determinatas naturas. Unde mensurabilia essent secundum scientiam Dei.

A P P E N D I X .

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte dictum fuisse ab Ec-

clesiast. 42. Cognovit Dominus omnem scientiam, annuncians, qua preterierunt, & qua superventura sunt, & revelans vestigia occultorum: non preseruit illum omnis cogitatus, & non abscondit se ab eo ullus sermo. Hæc autem procul dubio sunt infinita, cum animæ humanæ sint immortales. Item ab Isa. quadragesimo. Deus sempiternus Dominus, qui creavit terminos terre: nec est investigatio sapientie ejus. Item a psal. 146. Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientia ejus non est numerus. Si sapientia ejus non est numerus: ergo infinita est: ergo ipse cognoscit infinita. Tertio vides: &c.

A R T I C U L U S XIII. 92

Utrum scientia Dei sit futurorum contingentium.

Infra quest. lxxxvi. art. 3. & 4. & I. dist. xxxviii. artic. 5. & I. conir. cap. lxvii. & veri. quest. II. artic. 12. & quol. XII. quest. III.

AD decimum tertium sic proceditur. Videtur quod scientia Dei non sit futurorum contingentium. A causa enim necessaria procedit effectus necessarius. Sed scientia Dei est causa scitorum, ut supra dictum est (art. 8. hujus quest.). Cum ergo ipsa sit necessaria, sequitur leita ejus esse necessaria. Non ergo scientia Dei est contingentium.

2. Præterea. Omnis conditionalis cuius antecedens est necessarium absolute, consequens est necessarium absolute: sic enim so habet antecedens ad consequens sicut principia ad conclusionem. Ex principiis autem necessariis non sequitur conclusio nisi necessaria, ut in I. Posteriorum (tex. 18.) probatur (3). Sed hæc est quædam conditionalis vera, Si Deus scivit hoc contingens futurum esse, hoc erit, quia scientia Dei non est nisi verorum. Hujus autem conditionalis antecedens est necessarium absolute tum quia est æternum, tum quia significat ut præteritum. Ergo & consequens est necessarium abso-

(1) Sive essent quanto ut modernus interpres reddit græcum τῷ οὐρανῷ προσχέτει. Sicut in Exemplari grecō-lat. cap. 2. videtur est, sed in antiquis text. 35. Dicitur autem ἐστι quanto (vel quantitate), usurpando concretum pro abstracto, ut Graeci solent) quia supponit quantitatem ut materiem sui: Quidam etiam verbum illud προσχέτει: veri possit apparet quanto vel applicatur ad usum quanti: Quod idem

est cum sensu S. Thomæ, congruis quantitatib; &c.

(2) Apud Aristotelem lib. 3. Physic. text. 60. sive cap. 6.

(3) Non 17. sicut prius, ubi per oppositum probatur quod non semper medium concludendi necessarium esse debet, si est necessaria conclusio, quia ex non necessariis necessarium aliquando concludi posset.

absolute. Igitor quidquid scitur a Deo, est necessarium; & sic scientia Dei non est contingentia.

3. Præterea. Omne scitum a Deo necesse est esse, quia etiam omne scitum a nobis necesse est esse; cum tamen scientia Dei certior sit quam scientia nostra. Sed nullum contingens futurum necesse est esse. Ergo nullum contingens futurum est scitum a Deo.

Sed contra est quod dicitur in Psal. xxxii.
15. *Qui finxit singillatim (1) corda eorum, quæ intelligit omnia opera eorum, scilicet hominum.* Sed opera hominum sunt contingentia, utpote libero arbitrio subjecta. Ergo Deus scit futura contingentia.

Respondeo dicendum, quod cum supra ostensum sit (art. 9. hujus quest.) quod Deus sciat omnia non solum quæ actu sunt, sed etiam quæ sunt in potentia sua, vel creature; horum autem quædam sunt contingentia nobis futura: sequitur quod Deus contingentia futura cognoscat.

Ad cujus evidentiam confiderandum est, quod contingens aliquod dupliciter potest considerari. Uno modo in se ipso, secundum quod jam in actu est; & sic non consideratur ut futurum, sed ut præsens, neque ut ad utrumlibet contingens, sed ut determinatum ad unum; & propter hoc sic infallibiliter subdi potest certæ cognitioni, utpote sensui visus, sicut cum video Socratem sedere. Alio modo potest considerari contingens ut est in sua causa; & sic consideratur ut futurum, & ut contingens nondum determinatum ad unum; quia causa contingens se habet ad opposita; & sic contingens non subditur per certitudinem aliqui cognitioni. Unde quicumque cognoscit effectum contingentem in causa sua tantum,

non habet de eo nisi conjecturalém cognitionem. Deus autem cognoscit omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodque eorum est actu in se ipso (2). Et licet contingentia fiant in actu successive, non tamen Deus successive cognoscit contingentia, prout sunt in suo esse, sicut nos, sed simul: quia sua cognitio mensuratur aeternitate, sicut etiam suum esse: aeternitas autem tota simul existens ambit totum tempus, ut supra dictum est (quest. x. art. 2. & 4.) Unde omnia quæ sunt in tempore, sunt Deo ab aeterno praesentia, non solum ea ratione qua habet rationes rerum apud se praesentes, ut quidam dicunt, sed quia ejus intuitus fertur ab aeterno supra omnia, prout sunt in sua praesentialitate (3). Unde manifestum est quod contingentia infallibiliter a Deo cognoscuntur, in quantum subdantur divino conspectui secundum suam praesentialitatem, & tamen sunt futura contingentia, suis causis (*) proximis comparata.

Ad primum ergo dicendum, quod licet causa suprema sit necessaria, tamen effectus potest esse contingens propter causam proximam contingentem: sicut germinatio plantæ est contingens propter causam proximam contingentem, licet motus Solis, qui est causa prima, sit necessarius: & similiter sciata a Deo sunt contingentia propter causas proximas, licet scientia Dei, quæ est causa prima, sit necessaria.

Ad secundum dicendum, quod quidam dicunt, quod hoc antecedens, Deus scivit hoc contingens futurum, non est necessarium, sed contingens: quia licet sit praeteritum, tamen importat respectum ad futurum. Sed hoc non tollit ei necessitatem, quia id quod habuit respectum ad futurum, necesse est habuisse,

(1) Ex græco κατὰ μέσαν juxta 70. quasi sit sensus quod singula seorsim fecit: Etsi Aquila legit καὶ μείζων: Symmachus autem διένει seu similiter, ποτέ, & eodem quo supra sensu simul; vel etiam ejusdem rationis, conditionis & naturæ formavit: vel finixisse dicitur corda, quia suas propensiones naturales quæ non nisi bona sunt & ad bonum, eis impedit; adeoque cognoscit illas, & in illis defertur vel abusum quod deflectunt a bono in oppositam partem, vel in malum declinant.

(2) Hinc Scripturarum iste mos est, ut interduum futura quasi jam facta essent, præterito tempore declararentur; quia scilicet apud Deum qui futura cognovit, nihil ambiguum est, ait Hieron. in 2. ad Ephesi.

(3) Referendo ad ipsam praesentialitatem obiecta-

rum; quia non ei solum idealiter & per speciem sui ab aeterno praesentia sunt, sed realiter in seipsum & per proprium esse ipsi ejus aeternitati coexistunt; præindeque in illa coexistunt invicem sibi, quatenus aeternitas indivisa est formaliter & uno puncto constat universa tempora continentia: Non tamen coexistunt, quatenus aeternitas virtualiter dividitur & virtuali divisione sua huic & illi temporis parti multipliciter correspondet: Sicut omnes linem centro & invicem etiam sibi coexistunt in centro si sumatur ut formaliter indivisum; non si sumatur ut divisum virtualiter: Quod & inter Selecta S. Thomas plenus expendetur.

(*) Cod. Romanus immobistis, In cod. Alexan. doct. astrangae.

buisse , licet etiam futurum non sequatur quandoque . Alii vero dicunt , hoc antecedens esse contingens , quia est compositum ex necessario , & contingenti , sicut istud dictum est contingens , Socratem esse hominem album . Sed hoc etiam nihil est : quia cum dicitur , Deus scivit esse futurum hoc contingens , contingens non ponitur ibi nisi ut materia verbi , & non sicut principalis pars propositionis . Unde contingentia ejus , vel necessitas nihil refert ad hoc quod propositio sit necessaria , vel contingens , vera , vel falsa . Ita enim potest esse verum , me dixisse hominem esse asinum , sicut me dixisse Sortem currere , vel Deum esse : & eadem ratio est de necessario , & contingentia . Unde dicendum est , quod antecedens est necessarium absolute . Nec tamen sequitur , ut quidam dicunt , quod consequens sit necessarium absolute , quia antecedens est causa remota consequentis , quod propter causam proximam contingens est . Sed hoc nihil est . Esset enim conditionalis falsa , cuius antecedens esset causa remota necessaria , & consequens effectus contingens ; ut puta , si dicerem : Si sol moveretur , herba germinabit . Et ideo aliter dicendum est , quod quando in antecedente ponitur aliquid pertinens ad actum animae : consequens est accipiendum non secundum esse quod in se est , sed secundum quod est in anima . Illud enim est esse rei in se ipsa ; & esse rei in anima , ut puta , si dicam : Si anima intelligit aliquid , illud est immateriale : intelligendum est , quod illud est immateriale , secundum quod est in intellectu , non secundum quod est in se ipso . Et similiter , si dicam : Si Deus scivit aliquid , illud erit : consequens intelligendum est , prout subest divina scientia , scilicet prout est in sua praesentialitate (1) . Et sic necessarium est sicut & antecedens . Quia omnes quod est , dum est , necesse est esse , ut dicitur in I. Periherm . (cap . vi . declinando ad fin .)

Ad tertium dicendum , quod ea quae temporaliter in actum reducuntur , a nobis successive cognoscuntur in tempore , sed a Deo

in eternitate , quae est supra tempus . Unde nobis , quia cognoscimus futura contingentia , in quantum talia sunt , certa esse non possunt , sed soli Deo , cuius intelligere est in eternitate supra tempus : (2) sicut ille qui vadit per viam , non videt illos qui post eum veniunt ; sed ille qui ab aliqua altitudine totam viam intuetur , simul videt omnes transentes per viam . Et ideo illud quod scitur a nobis , oportet esse necessarium etiam secundum quod in se est , quia ea quae in se sunt contingentia futura , a nobis sciri non possunt ; sed ea quae sunt scita a Deo , oportet esse necessaria secundum modum quo substantia divinae scientiae , ut dictum est (in cor . art .) non autem absolute , secundum quod in propriis causis considerantur . Unde & haec propositio , Omne scitum a Deo necessarium est esse , consuevit distingui : quia potest esse de re , vel de dicto . Si intelligatur de re , est divisa , & falsa ; & est sensus : Omnis res quam Deus scit , est necessaria . Vel potest intelligi de dicto , & sic est composita , & vera ; & est sensus : Hoc dictum scitum a Deo esse est necessarium . Sed obstant quidam dicentes , quod ista distinctio habet locum in formis separabilibus a subiecto ; ut si dicam : Album possibile est esse nigrum : quae quidem de dicto est falsa , & de re est vera . Res enim quae est alba , potest esse nigra ; sed hoc dictum , album esse nigrum , numquam potest esse verum . In formis autem inseparabilibus a subiecto non habet locum predicta distinctio ; ut si dicam , corvum nigrum possibile est esse album , quia in utroque sensu est falsa . Esse autem scitum a Deo est inseparabile a re : quia quod est scitum a Deo , non potest esse non scitum . Haec autem instantia locum haberet , si hoc quod dico scitum , importaret aliquam dispositionem subiecto inherenterem ; sed cum importet actum scientie , ipsi rei scientie (licet semper sciat) potest aliquid attribui secundum se , quod non attribuitur ei , in quantum stat sub actu sciendi ; sicut esse materiale attribuitur lapidi secundum se , quod

(1) Construendo ut prius , & non ad praesentialitatem Dei sed objectu quod secundum se Deo praesens est , referendo .

(2) Tale aliquid Boetius (tametsi non eodem exemplo utens) eleganter distinxit lib . 5 . de const . Philosopha Profa 6 . ubi explicat ex profecto qua ratione praedicta Dei omnes temporis supergrossa missionem , & infinita praevisi se futuri spe-

tia complicit , omnia quaejam gerantur , in sua simplici conditione considerat . Et paulo infra : Unde non praesidentia sed providentia potius dicitur , quod porro (id est procul ex greco τοπίῳ) ab infinitis rebus constituta quae ab excuso rurum caumine cuncte praeficiuntur , &c . Necessitatem nihilominus non inferens , ut & bidem addit : sicut nec in que praefecta est , necessitatem suam addit invitus , &c .

quod non attribuitur ei secundum quod est intelligibile.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per rationem ostendas, recte esse dictum Isa. 41.
Dicite nobis, quae ventura sumus, & diuinus, quia Dei estis vos. Ubi insinuare videtur, tuisse etiam apud gentiles, tamquam communis animi conceptio, habitum, quod natura divina esset proprium hoc, cognoscere infallibiliter futura contingentia. Item in psalm. 147. *& omnes vias meas previdisti, quia non est sermo, scilicet a te occultus, in lingua mea.* Nostrarum autem viarum, atque sermonum multa sunt contingentia futura. Item *Domine, subdit, cognovisti omnia novissima.* Item in Sap. 8. *Scit signa, & monstra, antequam fiant, eventus temporum, & seculorum.* Inter novissima autem, & monstra, &c. sunt aliqua futura contingentia. Secundo vides : quemodo &c.

A R T I C U L U S XIV. 93

Utrum Deum cognoscat enuntiabilia.

Inf. quest. XVI. artic. 5. ad 1. & I. dist. XXXVIII. artic. 3. & dist. XXXXI. artic. 5. cap. & I. cont. cap. LVIII. ad 6. & cap. LX. & ver. quest. II. art. 7.

AD decimumquartum sic proceditur. Videlur quod Deus non cognoscatur enuntiabilia. Cognoscere enim enuntiabilia convenit intellectui nostro, secundum quod componit, & dividit. Sed in intellectu divino nulla est compositio. Ergo Deus non cognoscit enuntiabilia.

2. Praeterea. Omnis cognitionis sit per aliam similitudinem. Sed in Deo nulla est similitudo enuntiabilium, cum sit omnino simplex. Ergo Deus non cognoscit enuntiabilia.

Sed contra est quod dicitur in Psal. xciii. 11. *Dominus seit cogitationes hominum* (1). Sed enuntiabilia continentur in cogitationi-

bus hominum. Ergo Deus cognoscit enuntiabilia.

Respondeo dicendum, quod cum formare enuntiabilia sit in potestate intellectus nostri; Deus autem sciat quidquid est in potentia sua, vel creature, ut supra dictum est (art. 9. hujus quest.) necesse est quod Deus sciat omnia enuntiabilia quae formari possunt.

Sed sicut scit materialia immaterialiter, & composita simpliciter, ita scit enuntiabilia non per modum enuntiabilium, quod scilicet in intellectu ejus sit compositio, vel divisio enuntiabilium; sed unumquodque cognoscit per simplicem intelligentiam, intelligendo essentiam uniuscujusque; sicut nos hoc ipso quod intelligimus quid est homo, intelligimus omnia quae de homine praedicari possunt. Quod quidem in intellectu nostro non contingit, qui de uno in aliud discutit, propter hoc quod species intelligentialis sic representat unum, quod non representat aliud. Unde intelligendo quid est homo, non ex hoc in ipso alia quae ei insunt, intelligimus, sed divisum secundum quendam successionem. Et propter hoc ea quae seorsum intelligimus, oportet nos in unum redigere per modum compositionis, vel divisionis, enuntiationem formando. Sed species intellectus divini, scilicet ejus essentia, sufficit ad demonstrandum omnia. Unde intelligendo essentiam suam, cognoscit essentias omnium, & quicumque eis accidere possunt (2).

Ad priuatum ergo dicendum, quod ratio illa procederet, si Deus cognosceret enuntiabilia per modum enuntiabilium.

Ad secundum dicendum, quod compositio enuntiabilis significat aliquod esse rei: & sic Deus per suum esse, quod est ejus essentia, est similitudo omnium coruca quae per enuntiabilia significantur,

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo : quomodo per rationem demonstres, merito esse dictum de Deo a Sapient. 8. *Scit versutias hominum, & ser-*

(1) Imo plenius adhuc : *Scit cogitationes hominum quoniam vanq sunt; idest, scit eas vanas esse, vel quod vanq sunt, non causanter accipiendo illud quia sive quoniam, quod in Scriptura multos fallit, cum causanter accipiunt quod assertive paucim usurpat. Huc spectat quoque quod art. II. jam notatum est ex Eccles. p. 3. cum hominum corda in abscon-*

*ditas portas (hoc est secretissimas cogitationes) inservi: Et quod Psalm. 138. vers. 2. *Intelllexisti cogitationes meas de longe* (vel ratiocinationes meas de longe) &c.*

(2) Sive casu vel fortuito, ut sunt eventus qualcumque; sive deliberate, ut sunt cogitationes, affectus, actiones vel dicta &c.

¶ sermonum, & dissolutiones argumentorum. Item ab Eccl. 42. Dominus scit omnem scientiam, non preterit eum ullus cogitatus, nec ullus sermo. Item ab Apostolo Hebr. 3. non est illa creatura invisibilis apud Deum. Subsume tu. Scientia nostra, puta, metaphysica continet enuntiabilia: versutix sermonum, argumentorum, enuntiabilia, & ipsa enuntiabilia sunt aliquæ creaturæ. Ergo Deus, cum sciat omnia hæc per scripturas hic recensitas, scit enuntiabilia. Item ab Isa. 55. Cogitationes meæ non sunt cogitationes vestre, neque via meæ via vestre, dicit Dominus. Subsume tu. Sed cogitationes aliquæ nostre sunt enuntiabilia per modum enuntiabilium. Ergo Deus per modum enuntiabilium enuntiabilia non cognoscit. Cognoscit ergo suo modo illa, non nostro modo. Nam & de unoquoque loquendum est, ac sentiendum secundum modum conformem non mihi, & illi, & illi, sed conformem rei ipsi, de qua loquimur. Secundo vides: &c.

ARTICULUS XV. 94

Utrum scientia Dei sit variabilis.

*Inf. quest. xix. art. 7. corp. & I. dist. xxxviii.
art. 2. & art. 5. cor. & dist. xxxix. quest.
I. art. 3. ad 5. & ver. quest. II. art. 5.*

AD decimumquintum sic proceditur. *Vi-*
detur quod scientia Dei sit variabilis. Scientia enim relative dicitur ad scibilem. Sed ea quæ important relationem ad creaturam, dicuntur de Deo ex tempore, & variantur secundum variationem creaturarum, ut *Do-*
minus, Creator, & hujusmodi. Ergo scientia Dei est variabilis secundum variationem creaturarum.

2. **Præterea.** Quidquid potest Deus face-

Summ. S.Th. T.I.

(1) Vel transposita phrasí: *Nom autem nunc scis, &c.*

(2) Ex græco τροπής Cujus prima littera prætermissa quida legentes ποτὲ reddiderant vel explicarunt, ‘momenti obumbratio;’ quæ naturam ipsam Dei nec ad momentum obumbrare vel immutare quidquam possit: Quod in eundem sensum reddit: *Quamvis Vulgata sensus expressior videtur & plenior.*

(3) Quia vel aliquid in illis ponunt, ut *creator*, vel *præsupponunt*, ut *dominus*. Creaturæ enim ut sunt in seipsi: & gubernantur tantum, postquam sunt in seipsi per actionem transcendentem, ut appellari solet: Sciuntur autem & amantur per actionem immanentem, quæ secundum se n.c. aliquid in illis ponit, nec supponit; licet amor ex consequenti aliquid ponat.

* *Ita omnes, quas vidimus, editiones. Mff. Al-*
lus. & Terrac. secundum tantummodo exhibent sola-

re, potest scire. Sed Deus potest plura facere quam faciat. Ergo potest plura scire quam sciat. Et sic scientia sua potest variari secundum augmentum, & diminutionem.

3. **Præterea.** Deus scivit Christum nascitum. Nunc autem nescit Christum nascitum (1), quia Christus nascitus non est. Ergo non quidquid Deus scivit, scit; & ita scientia Dei videtur esse variabilis.

Sed contra est quod dicitur Jacobi 1. 17. quod *apud Deum non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio* (2).

Respondeo dicendum, quod cum scientia Dei sit ejus substantia, ut ex dictis pater (art. 1. hujus quest.) sicut substantia ejus est omnino immutabilis, ut supra ostendum est (quest. x. art. 1.) ita oportet scientiam ejus omnino invariabilem esse.

Ad primum ergo dicendum, quod *Do-*
ninus, & Creator, & hujusmodi important
relationes ad creaturæ, secundum quod sunt
in se ipsis sunt. Sed scientia Dei importat relationem ad creaturæ, secundum quod sunt in Deo: quia secundum hoc est unumquodque intellectum in actu, secundum quod est in intelligente. Res autem creaturæ sunt in Deo invariabiliter, in se ipsis autem variabiliter. Vel aliter dicendum est, quod *Do-*
ninus, & Creator, & hujusmodi important
relationes quæ consequuntur actus, qui in-
telliguntur terminari ad ipsas creaturæ, se-
cundum quod in se ipsis sunt (3): & ideo hujusmodi relations varie de Deo dicuntur secundum variationem creaturarum. Sed scientia, & amor, & hujusmodi important relations quæ consequuntur actus, qui intelliguntur in Deo esse: & ideo invariabiliter prædicantur de Deo (*).

V

Ad

tionem, semper ab illis verbis circa medium Dicendum est, quod Dominus &c. usque ad illa. Et ideo invariabiliter prædicantur de Deo. Codex vero Camer. hoc modo omnia comprehendit. Ad primum ergo dicendum, quod *Dominus, & Creator, & hujusmodi important relations que consequuntur actus, qui in-*
telliguntur terminari ad ipsas creaturæ, secundum
quod in se ipsis sunt: & ideo hujusmodi relations varie de Deo dicuntur secundum variationem creaturarum. Sed scientia, & amor, & hujusmodi important relations quæ sequuntur actus, qui intelliguntur in Deo esse: & ideo invariabiliter prædicantur de Deo, secundum quod sunt in Deo: quia secundum hoc est unumquodque intellectum in actu, se-
cundum quod est in intelligente. Res autem creaturæ sunt invariabiliter in Deo, in se ipsis autem variabiliter.

Ad secundum dicendum, quod Deus scit etiam ea quæ potest facere, & non facit. Unde ex hoc quod potest plura facere quam facit, non sequitur quod possit plura scire quam sciat, nisi hoc referatur ad scientiam visionis, secundum quam dicitur scire ea quæ sunt in actu secundum aliquod tempus. Ex hoc tamen quod scit quod aliqua possunt esse, quæ non sunt, vel etiam non esse, quæ sunt, non sequitur quod scientia sua sit variabilis, sed quod cognoscat rerum variabilitatem. Si tamen aliquid esset quod prius Deus nescivisset, & postea sciret, esset ejus scientia variabilis. Sed hoc esse non potest: quia quidquid est, vel potest esse secundum aliquod tempus, Deus in æterno suo scit. Et ideo ex hoc quod ponitur aliquid esse secundum quocumque tempus, oportet poni quod ab æterno sit scitum a Deo. Et ideo non debet concedi, quod Deus possit plura scire quam sciat, quia hæc propositio implicat (1) quod ante nesciverit, & postea sciat.

Ad tertium dicendum, quod antiqui Nominales dixerunt, idem esse enuntiabile, Christum nasci, & esse nasciturum, & esse natum: quia eadem res significatur per hæc tria, scilicet nativitas Christi: & secundum hoc sequitur quod Deus, quidquid scivit, sciat: quia modo scit Christum natum, quod significat idem ei quod est Christum esse nasciturum. Sed hæc opinio falsa est: tum quia diversitas partium orationis diversitatem enuntiabilium causat: tum etiam quia sequeretur quod propositio quæ semel est vera, esset semper vera; quod est contra Philosophum (in Prædicam. cap. i. de substantia, post med.) qui dicit, quod hæc oratio, Sortes sedet, vera est eo sedente; & eadem falsa est, eo surgente (2). Et ideo concedendum est, quod hæc non est vera, Quidquid Deus scivit, scit, si ad enuntiabilia referatur. Sed ex hoc non sequitur quod scientia Dei sit variabilis. Sicut enim absque variatione divinæ scientiæ est quod sciat unam & eamdem rem quandoque esse, & quandoque non esse; ita absque variatione divinæ scientiæ est quod scit aliquod enuntiabile quandoque esse verum, & quandoque falsum (3).

(1) Ideæ involvit vel includit hunc sensum: quod scilicet si Deus potest plura scire quam sciat, nescivit aliquid ante, quod postea scire incepit: Ex quo sequitur implicite contradictione, quia implicat Deum prius nescire quod post sciat &c.

(2) Indefinitæ de quocumque dictum cap. de

Esset autem ex hoc scientia Dei variabilis, si enuntiabilia cognosceret per modum enuntiabilium, componendo, & dividendo, sicut accidit in intellectu nostro. Unde cognitio nostra variatur vel secundum veritatem, & falsitatem; puta, si mutata re, eamdem opinionem de re illa retineamus: vel secundum diversas opiniones, ut si primo opinemur aliquem sedere, & postea opinemur eum non sedere: quorum neutrum potest esse in Deo.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem interimas heresim Agnoetarum, quæ & supra art. 7. adducta est, dicentem, Deus quod non extat, &c. Item Secundini dicens, Deus est mutabilis. Cum enim scientia Dei sit Deus, si Deus est mutabilis, sequitur aperte secundum eum scientiam Dei esse variabilem. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, ipsas recte damnari a Papa Innocentio Tertio in Concilio, extra de summa Trinitate, & fide catholica: firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod Deus est incommutabilis. Item a Jacob. primo, ut supra articulo 7. adducitur. Ubi ad litteram dicit ly transmutatio. Item a Malach. Ego Deus, & non muor. Recole semper in his, quod scientia Dei est Deus. Tertio vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S XVI. 95

Utrum Deus de rebus habeat scientiam speculativam.

Inf. quest. xxxiv. art. 3. corp. & 1. 2. quest. III. art. 5. ad 1. & I. Sen. in prol. & verit. quest. III. art. 3.

AD decimumseximum sic proceditur. Videatur quod Deus de rebus non habeat scientiam speculativam. Scientia enim Dei est causa rerum, ut supra ostensum est (art. 8. hujus quest.) Sed scientia speculativa non est causa rerum scitarum. Ergo scientia

substantia versus finem.

(3) Quippe cum intra sua sapientia finum sic omnia concludat figuræ, ac perenniter fissat, ut ne quo necum aliud ad se pasitetur accedere, nec a se quidquam præter se transire; ait B. Petrus Damiani Opusc. 36. cap. 7.

Scientia Dei non est speculativa.

2. Præterea. Scientia speculativa est per abstractionem a rebus: quod divinæ scientiæ non competit. Ergo scientia Dei non est speculativa.

Sed contra. Omne quod est nobilis, Deo est attribuendum (1). Sed scientia speculativa est nobilior quam practica, ut patet per Philosophum in princ. Metaph. (Lib. I. cap. 11. non procul a prin.) (2). Ergo Deus habet de rebus scientiam speculativam.

Respondeo dicendum, quod aliqua scientia est speculativa tantum, aliqua practica tantum, aliqua vero secundum aliquid speculariva, & secundum aliquid practica.

Ad cuius evidentiam sciendum est, quod aliqua scientia potest dici speculariva trupliciter. Primo ex parte rerum scitarum, quæ non sunt operabiles a scientie, sicut est scientia hominis de rebus naturalibus, vel divinis. Secundo quantum ad modum sciendi; ut puta, si ædificator consideret domum definiendo, & dividendo, & considerando universalia prædicata ipsius: hoc siquidem est operabilia modo speculativo considerare, & non secundum quod operabilia sunt: operabile enim est aliquid per applicationem formæ ad materiam, non per resolutionem compositi in principiis universalia formalia. Tertio quantum ad finem. Nam intellectus practicus differt fine a speculativo sicut dicitur in de IIII. Anima (tex. 49.) Intellectus enim practicus ordinatur ad finem operationis; finis autem intellectus speculativi est consideratio veritatis. Unde si quis ædificator consideret, qualiter posset fieri aliqua domus, non ordinans ad finem operationis, sed ad cognoscendum tantum, erit quantum ad finem speculativa consideratio, tamen de re operabili. Scientia igitur quæ est speculativa ratione ipsius rei scitur (3), est speculativa tantum. Quæ vero specula-

tiva est secundum modum, vel finem, est secundum quid speculativa, & secundum quid practica. Cum vero ordinatur ad finem operationis, est simpliciter practica.

Secundum hoc ergo dicendum est, quod Deus de se ipso habet scientiam speculativam tantum: ipse enim operabilis non est.

De omnibus vero aliis habet scientiam & speculativam, & practicam. Speculativam quidem quantum ad modum: quidquid enim in rebus nos speculative cognoscimus definiendo, & dividendo, hoc totum Deus multo perfectius novit.

Sed de his quæ potest quidem facere, sed secundum nullum tempus facit, non habet practicam scientiam, secundum quod practica scientia dicitur a fine. Sic autem habet practicam scientiam de his quæ secundum aliquod tempus facit. Mala vero licet ab eo non sint operabilia, tamen sub cognitione practica ipsius cadunt, sicut & bona, in quantum permittrit, vel impedit, vel ordinat ea; (4) sicut & ægritudines cadunt sub practica scientia medici, in quantum per artem suam curat eas.

Ad primum ergo dicendum, quod scientia Dei est causa, non quidem sui ipsius, sed aliorum: quorumdam quidem actu, scilicet eorum quæ secundum aliquod tempus fiunt; quorumdam vero virtute, scilicet eorum quæ potest facere, & tamen numquam fiunt.

Ad secundum dicendum, quod scientiam esse acceptam a rebus scitis non per se convenit scientiæ speculativæ, sed per accidens, in quantum est humana.

Ad id vero quod in contrarium objicitur, dicendum, quod de operabilibus perfecta scientia non habetur, nisi sciantur, in quantum operabilia sunt. Et ideo cum scientia Dei sit omnibus modis perfecta, oportet quod sciat ea quæ sunt a se operabilia, in quantum hujusmodi, & non solum secun-

V 2

(1) Äquivalenter ex Anselmi Prologio cap. 5.

(2) Ubi tamen dicitur tantum quod scientia speculariva præexcellant factivis (juxta græcum τὸν τροπικὸν) Sed expressius lib. 6. Metaph. cap. 1. significatur quod & practicis præexcellant; quæ dicuntur practicas vel activas (juxta græcum ἡ πραττόμενη) quæ versantur circa ea quæ simpliciter agibilia sunt, non relinquendo post se aliquid opus, quod factivæ relinquunt: Unde ibi tres illæ scientiæ theoræm affiguntur, *speculatoria*, *practica*, & *poietica* seu *factiva*: Quamvis factivæ confundantur inter se cum practicis vel cum activis ut hic.

(3) Id est ratione objecti solùmmodo speculabilis

& non operabilis. Talis autem respectu Dei solus Deus est, qui omnia extra se operatur, quandocumque sunt actu, vel operari potest, si non sunt actu extituta. Unde quantum ad rationem rei scitur practicam habet de omnibus aliis a se, licet non quoad finem, ut adjuncta explicant.

(4) Scilicet mala culpa que Deus ordinare dicitur in genere cause finalis per accidens, vel propter bonum quod ex illis elicit, vel propter peccatum quæna infligit: non autem per se, quasi eorum author vel causa sit: Unde lib. 1. Confess. cap. 10. Deus ordinat omnium rerum, peccatorum sententia non ordinat: Quomodo ergo positiva?

secundum quod sunt speculabilia. Sed tamen non receditur a nobilitate speculativæ scientiæ, (1) quia omnia alia a se videt in se ipso. Se ipsum autem speculative cognoscit; & sic in speculativa sui ipsius scientia habet cognitionem & speculativam, & practicam omnium aliorum.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem prime conclusionis interimas hæresim *Metamorphistarum* dicentium, corpus Christi, cum ascenderit in cœlum, plane Deum factum, & omnino proprie dici debere corpus Christi esse Deum. Ergo Deus secundum istos, ut patet discurrenti, est factus. Ergo de Deo secundum istos potest esse scientia practica, cum sit quoddam factibile, seu operabile, contra quod pugnat articuli prima conclusio. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hanc hæresim merito fuisse damnata in a symbolo *Niceno* i. *Constantinopolano* i. sic. *Natum, non factum.* Item a symbolo Athanasii per Concilium *Florentinum*, mox post tractuum de sacramentis & accepto, & compendiosa fidei regula vocato sic. *Pater a nullo est factus.* *Filius non factus.* *Spiritus sanctus non factus.* Hæc ibi. Consequenter ergo Deus non est factus. Item a Conc. *Trid. Iess.* 3. *Credo in,* &c. *Genitum, non factum.* Nec mirandum, si, quod de filio tantum dicit *Nicenum*, *Constantinopol.* *Tridentinum*, applicemus toti Trinitati: quoniam, licet esse genitum soli filio conveniat, tamen esse non factum omnibus personis competit juxta sensum illorum Conciliorum. Tertio habes; quomodo per rationem tertie conclusionis interimas hæresim *Petri Abaylardi* (Prat. *Arnaldista*) dicentis, Deum non posse facere, nisi quæ facta sunt. Cujus contrarium supponit prima pars tertie conclusionis. Cæterum hujus Petri damnationera per Ecclesiam recte factam videbimus inf. qu. 25. art. 5. Item habes: quomodo per rationem destruas hæresim *Algazelis* (Direct. Inq. 2. part. qu. 4.) dicentis, Deus non permittit mala fieri, ut eliciat bona, sed mala in mundo proveniunt ex necessitate materiarum, vel natura. Cujus contrarium dicit tertie pars tertie conclusionis. Cæterum & rationem ampliorem, &

damnationem per Ecclesiam factam contra Algazelem, vide infra q. 22. art. 2. Pro nunc sufficiat audire Directorium ipsum universaliter damnare sic. *Antiqui philosophi ut,* &c. *Algazel multos errores,* & hereses contra fidem sanctam nostram posuerunt, quod patet prosequendo, ut sequitur. Et postea inter alios recitat sententiam Algazelis supra dictam. Quarto vides &c.

QUESTIO DECIMA QUINTA.

De Ideis,

In tres articulos divisæ.

POst considerationem de scientia Dei, restat considerare de ideis; & circa hoc queruntur tria.

Primo, an sint ideæ.

Secundo, utrum sint plures, vel una tantum.

Tertio, utrum sint omnium quæ cognoscuntur a Deo.

ARTICULUS I. 96

Utrum ideæ sint.

Inf. quest. xliv. artic. 3. & I. dist. xxxvi. quest. ii. art. 2. & ver. quest. iii. art. 1.

AD primum sic proceditur. Videtur quod ideæ non sint. Dicit enim Dionysius vii. cap. de divin. Nom. (a med. lect. 3.) quod Deus non cognoscit res secundum ideam. Sed ideæ non ponuntur ad aliud nisi ut per eas cognoscantur res. Ergo ideæ non sunt.

2. Præterea. Deus in se ipso cognoscit omnia, ut supra dictum est (quest. xiv. art. 5.) Sed se ipsum non cognoscit per ideam. Ergo nec alia.

3. Præterea. Idea ponitur ut principium cognoscendi, & operandi (2). Sed essentia divina est sufficiens principium cognoscendi, & operandi omnia. Non ergo necesse est ponere ideas.

Sed contra est quod dicit Augustinus in Lib. lxxxiii. Qq. (quest. xlvi. parum a princ.) *Tanta vis in ideis constituitur, ut nisi*

(1) Quippe tunc tantum scientia practica degenerare dici potest vel a speculativa nobilitate recedere, quando scientiam a seipso abducit, vel ab objecto per

se intellectus.

(2) Quippe cum sit exemplar quoddam ad quod intuens Deus operatur.

nisi bis intellectis, sapiens esse nemo posse (1). Respondeo dicendum, quod necesse est ponere in mente divina ideas.

'Idem enim græcæ, latine forma dicitur (2). Unde per ideas intelliguntur formæ aliquarum rerum præter ipsas res existentes. Forma autem alicujus rei præter ipsam existens ad duo esse potest, vel ut sit exemplar ejus cuius dicitur forma, vel ut sit principium cognitionis ipsius, secundum quod formæ cognoscibilium dicuntur esse in cognoscente.

Et quantum ad utrumque est necesse ponere ideas: quod sic patet. In omnibus enim quæ non a casu generantur, necesse est formam esse finem generationis cujuscumque. Agens autem non ageret propter formam, nisi inquantum similitudo formæ est in ipso. Quod quidem contingit dupliciter. In quibusdam enim agentibus præexistit forma rei fiendæ secundum esse naturale, sicut in his quæ agunt per naturam; sicut homo generat hominem, & ignis ignem. In quibusdam vero secundum esse intelligibile, ut in his quæ agunt per intellectum; sicut similitudo domus præexistit in mente ædificatoris: & hæc potest dici idea domus, quia artifex intendit domum assimilare formæ quam mente concepit. Quia igitur mundus non est casu factus, sed est factus a Deo per intellectum (*) agente, ut infra patet (quæst. xlvi. art. 1.) necesse est quod in mente divina sit forma, ad similitudinem cuius mundus est factus. Et in hoc consistit ratio ideæ.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus non intelligit res secundum ideam extra fe existentes: & sic etiam Aristoteles (Lib. III. Metaph. a text. 10. usque ad fin. Lib.) improbat opinionem Platonis de ideis, secundum quod ponebat eas per se existentes, non in intellectu (3).

Ad secundum dicendum, quod licet Deus per essentiam suam se, & alia cognoscat; tamen essentia sua est principium operativum aliorum, non autem sui ipsius: ideo habet rationem ideæ, secundum quod ad

alia comparatur, non autem secundum quod comparatur ad ipsum Deum.

Ad tertium dicendum, quod Deus secundum essentiam suam est similitudo omnium rerum. Unde idea in Deo nihil est aliud quam Dei essentia.

A P P E N D I X.

EX articul. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim, quæ huc reducitur, Arnaldistarum dicentium, Deum agere ex necessitate naturæ. Contra hanc enim pugnat articul. si intelligent, ut videatur, quod creaturæ per quamdam resultatiæ, sicut solis radius a sole, emanant a Deo. Tunc siquidem Deum non agere per intellectum ponunt, & consequenter ideas in ipso esse negant. Secundo habes: quomodo per rationem demonstres recte damnatam fuisse illam hæresim a Sap. 7. omnium est artifex sapientia, & 8. quis horum, quæ sunt magis, quam illa est artifex. Hic enim Scriptura in Deo ponit ideam secundum veritatem, licet hoc nomine non utar, definitur namque: idea est forma intellectui objecta intra ipsum existens, ad quam artifex aspiciens operatur. Si ergo Deus est artifex creaturarum, per intellectum, ac voluntatem agit, & consequenter ideam aspiciens, quæ in suo intellectu est, eas operatur. Unde hanc fideli certitudinem videns beatus Augustinus, ut refert Sanctus Thomas in de ver. questione tercia, articulo primo, dicit. Infidelis est, qui negat ideam in mente divina: & alibi, scilicet libro 83. quæstionum qu. quadragesima sexta idem Augustinus ait. Non esse nequammodo aliquo modo, quod in Deo sint forme, & rationes omnium rerum producibilium. Idea autem in Græco est idem, quod forma, ratio, vel species in Latino secundum cumdem August. ibi. Cæterum, quod certum sit secundum fidem, Deum agere per intellectum, & voluntatem liberam, vide quæst. 14. art. 8. in append. Tertio videre licet: &c.

A R.

(1) Hinc Augustinus infert credibile non esse ut a Platone primum inventæ sint; sicut infra plenius probabitur.

(2) Non quævis forma, sed intelligibilis vel ad notitiam pertinens: Unde a græco verbo *εἶδος* quod significat scire vel videre, *ἰδεῖς* nominatur: Quævis & forma quævis absolute a græcis *εἶδος* appellatur, ut & species ex eadem radice, quia forma vel exterior vel interior confert rei urde vel intelligi-

bilis vel visibilis fiat: Indeque multo magis propriæ forma ipsa concepta per quam intelligitur actu, idea dici potest.

(*) *Al. agentem.*

(3) Et si sunt qui Platonem excusent, quod possuerit eas tantum ut in mente divina existentes vel subsistentes (*ὑπήρχουσας*) & male illas a Philosopho intellectus contendant.

A R T I C U L U S II . 97

Utrum sint plures idea.

I. dist. xxxvi. quest. ii. art. 2. & I. cont.
cap. liv. & ver. quest. iii. art. 2. &
opus. ix. quest. lxvi.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod non sunt plures idea. Idea enim in Deo est ejus essentia. Sed essentia Dei est unantum. Ergo & idea est una.

2. Præterea. Sicut idea est principium cognoscendi, & operandi, ita ars, & sapientia. Sed in Deo non sunt plures artes, & sapientiaz. Ergo nec plures idea.

3. Si dicatur, quod idea multiplicantur secundum respectus ad diversas creaturas; contra. Pluralitas idearum est ab æterno (1). Si ergo idea sunt plures, creature autem sunt temporales; ergo temporale erit causa æterni.

4. Præterea. Respectus isti aut sunt secundum rem in creaturis tantum, aut etiam in Deo. Si in creaturis tantum, cum creaturæ non sunt ab æterno, pluralitas idearum non erit ab æterno, si multiplicentur solum secundum hujusmodi respectus. Si autem realiter sunt in Deo, sequitur quod alia pluralitas realis sit in Deo quam pluralitas personarum; quod est contra Damascenum dicentem Lib. I. de Fid. orthod. cap. ix. x. & xi.) (2) quod in divinis omnia unum sunt præter ingenerationem, generationem, & processionem. Sic igitur nou sunt plures idea.

Sed contra est quod dicit Augustinus in Lib. lxxxiii. Qq. (quest. xlvi. a med.) Idea sunt principales quedam forme, vel rationes rerum stabiles, atque incommutabiles, quia ipse formatae non sunt; ac per hoc eterne, ac semper eodem modo se habentes, que divina intelligentia continentur. Sed cum ipse neque ori-

antur, neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri, & interire potest, & omne quod oritur, & interit.

Respondeo dicendum, quod necesse est ponere plures ideas. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod in quolibet effectu illud quod est ultimus finis, proprie est intentum a principali agente sicut ordo exercitus a duce. Illud autem quod est optimum in rebus existens, est bonum ordinis universi, ut patet per Philosophum in XII. Metaph. (text. 52.) (3) Ordo igitur universi est proprie a Deo intentus, & non per accidens proveniens secundum successiōnem agentium: prout quidam dixerunt, quod Deus creavit primum creatum tantum, quod creatum creavit secundum creatum, & sic inde, quoque producta est tanta rerum multitudo: secundum quam opinionem Deus non haberet nisi ideam primi creati. Sed si ipse ordo universi est per se creatus ab eo, & intentus ab ipso, necesse est quod habeat ideam ordinis universi. Ratio autem alicujus totius haberi non potest, nisi habeantur propriæ rationes eorum ex quibus totum constituitur; sicut ædificator speciem domus concipere non posset, nisi apud ipsum esset propria ratio cuiuslibet partium ejus. Sic igitur oportet quod in mente divina sint propriæ rationes omnium rerum. Unde dicit Augustinus in Lib. lxxxiii. Qq. (quest. xlvi. post med.) quod singula propriis rationibus a Deo creata sunt. Unde sequitur quod in mente divina sint plures idea.

Hoc autem quomodo divinæ simplicitati non repugnet, facile est videre, si quis consideret ideam operati esse in mente operantis sicut quod intelligitur, non autem sicut species qua intelligitur, (4) quæ est forma faciens intellectum in actu. Forma enī domus in mente ædificatoris est aliquid ab eo intellectum, ad cuius similitudinem dominum in materia format. Non est autem contra

(1) Prout Maximus Dionysii Commentator ideam dicit esse sempiternam effectiōnem sempiterni Dei vel notitiam ab æterno praesertim &c.

(2) Nempe cap. 9. passivo sensu ingenerationem (ἀγένειαν) pro innascibilitate Patris, & generationem (γένεσιν) pro nativitate Filii ponit: Ut & cap. 10. de utroque, sed expressius & plenius cap. 11. ubi de processione Spiritus sancti (ἐκποστος) idem addit.

(3) Vel cap. 18. ubi præscrutandum proponit quoniam modo natura universi habent bonum & opti-

mum (τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ ὅπιστον) propter ordinatiōnem ad quoddam unum præstantius omnibus; quemadmodum etiam exercitus a Duce bonum proprium habet quasi ad illum ordinatus; juxta exemplum quod ibidem usurpat.

(4) Non ergo eas Augustinus appellat formas, ut videre est supra, quasi sint formale medium cognoscendi, sicut species intelligibilis, quam intellectus de re sibi format; sed objective intelligit vocari formas quasi res ipsas intellectas.

contra simplicitatem divini intellectus quod multa intelligat ; sed contra simplicitatem ejus esset , si per plures species ejus intellectus formaretur.

Unde plures ideae sunt in mente divina ut intellecta ab ipsa : quod hoc modo potest videri . Ipse enim essentiam suam perfecte cognoscit : unde cognoscit eam secundum omnem modum quo cognoscibilis est . Potest autem cognosci non solum secundum quod in se est , sed secundum quod est participialis secundum aliquem modum similitudinis a creaturis . Unaquaque autem creatura habet propriam speciem , secundum quod aliquo modo participat divinæ essentiae similitudinem . Sic igitur inquantum Deus cognoscit suam essentiam ut sic imitabilem a tali creatura , cognoscit eam ut propriam rationem , & ideam hujus creaturæ : & similiter de aliis (1) . Et sic patet quod Deus intelligit plures rationes proprias plurium rerum , quæ sunt plures ideae .

Ad primum ergo dicendum , quod idea non nominat divinam essentiam , inquantum est essentia , sed inquantum est similitudo , vel ratio hujus vel illius rei . Unde secundum quod sunt plures rationes intellecta ex una essentia , secundum hoc dicuntur plures ideae .

Ad secundum dicendum , quod sapientia , & ars significantur ut quo Deus intelligit ; sed idea , ut quod Deus intelligit (2) . Deus autem uno intellectu intelligit multa , & non solum secundum quod in se ipsis sunt , sed etiam secundum quod intellecta sunt : quod est intelligere plures rationes rerum : sicut artifex dum intelligit formam domus in materia , dicitur intelligere dominum ; dum autem intelligit formam domus ut a se speculatam , ex eo quod intelligit se intelligere eam , intelligit ideam , vel rationem dominus . Deus autem non solum intelligit multas res per essentiam suam , sed etiam intelligit se intelligere multa per essentiam suam . Sed hoc est intelligere plures rationes rerum , vel plures ideas esse in intellectu ejus ut intellectas .

Ad tertium dicendum , quod hujusmodi respectus , quibus multiplicantur ideae , non causantur a rebus , sed ab intellectu divino com-

parante essentiam suam ad res .

Ad quartum dicendum , quod respectus multiplicantes ideas non sunt in rebus creatis , sed in Deo : non tamen sunt reales respectus , sicut illi quibus distinguuntur personæ , sed sunt respectus intellecti a Deo .

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo : quomodo per rationem , tamquam in radice , interimas heresim *Simonis Magi* dicentis : Mundum non esse creatum a Deo . Item *Basilidianorum* somniantium : Mundum non a Deo factum . Item *Albanensem* blasphemantium . Mundum a malo principio in sua malignitate factum fuisse . Has per rationem directe si vis explodere , vide qu. 65. art. 1. sed nunc tamquam indirecte contra illas pugnat articulus ; si sunt enim plures ideae in Deo , sequitur , cognito , quid idea nomine significetur , quod idea facta est Deus . At idea facta sunt omnes res mundi , seu totus mundus , ergo totum mundum operatus est Deus . Unde per oppositum ad positionem istorum sequitur , quod non sunt plures ideae in Deo . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas , has omnes esse jure damnatas a Joan. primo : *omnia per ipsum facta sunt* , & sine ipso factum est nihil . Quod factum est , in ipso vita erat . Hunc locum Sancti Patres exponentes dicunt , per hoc ab Evangelio significari retum omnium rationes praexistere in mente divina , & August. specialiter inquit , sicut in mente artificis est forma , seu ratio rei artificiae producende , ita res omnes producibles a Deo habent suas rationes , & formas in intellectu Dei supremi artificis . Notabis etiam hic super ly Quod factum est , in ipso vita erat , quod in responsione ad primum hujus articuli diximus , scilicet , quod idea secundum rem est una tantum , quæ est divina essentia existens per se vita , ut Evangelista ait , & secundum formalem rationem sunt plures . Item damnatas ab Apostolo Hebr undecimo . Fide credimus aptata esse secula verbo Dei , ut ex invisibilibus visibilia fierent . Hoc est , ut communiter interpretatione a Sanctis Patribus recepta utatur . Ut ex invisibilibus rationibus in divina mente invisibiliter praexisten-

(1) *Eo sensu ideam a Platone vocatam esse dicit Plutius inexplicabilem illam speciem & rationem Dei ad quam condidit mundum .*

(2) *Non quin etiam convertiat ideae quodammodo ut sit cognitionis principium vel id quo Deus rem*

intelligit , si comparetur ad rem ipsam ut existentem extra (sicut adjuncta inserviant ; sed quia ut sic & secundum se cognitionem Dei terminat quasi aliquid intellectum : *Quod non convenit sapientiis neque arti .*

stentibus visibilia hæc ad extra fierent. Ideas autem rationes esse, superius audistis. Tertio vides: quomodo, &c.

ARTICULUS III 98

Utrum omnium quæ cognoscit Deus, sint ideae.

I. dist. XXXVI. quæst. II. artic. 3. & I. dist. I.
quæst. I. art. 2. c. & ver. quæst. III.
art. 4. s. 6. 7. & 8.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod non omnium quæ cognoscit Deus, sunt ideae in ipso. Mali enim idea non est in Deo, quia sequeretur malum esse in Deo. Sed mala cognoscuntur a Deo. Ergo non omnium quæ cognoscuntur a Deo, sunt ideae.

2. Præterea. Deus cognoscit ea quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt, ut supra dictum est (art. 9. præc. quæst.) Sed horum non sunt ideae; quia dicit Dionysius v. cap. de div. Nom. (non multum remote ante finem) quod *exemplaria sunt divine voluntates determinative, & effectivæ rerum* (1) Ergo non omnium quæ a Deo cognoscuntur sunt ideae in ipso.

3. Præterea. Deus cognoscit materiam primam, quæ non potest habere ideam, cum nullam habeat formam. Ergo idem quod prius.

4. Præterea. Constat quod Deus scit non solum species, sed etiam genera, & singularity, & accidentia. Sed horum non sunt ideae secundum positionem Platonis, qui primus ideas introduxit, ut dicit Augustinus (Lib. lxxxiii. Qq. quæst. xlvi.) (2) Non ergo omnium cognitorum a Deo sunt ideae in ipso.

Sed contra. Ideaæ sunt rationes in mente divina existentes, ut per Augustinum patet

(in cit. quæst. xlvi. post med.) Sed omnium quæ cognoscit Deus, habet proprias rationes. Ergo omnium quæ cognoscit, habet ideam.

Respondeo dicendum, quod cum ideae a Platone ponerentur principia cognitionis rerum, & generationis ipsarum, ad utrumque se habet idea, prout in mente divina ponitur. Et secundum quod est principium factiois rerum exemplar dici potest, & ad practicam cognitionem pertinet; secundum autem quod principium cognoscitivum est, proprie dicitur ratio, & potest etiam ad scientiam speculativam pertinere. Secundum ergo quod exemplar est, secundum hoc se habet ad omnia quæ a Deo sunt secundum aliquod tempus; secundum vero quod principium cognoscitivum est, se habet ad omnia quæ cognoscuntur a Deo, etiamsi nullo tempore sunt; & ad omnia quæ a Deo cognoscuntur secundum propriam rationem, & secundum quod cognoscuntur ab ipso per modum speculationis.

Ad primum ergo dicendum, quod malum cognoscitur a Deo non per propriam rationem, sed per rationem boni: & ideo malum non habet in Deo ideam, neque secundum quod idea est exemplar, neque secundum quod est ratio (3).

Ad secundum dicendum, quod eorum quæ neque sunt, neque erunt, neque fuerunt, Deus non habet practicam cognitionem, nisi virtute tantum. Unde respectu eorum non est idea in Deo, secundum quod idea significat exemplar, sed solum secundum quod significat rationem.

Ad tertium dicendum, quod Plato secundum quosdam posuit materiam non creatam; & ideo non posuit ideam esse materia, sed materia concausam. Sed quia nos ponimus materiam creatam a Deo, non tamen sine forma, habet quidem materia ideam in Deo, non tamen aliam ab idea compositi: (4) nam mate-

(1) Sicut vetus Interpres vertit αἴσθητα ἡ τομή τοιαῦτα idest quæ res determinandi & faciendi vim habent &c.

(2) Colligitur ex lib. 83. Qq. quæst. 46. ut jam supra: Non sic tamen ut eas Plato primus excogitarit quoad rem ipsam, sed quod primus ideas appellavit quæ prius ab aliis alio atque alio nomine vocabantur; quia non est verisimile vel sapientes nullos ante Platonem extitisse, vel ideas non agnoscisse sine quibus esse sapientis nemo potest, ut ibidem differit Augustinus: Et ex eodem item loco sequens appendix desumpta est, scilicet quod *idea sunt rationes in*

mente divina existentes.

(3) Idest, nec ut practica, quod ad exemplar præcipue pertinet; nec ut speculativa quod pertinet ad rationem; Quamvis Dionysius quoque ideas vocat *rationes efficiarum effectrices* (εὐεργετῶν λόγων) ubi supra.

(4) Nempe proprie dictam & perfectam & secundum se repræsentantem actu: Alioqui quod imperfectam & aliqualem & impropriam secundum se habeat in potentia quadam repræsentantem, prout a forma separatim consideratur, quamvis non possit esse sine forma, docet expresse S. Th. quæst. 3. de veritate

materia secundum se neque esse habet, neque cognoscibilis est.

Ad quartum dicendum, quod genera non possunt habere ideam aliam ab idea speciei, secundum quod idea significat exemplar: quia numquam genus fit nisi in aliqua specie. Similiter etiam est de accidentibus quae insuperabilius concomitantur subjectum, quia haec simul sunt cum subjecto; accidentia autem quae superveniunt subjecto, specialem ideam habent. Artifex enim per formam dominus facit omnia accidentia quae a principio concomitantur dominum; sed ea quae superveniunt domui iam factae, ut picturæ, vel aliquid aliud, facit per aliquam aliam formam. Individua vero secundum Platonem non habebant aliam ideam quam ideam speciei: tum quia singularia individuantur per materiam, quam ponebat esse increatum, ut quidam dicunt, & concauam ideam: tum quia intentio naturæ consistit in speciebus, nec particularia producit, nisi ut in eis species salventur. Sed providentia divina non solum se extendit ad species, sed ad singularia, ut infra dicitur (quest. xxii, art. 3.)

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationes repellas errorem supr. qu. 14. art. 6. dictum Averrois & Algarzelis (Direct. Inq. 2. par. qu. 4.) garrentium; quod Deus non cognoscit singularia in propria forma. Si enim omnium rerum habet propriissimam cognitionem, & rationem: utique omnia cognoscit per cujusque ideam, consequenter omnia in propria forma. Quomodo autem damnatur ab Ecclesia illorum positio: vide Direct. ubi sup. & artic. 11. Secundo videre potes: quomodo, &c.

Q U E S T I O D E C I M A S E X T A.

De veritate,

In octo articulos divisa.

QUONIAM autem Scientia verorum est, post considerationem scientiæ Dei, de veritate. Summ. S.Th. T. I.

tate inquirendum est. Circa quam queruntur octo.

Primo, utrum veritas sit in re, vel tantum in intellectu.

Secundo, utrum sit tantum in intellectu componenti, & dividente.

Tertio de comparatione veri ad ens.

Quarto de comparatione veri ad bonum.

Quinto, utrum Deus sit veritas.

Sexto, utrum omnia sint vera veritate una, vel pluribus.

Septimo de æternitate veritatis.

Octavo de incommutabilitate ipsius.

A R T I C U L U S I. 99

Utrum veritas sit tantum in intellectu.

I. *dis. xix. quest. v. art. 5. ad 7. & ver. quest. 1. art. I.*

AD primum sic proceditur. Videtur quod veritas non sit tantum in intellectu, sed magis in rebus. Augustinus enim Lib. II. Soliloq. (cap. v.) reprobat hanc notificationem veri: *Verum est id quod videtur: quia secundum hoc lapides, qui sunt in abditissimo terre finu, non essent veri lapides, quia non videntur.* Reprobatur etiam (cod. Lib.) istam (1): *Verum est quod ita se habet ut videtur cognitori, si velit, & possit cognoscere: quia secundum hoc sequeretur quod nihil esset verum, si nullus posset cognoscere.* Et definit sic verum: *Verum est id quod est* (2). Et sic videtur quod veritas sit in rebus, & non in intellectu.

2. Præterea. Quidquid est verum, veritate verum est. Si igitur veritas est in intellectu solo, nihil erit verum, nisi secundum quod intelligitur: quod est error antiquorum Philosophorum (ut patet XI. Metaph. tex. 6. & IV. a tex. 19, usque ad 25.) (3) qui dicebant, omne quod videtur, esse verum: ad quod sequitur contradictionia simul esse vera, cum contradictionia simul a diversis vera esse videantur.

3. Præterea. Propter quod unumquodque, & illud magis, ut patet I. Posteriorum (tex. 5.) Sed ex eo quod res est, vel non est,

X

(1) Ab eodem quem secum colloquentem inducit, assignatam.

(2) Non absolute tamen, sed sic sibi videri ait.

(3) De Protagora refert Aristoteles ac refellit; & propterea notat ab illo dictum esse quod homo sit mensura omnium, quia omnia sic sunt ut homini videntur:

est , est opinio , vel oratio vera , vel falsa secundum Philosophum in Prædicamentis (cap. 1. de substantia non procul a fin.) Ergo veritas magis est in rebus quam in intellectu .

Sed contra est quod Philosophus dicit VI. Metaphys. (tex. 8.) quod verum , & falsum non sunt in rebus , sed in intellectu .

Respondeo dicendum , quod sicut bonum nominat id in quod tendit appetitus , ita verum nominat id in quod tendit intellectus . Hoc autem distat inter appetitum , & intellectum , sive quamcumque cognitionem : quia cognitio est , secundum quod cognitum est in cognoscente ; appetitus autem est , secundum quod appetens inclinatur in ipsam rem appetitam : & sic terminus appetitus , quod est bonum , est in re appetibili ; sed terminus cognitionis , quod est verum , est in ipso intellectu (1) . Sicut autem bonum est in re , in quantum habet ordinem ad appetitum , & propter hoc ratio bonitatis derivatur a re appetibili in appetitum , secundum quod appetitus dicitur bonus , prout est boni ; ita , cum verum sit in intellectu , secundum quod conformatur rei intellectu , necesse est quod ratio veri ab intellectu ad rem intellectam derivetur , ut res etiam intellecta vera dicatur , secundum quod habet aliquem ordinem ad intellectum .

Res autem intellecta ad intellectum aliquem potest habere ordinem vel per se , vel per accidens . Per se quidem habet ordinem ad intellectum , a quo dependet secundum suum esse ; per accidens autem ad intellectum , a quo cognoscibilis est : sicut si dicamus , quod dominus comparatur ad intellectum artificis per se , per accidens autem comparatur ad intellectum a quo non dependet . Judicium autem de re non sumitur secundum id quod inest ei per accidens , sed secundum id quod inest ei per se . Unde unaquaque res dicitur vera absolute secun-

dum ordinem ad intellectum a quo dependet . Et inde est quod res artificiales dicuntur veræ per ordinem ad intellectum nostrum : dicitur enim dominus vera quæ assequitur similitudinem formæ quæ est in mente artificis ; & dicitur oratio vera , in quantum est signum intellectus veri (2) . Et similiter res naturales dicuntur esse veræ , secundum quod assequuntur similitudinem specierum quæ sunt in mente divina : dicitur enim verus lapis , quia assequitur propriam lapidis naturam secundum præconceptionem intellectus divini . Sic ergo veritas principaliter est in intellectu , secundario vero in rebus , secundum quod comparantur ad intellectum ut ad principium .

Et secundum hoc veritas diversimode notificatur . Nam Augustinus in Lib. de vera Relig. (cap. xxxvi.) dicit , quod veritas est qua ostenditur id quod est (3) : & Hilarius dicit (Lib. V. de Trinit. ante med.) (4) quod verum est declarativum , aut manifestatum esse : & hoc pertinet ad veritatem , secundum quod est in intellectu . Ad veritatem autem rei secundum ordinem ad intellectum pertinet definitio Augustini in Lib. de vera Relig. (cap. eod. a med.) talis : Veritas est summa similitudo principii , que si non ultra diffimitudine est : & quædam definitio Anselmi (in dial. de verit. cap. xi.) talis : Veritas est rectitudo sola mente perceptibilis : nam rectum est quod principio concordat : & quædam definitio Avicenne , talis : Veritas uniuscujusque rei est proprietas sui esse , quod stabilitum est ei . Quod autem dicitur , quod veritas est adæquatio rei , & intellectus , potest ad utrumque pertinere .

Ad primum ergo dicendum , quod Augustinus loquitur de veritate rei , & excludit a ratione hujus veritatis comparisonem ad intellectum nostrum . Nam id quod est per accidens , ab unaquaque definitione excluditur .

Ad

tur : Nec mirum vero ut in hominis mente veritatis mensuram posuerit , cum & librum scriperit quo nescire se proficeret an dii sint : Unde in exilium ejactus est .

(1) Non obstat quod iam supra quæst. 8. art. 3. dixit ita volitum esse in volente , sicut scitum est in scientie : Id enim de formalis termino intellectus , quia tam in volente quam in scientie formatur interiorius aliquid quo vult vel cognoscit : Sed quod formatur in volente non est nisi quidam impulsus ad exterioris appetibile quod est bonum : Quod autem in scientie formatur , est objecti potius attractivum ad intellectum .

(2) Sive conceperis veri , non usurpando nomen intellectus pro potentia intellectiva , sed pro actu intelligendi , ut usurpatur saepè .

(3) Vel qua ostendit id quod est .

(4) Ubi ait : Non busus verbū apprebendo rationem , si dicatur mihi , ignis est sed non est verus ignis . Aut , aqua est ; sed non est vera aqua : Quod enim ignis est , non potest esse ne sit verus : Nec aqua mānens eo potest carere quod vera est : Et paulo post ; Potest denunc natura privare si non sit ; sed non potest non vera esse si maneat : Indeque inter quod filius Dei est verus Deus &c.

Ad secundum dicendum, quod antiqui Philosophi species rerum naturalium non dicebant procedere ab aliquo intellectu, sed eas provenire a casu. Et quia considerabant quod verum importat comparationem ad intellectum, cogebantur veritatem rerum constitutam in ordine ad intellectum nostrum: ex quo inconvenientia sequebantur quæ Philosophus prosequitur in IV. Metaphysic. (loco cit. in arg.) (1) Quæ quidem inconvenientia non accident, si ponamus veritatem rerum consistere in comparatione ad intellectum divinum.

Ad tertium dicendum, quod licet veritas intellectus nostri a re caufetur, non tamen oportet quod in re per prius inveniatur ratio veritatis, sicut neque in medicina per prius invenitur ratio sanitatis quam in animali: virtus enim medicinæ, non sanitas ejus causat sanitatem, cum non sit agens univocum. Et similiter esse rei, non veritas ejus, caufat veritatem intellectus. Unde Philosophus dicit (loco cit. in arg.) quod opinio, & oratio vera est ex eo quod res est, non ex eo quod res vera est.

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte dictum a Philosoph. 6. Metaph. tex. 8. quod verum, & falsum non in rebus, sed in intellectu sunt. Secundo habes: quomodo ex ratione philosophum ipsum in vero sensu intelligas, atque defendas. Tertio vides: quomodo, &c.

A R T I C U L U S II. 100.

Utrum veritas sit tantum in intellectu componenti, & dividente.

I. dist. xix. quest. 1. ad 7. & ver.
quest. 1. artic. 3.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod veritas non sit solum in intellectu com-

ponente, & dividente. Dicit enim Philosophus in III. de Anima (text. 26.) quod sicut sensus proprietatum sensibilium semper veri sunt, ita & intellectus ejus quod quid est. Sed compositionis, & divisio non est neque in sensu, neque in intellectu cognoscente quod quid est. Ergo veritas non solum est in compositione, & divisione intellectus.

2. Præterea. Isaac (2) dicit in Lib. de definitionibus, quod veritas est adæquatio rei, & intellectus. Sed sicut intellectus complexorum potest adæquari rebus, ita intellectus incomplexorum, & etiam sensus sentiens rem ut est. Ergo veritas non est solum in compositione & divisione intellectus.

Sed contra est quod dicit Philosophus in VI. Metaph. (tex. 8.) quod circa simplicia, & quod quid est, non est veritas nec in intellectu, neque in rebus.

Respondeo dicendum, quod verum, sicut dictum est (art. præc.) secundum sui primam rationem est in intellectu. Cum autem omnis res sit vera, secundum quod habet propriam formam naturæ suæ, necesse est quod intellectus, in quantum est cognoscens (3) sit verus, in quantum habet similitudinem rei cognitæ, quæ est forma ejus, in quantum est cognoscens: & propter hoc per conformitatem intellectus, & rei veritas definitur: unde conformitatem istam cognoscere est cognoscere veritatem. Hanc autem nullo modo sensus cognoscit. Licet enim visus habeat similitudinem visibilis, non tamen cognoscit comparationem quæ est inter rem vitam, & id quod ipse apprehendit de ea. Intellectus autem conformitatem sui ad rem intelligibilem cognoscere potest; sed tamen non apprehendit eam, secundum quod cognoscit de aliquo quod quid est (4). Sed quando judicat rem ita se habere sicut est forma quam de re apprehendit, tunc primo cognoscit, & dicit verum: & facit componendo, & dividendo. Nam in omni propositione aliquam formam significatam per prædicatum, vel applicat alicui rei significatæ per subjectum, vel removet ab ea: & ideo bene inveni-

X 2 tur

(1) Nempe quod simul vera & falsa sint omnia, quia multi de rebus contrarias opiniones habent; quod necesse sit eadem esse & non esse; ac similia; ut videtur est text. 19. ac deinceps.

(2) Ille nimurum qui *Meimiram* dicitur, & Solomonis filius, & paterna professione medicus, qui floruit ad annum Christi 1070. & præter multa quæ Gessnerus in sua Bibliotheca seriatim recenset, librum hic indicatum scriptus.

(3) Id est in quantum stat sub ipso actu cognitionis; quia tunc per speciem obiecti secundum quoddam esse formatur, præteresse proprium naturale quod ab obiecto non mendicat, sed ab anima &c.

(4) Sive definitionem ejus & essentiam, quæ vocatur quod quid est ex græco τι ἔστι (ut Philosophus passim usurpat) quia explicat plane ac perfecte quid sit res.

tar quod sensus est verus de aliqua re , vel intellectus cognoscendo quod quid est ; sed non quod cognoscat , aut dicat verum . Et similiter est (*) de vocibus incomplexis (1) . Veritas (**) igitur potest esse in sensu , vel in intellectu cognoscente quod quid est , ut in quadam re vera , non autem ut cognitum in cognoscente ; quod importat nomen veri . Perfectio enim intellectus est verum ut cognitum . Et ideo proprie loquendo veritas est in intellectu component , & dividente , non autem in sensu , neque in intellectu cognoscente quod quid est .

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo : quomodo per rationem demonstres recte sensisse philosophum quando 6. *Metaph.* tex. 8. dixit , quod circa simplicia , & quod quid est non est veritas , nec in intellectu , neque in rebus . Intellige tu a simili , neque in sensu . Secundo habes : quomodo per rationem sensum verum philosophi ibi attingas , atque defendas . Tertio vides : quomodo &c.

ARTICULUS III. 101

Utrum verum , & ens convertantur .

Ver. quest. i. artic. 21. & I. dist. xix. quest. v. artic. 1. ad 7.

AD tertium sic proceditur . Viderur quod verum , & ens non convertantur . Verum enim est proprie in intellectu , ut dictum est (art. 1. hujus quest.) ens autem proprie est in rebus . Ergo non convertuntur .

2. Præterea . Id quod se extendit ad ens , & non ens , non convertitur cum ente (2) . Sed verum se extendit ad ens , & non ens : nam verum est , quod est , esse , & quod

non est , non esse . Ergo verum , & ens non convertuntur .

3. Præterea . Quæ se habent secundum prius & posterius , non videntur converti . Sed verum videtur prius esse quam ens , nam non intelligitur (***) ens nisi sub ratione veri . Ergo videtur quod non sint convertibilia .

Sed contra est quod dicit Philosophus II. *Metaph.* (?) (text. 4.) quod *eadem est dispositio rerum in esse , & veritate .*

Respondeo dicendum , quod sicut bonum haber rationem appetibilis , ita verum ordinem ad cognitionem . Unumquodque autem in quantum habet de esse , intantum est cognoscibile . Et propter hoc dicitur in III. *de Anima* (text. 37.) quod *anima est quoddammodo omnia secundum sensum , & intellectum .* Et ideo sicut bonum convertitur cum ente , ita & verum . Sed tamen sicut bonum addit rationem appetibilis supra ens , ita & verum comparationem ad intellectum .

Ad primum ergo dicendum , quod verum est in rebus , & in intellectu , ut dictum est (art. 1. hujus quest.) Verum autem quod est in rebus , convertitur cum ente secundum substantiam ; (4) sed verum quod est in intellectu , convertitur cum ente , ut manifestativum cum manifestato . Hoc enim est de ratione veri , ut dictum est (*ibid.*) Quamvis posset dici , quod etiam ens est in rebus , & in intellectu , sicut & verum ; licet verum principaliter in intellectu , ens vero principaliter in rebus . Et hoc accidit propter hoc quod verum , & ens differunt ratione .

Ad secundum dicendum , quod non ens non habet in se unde cognoscatur , sed cognoscitur , in quantum intellectus facit illud cognoscibile : unde verum fundatur (*****) in ente , in quantum non ens est quoddam ens rationis , apprehensum scilicet a ratione .

• Ad

(*) Ita codd. Alcan. & Tarrae . quibus consenserunt editiones Petervinae . Romans edit. aliaque de vocibus complexis , aut incomplexis .

(1) Quæ tam quod rem ipsum sive significatum quam quoad vocem incomplexæ sunt : Quædam enim complete significant .

(**) Roman. edit. quidem igitur .

(1) Seu conversum non prædicatur alterum de altero .

(*****) Editiones Rom. 1570. Petervina 1693. alias omittunt ens : habet vero sed. Alcan. & edit. Peter. 1712.

(1) Vel sic paulo alias phras. , text. 4. sive cap. 1.

Ut unumquodque se habet secundum esse , ita secundum veritatem : Sive , ut unumquodque habet esse res ipsas , id est entitatis) ita & veritatis auctoritatis) Quasi dicat : ut unumquodque habet de entitate , sic etiam de veritate .

(4) Ideo , conversum prædicatur de eo quod substantialiter est ens ; ita ut omne quid eo modo ens est , sit verum ; & sic siquid est substantialiter verum . sit substantialiter etiam ens , &c.

(*****) Ita edit. Rom. cum ed. Alcan. Ducentesimo vero , & Lovanienses Theologi editionesque Petervinae , ex Camer. & Rom. habent in non ente .

Ad tertium dicendum, quod cum dicitur, quod ens non potest apprehendi sine ratione veri, hoc potest dupliciter intelligi (1). Uno modo ita quod non apprehendatur ens, nisi ratio veri (*) aequatur apprehensionem entis: & sic locutio habet veritatem. Altero modo posset sic intelligi, quod ens non posset apprehendi, nisi apprehenderetur ratio veri: & hoc falsum est (2). Sed verum non potest apprehendi, nisi apprehendatur ratio entis, quia ens cadit in ratione veri. Et est simile, sicut si comparemus intelligibile ad ens: non enim potest intelligi ens, quin ens sit intelligibile; sed tamen potest intelligi ens ita quod non intelligatur ejus intelligibilitas. Et similiter ens intellectum est verum, non tamen intelligentia ens, intelligitur verum.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem demonstres, Philosophum recte dixisse tertio de anima, tex. 37. quod *anima est quoddammodo omnia secundum sensum, & intellectum*. Item 2. Metaph. tex. 4. quod *eadem est dispositio rerum in esse, & veritate*. Uxoriisque enim significat, quod *ens, & verum convertuntur*. Secundo habes: quomodo per rationem Philosophum ipsum in *vero sensu intelligas*, atque defendas. *Tertio* vides: quomodo, &c.

A R T I C U L U S IV. 102

Utrum bonum secundum rationem sit prius quam verum.

Verit. quæsi. XXI. artic. 3.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod bonum secundum rationem sit prius quam verum. Quod enim est universalius, secundum rationem prius est, ut patet ex I. Physic. (tex. 3. & 4.) (3). Sed bonum

est universalius quam verum: nam verum est quoddam bonum, scilicet intellectus. Ergo bonum prius est secundum rationem quam verum.

2. Præterea. Bonum est in rebus, verum autem in compositione, & divisione intellectus, ut dictum est (art. 2. hujus quæsti.) Sed ea quæ sunt in re, priora sunt his quæ sunt in intellectu. Ergo prius est secundum rationem bonum quam verum.

3. Præterea. Veritas est quædam species virtutis, ut patet in III. Ethic. (cap. vii.) Sed virtus continetur sub bono: est enim bona qualitas mentis, ut dicit Augustinus (Lib. VI. cont. Julian. cap. viii. & Lib. II. de lib. arb. cap. xviii. & xix.) Ergo bonum est prius quam verum.

Sed contra. Quod est in pluribus, est prius secundum rationem. Sed verum est in quibusdam, in quibus non est bonum, scilicet in mathematicis. Ergo verum est (**) prius quam bonum.

Respondeo dicendum, quod licet bonum, & verum supposito convertantur cum ente, (4) tamen ratione differunt. Et secundum hoc verum, absolute loquendo, (***) prius est quam bonum: quod ex duobus appetit. Primo quidem ex hoc quod verum propinquius se habet ad ens, quod est prius, quam bonum. Nam verum respicit ipsum esse simpliciter, & immediate; ratio autem boni consequitur esse, secundum quod est aliquo modo perfectum, sic enim appetibile est. Secundo appetit ex hoc quod cognitio naturaliter precedit appetitum. Unde cum verum respiciat cognitionem, bonum autem appetit, prius erit verum quam bonum secundum rationem.

Ad primum ergo dicendum, quod voluntas, & intellectus mutuo se includunt: (5) nam intellectus intelligit voluntatem, & voluntas vult intellectum intelligere. Sic ergo inter illa quæ ordinantur ad objectum voluntatis, continentur etiam ea quæ sunt intellectus, & e converso. Unde in ordine appeti-

(1) Formaliter scilicet, vel solummodo consequenter; & ex adjunctis patet.

(*) *Al. consequatur.*

(2) Quia ratio ipsa veri pertinet ad rationem entis, ut adjuncta indicant.

(3) Ubi proinde ab universalibus ad singularia procedendum dicitur.

(**) *Ite Codex Alcan. & edit. R.m. 1570. & Parav. 1698. Cod. Camer. edit. Lovan. & Dusec., & Parisina 1712. prius secundum rationem quam bonum.*

(4) Velut ad idem suppositum vel subjectum pertinentia; quia in omni ente subjective utrumque inventur; licet alia & alia utriusque ratio sit: sicut & in endem album ac dulce conjugatur; licet alia sit ratio albi & alia ratio dulcis &c.

(***) *Al. prius est secundum rationem quam bonum.*

(5) Secundum rationem objecti, ut adjuncta explicant; & non tantum quod quia omne quod habet intellectum, habet etiam voluntatem, & e converso.

petibilium bonum se habet ut universale, & verum ut particulare; in ordine autem intelligibilium est e converso. Ex hoc ergo quod verum est quoddam bonum, sequitur quod bonum sit prius in ordine appetibilium, non autem quod sit prius simpliciter.

Ad secundum dicendum, quod secundum hoc est, aliquid prius ratione quod prius cadit in intellectu (1). Intellectus autem per prius apprehendit ipsum ens, & secundario apprehendit se intelligere ens, & tertio apprehendit se appetere ens. Unde primo est ratio entis, secundo ratio veri, tertio ratio boni; licet bonum sit in rebus.

Ad tertium dicendum, quod virtus, quae dicitur veritas, non est veritas communis, sed quoddam veritas, secundum quam homo in dictis, & factis ostendit se ut est (2). Veritas autem virtus dicitur particulariter, secundum quod homo in vita sua implet illud ad quod ordinatur per intellectum divinum, sicut etiam dictum est (art. 1. hujus quest.) veritatem esse in ceteris rebus. Veritas autem iustitia est, secundum quod homo servat id quod debet alteri secundum ordinem legum. Unde ex his particularibus veritatibus non est procedendum ad veritatem communem.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas Philosophum jure dixisse 6. *Metaph. tex. 8.* verum, & falsum esse in mente, bonum autem, & malum esse in rebus. Hoc est, verum, utpote menti vicinus, quam bonum, prius cadit in intellectu, quam bonum, idest, prius intelligere se ens aliquis apprehendit, quam apprehendat se appetere ens: & consequenter verum secundum rationem est prius, quam bonum. Secundo habes: quomodo per rationem dictum illud Philosophi in vero sensu intelligas, intellectumque defendas. Tertio vides: quomodo ex his vicissim bene applicatis, & consideratis angelica conclusio stabiliatur.

(1) Non ut *ratio* ad secundam intentionem referri solet, sed ad primam; prout ipsa notio rei vel conceptio appellatur.

(2) Sic enim *Ethic. 4.* ut supra, Philosophus explicat.

(3) A Christo quidem de seipso, sed ratione divinitatis potissimum, ut insinuat ibi Augustinus *Tract.*

Utrum Deus sit veritas.

1. 2. quest. III. art. 7. cor. & quest. XXXIX. art. 1. ad 3. & 2. 2. quest. XXVII. art. 4. corp. & I. cont. cap. lxx. & lx. lxi. & lxii. & Lib. III. cap. li. & opusc. II. cap. cv. & Joan. 14. lect. 2.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod Deus non sit veritas. Veritas enim consistit in compositione, & divisione intellectus. Sed in Deo non est compositio, & divisio. Ergo non est ibi veritas.

2. Præterea. Veritas secundum Augustinum in Lib. de vera Relig. (cap. xxxvii.) est similitudo principii. Sed Dei non est similitudo ad principium. Ergo in Deo non est veritas.

3. Præterea. Quidquid dicitur de Deo dicitur de eo ut de prima causa omnium, sicut esse Dei est causa omnis esse, & bonitas ejus est causa omnis boni. Si ergo in Deo sit veritas, omne verum erit ab ipso. Sed aliquem peccare est verum. Ergo hoc erit a Deo: quod patet esse falsum.

Sed contra est quod dicitur Joan. xiv. 6. (3). *Ego sum via, veritas, & vita.*

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est (art. 1. hujus quest.) veritas inventur in intellectu, secundum quod apprehendit rem ut est; & in re, secundum quod habet esse conformabile intellectui. Hoc autem maxime inventur in Deo. Nam esse suum non solum est conforme suo intellectui, sed etiam est ipsum suum intelligere: & suum intelligere est mensura, & causa omnis alterius esse, & omnis alterius intellectus: & ipse est suum esse, & intelligere. Unde sequitur quod non solum in ipso sit veritas, sed quod ipse sit ipsa summa, & prima veritas.

Ad primum ergo dicendum, quod licet in intellectu divino non sit compositio, & divisio, tamen secundum suam simplicem intelligentiam judicat de omnibus, & cognosc-

69. in Joan. quamvis etiam ad ipsius humanitatem participative referri potest, quia non nisi vera semper dixit, ut Chrysostomus, interpretatur homil 72. in eundem: Et simile est illud 1. Joan. 5. vers. 6. *Spiritus est qui testificatur quoniam Christus est veritas, hoc est verus Dei filius.* addit. ibidem Beda &c.

Q U A S T . XVI.

gnoscit omnia complexa: & sic in intellectu ejus est veritas.

Ad secundum dicendum, quod verum intellectus nostri est, secundum quod conformatur suo principio, scilicet rebus a quibus cognitionem accipit: veritas etiam rerum est, secundum quod conformantur suo principio scilicet intellectui divino. Sed hoc proprie loquendo non potest dici in veritate divina, nisi forte secundum quod veritas appropriatur Filio, qui habet principium (1). Sed si de veritate essentialiter dicta loquamur, non potest intelligi, nisi resolvatur affirmativa in negativam; sicut cum dicitur: Pater est a se, quia non est ab alio. Et similiter dici potest similitudo principii veritas divina, in quantum esse suum non est suo intellectui dissimile.

Ad tertium dicendum, quod non ens, & privationes non habent ex se ipsis veritatem, sed solum in apprehensione intellectus. Omnis autem apprehensio intellectus a Deo est. Unde quidquid est veritatis in hoc quod dico, Istum fornicari est verum, totum est a Deo; sed si arguatur, Ergo istum fornicari est a Deo, est fallacia accidentis.

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo: quomodo per rationem interimas heresim Armenorum Deum esse mendacem. Item quorundam aliorum, qui, ut innuere videtur Melchior Cano de locis Theologicis lib. 2. cap. 3. impudenter dixerunt: Deum potentia ordinaria mentiri posse: & Deum potentia ordinaria per administrum posse, vel mentiri, vel fallere. Contra hos omnes pugnat art. Si enim Deus veritas est, jam cum abstractum non compatiatur secum vel minimum contrarii, ut albedo non potest esse aliqua ex parte nigra, patet apertissime, quod minimum mendacium, nec de possibili etiam, in Deum numquam cadere potest. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, has omnes merito fuisse damnatas Hierem. 10. Dominus autem Deus verus est: & Num. 2. Non est Deus, quasi homo, ut mentiatur. Sap. 1.

A R T . V. & VI:

167

Abominatio est Domino lobia mendacia Psalm. 5. Perdes, tu Deus, omnes, qui loquuntur mendacium. Rom. 3. Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax. Mendaces ergo sunt praedictas haereses dicentes. Item ibidem Apostolus: si iniquus est Deus, quomodo judicabit hunc mundum? Iniquus autem esset, si mendax esset: & proportionaliiter, id est, si de facto mendax, de facto iniquus, si de possibili mendax, de possibili iniquus: Quocumque autem modo sit iniquus, quomodo, inquit ille, judicabit hunc mundum? Vide ibi, si vis, auream D. Thomae expositionem. Tertio vides: quomodo ex his vicissim firmetur conclusio.

A R T I C U L U S VI. 104

Utrum sit una sola veritas, secundum quam omnia sunt vera.

1. 2. quest. xciv. art. 1. & I. dist. xix. quest. v. art. 2. & ver. quest. i. art. 4. &
3. & Psalm. xi.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod una sola sit veritas, secundum quam omnia sunt vera. Quia secundum Augustinum (Lib. XIV. de Trinit. cap. viii. & Lib. V. cap. 1. circa fin.) nihil est maius mente humana nisi Deus. Sed veritas est major mente humana, alioquin mens judicaret de veritate: nunc autem omnia judicat secundum veritatem, & non se ipsam. Ergo solus Deus est veritas: ergo non est alia veritas quam Deus.

2. Præterea. Anselmus dicit in Lib. de veritate (cap. xiv. circa fin.) (2) quod sicut tempus se habet ad temporalia, ita veritas ad res veras. Sed unum est tempus omnium temporalium. Ergo una est veritas, qua omnia vera sunt.

Sed contra est quod in Psal. xl. 2. dicitur; *Diminuta sunt veritates a filiis hominum.*

Respondeo dicendum, quod quodammodo una est veritas, qua omnia sunt vera, & quodammodo non. Ad cuius evidentiam sciendum est, quod quando aliquid prædicatur universale de

(1) Juxta id quod mox indicatum est: Et Joan. 3. vers. 32. *Veritas liberabit vos: ubi & August. tract. 4. Ipsa est veritas unigenitus Dei filius: Et jam Tract. 39. præmiserat veracem dicti Patrem quia genuit veritatem.*

(2)

Sive in Dialogo de veritate ut inscribitur postum propter duos inter se colloquentes: Ubi ple-

ce de multis, illud in quolibet eorum secundum propriam rationem invenitur, sicut animal in qualibet specie animalis. Sed quando aliquid dicitur analogice de multis, illud invenitur secundum propriam rationem in uno eorum tantum, a quo alia denominantur; sicut sanum dicitur de animali, & urina, & medicina, non quod sanitas sit nisi in animali tantum, sed a sanitate animalis denominatur medicina sana (1), inquantum est illius sanitatis effectiva, & urina, inquantum est illius sanitatis significativa. Et quanvis sanitas non sit in medicina, neque in urina, tamen in utroque est aliquid per quod illud quidem facit, istud autem significat sanitatem. Dicitum est autem (art. 1. hujus quest.) quod veritas per prius est in intellectu, & per posterius in rebus, secundum quod ordinantur (2) ad intellectum divinum. Si ergo loquamur de veritate, prout existit in intellectu secundum propriam rationem, sic in multis intellectibus creatis sunt multis veritates, & in uno & eodem intellectu secundum plura cognita. Unde dicit Glossa super illud Ps. xi. (est autem Glossa Augustini in istum Ps.) (3) *Diminuta sunt veritates a filio homini*, quod „ sicut ab una facie hominis resultant plures similitudines in speculo, sic ab una veritate divina resultant plures veritates. „ Si vero loquamur de veritate, secundum quod est in rebus, sic omnes sunt vera prima veritate, cur unumquodque assimilatur secundum suam entitatem. Et sic dicit plures sint essentiae, vel formae rerum, tamen una est veritas divini intellectus, secundum quam omnes res denominantur veræ. Ad primum ergo dicendum, quod anima non secundum quamcumque veritatem judicat de rebus omnibus, sed secundum veritatem primam, inquantum resultat in ea sicut in speculo, secundum primam intelligibilia. Unde sequitur quod veritas prima sit major anima: & tamen etiam veritas creata, quæ est in intellectu nostro, est major anima non simpliciter, sed secundum quid, inquantum est perfectio ejus, sicut etiam scientia posset dici major anima. Sed verum est quod nihil

A R T. VI. & VII.

subsistens sit majus mente rationali nisi Deus.

Ad secundum dicendum, quod dictum Angelini veritatem habet, secundum quod res dicuntur veræ per comparationem ad intellectum divinum,

A P P E N D I X.

Ex art. habes primo: quomodo per rationem concordare valeas ad invicem ista. Rom. 3. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax*, & Eccle. 15. *Viri veraces inveniuntur in illa*. Ecce. Una tantum veritas ab Apostolo ponitur, quæ est veritas divina, & plures ab Eccles. Ab una ergo veritate quodammodo omnia denominantur vera secundum scripturam, & quodammodo non. Vide conclusionem, & bene applica. A simili facit ad hoc, quod dictum fuit qu. 6. art. 4. Secundo habes: quomodo a simili ex ratione demonstres, quod nonnullorum propositio illa, scilicet *Iustum solum Deum, omnes homines iniquos*, sit erronea; & quod censura generalis in Bibliam hanc, ut falso ab hereticis ex tertio, vel quarto Tobiae deductam, pro erronea merito damnat. Nam ultra rationem articulorum hujus, & 4. supra, est contra S. Scripturam, quæ multos appellat justos. Abraham scilicet, Isaac, Jacob &c. Tertio &c.,

A R T I C U L U S VII. 105

Utrum veritas creata sit eterna,

I. dist. xix. quest. v. artic. 3. *& ver.*
quest. 1. artic. 5.

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod veritas creata sit eterna. Dicit enim Augustinus in Lib. II. de lib. arbitr. (cap. 8.) quod *nihil est magis eternum quam ratio circuli, & duo & tria esse quinque* (4). Sed horum veritas est veritas creata. Ergo veritas creata est eterna.

2. Præterea. Omne quod est semper, est eternum. Sed universalia sunt ubique, & ies-

(1) *Vel transpositis verbis medicina denominatur sana.*

(2) *Suppo res ipsa: Non ut exemplaria quadam, ordinaria pura veritas &c.*

(3) *Sic in sensum presentem usurpati; Sicut & lib. 1. Confess. cap. 20. veritates (etsi non grammatico uero) plurisliter usurpat: Sed hoc de verita-*

te fidelitatis intelligit Symmachus vertens à *τιοῖς* a voce *σιδῶν* significante, ut significet fidelitatem inter homines defecisse: Sic & Theodoreetus propter mutuam perfidiam (*τὸν τεπὶ τὸν αὐλαῖον εἰρίσαις*) hoc dici notat: Sed Chrysostomus propter virtutum veritatem adulteratam &c.

(4) *Tale aliquid quod numerum indicatur lib. 2.*

semper. Ergo sunt æterna: ergo & verum, quod est maxime universale.

3. Præterea. Id quod est verum in præsenti, semper fuit verum esse futurum. Sed sicut veritas propositionis de præsenti est veritas creata, ita veritas propositionis de futuro. Ergo aliqua veritas creata est æterna.

4. Præterea. Omne quod caret principio, & fine, est æternum. Sed veritas enuntiabilium caret principio, & fine: quia si veritas incepit, cum ante non esset, verum erat veritatem non esse, & utique aliqua veritate verum erat; & sic veritas erat, antequam inciperet. Et similiter si ponatur, veritatem habere finem, sequitur quod sit, postquam desierit: verum enim erit veritatem non esse. Ergo veritas est æterna.

Sed contra est quod solus Deus est æternus, ut supra habitum est (qæst. x. art. 3.)

Respondeo dicendum, quod veritas enuntiabilium non est aliud quam veritas intellectus. Enuntiabile enim est in intellectu, & est in voce (1). Secundum autem quod est in intellectu, habet per se veritatem; sed secundum quod est in voce dicitur verum enuntiabile, secundum quod significat aliquam veritatem intellectus, non propter aliquam veritatem in enuntiabili existentem sicut in subjecto: sicut urina dicitur sara non a sanitate quæ in ipsa sit, sed a sanitate animalis, quam significat. Similiter etiam supra dictum est (art. 1. hujus qæst.) quod res denominantur veræ a veritate intellectus (2). Unde si nullus intellectus esset æternus, nulla veritas esset æterna. Sed quia solus intellectus divinus est æternus, in ipso solo veritas æternitatem habet. Nec propter hoc sequitur quod aliquid aliud sit æternum quam Deus, quia veritas intellectus divini est ipse Deus, ut supra ostensum est (art. 5. hujus qæst.)

Summ. S.Th. T.I.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio circuli, & duo & tria esse quinque, habent æternitatem in mente divina.

Ad secundum dicendum, quod aliquid esse semper, & ubique, potest intelligi duplum. Uno modo quia habet in se unde se extendat ad omne tempus, & ad omnem locum, sicut Deo competit esse ubique, & semper. Alio modo quia non habet in se quo determinetur ad aliquem locum, vel tempus; sicut materia prima dicitur esse una, non quia habet unam formam, sicut homo est unus ab unitate unius formæ, sed per remotionem omnium formarum distinguuntur. Et per hanc modum quodlibet universale dicitur esse ubique, & semper, in quantum universalia abstracthantur ab hic & nunc. Sed ex hoc non sequitur ea esse æterna nisi in intellectu, si quis sit æternus (3).

Ad tertium dicendum, quod illud quod nunc est, ex eo futurum fuit, antequam esset, quia in causa sua erat ut fieret. Unde, sublata causa, non esset futurum illud fieri. Sola autem causa prima est æterna. Unde ex hoc non sequitur quod ea quæ sunt, semper fuerit verum ea esse futura, nisi quatenus in causa sempiterna fuit ut essent futura; quæ quidem causa solus Deus est.

Ad quartum dicendum, quod quia intellectus noster non est æternus, nec (4) veritas enuntiabilium quæ a nobis formantur, est æterna, sed quandoque incepit: & antequam hujusmodi veritas esset, non erat. Vrum dicere, veritatem talem esse, nisi ab intellectu divino, in quo solum veritas est æterna; sed nunc verum est dicere, veritatem tunc non fuisse. Quod quidem non est verum, nisi veritate quæ nunc est in intellectu nostro, non autem per aliquam veritatem ex parte rei, quia ista est veritas de

Y

non

cap. 8. ubi & vocat incorruptibilem numeri veritatem, & ea de re copiose differit: Quod circulum autem nihil expresse ibi, sed in Soliloquii veris lib. 2. cap. 19. tom. 1. sic tantum: Sive figura geometrica in veritatibus, sive in eis veritas sit, intelligentia nostra eas contineri nemo ambigit: Nec interire veritas posset &c. Nisi forte aliud sit linea quam longitudo sine latitudine; & aliud circulus quam linea circumducta unidic ad medium equaliter vergens.

(1) Non preue enuntiabile formaliter, (sic enim tantum est in voce, ut ex adjunctione patet) sed solummodo virtualiter in intellectu.

(2) Non cuiuscumque indifferenter, sed illius dumtaxat a quo dependent respectively; scilicet naturales & veritatis intellectus divini, & artificiales & verita-

te intellectus humani: Sed nunc expresse de divino agitur; quia de veritate illa secundum quam omnis quæ sunt, in quantumcumque sunt, vera sunt, ut in lib. de immortalitate animæ cap. 12. loquitur Augustinus. Nam a Deo est veritas natura; ut ipse rursus libro de unico baptismo, cap. 4. ait.

(3) Hanc hypothesim ad humanum vel angelicum intellectum, si ab æterno extitissent, in eo & ad humanum solum applicando, quia solus proprio ab his & nunc universaliter natus est abstracthare.

(4) Ut illativa particula seu illativa sensu accipitur illud nec, non per continuatam constructionem tantum: Quasi planius diceretur, Dicendum quod veritas enuntiabilium non est æterna, quia nec intellectus est æternum.

non ente. Non ens autem non habet ex se ut sit verum, sed solummodo ex intellectu apprehendente ipsum. Unde intantum est verum dicere, veritatem non fuisse, in quantum apprehendimus non esse ipsius ut praecedens esse ejus.

A P P E N D I X .

EX art. habes primo: quomodo per rationem, tamquam in radice, interimas haec resim *Trinitariorum blaterantium*, quod intellectus noster est æternus. Si enim hoc esset: aliqua veritas, puta, quæ est in intellectu humano, esset æterna, & consequenter contra hanc positionem pugnat radicaliter artculus. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnatam ab *Innoc. III.* Papa in Concilio *Lateran.* extra de sum. *Trin.* & fid. cathol. firmiter credimus, &c. quod solus Deus sua omnipotenti virtute ab initio de nibili condidit creaturam angelicam, mundanam, & humanam. Hæc ibi. En de mente Concilii esse, quod nullus intellectus prater divinum, est æternus, cum sit in temporis initio factus, & consequenter, quod veritas in solo Deo æternitatem habet. Præfens igitur conclusio est de fide. Unde, si qua forsitan, vel in sacra Scriptura, vel Orthodoxis doctoribus, vel philosophia sonare viderentur oppositum, catholice interpretanda sunt, ut hic, & supra, quæst. 10. art. 3. sit a sancto Doctore. Cum enim ab Ecclesia sancta quidam ut de fide tenendum, determinatum est, tunc ad ejus normam quæcumque a quibuscumque, quantilibet forsitan doctrina, & sanctitate alias præfulgeant, dicta, scripta, &c. omnino regula sunt.

A R T I C U L U S VIII. 106

Utrum veritas sit immutabilis.

I. dñs. xix. quæst. 1. art. 3. & ver.
quæst. 1. art. 6.

AD octavum sic proeeditur. Videtur quod veritas sit immutabilis. Dicit enim

Augustinus in Lib. II. de libero arbitrio. (cap. xii. non procul a fine, & de vera Religione cap. xxx.) quod *veritas non est aequalis menti*, quia *est mutabilis*, sicut & mens (1).

2. Præterea. Id quod remanet post omnem mutationem, est immutabile; sicut prima materia est ingenita, & incorruptibilis, quia remanet post omnem generationem, & corruptionem. Sed veritas remanet post omnem mutationem, quia post omnem mutationem verum est dicere esse, vel non esse. Ergo veritas est immutabilis.

3. Præterea. Si veritas enuntiationis mutatur, maxime mutatur ad mutationem rei. Sed sic non mutatur: *veritas enim secundum Anselmum* (in dial. de veritate cap. v.) *est rectitudo quadam*, inquantum aliquid implet id quod est de ipso in mente divina (2). Hæc autem propositio, Socrates sedet, accipit a mente divina ut significet Socratem sedere; quod significat etiam, eo non sedente. Ergo veritas propositionis nullo modo mutatur.

4. Præterea. Ubi est eadem causa, est idem effectus. Sed eadem res est causa veritatis harum trium propositionum, Socrates sedet, sedebit, & sedet. Ergo eadem est harum veritas. Sed oportet quod alteruni horum sit verum. Ergo veritas harum propositionum immutabiliter manet, & eadem ratione cuiuslibet alterius propositionis.

Sed contra est quod dicitur in Psal. xi. 2. *Diminuta sunt veritates a filii hominum* (3).

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (art. 1. hujus quæst.) veritas proprie est in solo intellectu: res autem dicuntur veræ a veritate quæ est in aliquo intellectu (4). Unde mutabilitas veritatis consideranda est circa intellectum. Cujus quidem veritas in hoc consistit quod habeat conformitatem ad res intellectas. Quæ quidem conformitas variari potest dupliciter, sicut & quælibet alia similitudo ex mutatione alterius extremi. Unde uno modo variatur veritas ex parte intellectus ex eo quod de re eodem modo se habente aliquis aliam opinionem accipit. Alio modo, si, opinione

ne

(1) Vel sic: *Si esset aequalis mensibus nostris hac veritas mutabilis eriam ipsa esset: Ex quo tamquam inconvenienti probat quod superior dicenda sit.*

(2) Ibi scilicet ait quod si veritas & rectitudo idcirco sunt in verum essentia, quia hoc sunt quod sunt in summa veritate, certum est veritatem verum esse rectitudinem &c. ut & cap. 11. 12. 14. tale aliquid indicatur.

(3) Jam notatum est supra de veritate fidelitatis intelligi, vel de veritate quadam qua sic loquitur quicunque ut sentit; Unde mox ibi subiungitur: *Vera loquendi sunt unusquisque ad proximum suum*, &c.

(4) Vel divino quantum ad veritatem naturalium rerum; vel humano quantum ad veritatem artificialium ut jam supra: *Nisi alio sensu intelligentur eauntiari vere quia & eas vere concipi intellectus.*

ne eadem manente , res mutetur. Et utroque modo fit mutatio de vero in falsum. Si ergo sit aliquis intellectus in quo non possit esse alternatio opinionum , vel cuius acceptionem (1) non potest subterfugere res aliqua , in eo est immutabilis veritas. Talis autem est intellectus divinus , ut ex superioribus patet (quæst. xiv. art. 13.) Unde veritas divini intellectus est immutabilis ; (2) veritas autem intellectus nostri mutabilis est , non quod ipsa sit subjectum mutationis , sed in quantum intellectus noster mutatur de veritate in falsitatem : sic enim formæ mutabiles dici possunt . Veritas autem intellectus divini est , secundum quam res naturales dicitur veræ , quæ est omnino immutabilis .

Ad primum ergo dicendum , quod Augustinus loquitur de veritate divina .

Ad secundum dicendum , quod verum , & ens sunt convertibilia . Unde sicut ens non generatur , neque corruptitur per se , sed per accidens , in quantum hoc vel illud ens corruptitur , vel generatur , ut dicitur in I. Physl. (tex. 76.) ita veritas mutatur , non quod nulla veritas remaneat , sed quia non remanet illa veritas quæ prius erat .

Ad tertium dicendum , quod propositio non solum habet veritatem , sicut res alia veritatem habere dicuntur , in quantum implet id quod de eis est ordinatum ab intellectu divino ; sed dicitur habere veritatem quodam speciali modo , in quantum significat veritatem intellectus (3) : quæ quidem consistit in conformitate intellectus , & rei : qua quidem subtracta mutatur veritas opinionis , & per consequens veritas propositionis . Sic igitur hæc propositio , Socrates sedet , eo sedente , vera est & veritate rei , in quantum est quædam vox significativa , & veritate significacionis , in quantum significat opinionem veram ; Socrate vero surgente , remanet prima veritas (4) , sed mutatur secunda .

Ad quartum dicendum , quod sessio Socratis , quæ est causa veritatis hujus propositionis , Socrates sedet , non eodem mo-

do se habet , dum Socrates sedet , & postquam federit , & antequam federet . Unde & veritas ab hoc causata diversimode se habet , & diversimode significatur propositionibus de praesenti , praeterito , & futuro . Unde non sequitur quod licet altera trium propositionum sit vera , quod eadem veritas invariabilis maneat .

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo : quomodo per rationem interimas heresim Theophronti Agnostrorum ducis (Prat. Agnostræ) blasphemantis , quod Deus quantum ad cognitionem non eodem modo semper se habet . Item Secundini blaterantis , quod Deus est mutabilis . Horum enim utraque opinio ab articulo expugnatur , dum veritatem divinam immutabilem esse determinat . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas , has merito damnatas ab Innoc. III. extra de summa Trin. & fide cathol. firmiter credimus , &c. quod Deus est omnino incommutabilis . Ergo & divinam veritatem Papa per hoc intelligit , quoniam veritas divina est ipse Deus , ut ibi dicitur in capitulo Damnamus : & eodem capitulo , firmiter , propere simplex omnino vocatur . Ceterum , si quis contrarium secundæ partis dicere , id , quod forsitan Trinitarii ponendo intellectum nostrum aeternum , ut sup. art. 7. dicent : habes etiam , quomodo per rationem convincas , ostendendo scilicet , quod veritas nostra est mutabilis . Habes quoque , in quo modo demonstres id jure damnatum esse ab Apostolo 1. Timoth. 6. Qui solus Deus habet immortalitatem . Hoc est , ut SS. Doctores Augustinus & Thomas exponunt , omnitudinem incommutabilitatem . Consule circa predicta quæst. 9. art. 1. & 2. Testio vides : quomodo &c.

(1) Sic passim in impressis , gothicis , manuscriptis ; Id est conceptionem , sive cognitionem .

(2) Huc pertinere potest , quod veritas Domini monere in aeternum dicitur Psalm. 116. vers. 2. Esi ad veritatem promissionum Dei referit specialiter Augustinus : Alibi autem absolute immutabilem , ac aeternam proinde vocat : Hinc 7. Confess. cap. 10. Qui novit veritatem novit lucem tuam ; & qui novit eum novit aeternitatem : Caritas novit eam : O aeterna veritas ! vera caritas ! eterna aeternitas !

(3) Sive , non tantum habet veritatem physicam

que dicitur *veritas rei* ; sed etiam logicanam quæ dicitur *veritas significacionis* ; ut adjuncta indicant .

(4) Ea scilicet quæ per ordinem ad voluntatem Dei consideratur , vel ab ea denominatur talis , in quantum implet quod in illius ordinatione continetur (puta ut surgat vel stet) sed nec veritas opinionis , nec veritas propositionis , quæ ambae sub secunda subintelligi debent , & haberi pro una veritate , quia & una est propter alteram , & ex altera , & alterius nota vel signum &c.

QUÆSTIO DECIMASEPTIMA.

*De falsitate,**In quatuor articulos divisâ.*

DEinde queritur de falsitate: & circa hoc queruntur quatuor.
Primo, utrum falsitas sit in rebus.
Secundo, utrum sit in sensu.
Tertio, utrum sit in intellectu.
Quarto, de oppositione veri, & falsi.

A R T I C U L U S I. 107

Utrum falsitas sit in rebus.

Sup. quest. XVI. art. 1. & 2. & I. dist. xix.
quest. v. art. 1. & I. contr. cap. lx. &
ver. quest. i. art. 10. & Perib. lect. 3.

AD primum sic proceditur. Videtur quod falsitas non sit in rebus. Dicit enim Augustinus in Lib. II. Soliloq. (cap. viii. in fin.) *Si verum est id quod est, falsum non esse uspiam, concludetur quovis repugnante.*

2. Præterea. Falsum dicitur a fallendo. Sed res non fallunt, ut dicit Augustinus in Lib. de vera Relig. (cap. xxxiii. a med.) quia non ostendunt aliud quam suam speciem. Ergo falsum in rebus non invenitur.

3. Præterea. Verum dicitur in rebus per comparationem ad intellectum divinum, ut supra dictum est (quest. XVI. art. 1.) (*) inquantum imitatur ipsum. Sed qualibet res, inquantum est, imitatur Deum. Ergo qualibet res vera est absque falsitate: & sic nulla res est falsa.

Sed contra est quod dicit Augustinus in Lib. de vera Relig. (cap. xxxiv. cir. princ.) (1) quod *omne corpus est verum corpus, & falsa unitas: quia imitatur unitatem, & non est unitas.* Sed qualibet res imitatur divinam unitatem, & ab ea deficit. Ergo in omnibus rebus est falsitas.

(*) Ita codd. Alcan. Coloni., & Camer. Editiones quæ vidimus omittunt inquantum imitatur ipsum. Postea imitantur.

(1) Ubi plenius quam hic: nempe quod falsa unitas est, quia nec summe unum, nec instantiam insensans unitatem vel unum ut impletas (id est ut omninem eius perfectionem contineat) licet nec ipsum corpus esset, nisi uscumque unum esset.

(2) Ex capite de oppositis versus finem ubi hoc explicatur circa idem genus, vel species: sicut lant-

Respondeo dicendum, quod cum verum, & falsum opponantur; opposita autem sint (2) circa idem; necesse est ut ibi prius queratur falsitas ubi primo veritas invenitur, hoc est in intellectu. In rebus autem neque veritas, neque falsitas est nisi per ordinem ad intellectum. Et quia unumquodque secundum id quod convenit ei per se, simpliciter nominatur, secundum autem id quod convenit ei per accidens, non nominatur nisi secundum quid: res quidem simpliciter falsa dici posset per comparationem ad intellectum, a quo dependet, cui comparatur per se; in ordine autem ad alium intellectum cui comparatur per accidens, non posset dici falsa nisi secundum quid. Dependent autem ab intellectu divino res naturales, sicut ab intellectu humano res artificiales. Dicuntur igitur res artificiales falsæ simpliciter & secundum se, inquantum deficiunt a forma artis: unde dicitur aliquis artifex opus falsum facere, quando deficit ab operatione artis (3).

Sic autem in rebus dependentibus a Deo falsitas inveniri non potest per comparationem ad intellectum divinum: cum quidquid in rebus accidit, ex ordinatione divini intellectus procedat; nisi forte in voluntariis agentibus tantum, in quorum potestate est subducere se ab ordinatione divini intellectus, in quo malum culpe consistit, secundum quod ipsa peccata falsitates, & mendacia dicuntur in Scripturis, secundum illud Psal. iv. 3. *Ut quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium?* (4) sicut per oppositum operario virtuosa veritas vite nominatur, inquantum subditur ordini divini intellectus, sicut dicitur Joan. iii. 21. *Qui facit veritatem, venit ad lucem.*

Sed per ordinem ad intellectum nostrum, ad quem comparantur res naturales per accidens, possunt dici falsæ, non simpliciter, sed secundum quid; & hoc duplice. Uno modo secundum rationem significati, ut dicitur illud esse falsum in rebus quod significatur, vel representatur oratione, vel in- telle-

tas & segritudo in animali: albedo & nigredo in corpore, justitia & iniquitas in anima hominis; iuxta exempla que ibidem ponuntur, &c.

(3) Sic Ethic. 6. cap. 4. græco lat. juxta finem, & in antiquis item cap. 4. circa medium, ars dicitur *habitus cum ratione vera effectivus;* & contra- rium artis cum ratione falsa.

(4) Quod ad improbabam quoque vitam (τὸν ἐπιρρέοντα βίον) Chrysostomus ibidem refert: Sed Augustinus ad amorem temporalium non diffimili sensu.

reflectu falso : (1) secundum quem modum quilibet res potest dici esse falsa quantum ad id quod ei non inest ; sicut si dicamus , diametrum esse falsum commensurabile , ut dicit Philosophus in V. Metaph. (tex. 34.) & sicut dicit Augustinus in Lib. II. Soliloquior. (cap. x.) quod *tragædus est falsus Hector* ; sicut e contrario potest unumquodque dici verum secundum id quod competit ei . Alio modo per modum causæ , & sic dicitur res esse falsa , quæ nata est facere de se opinionem falsam . Et quia innatum est nobis per ea quæ exterius apparent , de rebus judicare , eo quod nostra cognitio a sensu ortum habet , qui primo & per se est exteriorum accidentium ; ideo ea quæ in exterioribus accidentibus habent similitudinem aliarum rerum , dicuntur esse falsa secundum illas res ; sicut fel est falsum mel , & stannum est falsum argentum . Et secundum hoc dicit Augustinus in Lib. II. Soliloq. (cap. vi. in fin.) quod *eas res esse falsas nominamus , quæ verisimilia apprehendimus* . Et Philosophus dicit in V. Metaphys. (tex. 34.) quod falsa dicuntur quæcumque apta nata sunt apparere aut qualia non sunt , aut quæ non sunt . Et per hunc modum etiam dicitur homo falsus , inquantum est amativus falsarum opinionum , vel locutionum ; non autem ex hoc quod potest eas confingere : quia sic etiam sapientes , & scientes falsi dicerentur , ut dicitur in V. Met. (loco proxime cit.)

Ad primum ergo dicendum , quod res comparata ad intellectum , secundum id quod est , dicitur vera ; secundum id quod non est , dicitur falsa . Unde *verus tragædus est falsus Hector* , ut dicitur in II. Solil. (loco in corp. cit.) Sicut igitur in his quæ sunt , invenitur quoddam non esse , ita in his quæ sunt , invenitur quædam ratio falsitatis .

Ad secundum dicendum , quod res per se non fallunt , sed per accidens . Dant enim occasionem falsitatis , eo quod similitudinem eorum gerunt quorum non habent existentiam .

(1) Contra id quod inscite putabat Antisthenes ponniū unum enuntiari posse proprie de re una : Ex quo consequens erat vix umquam dici falsum : ut Philosophus infert ibi . Quod autem subiungitur ex 5. Metaph. ac reponendum ut hic ex text. 34. & manuscripto uno S. Thomas , alia male habent *falsum incommensurabile* ; ut & impressa passim *falsum commensurabile* ; Sed sequentes deinde appendices ex veris Augustini Soliloquii lib. 2. cap. 6. & cap. 10. desumuntur , ut tom. 1. videre est . Pro amativo

Ad tertium dicendum , quod per comparationem ad intellectum divinum non dicuntur res falsæ , quod esset eas esse falsas simpliciter ; sed per comparationem ad intellectum nostrum , quod est eas esse falsas secundum quid .

Ad quartum , quod in oppositum objicitur , dicendum , quod similitudo , vel representatio deficiens non inducit rationem falsitatis , nisi inquantum præstat occasionem falsæ opinionis . Unde non ubicumque est similitudo , dicitur res falsa ; sed ubicumque est talis similitudo , quæ nata est facere opinionem falsam , non cuicunque , sed ut in pluribus .

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per rationem ostendas Philosophum , &c. Secundo habes : quomodo per rationem dictum illud Philosophi , &c. Tertio vides : quomodo &c.

A R T I C U L U S II. 108

Utrum in sensu sit falsitas .

Ver. quest. I. artic. 10. & Periberm. 1.3.

AD secundum sic proceditur . Videtur quod in sensu non sit falsitas . Dicit enim Augustinus in Lib. de vera relig. (cap. XXXIII. circa med.) *Si omnes corporis sensus ita nuntiant ut afficiuntur , quis ab his amplius exigere debeamus , ignoro .* Et sic videtur quod ex sensibus non fallamur ; & sic falsitas in sensu non est .

2. Præterea . Philosophus dicit in IV. Metaphys. (tex. 24.) quod falsitas non est propria sensui , sed phantasie (2) .

3. Præterea . In incomplexis non est verum , nec falsum , sed solum in complexis . Sed componere , & dividere non pertinet ad sensum . Ergo in sensu non est falsitas .

Sed contra est quod dicit Augustinus in Lib. II. Soliloq. (cap. vi. in fin.) *Apparet nos*

demum falsarum opinionum vel loquitionum paulo infra , græce ponitur in Philosophi textu ἀχεπὶς τὸ προαιπέτειό τοῦ τοιότων λόγων id est saltem rationum , orationum , vel sermonum facile apprehensis & electivis ; quasi promptus ad ejusmodi rationes , orationes , loquitiones eligendas .

(2) Vc potius quod sensus non est falsus proprii , sed phantasie non est idem ; ut in solutione notabitur .

nos in omnibus profibas similitudine lenocinante (1) falli.

Respondeo dicendum, quod falsitas non est querenda in sensu, nisi sicut ibi est veritas. Veritas autem non sic sit in sensu, ut sensus cognoscat veritatem, sed in quantum veram apprehensionem habet de sensibiliis, ut supra dictum est (quest. xv. art. 2.) (2) Quod quidem contingit, eo quod apprehendit res ut sunt. Unde contingit falsitatem esse in sensu ex hoc quod apprehendit, vel judicat res aliter quam sunt.

Sic autem se habet ad congnoscendum res, in quantum similitudo rerum est in sensu. Similitudo autem alicujus rei est in sensu tripliciter. Uno modo primo, & per se; sicut in visu est similitudo colorum, & aliorum proprietatum sensibilium. Alio modo per se, sed non primo; sicut in visu est similitudo figuræ, vel magnitudinis, & aliorum communium sensibilium (*) omnium. Tercio modo nec primo, nec per se, sed per accidens; sicut in visu est similitudo hominis, non in quantum est homo, sed in quantum huic colorato accedit esse hominem.

Et circa propria sensibilia sensus non habet falsam cognitionem, nisi per accidens, & in paucioribus, ex eo scilicet quod propter indispositionem organi non convenienter recipit formam sensibilem, sicut & alia passiva propter suam indispositionem deficiente recipiunt impressionem agentium: & inde est quod propter corruptionem lingue infirmis dulcia amara esse videntur (3). De sensibilibus vero communibus, & per accidens potest esse falsum judicium etiam in sensu recte disposito: quia sensus non directe referuntur ad illa, (4) sed per accidens, vel ex consequenti, in quantum refertur ad alia.

Ad primum ergo dicendum, quod sensum affici est ipsum ejus sentire. Unde per hoc quod sensus ita nuntiant, sicut afficiuntur,

sequitur quod non decipiamur in iudicio, quo judicamus nos sentire aliquid; sed ex eo quod sensus aliter afficitur interdum quare res sit, sequitur quod nuntiet nobis aliquando rem aliter quam sit: & ex hoc fallimur per sensum circa rem, non circa ipsum sentire.

Ad secundum dicendum, quod falsitas dicitur non esse propria sensui, quia non decipiatur circa proprium objectum. Unde in alia translatione planius dicitur, quod *sensus proprii sensibilis falsus non est*. (5) Phantasie autem attribuitur falsitas, quia representant similitudinem rei etiam absentis. Unde quando aliquis convertitur ad similitudinem rei tamquam ad rem ipsam, provenit ex tali apprehensione falsitas: unde etiam Philosophus in V. Metaph. (text. 34.) dicit, quod umbræ, & picturæ, & somnia dicuntur falsa, in quantum non subsunt res quarum habent similitudinem.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit, quod falsitas non sit in sensu sicut in agnoscente verum, & falsum.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, Philosophum recte dicere, quod sensus non decipiatur circa proprium sensibile. *Metaph. tex. 24. & 2. de anima tex. 152.* & per rationem habes: quomodo intelligatur: ergo & per rationem ostende, quod Philosophus ibi jure voluit ab oppositis, quod sensus circa quzdam sensibilia decipiunt. Secundo ex responsione ad secundum, ibi: *Umbra, picture, & somnia dicuntur falsa, in quantum non subsunt res, quarum habent similitudinem*, habes: quomodo per rationem naturalem, quaz hic est authoritas illa *Philos. in 5. Metaph. tex. 34.* ostendas, merito dictum ab Apostolo 1. Cor. 8. *Idolum nihil est.* Nam quia idola sunt falsa, eo quod non subsunt est.

(1) Idest aliente quodammodo ac demulcente; per metaphoram a lenocibus usurpatam qui ad metricias voluptates ac delicias fallaciter incitantes. Habetur autem in legitimis Augustini Soliloquiis ubi supra lib. 2. cap. 6.

(2) Ubi ex hoc probatur sensus veritatem non cognoscere, quia conformitatem visionis & rei visa, sive sensationis & cuiuslibet rei sensu non cognoscit: vel comparationem qua sit inter ipsam rei visionem vel apprehensionem alio sensu, & id quod vel in illa videret vel quovis modo apprehendit.

(3) Ita plurimi edisti: in cod. Alcan. aliisque doct. omnibus.

(3) Vel planiori constructione, *infirmis amara esse videntur qua dulcie sunt.*

(4) Quis non videat sic legendum? non sicut prius in impressis, gothicis, manuscriptis, *referunt ad alia*: Nisi quod unum e manuscriptis bene primo posuit *forsus*, sed syllaba superaddita depravavit.

(5) Ex greca phrasí *αὐτὸς αἴσθητε οὐδὲ τοῦ ἔθιστον*, quae transferri aliter non debuit: Nec translatione vetera habet nisi quod *sensus proprii nos est falsus, & phantasia non est idem sensus*; ut apud S. Thomam lect. 18. videtur est.

est res , quarum habent similitudinem : & falsum , inquantum falsum , nihil est : ideo dixit Apostolus , quod idola gentium nihil sunt , seu falsa sunt . Nec obstat huic Psal . 113 . *Si- mulacra gentium argenum , & aurum :* quoniam Apostolus de idolis , ut idola sunt , loquitur , p̄al . autem de illis , ut materia quædam sunt , & idcirco utrumque verum est . Nam quantum ad materiam sunt aliquid , puta aurum , argenteum , lapis , opera manuum hominum : sed quantum ad repræsentationem , simulacrum enim , ut simulacrum , repræsentare debet aliquid , nihil sunt . Nec obstar , quod aliquid , puta Juppiter , Mercurius , &c. ut res quædam repræsentatur per hæc , vel illa simulacra gentilium : quoniam quamvis materialiter , ut objiciebatur , repræsentent aliquid : tamen formaliter , in quo sensu loquitur Apostolus , nihil repræsentant omnino . Formalitas enim repræsentationis idoli ex intentione adorantium sumenda est . Quia igitur adorantes idola intendebant adorare rem per idola repræsentatam , tamquam rem in veritate adorabilem : & res illa repræsentata non erat in veritate adorabilis : ideo formaliter nihil repræsentabant . Non enim Juppiter , qui materialiter repræsentatur per simulacrum suum , erat in veritate res adorabilis ; & consequenter non eo modo repræsentabatur , quo a paganis intendebatur . Cum enim honor sit præmium virtutis etiam secundum Philosophum , patet , quod Juppiter , & alii paganorum Dii non erant honorandi , multoque minus adorandi . Homines namque finaliter etiam fuerunt scelestissimi : quam veritatem testimonio quoque idololatrarum corroborata videre lubet . Suadebat Quintianus Tyrannus S. Agathæ , ut in vita ejus ab Ecclesia probata fertur , adorare Deos , quando beata respondit . *Sit uxor tua , ut Dea tua Venus , & tu , fiscus Deus tuus Juppiter .* Quo auditio , Quintianus virginem alapis cædi jussit dicens : *in injuriam judicis noli garris .* Cui mox inquit Agatha ; miror , te virum prudentem ad tantam stultitiam devolum , ut illos dicas Deos , quorum vitam nec tu , nec uxor tua velis immari . Stantibus tamen his , fascinabantur gentes a diabolo , ne voluntate bonum hoc , quod in intellectu præconceperant , seuerentur , & sic tandem

intellectu etiam justo Dei iudicio execrati idola ipsa pro Diis habebant , atque colebant . Verum , quoniam propter nostrum affirmare , vel negare nihil mutatur in re , propter eorum jam reprobum sensum non siebat , quod predicti homines per idola repræsentati essent digni honore . Consequenter itaque idola in veritate formaliter erant nihil propter rationem hic a Philosopho dictam , quia videlicet non superant res , quærum gerebant similitudinem . Per eamdem ergo rationem ab oppositis habes , quod nostræ sacræ imagines non sunt idola , sed aliquid & verum , & magnum , & adorabile : quoniam res ipsæ subsunt formaliter , idest modo illo , quo ab Ecclesia sancta nobis per imagines proponuntur , videlicet , ut adorabiles dulia , hyperdulia , vel latræ . Virtutibus enim decorati finaliter saltem fuerunt omnes , qui per venerandas imagines nobis in Ecclesia repræsentantur , & plus , vel minus , sicuti adorandi exhibentur . *Anathema sit ergo , inquit Concilium Nicenum secundum action. 7. qui ad sacras Christianorum imagines dicta in scripturis contra idola applicare voluerit .* Ex predictis ergo damnatur hæresis dicens : *imaginem Christi esse idolum .* Item ex dictis in *Compend. Alber. Mag. l. 5. c. 58. & 60. scbol. Tertio* videre licet : quomodo ex his omnibus bene applicatis , & consideratis vicepsim declarentur , atque confirmentur ea omnia , quæ in corpore articuli presentis conclusa sunt .

A R T I C U L U S III. 109

Utrum falsitas sit in intellectu .

Ver. quest. 1. art. 12. & I. dis. xix. quest. v. art. 17. & III. cont. cap. cviii. §. 4.

A D tertium sic proceditur . Videtur quod falsitas non sit in intellectu . Dicit enim Augustinus in Lib. lxxxiii . Qq. (quest. xxxii. in pr.) *Omnis qui fallitur , id quo fallitur , non intelligit .* Sed falsum dicitur esse in aliqua cognitione , secundum quod per eam fallimur . Ergo in intellectu non est falsitas .

2. Præterea , Philosophus dicit in III. de Anima (text. 51.) (1) quod intellectus semper

(1) *Vcl. cap. 10. Omnis intellectus est rectus , per oppositum ad appetitum qui rectus & non rectus ; ibidem . Sequens autem appendix colligitur ex text. 21. sive cap. 6. init. ubi dicitur e. conversio , quod*

in iis in quibus verum & falsum inveniuntur , id est compositione intellectuum (seu conceptuum , rationum) Sed in eundem sensum reddit .

per est rectus . Non ergo in intellectu est falsitas .

Sed contra est quod dicitur in III . de A - pima (tex . 21 . & 22 .) quod *ubi compositione intellectuum est , ibi verum , & falsum est* . Sed compositio intellectum est in intellectu . Ergo verum , & falsum est in intellectu .

Respondeo dicendum , quod sicut res habet esse per propriam formam , ita virtus cognoscitiva habet cognoscere per similitudinem rei cognitae . Unde sicut res naturalis non deficit ab esse , quod sibi competit secundum suam formam , potest autem deficere ab aliquibus accidentalibus , vel consequentibus ; sicut homo ab hoc quod est habere duos pedes , non autem ab hoc quod est esse hominem : ita virtus cognoscitiva non deficit in cognoscendo respectu illius rei cuius similitudine informatur ; potest autem deficere circa aliquid consequens ad ipsam ; vel accidens ei ; (1) sicut est dictum (art . præc .) quod visus non decipitur circa sensibile proprium , sed circa sensibilia communia , quæ consequenter se habent ad illud , & circa sensibilia per accidens . Sicut autem sensus informatur directe similitudine proprietatum sensibilium , ita intellectus informatur similitudine quidditatis rei . Unde circa quod quid est intellectus non decipitur , sicut neque sensus circa sensibilia propria . In componendo vero , vel dividendo potest decipi , dum attribuit rei , cuius quidditatem intelligit , aliquid quod eam non consequitur , vel quod ei opponitur . Sic enim se habet intellectus ad judicandum de hujusmodi , sicut sensus ad judicandum de sensibilibus communibus , vel per accidens .

Hac tamen differentia servata , quæ supra circa veritatem dicta est (quæst . XVI . art . 2 .) quod falsitas in intellectu esse potest , non solum quia cognitio intellectus falsa est , sed quia intellectus eam cognoscit , sicut & veritatem ; in sensu autem falsitas non est ut cognita , ut dictum est (art . præc .)

Quia vero falsitas intellectus per se solum

circa compositionem intellectus est , per accidens etiam in operatione intellectus , qua cognoscit quod quid est , potest esse falsitas , in quantum ibi compositio intellectus admiscetur (2) . Quod potest esse dupliciter . Uno modo secundum quod intellectus definitionem unius attribuit alteri , ut si definitio circuli attribuat homini : unde definitio unius rei est falsa de altera . Alio modo secundum quod partes definitionis componit ad invicem , quæ simul sociari non possunt : sic enim definitio non est solum falsa respectu aliquid rei , sed est falsa in se ; ut si formet talem definitionem , Animal rationale quadrupes , falsus est intellectus sic definendo , propterea quod falsus est in formando hanc compositionem . Aliquod animal rationale est quadrupes . Et propter hoc in cognoscendo quidditates simplices non potest esse intellectus falsus , sed vel est verus , vel totaliter nihil intelligit .

Ad primum ergo dicendum , quod quia quidditas rei est proprium objectum intellectus , propter hoc tunc proprie dicimus aliquid intelligere quando reducentes illud in quod quid est , sic de eo judicamus ; sicut accidit in demonstrationibus , in quibus non est falsitas . Et hoc modo intelligitur verbum Augustini (loco cit . in 1 . argum .) quod *omnis qui fallitur , non intelligit id in quo fallitur* (3) ; non autem ita quod in nulla operatione intellectus aliquis fallatur .

Ad secundum dicendum , quod intellectus semper est rectus , secundum quod intellectus est principiorum , circa quæ non decipitur ex eadem causa qua non decipitur circa quod quid est . Nam principia per se nota sunt illa quæ statim intellectis terminis cognoscuntur ex eo quod prædicatum ponitur in definitione subjecti ,

A P P E N D I X .

EX artic . habes primo : *quomodo per rationem demonstrares , Philosop . 3 . de anima , t . 51 . recte dixisse : Ubi compositione est intellectus*

(1) *Nempe circa colorem qui est proprium ejus objectum , quia quidquid videat , videt illud sui ratione colorati ; quoniam in hoc & illo colorato decipi possit , puta ut viride videat vel judicet quod caruncula & vesculum , propter faciem utriusque coloris transmutationem , si ad nocturnum lumen videantur , ut in promptu est experiri .*

(2) *Hinc ubi supra lib . 3 . de anima text . 26 . sive cap . 6 . prope fuerit : Non omnis intellectus verus est , sed qui versatur circa ipsum quod quid est ,*

in quantum hujusmodi , & non prout aliquid evanescat (affirmative vel negative) de aliquo : Id enim insinuat quod aliquando in quod quid est potest cadere compositio quedam , adeoque falsitas ; licet per se non possit , quia in indivisibilium intellectu non est falsum , ut præmittitur initio .

(3) *Sic etiam explicat S . Thomas in eum locum lect . 15 . ac ex oppositione intellectus cum appetitu & imaginatione quæ non recta semper sunt , implieat colligit potest .*

intellectuum, ibi verum, & falsum est. Secundum do habes: quomodo per rationem ejus dictum in vero sensu intelligas, intellectumque defendas. Tertio vides: quomodo, &c.

ARTICULUS IV. 110

Urum verum, & falsum sint contraria.

1. 2. quest. lxiv. art. 3. & I. dist. ix. quest. 5. artic. 1. & ver. quest. 1. artic. 10.

AD quantum sic proceditur. Videtur quod verum, & falsum non sint contraria. Verum enim, & falsum opponuntur, sicut quod est, & quod non est; nam *verum est id quod est*, ut dicit Augustinus (Lib. II. Solil. cap. v. in fine) Sed quod est, & quod non est, non opponuntur ut contraria. Ergo verum, & falsum non sunt contraria.

2. Præterea. Unum contrariorum non est in alio. Sed falsum est in vero: quia, sicut dicit Augustinus in Lib. II. Soliloq. (cap. x.) *Tragædus non esset falsus Hector, si non esset verus tragædus.* Ergo verum, & falsum non sunt contraria.

3. Præterea. In Deo non est contrarietas aliqua. *Nihil enim divine substantie est contrarium* (1), ut dicit Augustinus XII. de civit. Dei (cap. xi. circa fin.). Sed Deo opponitur falsitas: nam idolum in Scriptura mendacium nominatur Jerem. viii. 8. *Apprehenderunt mendacium: Glossa (Hieronym. in hunc locum)* „ (2). Idest idola. „ Ergo verum, & falsum non sunt contraria.

Sed contra est quod dicit Philosophus in II. Periher. (cap. ult.) ponit enim falsam opinionem veræ contrariam.

Respondeo dicendum, quod verum, & falsum opponuntur ut contraria, & non sicut affirmatio, & negatio, (3) ut quidam dixerunt.

Ad cuius evidentiam sciendum est, quod

Summ. S. Tb. T.I.

negatio neque ponit aliquid, neque determinat sibi aliquod subjectum: & propter hoc potest dici tam de ente, quam de non ente; sicut non videns, & non sedens. Privatio autem non ponit aliquid, sed determinat sibi subjectum: est enim *negatio in subiecto*, ut dicitur IV. Metaphyl. (tex. 4. & Lib. V. tex. 27.) cæcum enim non dicitur nisi de eo quod est natum videre. Contrarium vero & aliquid ponit, & subjectum determinat; nigrum (4) enim est aliqua species coloris. Falsum autem aliquid ponit: est enim falsum, ut dicit Philosophus IV. Metaphyl. (tex. 27.) ex eo quod dicitur, vel videretur aliquid esse quod non est, vel non esse quod est. Sicut enim verum ponit acceptiōnē adæquatam rei, ita falsum acceptiōnē rei non adæquatam. Unde manifestum est quod verum, & falsum sunt contraria.

Ad primum ergo dicendum, quod id quod est in rebus, est veritas rei; sed id quod est ut apprehensum, est verum intellectus, in quo primo est veritas. Unde & falsum est id quod non est, ut apprehensum. Apprehendere autem esse, & non esse, contrarietatem habet, sicut probat Philosophus in II. Periher. (cap. ult.) quod huic opinione, Bonum est bonum, contraria est, Bonum non est bonum.

Ad secundum dicendum, quod falsum non fundatur in vero sibi contrario, sicut nec malum in bono sibi contrario, sed in eo quod sibi subjicitur. Et hoc ideo in utroque accidit, quia verum, & bonum contraria sunt falso, & malo, & convertuntur cum ente. Unde sicut omnis privatio fundatur in subiecto, quod est ens, ita omne malum fundatur in aliquo bono, & omne falsum in aliquo vero.

Ad tertium dicendum, quod quia contraria, & opposita privativa nata sunt fieri circa idem, (5) ideo Deo, prout in se con-

Z

fide-

(1) Vel nulla essentia, ut in fine capituli videre est.

(2) Colligitur ex Hieronymo in eum locum, ubi & addit *prava quoque ac iustitia veritatisque contraria* per mendacium intelligi.

(3) Idest, non sicut contradictoria formaliter, quorum unum affirmat per se, aliud negat; ut esse & non esse: Alioqui virtualiter in quibuslibet oppositis contradictio includitur.

(4) Usurpando concretum pro abstracto, ut græci solent: Alioqui *nigredo* non autem *nigrum* species coloris est. Sicut & in Topicis lib. 2. cap. 2. color dicitur *genus sibi*, vel *album ipsum* pro albedine *luminum* species quedam coloris appellatur; Et sic

intelligendum quod in Predicamentis usurpatur (nec satis base intelligitur passim sed præpostero sensu detorquesur) *Album solum qualitatem significat*; id est albedo ipsa.

(5) Ut ex capite de oppositis jam notatum est supra; et si non absolute *cires idem*, sed *cires idem generis vel speciei* ibi deinceps explicetur: Potest nihilominus intelligi etiam *cires idem numero*, successiva non simili; Ideoque cum successio nulla nec mutatione esse in Deo poscit; nulla etiam esse contrarietas potest; Quamvis alio sensu Augustinus hoc dicat; nempe quod ejus essentia, quia est essentia summa, nulla essentia est contraria &c.

sideratur, non est aliquid contrarium neque ratione suz bonitatis, neque ratione suz veritatis, quia in intellectu ejus non potest esse falsitas aliqua; sed in apprehensione nostra habet aliquid contrarium, nam veræ opinioni de ipso contrariatur falsa opinio. Et sic idola mendacia dicuntur opposita veritati divinæ, inquantum falsa opinio de idolis contrariatur veræ opinioni de unitate Dei.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem ostendas, Philosophum recte locutum 2. *Periber. cap. ult.* dum saltam opinionem veræ contrariam dicit. Secundo vides: quomodo, &c.

QUÆSTIO DECIMA OCTAVA.

De vita Dei,

In quatuor articulos divisa.

Quoniam autem intelligere viventium est, post considerationem de scientia, & intellectu divino considerandum est de vita ipsius: & circa hoc queruntur quatuor. Primo, quorum sit vivere. Secundo, quid sit vita. Tertio, utrum vita Deo conveniat. Quarto, utrum omnia in Deo sint vita.

A R T I C U L U S I. III

Utrum omnium naturalium rerum sit vivere.

I. cons. cap. xcvi.

AD primum sic proceditur. Videtur quod omnium rerum naturalium sit vivere. Dicit enim Philosophus in VIII. Physicorum (tex. 1.) quod motus est ut vita quædam natura existentibus omnibus. Sed omnes res naturales participant motum. Ergo omnes res naturales participant vitam.

3. Præterea. Plantæ dicuntur vivere (1),

inquantum habent in se ipsis principium motus augmenti, & decrementi. Sed motus localis est perfectior, & prior secundum natum quam motus augmenti, & decrementi, ut probatur in VIII. Physicor. (tex. 55. & 57.) Cum igitur omnia corpora naturalia habeant aliquod principium motus localis, videtur quod omnia corpora naturalia vivant.

3. Præterea. Inter corpora naturalia imperfectiora sunt elementa. Sed eis attribuitur vita: dicuntur enim aquæ vivæ. Ergo multo magis alia corpora naturalia vitam habent.

Sed contra est quod dicit Dionysius vi. cap. de divin. Nom. (prope princ.) quod plantæ secundum ultimam resonantiam (2) vita habent vivere: ex quo potest accipi, quod ultimum gradum vitæ obtinent plantæ. Sed corpora inanimata sunt infra plantas. Ergo eorum non est vivere.

Respondeo dicendum, quod ex his quæ manifeste vivunt, accipere possumus, quorum sit vivere, & quorum non sit vivere. Vivere autem manifeste animalibus convenient. Dicitur enim in Libro de vegetabilibus (Aristot. in Lib. I. de plantis cap. 1. in princ.) (3) quod vita in animalibus manifesta est. Unde secundum illud oportet distinguere viventia a non viventibus, secundum quod animalia dicuntur vivere. Hoc autem est in quo primo manifestatur vita, & in quo ultimo remanet.

Primo autem dicimus animal vivere quando incipit ex se motum habere, & tandem judicatur animal vivere, quamdiu talis motus in eo appareat; quando vero jam ex se non habet aliquem motum, sed movetur tantum ab alio, tunc dicitur animal mortuum per defectum vitæ. Ex quo patet quod illa proprie sunt viventia quæ se ipsa secundum aliquam speciem motus movent; sive accipiatur motus proprie, sicut motus dicitur actus imparfecti, idest existentis in potentia; sive motus accipiatur communiter, prout motus dicitur actus perfecti, prout intelligere, & sentire dicitur moveri, ut dicitur in III. de Anima (tex. 28. & Lib. I. text. 118.)

(1) Licet earum vita non exprimatur in Genesi cap. 1. ubi tam accurate tamen tum in homine tum in animalibus quibuslibet exprimitur anima vivens; quia minus ad sensum patet vita plantæ.

(2) Ex greco *νατ' ὁσχετος ἀπίχημα*, quod Corderius vertit *ultimum gradum vita*; sed modernus alias minus convenienter, *ab extremitate spiritu vita*

wissem ducens: Dicitur autem per metaphoram ab extrema resonantia canthus vel vocis &c.

(3) Ubi sic Philosophus ait: *Vita & in animalibus & in plantis deprehensa est: In animalibus quidem patens & manifesta: In plantis vero abscondita & non apparet, (καρπωμένη ή σε εξαρτήσι) ut videre est tom. 2. post Ptolemaeum libros.*

118.) ut sic viventia dicantur quæcumque se agunt ad motum, vel operationem aliquam; ea vero in quorum natura non est ut se agant ad aliquem motum, vel operationem, viventia dici non possunt nisi per aliquam similitudinem (1).

Ad primum ergo dicendum, quod verbum illud Philosophi potest intelligi vel de motu primo, scilicet corporum cœlestium, vel de motu communiter: & utroque modo motus dicitur quasi vita corporum naturalium per similitudinem, & non per proprietatem. Nam motus cœli est in universo corporalium naturalium sicut motus cordis in animali quo conservatur vita. Similiter etiam quicunque motus naturalis hoc modo se habet ad res naturales ut quædam similitudo vitalis operationis. Unde si totum universum corporeale esset unum animal, ita quod iste motus esset a movente intrinseco, ut quidam posuerunt, sequeretur quod motus esset vita omnium naturalium corporum.

Ad secundum dicendum, quod corporibus gravibus, & levibus non competit moveri, nisi secundum quod sunt extra dispositionem suæ naturæ, utpote cum sunt extra locum proprium: cum enim sunt in loco proprio, & naturali, quiescent. Sed plantæ, & aliae res viventes moventur motu vitali, secundum hoc quod sunt in sua dispositione naturali, non autem in accedendo ad eam, vel in recedendo ab ea; immo secundum quod recessunt a tali motu, recessunt a naturali dispositione. Et præterea corpora gravia, & levia moventur a motore extrinseco, vel generante, qui dat formam, vel removente prohibens, ut dicitur in VIII. Physicor. (tex. 32.) & ita non movent se ipsa, sicut corpora viventia.

Ad tertium dicendum, quod aquæ vivæ dicuntur quæ habent continuum fluxum. Aquæ enim stantes, quæ non continuantur ad principium continuæ fluens, dicuntur mortuæ, ut aquæ cisternarum, & lacunarum. Et hoc dicitur per similitudinem: in quantum enim videntur se mouere, habent similitudi-

nem vitæ; sed tamen non est in eis vera ratio vitæ, quia hunc motum non habent a se ipsis, sed a causa generante eas, sicut accidit circa motum aliorum gravium, & levium.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, & bene dixisse Philosophum diversis locis de hac materia, & varia sua dicta de hoc concordare in vero sensu possis. Verbi gratia. De mineralibus, *in libro mineralium*, tractat tamquam de non viventibus, item de elementis, tamquam de hujusmodi, *in libris de generatione*. At de plantis, *in de vegetabilibus*, tamquam de viventibus. Secundo vides: quomodo ex his doctrina, &c.

ARTICULUS II. 112

Utrum vita sit quedam operatio.

1. 2. quest. III. art. 2. 3. & quest. lvi. art. 1.
2. & 2. 2. quest. xix. art. 7. cor. &
I. Mot. com. 5. in princ.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod vita sit quædam operatio. Nihil enim dividitur nisi per ea quæ sunt sui generis. Sed vivere dividitur per operationes quædam, ut patet per Philosophum in II. Lib. de Anima (tex. 13.) qui distinguit vivere per quatuor, scilicet alimento uti, sentire, moveri secundum locum, & intelligere. Ergo vita est operatio quædam.

2. Præterea. Vita activa dicitur alia esse a contemplativa. (2) Sed contemplativi ab activis non diversificantur nisi secundum operationes quædam. Ergo vita est quædam operatio.

3. Præterea. Cognoscere Deum est operatio quædam. Hæc autem est vita, ut patet per illud Joann. xvii. 3. *Hæc est autem vita eterna, ut cognoscant te solum verum Deum* (3). Ergo vita est operatio.

Z 2 Sed

(1) Contra errorem Campanella qui non omnibus tantum vitam sed sensum quoque convenire parvæ sententie scripti: Et ad suum errorem astringendum illis Ecclesiastici verbis abusus est cap. 42. vers. 24. *Quoniam desiderabili opera ejus! Omnia hoc vivunt &c.* Cum tamen similitudinarie tantum hæc dicantur, id est, *omnia videntur*, ut in Bibliis Tigurinis; vel propter modum intelligibilem quo in Deo sunt, ut in glossa Lyrani explicatur: *Nec Hieronymum dubitavit addere, quia dicit, Omnia sensibus crederem, in Matth. 8. super illud Vensi & mare abiunus ei: At ibi Hieronymus mox addit: Non erro-*

re hereticorum qui omnia putant animantia; sed magis statu conditoris quæ etiam insensibilita illi sensibilita sunt: Ubi sensus hominis, ubi fides; ut ad præcedentibus abutendum hæc sequentia suppresserit?

(2) Ut ex profecto in 2. 2. quest. 189. & sequentibus explicatur.

(3) Si præfertim intelligatur de beatis, ut paffini Augustinus explicat, quasi sensu formalis: Non si ad viatores referatur quasi causalí sensu, quia per illam cognitionem vitam eternam consequimur; Sic enim cognitione non formaliter significatur esse vita.

Sed contra est quod dicit Philosophus in II. de Anima (tex. 37.) *Vivere viventibus est esse.*

Respondeo dicendum , quod , sicut ex dictis patet (quæst. præced. art. 3.) intellectus noster , qui proprie est cognoscitivus quidditatis rei ut proprii objecti , accipit a sensu , cuius propria objecta (1) sunt accidentia exteriora . Et inde est quod ex his quæ exterius apparent de re , devenimus ad cognoscendam essentiam rei . Et quia sic nominamus aliquid , sicut cognoscimus illud , ut ex supradictis patet (quæst. xiiii. art. 1.) (2) inde est quod plerumque a proprietatibus exterioribus imponuntur nomina ad significandas essentias rerum . Unde hujusmodi nomina quandoque accipiuntur proprie pro ipsis essentiis rerum , ad quas significandas principaliter sunt imposita ; aliquando autem sumuntur pro proprietatibus , a quibus imponuntur ; & hoc minus proprie ; sicut patet quod hoc nomen *corpus* impositum est ad significandum quoddam genus substantiarum (3) ex eo quod in eis inveniuntur tres dimensiones : & ideo aliquando ponitur hoc noniens *corpus* ad significandas tres dimensiones , secundum quod *corpus* ponitur species quantitatis .

Sic ergo dicendum est & de vita . Nam vita nomen sumitur ex quodam exterius apparenti circa rem , quod est mouere se ipsum : non tamen est impositum hoc nomen ad hoc significandum , sed ad significandam substantiam , cui convenit secundum suam naturam mouere se ipsam , vel agere se quocumque modo ad operationem (4) . Et secundum hoc vivere nihil aliud est quam esse in tali natura , & *vita* significat hoc ipsum , sed in abstracto ; sicut hoc nomen *cursus* significat ipsum currere in abstracto . Unde vivum non est prædicatum accidentale , sed substantiale . Quandoque tamen *vita* sumitur

minus proprie pro operationibus vita , a quibus nomen vita assumitur , sicut dicit Philosophus IX. Ethicorum (cap. ix.) quod vivere principaliter est sentire , vel intelligere .

Ad primum ergo dicendum , quod Philosophus ibi accipit vivere pro operatione vita . Vel dicendum est melius , quod sentire , & intelligere , & hujusmodi quandoque sumuntur pro quibusdam operationibus , quandoque autem pro ipso esse sic operantium . Dicitur enim IX. Ethicorum (cap. cit.) quod vivere est sentire , vel intelligere , id est habere naturam ad sentiendum , vel intelligendum : & hoc modo distinguit Philosophus vivere per illa quatuor . Nam in istis inferioribus quatuor sunt genera viventium : quorum quædam habent naturam solum ad utendum alimento , & ad consequentia , quæ sunt augmentum , & generatio : quædam ulterius ad sentiendum : ut patet in animalibus immobilibus , sicut sunt ostrea : quædam vero cum his ulterius ad movendum se secundum locum , sicut animalia perfecta , ut quadrupedia , & volatilia , & hujusmodi : (5) quædam vero ulterius ad intelligendum , sicut homines .

Ad secundum dicendum , quod opera vita dicuntur quorum principia sunt in operantibus , ut se ipsis inducant in tales operationes . Contingit autem aliquorum operum inesse hominibus non solum principia naturalia , ut sunt potentiae naturales ; sed etiam quædam superaddita , ut sunt habitus inclinantes ad quædam operationum genera , quasi per modum naturæ , & facientes illas operationes esse delectabiles . Et ex hoc dicitur , quasi per quamdam similitudinem , quod illa operatio , quæ est homini delectabilis , & ad quam inclinatur , & in qua (*) converatur , & ordinat vitam suam ad ipsam , dicitur vita hominis : unde quidam dicuntur agere vitam .

(1) Quæ objecta per se , sed substantia per accidentia .

(2) Ubi ex eo concluditur quod in hac vita Deus a nobis nominari non possit .

(3) Praesertim si ex eo dicatus corpus quia corruptum perit ; ut lib. ii. Etymol. vel originum Isterius derivat ; cum id ad substantias tantum possit pertinere .

(4) Hinc Genef. i. vers. 21. *Creativis Deus omnem animam viventem aequa mortabilem* ; nempe quinto creationis die , ac deinceps ; ut Genef. i. videtur est : Cur autem non de plantis tertia die idem dixerit , jam superius notatum est , quia minus ad sensum evidenter apparuit vita vel motus plantæ : Unde Moy-

ses rudi populo qui non nisi sensibilia considerat , scilicet animalia que secundum aliquid imperfecta dicuntur , quia constant partibus annulosis quæ separant a se invicem adhuc vivunt ; sed habent motum tamen aliquem progressivum , rependo saltum , ut serpentes & vermes ; adeoque per comparationem ad ostrea quæ non moventur extra concham , perfecta dici possunt .

(5) Ita Edit. Rom. et Parv. ambo conservatur .

tam luxuriosam, quidam vitam honestam. Et per hunc modum vita contemplativa ab activa distinguitur; & per hunc etiam modum cognoscere Deum dicitur vita æterna.

Unde patet solutio ad tertium.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, philosophum 2. de anima tex. 37. recte dixisse, *vivere viventibus est esse*. Item lib. nono Ethicorum cap. 9. *Vivere est principaliter inter alias, scilicet operationes, sentire, & intelligere*. Secundo habes: quomodo ex ratione ipsis Animasticum dictum de vivere pro esse substantiali, Ethicale vero pro operatione intelligas, ac sic intellectum bene defendas. *Tertio* vides: quomodo, &c.

ARTICULUS III. 113

Utrum Deo conveniat vita.

I. cont. cap. xcvi. xcviij. xcix. & Lib. IV. cap. xiiij. fin. & Joann. xiv. lect. 2. con. 2. & XII. Met. lect. 6. con. 5. fin.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod Deo non conveniat vita. Vivere enim dicuntur aliqua, secundum quod movent se ipsa, ut dictum est (art. præc.) Sed Deo non competit moveri. Ergo neque vivere.

Præterea. In omnibus quæ vivunt, est accipere aliquod vivendi principium: unde dicitur in II. de Anima (tex. 36.) quod *anima est viventis corporis causa*, (1) & *principium*. Sed Deus non habet aliquod principium. Ergo sibi non competit vivere.

3. Præterea. Principium vitæ in rebus viventibus, quæ apud nos sunt, est anima

vegetabilis, quæ non est nisi in rebus corporalibus. Ergo rebus incorporalibus non competit vivere.

Sed contra est quod dicitur in Psalm. lxxxiii. 3. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum* (2).

Respondeo dicendum, quod vita maxime proprie in Deo est.

Ad cujus evidentiam considerandum est, quod cum vivere dicantur aliqua, secundum quod operantur ex se ipsis, & non quasi ab aliis mota, quanto perfectius competit hoc alicui, tanto perfectius in eo invenitur vita. In moventibus autem, & motis tria per ordinem inveniuntur. Nam primo finis movet agentem; agens vero principale est quod per suam formam agit; & hoc interdum agit per aliquod instrumentum, quod non agit ex virtute sua formæ, sed ex virtute principialis agentis; cui instrumento competit sola executio actionis. (*) Inveniuntur igitur quædam quæ movent se ipsa, non habito respectu ad formam, vel finem, quæ inest eis a natura, sed solum quantum ad executionem motus; sed forma, per quam agunt, & finis, propter quem agunt, determinantur eis a natura: & hujusmodi sunt plantæ, quæ secundum formam inditam eis a natura, movent se ipsas secundum augmentum, & decrementum. Quædam vero ulterius movent se ipsa, non solum habito respectu ad executionem motus, sed etiam quantum ad formam, quæ est principium motus, quam per se acquirunt: & hujusmodi sunt animalia, quorum motus principium est forma non a natura indita, sed per sensum accepta. Unde quanto perfectiorem sensum habent, tanto perfectius movent se ipsa. Nam ea quæ non habent nisi sensum tactus, (**) movent solum se ipsa motu dilatationis, & constrictions, ut ostrea, parum excedentia motum plantæ. Quæ vero habent virtutem sensitivam perfectam, non solum ad cognoscendum conjuncta, & tan-

(1) Et quidem tribus modis; *ut causa undans* (vel causa efficiens); *ut causa vel gratia* (idest finalis); *ut essentia*, idest causa formalis, &c.

(2) Sic & Psalm. 41. vers. 3. *Sisivit anima mea ad Dominum fortem, vivum* (*τοχευον ζῶτα*) non *fons vivum*, ut imperiti legunt; Dicitur autem *fortis, vivus*, ad idolotum distinctionem quæ infra sunt & mortua: Item 2. Machab. 15. vers. 4. *Eft Deus in celo vivus*. Matth. 16. vers. 16. *Tu es filius Dei vivi*: Matth. 26. vers. 63. *Adjuro te per Deum vivum*; 1. ad Timoth. 4. vers. 10. *Spera-*

mus in Deum vivum, &c. Hinc & a Paganis dictus est Ζεύς quod est vita, ut & vivere ipse intelligatur, & similiter vitam dare: Quamvis id ipsum præpostero sensu intellegenter, & fictio Jovi suo græce sic dicto tribuerent.

(*) *Ita omnes edidit: at cod. Alcan. sic.* Inveniuntur ergo quædam quæ movent se ipsa solum quantum ad executionem motus; sed forma per quam agunt &c. *intermediis omisssis*.

(**) *Edidit. Rom.* moventur solum infra se ipsa motu &c. *Nostram lectionem habens edidit* quicquid omisssis, & MS. Alcan.

gentia , sed etiam ad cognoscendum distan-
tia , movent se ipsa in remotum motu pro-
cessivo (1) .

Sed quamvis hujusmodi animalia formam ,
qua^r est principium motus , per sensum acci-
piant , non tamen per se ipsa præstituant si-
bi finem su^r operationis , vel sui motus ;
sed est eis inditus a natura , cuius instinctu
ad aliquid agendum moventur per formam
sensu apprehensam . Unde supra talia anima-
lia sunt illa qua^r movent se ipsa , etiam ha-
bito respectu ad finem , quem sibi præstiu-
unt . Quod quidem non fit nisi per ratio-
nem , & intellectum , cuius est cognoscere
proportionem finis , & ejus quod est ad fi-
nem , & unum ordinare in alterum .

Unde perfectior modus vivendi est eorum
qua^r habent intellectum : hæc enim perfe-
cti movent se ipsa : & hujus est signum ,
quod in uno & eodem homine virtus intel-
lectiva movet potentias sensitivas , & poten-
tia sensitivæ per suum imperium movent
organa , qua^r exequuntur motum . Sicut et-
iam in artibus videmus , quod ars ad quam
pertinet usus navis , scilicet ars gubernato-
ria , præcipit ei qua^r inducit formam navis ,
& hæc præcipit illi qua^r habet executionem
tantum in disponendo materiam . Sed quam-
vis intellectus noster ad aliqua se agat , ta-
men aliqua sunt ei præstituta a natura , si-
c ut sunt prima principia , circa qua^r non po-
test aliter se habere , & ultimus finis , quem
non potest non velle . Unde licet quantum
ad aliquid moveat se , tamen oportet quod
quantum ad aliqua ab alio moveatur .

Illud igitur cuius sua natura est ipsum ejus
intelligere , & cui id quod naturaliter habet ,
non determinatur ab alio , hoc est quod ob-
tinet summum gradum vitæ : tale autem est
Deus : unde in Deo maxime est vita . Unde
Philosophus in XII. Metaph. (text. 51.) (2)
ostenso quod Deus sit intelligens , conclu-
dit , quod habeat vitam perfectissimam , &
sempiternam , quia intellectus ejus est perfe-

ctissimus , & semper in actu .

Ad primum ergo dicendum , quod , sicut
dicitur in IX. Metaph. (tex. 16.) duplex
est actio : una qua^r transit in exteriorem
materiam , ut calefacere , & secare ; alia
qua^r manet in agente , ut intelligere , senti-
re , & velle : quarum hæc est differentia ,
quia prima actio non est perfectio agentis ,
quod movet , sed ipsis moti ; secunda au-
tem actio est perfectio agentis . Unde quia
motus est actus mobilis , secunda actio , in-
quantum est actus operantis , dicitur motus
ejus ex hac similitudine , quod sicut motus
est actus mobilis , ita hujusmodi actio est
actus agentis ; licet motus sit actus imper-
fecti , scilicet existentis in potentia : hujus-
modi autem actio est actus perfecti , id est
existentis in actu , ut dicitur in III. de
Anim. (tex. 28.) Hoc igitur modo quo
intelligere est motus , id quod se intelligit ,
dicitur se mouere : & per hunc modum et-
iam Plato posuit , quod Deus mouet se ipsum
(3) , non eo modo quo motus est actus im-
perfecti .

Ad secundum dicendum , quod sicut Deus
est ipsum suum esse , & suum intelligere ,
ita & suum vivere ; & propter hoc sic vivit ,
quod non habet vivendi principium .

Ad tertium dicendum , quod vita in istis
inferioribus recipitur in natura corruptibili ,
qua^r indiget & generatione ad conservatio-
nem speciei , & alimento ad conservationem
individui : & propter hoc in istis inferioribus
non invenitur vita sine anima vegetabili ,
sed hoc non habet locum in rebus incorru-
ptilibus .

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo : quomodo per ratio-
nem ostendas de Deo esse recte dictum
Matth. 16. Tu es Christus filius Dei vivi , &
I. Tim 4. speramus in Deum vivum , & psal.
83. Cor meum , & caro mea exultaverunt in
Deum

(1) Maxime vero illa que pennis vel pedibus
progressiuntur : Pennis volatilia , prout volatilia for-
maliter : Pedibus autem qua^r dicuntur quadrupedia ,
qua^r motum alium progressivum non habent : Licet
volatilia quoque pedibus ad progressum utantur cum
in terra subfundant : Addi posunt & pisces qui in
aqua se pennis movent , & ut loquitur facer textus
Psal. 8. parambulant semitas maris : Minus autem
perfecte vermes aut serpentes , ut supra notatum est ,
& apud Philosophum lib. de animalium incessu ex-
plicatur .

(2) Sive cap. 9. sicut jam prius indicatum , cum

de cognitione Dei ageretur : Appendix autem sequens
colligitur ex text. 16. five 9. cap. libri 9. vel cap.
8. græco-lat. post medium ; ubi proinde concluditur
quod ædificatio est in ædificato , non in eo qui ædi-
ficat ; & contrario autem visio in vidente , non in
re visa ; & sic de similibus .

(3) Jam notatum est ex Dialogo qui inscribitur
Phœnix ad art. 1. quæst. 9. ubi de immutabilitate
Dei quærebatur . Quod autem nullo alio modo mo-
veatur Deus ex Philosopho patet , ut cap. 7. libri
12. Metaph. videre eñ .

Deum vivum; & similia. Secundo habes: quomodo per rationem in sensu catholico intellegas hujusmodi loca, intellectaque defendas. *Tertio* vides: quomodo vicissim ex his firmiter conclusio.

ARTICULUS IV. 114

Utrum omnia sint vita in Deo.

I. contr. c. xiii. fin. & ver. quest. iv. artic. 8.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod non omnia sint vita in Deo: Dicitur enim Act. xvii. 28. *In ipso vivimus, movemur, & sumus.* Sed non omnia in Deo sunt motus. Ergo non omnia in ipso sunt vita.

3. Præterea, Omnia sunt in Deo sicut in primo exemplari. Cum igitur non omnia vivant in se ipsis, videtur quod non omnia in Deo sint vita.

3. Præterea. Sicut Augustinus dicit in Lib. de vera Religione (cap. xxix. circa med.) (1) substantia vivens est melior qualibet substantia non vivente. Si igitur ea quæ in se ipsis non vivunt, in Deo sunt vita, videtur quod verius sint res in Deo quam in se ipsis: quod tamen videtur esse falsum, cum in se ipsis sint in actu, in Deo vero in potentia.

4. Præterea. Sicut sciuntur a Deo bona, & ea quæ sunt secundum aliquod tempus, ita mala, & ea quæ Deus potest facere, sed numquam (2) sunt. Si ergo omnia sunt vita in Deo, in quantum sunt scita ab ipso, videtur quod etiam (3) mala, & quæ numquam sunt, sunt vita in Deo, in quantum sunt scita ab eo: quod videtur inconveniens.

Sed contra est quod dicitur Joan. i. 4.

Quod factum est, in ipso vita erat (2). Sed omnia præter Deum facta sunt. Ergo omnia in Deo sunt vita.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est (art. præc.) vivere Dei est ejus intelligere; in Deo autem est idem intellectus, & quod intelligitur, & ipsum intelligere ejus. Unde quidquid est in Deo ut intellectum, est ipsum vivere, vel vita ejus. Unde cum omnia quæ facta sunt a Deo, sunt in ipso ut intellecta, sequitur quod omnia in ipso sunt ipsa vita divina.

Ad primum ergo dicendum, quod creaturæ in Deo esse dicuntur duplicitate. Uno modo in quantum continentur, & conservant virtute divina; sicut dicimus, ea esse in nobis quæ sunt in nostra potestate: & sic creature dicuntur esse in Deo, etiam prout sunt in propriis naturis; & hoc modo intelligendum est verbum Apostoli dicentis: *In ipso vivimus, movemur, sumus*, quia etiam nostrum vivere, & nostrum esse, & nostrum moveri causantur a Deo. Alio modo dicuntur res esse in Deo sicut in cognoscente: & sic sunt in Deo per proprias rationes, quæ non sunt aliud in Deo ab essentia divina. Unde res prout sic in Deo sunt, sunt essentia divina. Et quia essentia divina est vita, non autem motus, inde est quod ex hoc modo loquendi in Deo non sunt motus, sed vita.

Ad secundum dicendum, quod exemplata oportet conformari exemplari secundum rationem formæ, non autem secundum modum essendi. Nam alterius modi esse habet forma quandoque in exemplari, & in exemplato: sicut forma domus in mente artificis habet esse immateriale, & intelligibile; in domo autem, quæ est extra animam, habet esse materiale, & sensibile. Unde & rationes rerum quæ in se ipsis non vivunt, in mente

(1) Sic enim ibi plenius quam hic: *Natura visalis quoniam vitam das corpori, proficiens sit eo successo est; Quilibet namque vita substantia cuiuslibet non vita substantia natura lege præponitur.*

(2) Al. sunt. (3) Ita Codd. Alcan. & Tarsac. cum plurimis edis. Al. mala quæ numquam sunt.

(2) Ut etiam distinguit Augustinus ex quo defumpit S. Thomas: pronuntia sic (Inquit) Quod factum est: Ac deinde infer. In illo vita est: Quid est hoc? Facta est terra; sed ipsa terra quæ facta est, non est vita; Est autem in ipso sapientia spirituatis ratio quedam quæ terra facta est: Hec est vita: Ergo quod factum est, in illo vita est: Affert autem exemplum arca quam facit faber & quam in

arte prius habet; Attendito arcem in arte (inquit) & arcam in opere: Arca in opere non est vita: Arca in arte vita est, quia vivit artificis anima ubi sunt omnia antequam proficiantur. Eadem quoque disputationem probat sed in alium paulo sensum interpretatur Origenes to. 3. in Joan. Ut & Cyrus in eundem: Etsi videtur magis literaliter disputatione quam sequutus est Chrysostomus: Nimirum, sine ipso factum est nihil quod factum est, sive nihil factibilium: ad excludendum Spiritum Sanctum quem heretici factum contendebant: Seorsim vero, *In ipso vita erat*, velut in fonte inexhausto qui quantumcumque in alios influat vitam, non minuitur; ut homil. 4. videtur est, & inde refert in Cat. aurea S. Thomas.

mente divina sunt vita, quia in mente divina habent esse divinum.

Ad tertium dicendum, quod si de ratione rerum naturalium non esset materia, sed tantum forma, omnibus modis veriori modo essent res naturales in mente divina per suas ideas quam in se ipsis: propter quod & Plato posuit, quod homo separatus erat verus homo, homo autem materialis est homo per participationem. Sed quia de ratione rerum naturalium est materia, dicendum, quod res naturales verius esse habent simpliciter in mente divina, quam in se ipsis, quia in mente divina habent esse increatum, in se ipsis autem esse creatum; sed esse hoc, utpote homo, vel equus, verius habent in propria natura quam in mente divina, quia ad veritatem hominis pertinet esse materiale, quod non habent (*) in mente divina: sicut domus nobilis esse habet in mente artificis quam in materia; sed tamen verius dicitur domus quæ est in materia, quam quæ est in mente, quia (**) illa est dominus in actu, hæc autem domus in potentia.

Ad quartum dicendum, quod licet mala sint in Dei scientia, inquantum sub Dei scientia comprehenduntur, non tamen sunt in Deo sicut creata a Deo, vel conservata ab ipso, neque sicut habentia rationem in Deo (1). Cognoscuntur enim a Deo per rationes bonorum. Unde non potest dici, quod mala sint vita in Deo. Ea vero quæ secundum nullum tempus sunt, possunt dici esse vita in Deo, secundum quod vivere nominat intelligere tantum, inquantum intelliguntur a Deo; non autem secundum quod vivere importat principium operationis.

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo: quomodo pet ratio nem demonstres, recte dictum a Joann. cap. 1. quod factum est, in ipso vita erat. Hoc est, omnia, quæ per ipsum facta sunt, in Deo sunt vita antonomastice dicta, idest vita divina, seu, quod dici solet a schola-

(*) *Al. habet.* (**) *Al. hæc, & infra illa.*

(1) Intelligendo de malis culpe tantum. Nam a Deo fieri mala poenæ planum est, juxta illud Amos 3. vers. 6. *Si erit malum in civitate quod non fecerit Dominus;* ut & infra qu. 49. art. 2. ex professo dicetur. Sed an utique mala culpæ videri possint positiva & positivam deformitatem vel malitiam beatitudinæ, quæ nec a Deo creata sunt, nec ab illo etiam conservata, nec in eodem rationem habeant,

sticis, omnia creata in Deo sunt creatrix essentia. Secundo consequenter habes: quomodo ex ratione rejicias erroneous sensum circa hoc Almarici, ut refert Cardinalis Turcremata, de Ecclesia lib. 4. cap. 35. dicentis, *sicut alterius nature non est Abraham, & alterius Isaac, sed unus, & ejusdem, sic omnia esse unum, & omnia esse Deum.* Alium enim sensum, damnabilemque in hoc suo dicto ipsum habuisse tamquam manifestum relinquit Papa Innoc. III. dum extra de suum. Trin. & fid. cathol. *Damnamus,* dicitur: *Reprobamus impissimum dogma impius Almarici;* cuius mentem sic pater mendacii execavit, ut ejus doctrina non tam heretica, quam insana sit censenda. Hæc ibi. Per ly dogma intellige universam ejus doctrinam, ut supra q. 15. art. 3. declaratum est in notatione ultima. *Tertio* vides: quomodo, &c.

Q U E S T I O D E C I M A N O N A .

De voluntate Dei,

In duodecim articulos divisa.

POst considerationem eorum quæ ad divisionem scientiam pertinent, considerandum est de his quæ pertinent ad voluntatem divinam; ut sit prima consideratio de ipsa Dei voluntate; secunda de his quæ ad voluntatem absolute pertinent; tertia de his quæ ad intellectum in ordine ad voluntatem pertinent.

Circa ipsam autem voluntatem queruntur duodecim.

Primo, utrum in Deo sit voluntas.

Secundo, utrum Deus velit alia a se.

Tertio, utrum quidquid Deus vult, ex necessitate velit.

Quarto, utrum voluntas Dei sit causa rerum.

Quinto, utrum voluntatis divinæ sit assignare aliquam causam.

Sexto, utrum voluntas divina semper implatur.

Septi-

ut hic inculcat S. Thomas? Et hujus tam absurdæ opinionis, tam ab illius mente alienæ, tam ab omnibus proscribendæ, putari possit author? Scilicet quæ aliquid entitativum, positivum, reale singulæ cuius author & causa Deus non sit; nec dici possit esse, nisi mali etiam vel peccati, prout malum est & peccatum, author & causa concedatur! Sed hæc plerius in Selectis.

Septimo , utrum voluntas Dei sit mutabilis .

Octavo , utrum voluntas Dei necessitatem rebus volitis imponat .

Nono , utrum in Deo sit voluntas malorum .

Decimo , utrum Deus habeat liberum arbitrium .

Undecimo , utrum sit distinguenda in Deo voluntas signi .

Duodecimo , utrum convenienter circa divinam voluntatem ponantur quinque signa .

A R T I C U L U S I . 115

Utrum in Deo sit voluntas .

III. P. quest. xviii. art. i. corp. & I. dist. xlvi.
art. 1. & I. cont. cap. lxxii. & lxxxiii. ad
2. & Lib. IV. cap. xix. & ver. quest. xxiii.
art. 1. & opus. c. II. cap. xxxii. & xxxiv.

AD primum sic proceditur . Videtur quod in Deo non sit voluntas . Objectum enim voluntatis est finis , & bonum . Sed Dei non est assignare aliquem finem . Ergo voluntas non est in Deo .

2. Præterea . Voluntas est appetitus quidam . Appetitus autem , cum sit rei non habitæ , imperfectionem designat , quæ Deo non competit . Ergo voluntas non est in Deo .

3. Præterea . Secundum Philosophum in III. de Anima (tex. 54.) voluntas est movens motum . Sed Deus est primum movens immobile , ut probatur VIII. Physic. (tex. 49.) Ergo in Deo non est voluntas .

Sed contra est quod dicit Apostolus Rom. xii. 3. *Ut probetis , quæ sit voluntas Dei* (1) .

Respondeo dicendum , in Deo voluntatem esse , sicut & in eo est intellectus : voluntas enim intellectum consequitur .

“ Sicut enim res naturalis habet esse in actu per suam formam , ita intellectus (*) est intelligens actu per suam formam intelligibilem . Quilibet autem res ad suam formam

Summ. S.Tb. T.I.

naturalem hanc habet habitudinem , ut quando non habet ipsam , tendat in eam , & quando habet ipsam , quiescat in ea : & idem est de qualibet perfectione naturali , quod est bonum naturæ . Et hæc habitudo ad bonum in rebus carentibus cognitione vocatur appetitus naturalis (2) . Unde & natura intellectualis ad bonum apprehensum per formam intelligibilem similem habitudinem habet , ut scilicet cum habet ipsum , quiescat in illo ; cum vero non habet , querat ipsum : & utrumque pertinet ad voluntatem . Unde in quolibet habente intellectum est voluntas , sicut in quolibet habente sensum est appetitus animalis .

Et sic oportet in Deo esse voluntatem , cum sit in eo intellectus : & sicut suum intelligere est suum esse , ita suum velle .

Ad primum ergo dicendum , quod licet nihil aliud a Deo sit finis Dei , (3) tamen ipsem est finis respectu omnium quæ ab eo fiunt , & hoc per suam essentiam , cum per suam essentiam sit bonus , ut supra ostendum est (quest. vi. art. 3.) Finis enīma habet rationem boni .

Ad secundum dicendum , quod voluntas in nobis pertinet ad appetitivam partem ; quæ licet ab appetendo nominetur (4) , non tamen solum habet actum , ut appetat quæ non habet ; sed etiam ut amet quod habet , & delectetur in illo : & quantum ad hoc voluntas in Deo ponitur , quæ semper habet bonum , quod est ejus objectum , cum sit indifferens ab eo secundum essentiam , ut dictum est (in corp. art.)

Ad tertium dicendum , quod voluntas , cuius objectum principale est bonum , quod est (**) extra volentem , oportet quod sit mota ab alio ; sed objectum divinæ voluntatis est bonitas sua , quæ est ejus essentia : unde cum voluntas Dei sit ejus essentia , non moveretur ab alio a se , sed a se tantum , eo modo loquendi quo intelligere , & velle dicitur motus . Et secundum hoc Plato dixit , quod primum movens movet se ipsum .

A a

A P-

(1) Scilicet bona & beneficentia & perfecta ut ibidem additur verf. 2. *Bona* , prout bonum honestum vult nos velle : *Beneficentia* , prout illud quod vult nos velle , bene dispositio delectabile ac jucundum est : *Perfecta* prout fini ultimo nos conjungit ; ut explicat in eum locum S. Thomas .

(*) *Ali. omittitur est.*

(2) Prout ab appetitu animali vel sensitivo , & rationali five intellectivo distinguitur , quasi certum aliquod effe a natura determinatum non exce-

dens ; ut ex professo infra quest. 80. art. 1.

(3) Idest , nulla res extra Deum sit finis Dei &c.

(4) Quia res nominantur ab eo potissimum ex quo alia consequuntur ; sicut ex appetitu rei nondum habitæ consequitur ejusdem amor quando jam habita est ; & hiac etiam delectatio propter ipsam habitam , five complacentia &c.

(**) *Ita cod. Alcan. Editi omnes quos vidimus extra voluntatem.*

APPENDIX.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito ponit voluntatem in Deo a scripturis sanctis Rom. 12. *Ut probetis, que sit voluntas Dei bona.* Psal. 113. *omnia, quicumque voluit, fecit.* Ezech. 18. *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit dominus, & non magis, ut converteratur, & vivat?* Psalm. 17. *salvum me fecit, quoniam voluit me.* Hest. 13. *Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit resistere voluntati tue.* Secundo habes: quomodo hæc, similiaque dicta in catholicō sensu intelligas, & sic intellecta defendas. Tertio vides: quomodo vicissim ex his, &c.

ARTICULUS II. 116

Utrum Deus velit alia a se.

I. dist. xlvi. art. 2. & I. cont. cap. lxxiv. lxxv. & lxxxiv. & ver. quest. xxiii. art. 4.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod Deus non velit alia a se. Velle enim divinum est ejus esse. Sed Deus non est aliud a se. Ergo non vult aliud a se.

2. Præterea. Volitum movet volentem, sicut appetibile appetitum, ut dicitur in III. de Anima (tex. 54.) Si igitur Deus velit aliquid aliud a se, movebitur ejus voluntas ab aliquo alio: quod est impossibile.

3. Præterea. Cuicunque voluntati sufficit aliquid volitum, nihil querit extra illud. Sed Deo sufficit sua bonitas (1), & voluntas ejus ex ea satiatur. Ergo Deus non vult aliquid aliud a se.

4. Præterea. Actus voluntatis multiplicatur secundum volita. Si igitur Deus velit se, & alia a se, sequitur quod actus voluntatis ejus sit multiplex, & per consequentem

eius esse, quod est ejus velle. Hoc autem est impossibile. Non ergo vult alia a se.

Sed contra est quod Apostolus dicit I. Thess. iv. 3. *Hec est voluntas Dei, sanctificatio vestra.*

Respondeo dicendum, quod Deus non solum se vult, sed etiam alia a se; quod apparet a simili prius introducto. Res enim naturalis non solum habet naturalem inclinationem respectu proprii boni, ut acquirat ipsum, cum non habet, vel ut quiescat in illo, cum habet; sed etiam ut proprium bonum in alia diffundat, secundam quod possibile est. Unde videmus quod omne agens, in quantum est actu, & perfectum, facit sibi simile. Unde & hoc pertinet ad rationem (*) voluntatis ut bonum quod quis habet, aliis communicet, secundum quod possibile est (2). Et hoc præcipue pertinet (**) ad voluntatem divinam, a qua per quamdam similitudinem derivatur omnis perfectio. Unde si res naturales, in quantum perfectæ sunt, suum bonum aliis communicant, multo magis pertinet ad voluntatem divinam ut bonum suum aliis per similitudinem communicet, secundum quod possibile est. Sic igitur vult & se esse, & alia; sed se ut finem, alia vero ut ad finem, in quantum concedet divinam bonitatem, etiam alia ipsam participare.

Ad primum ergo dicendum, quod licet divinum velle sit ejus esse secundum rem, tamen differt ratione secundum diversum modum intelligendi, & significandi, ut ex superioribus patet (quest. xiii. art. 4.) Is hoc enim quod dico, Deum esse, non importatur habitudo ad aliquid, sicut in hoc quod dico, Deum velle. Et ideo licet non sit aliquid aliud a se, vult tamen aliquid aliud a se.

Ad secundum dicendum, quod in his quæ volumus propter finem, tota ratio (***) voluntatis est finis; & hoc est quod movet voluntatem. Et hoc maxime apparet in his

que

(1) Proinde unum ex nominibus Dei celeberrimus quæ decem passim apud Hebreos erant, est *Saddai* quod idem sonat ac *sibi ipsi sufficiens*: Etsi sufficiens ad omnia quæ velit perpetranda interpretatur Hieronymus epist. 136. ad Marellam, eodem sensu quo Symmachus *aliquæ vel robustæ*: Sed latiore sensu extendi potest ut sufficere sibi omnibus modis intelligatur, ac in seipso vel in proprio bone solo sufficienter delectari. Quid quod etiam Philosophus lib. 7. Moralius Eudemiorum cap. 12. id agnovit.

(2) *Al. bonitatis.*

(3) Colligitur ex lib. de div. nominib. cap. 4.

ubi Dionysius ait quod quia Deus essentiale bonum est (σύνθετος) etiam in omnia entia bonitatem suam porrigit; & quod sicut Sol non deliberans nec præligeret omnia illuminat, sic ipsum bonum quod ita Soli præexcelit ut archetypum (sive primitivum exemplar) imaginis, existentia ipsa sua omnibus quæ sunt sive radios bonitatis effundit: Etsi non est similitudo in eo quod Sol non præligerat; nisi ad sola saltem generalis beneficia referatur, quæ quibuslibet indiferenter confert; ut art. 4. paulo infra plenius.

(**) *Al. ad bonitatem.*

(***) *Al. movendi.*

A R T I C U L U S III. 117

Utrum quidquid Deus vult, ex necessitate velit.

I. *diss. xlviij. quest. ii. per tot. & diss. xvii.*
art. 1. & I. cons. cap. lxxx. lxxxij. lxxxii.
lxxxiii. & lxxxix. fin. & Lib. II. cap.
xxv. & xxvii. fin. & Lib. III. cap. xcviij.
& verit. quest. xxxiiij. art. 4. & pot. quest.
III. art. 15.

que volumus tantum propter finem. Qui enim vult sumere potionem amaram, nihil in ea vult nisi sanitatem: & hoc solum est quod movet ejus voluntatem. Secus autem est in eo qui sumit potionem dulcem, quam non solum propter sanitatem, sed etiam propter se aliquis velle potest. Unde cum Deus alia a se non velit nisi propter finem, qui est sua bonitas, ut dictum est (art. præc.) non sequitur quod aliud aliud moveat voluntatem ejus nisi bonitas sua: & sic sicut alia a se intelligit intelligendo essentiam suam, ita alia a se vult volendo bonitatem suam.

Ad tertium dicendum, quod ex hoc quod voluntati divina sufficit sua bonitas, non sequitur quod nihil aliud velit, sed quod nihil aliud vult nisi ratione sua bonitatis (1). Sicut etiam intellectus divinus, licet sit perfectus ex hoc ipso quod essentiam divinam cognoscit, tamen in ea cognoscit alia.

Ad quartum dicendum, quod sicut intelligere divinum est unum, quia multa non videt nisi in uno; ita velle divinum est unum, & simplex: quia multa non vult nisi per unum, quod est bonitas sua.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte dictum a scriptoris, quod Deus velit alia a se, puta Sap. 11. *Quomodo aliud permaneret, nisi tu voluntas?* 1. Thef. 4. *Hec est voluntas Dei sanctificatio vestra.* Secundo habes: quomodo per rationem potes hunc earum sensum catholicum defensare. Tertio vides, quomodo, &c.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod quidquid Deus vult, ex necessitate velit. Omne enim æternum est necessarium. Sed quidquid Deus vult, ab æterno vult; alias voluntas ejus est mutabilis. Ergo quidquid vult, ex necessitate vult.

2. Præterea. Deus vult alia a se, in quantum vult bonitatem suam. Sed Deus bonitatem suam ex necessitate vult. Ergo alia a se ex necessitate vult.

3. Præterea. Quidquid est Deo naturale, est necessarium: quia Deus est per se necesse esse, & principium omnis necessitatis, ut supra ostensum est (quest. ii. art. 3. in corp.) Sed naturale est ei velle quidquid vult: quia in Deo nihil potest esse præter naturam, ut dicitur in V. Metaph. (tex. 6.) (2) Ergo quidquid vult, ex necessitate vult.

4. Præterea. Non necesse esse, & possibile non esse æquipollent. Si igitur non necesse est Deum velle aliud eorumque vult, possibile est etiam eum non velle illud, & possibile est eum velle illud quod non vult. Ergo voluntas divina est contingens ad utrumlibet, & sic imperfecta: quia omne contingens est imperfectum, & mutabile.

5. Præterea. Ab eo quod est ad utrumlibet, non sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio inclinetur ad unum, ut dicit Commentator in II. Physic. (text. 48.) Si ergo voluntas Dei in aliquibus se habet ad utrumlibet, sequitur quod ab aliquo alio determinetur ad effectum, & sic habet aliquam causam priorem.

6. Præterea. Quidquid Deus scit, ex necessitate velit.

A a 2

(1) Quia non propter suam indigentiam sed aliorum, ut Philosophus ubi supra & in lib. 2. magnorum Moralium c. 13. insinuat, per oppositum ad nos qui qualescumque sumus, indigemus amicis ad coniunctionem.

(2) Non præcise de Deo vel sub nomine Dei, sed sic: *Necessarium est quod simplex est: Nec enim*

non potest multipliciter se habere: Quapropter nec aliter & aliter: Si aliqua igitur perpetua & immobilia sunt nihil in eis violentum aut præter naturam est; ut habetur expresse text. 6. fine cap. 5. circa finem: Quid porr̄ magis perpetuum vel immobile quam Deus ipse?

cessitate scit. Sed sicut scientia divina est ejus essentia, ita voluntas divina. Ergo quidquid Deus vult, ex necessitate vult.

Sed contra est quod dicit Apostolus Eph. I. 11. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue.* Quod autem operamur ex consilio voluntatis, non ex necessitate volumus (1). Non ergo quidquid Deus vult, ex necessitate vult.

Respondeo dicendum, quod necessarium dicitur aliquid duplicitate, scilicet absolute, & ex suppositione. Necessarium absolute iudicatur aliquid ex habitudine terminorum, utpote quia praedicatum est in definitione subjecti, sicut necessarium est hominem esse animal; vel quia subjectum est de ratione praedicati, sicut hoc est necessarium, numerum esse parem, vel imparem. Sic autem non est necessarium Socratem sedere. Unde non est necessarium absolute, sed potest dici necessarium ex suppositione: supposito enim quod sedeat, necesse est eum sedere, dum sedet.

Circa divina igitur volita hoc considerandum est, quod aliquid Deum velle est necessarium absolute; non tamen hoc est verum de omnibus quae vult. Voluntas enim divina necessariam habitudinem habet ad bonitatem suam, quae est proprium ejus objectum. Unde bonitatem suam esse Deus ex necessitate vult, sicut & voluntas nostra ex necessitate vult beatitudinem (2); sicut & qualibet alia potentia necessariam habitudinem habet ad proprium & principale objectum, ut visus ad colorem, quia de sui ratione est ut in illud tendat. Alia autem a se Deus vult, inquantum ordinantur ad suam bonitatem ut in finem. Ea autem quae sunt ad finem, non ex necessitate volumus volentes finem, nisi sint talia sine quibus finis esse non potest; sicut volumus cibum, volentes conservationem vitæ; & navem, vo-

lentes transfrerare. Non sic autem ex necessitate volumus ea sine quibus finis esse potest, sicut equum ad ambulandum, quia sine hoc possumus ire: & eadem ratio est in aliis. Unde cum bonitas Dei sit perfecta, & esse possit sine aliis, cum nihil ei perfectionis ex aliis accrescat (3), sequitur quod alia a se eum velle non sit necessarium absolute, & tamen necessarium est ex suppositione. Supposito enim quod velit, non potest non velle, quia non potest voluntas eius mutari.

Ad primum ergo dicendum, quod ex hoc quod Deus vult ab æterno quidquid vult, non sequitur quod necesse est eum illud velle, nisi ex suppositione.

Ad secundum dicendum, quod licet Deus ex necessitate velit bonitatem suam, non tamen ex necessitate vult ea quae vult propter bonitatem suam, quia bonitas ejus potest esse sine aliis.

Ad tertium dicendum, quod non est naturale Deo velle aliquid aliorum quae ex necessitate vult; neque tamen innaturale, aut contra naturam, sed est voluntarium (4).

Ad quartum dicendum, quod aliquando aliqua causa necessaria habet non necessariam habitudinem ad aliquem effectum, quod est propter defectum effectus, & non propter defectum causæ. Sicut virtus Solis habet non necessariam habitudinem ad aliquid eorum quae contingenter hic eveniunt, non propter defectum virtutis solaris, sed propter defectum effectus non necessario ex causa provenientis. Et similiter quod Deus non ex necessitate velit aliquid eorum quae vult, non accedit ex defectu voluntatis divinæ, sed ex defectu qui competit volito secundum suam rationem, quia scilicet est tale ut sine eo esse possit perfecta bonitas Dei. Qui quidem defectus consequitur omne bonum creatum (5).

Ad

(1) De iis quippe quae aliter evenire non possunt, adeoque necessario sunt, nemo consultat, ut ex lib. 3. Ethicorum cap. 5. & lib. 6. cap. 8. colligatur; quia scilicet consilium est velut quedam inquisitio quae in eventus necessarios nullo modo cadere potest; ut ibidem habetur in sequentibus capitibus: Etsi proprie consilium in Deo non est ex ea parte qua inquisitionem importat, sed qua exclusionem necessitatis &c.

(2) In communi consideratam, ut est beatitudo tantum qualicumque sit, quia nemo vult esse miser; non in particulari ut est vera beatitudo in Dei visione consistens &c.

(3) Hinc David Psal. 15. vers. 1. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non egis:* Quod sic explicat ibi Augustinus: *Quoniam bonus meis non expectas friri beatus.* Ut & Theodoretus: *Quodlibet bonus quis efficiat, ipse juvatur (vel proficit, conservatur) sibi vero nullum hinc lucrum &c.*

(4) Non enim naturale innaturali tantum opponitur, vel ei quod est contra naturam, sed etiam voluntario; quia id quod est naturale, necessitatem quandam infert; voluntarium autem, si perfectum est, eam prorsus excludit, ut postea suo loco dicetur.

(5) Inquantum omne bonum creatum, sicut incepit

Ad quintum dicendum, quod causa quæ est ex se contingens, oportet ut determinetur ab aliquo exteriori ad effectum; sed voluntas divina, quæ ex se necessitatem habet, determinat se ipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam.

Ad sextum dicendum, quod sicut divinum esse in se est necessarium, ita & divinum velle, & divinum scire; sed divinum scire habet necessitatem habitudinem ad scita, non autem divinum velle ad volita: quod ideo est, quia scientia habetur de rebus, secundum quod sunt in scientie; voluntas autem comparatur ad res, secundum quod sunt in se ipsis. Quia igitur omnia alia habent necessarium esse, secundum quod sunt in Deo, non autem secundum quod sunt in se ipsis, habent necessitatem absolutam, ita quod sint per se ipsa necessaria: propter hoc Deus quæcumque scit, ex necessitate scit; non autem quæcumque vult, ex necessitate vult.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo; quomodo per rationem interimas hæresim Arnaldistarum dicentium, Deum agere ex necessitate naturæ. In idem enim reddit, Deum ex necessitate velle alia a se, & Deum agere ex necessitate naturæ, si tamen a dicentibus sic ponatur, quod Deus agat per intellectum, & voluntatem. Nam agere ex necessitate naturæ potest intelligi *dupliciter*, *uno modo*, quod non concurrat per se intellectus, & voluntas ad actionem illam, ut sol emittit radios; *alio modo*, quod concurrent illæ potentiaz, ut naturæ quædam sunt; sic producuntur in divinis personæ. Si Arnaldistæ primum sensum in positione sua habent, sic in qu. 15. art. 1. adducti sunt, & confutati; si autem sensum secundum, sic nunc adducuntur, & contra illos sistitur articulus. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, illa m hæresim merito fuisse damnatam Eph. 1. *Qui Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis sue*. Ecce, de mente Apostoli productio creaturarum quarumcumque est per consilium voluntatis Dei, id est per voluntate-

tem suam ad utrumlibet se habentem. Nonnihil autem consilii utitur in hoc Apostolus, pro quanto consilium sit de his, quæ possunt sic, vel aliter fieri, & non de his, quæ ex necessitate eveniunt. Per hoc ergo insinuat, quod creatura a voluntate Dei, non de necessitate processit. Item aliunde damnantur Arnaldistæ. Vide qu. 14. art. 8. appendicem. Terrio vides: quomodo, &c.

A R T I C U L U S IV. 118

Utrum voluntas Dei sit causa rerum.

I. *diss. xlvi. art. 3.* & *III. cont. cap. xcviij. & IV. cap. x. princ.* & *pot. quæst. III. art. 15.*
& *Pf. l. cont. 2.* & *Jo. v. lett. 3.*

AD quartum sic proceditur. Videtur quod voluntas Dei non sit causa rerum. Dicit enim Dionysius cap. iv. de divinis Nomibus (circa princ. lect. 1.) *Sicut noster Sol non ratiocinans, aut prælicens, sed per ipsum esse illuminat omnia participare lumen ipsius valentia; ita & bonum divinum per ipsam essentiam omnibus existentibus immittit bonitatis divine radios*. Sed omne quod agit per voluntatem, agit ut ratiocinans, & prælicens. Ergo Deus non agit per voluntatem, ergo voluntas Dei non est causa rerum.

2. Præterea. Id quod est per essentiam, est primum in quolibet ordine (1); sicut in ordine ignitorum est primum quod est ignis per essentiam. Sed Deus est primum agens. Ergo est agens per essentiam suam, quæ est natura ejus. Agit igitur per naturam, & non per voluntatem: voluntas igitur divina non est causa rerum.

3. Præterea. Quidquid est causa alicujus per hoc quod est tale, est causa per naturam, & non per voluntatem: ignis enim causa est calefactionis, quia est calidus; sed artifex est causa domus, quia vult eam facere. Sed Augustinus dicit in I. de doctrina christiana (cap. xxxi. in fin.) quod *quia Deus bonus est, sumus*. Ergo Deus per suam naturam est causa rerum, & non per voluntatem.

4. Præ-

(1) Juxta id quod a. Metaph. cap. i. prope finem insinuat, *Urumquaque id esse possimum*, secundum quod *alii univocatio inest*; *sicut calidissimus est ignis*, *quaer ceteris causa ut calida sint*: Hinc axioma illud, *Primum in unoquoque genere est causa ceterorum*.

cepit esse aliquando, sic desinere potest & non esse; sive per intrinsecam sui conditionem, quia est ex natura corruptibile; sive per extrinsecam potentiam, quæ est mutabile per eamdem virtutem per quam productum fuit: Immutabilis autem & eternus est Deus qui non esse numquam potuit, & desinere numquam potest: Unde sine omni bono creato potest esse.

4. Præterea. Unius rei una est causa. Sed rerum creatorum est causa scientia Dei, ut supra dictum est (quæst. xiv. art. 8.) Ergo voluntas Dei non debet poni causa rerum.

Sed contra est quod dicitur Sap. 11. 26. *Quomodo posset aliquid permanere (1), nisi tu voluisses?*

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, voluntatem Dei esse causam rerum, & Deum agere per voluntatem, non per necessitatem naturæ, ut quidani existimaverunt. Quod quidem apparere potest tripli-citer.

Primo quidem ex ipso ordine causarum agentium. Cum enim propter finem agat intellectus, & natura, ut probatur in II. Physicorum (tex. 49.) necesse est ut agenti per naturam prædeterminetur finis, & media necessaria ad finem ab aliquo superiori intellectu; sicut sagittæ prædeterminantur finis, & certus (2) motus a sagittante (2). Unde necesse est quod agens per intellectum, & voluntatem sit prius agente per naturam. Unde cum primum in ordine agentium sit Deus, necesse est quod per intellectum, & voluntatem agat.

Secundo ex ratione naturalis agentis, ad quod pertinet ut unum effectum producat: quia natura uno & eodem modo operatur, nisi impediatur; & hoc ideo quia, secundum quod est tale, agit: unde quamdiu est tale, non facit nisi tale: omne enim agens per naturam habet esse determinatum. Cum igitur esse divinum non sit determinatum, sed contineat in se totam perfectionem effendi, non potest esse quod agat per necessitatem naturæ, nisi forte cauferet aliquid indeterminatum, & infinitum in essendo: quod est impossibile, ut ex superioribus patet (quæst. viii. art. 2.) Non igitur agit per necessitatem naturæ, sed effectus determinati-

ab infinita ipsius perfectione procedunt secundum determinationem voluntatis, & intellectus ipsius.

Tertio ex habitudine effectuum ad causam. Secundum hoc enim effectus procedunt a causa agente, secundum quod præexistunt in ea: quia omne agens agit sibi simile (3). Præexistunt autem effectus in causa secundum modum causæ. Unde cum esse divinum sit ipsum ejus intelligere, præexistunt in eo effectus ejus secundum modum intelligibilem, & per modum intelligibilem procedunt ab eo, & sic per consequens per modum voluntatis. Nam inclinatio ejus ad agendum quod intellectu conceptum est, pertinet ad voluntatem. Voluntas igitur Dei est causa rerum.

Ad primum ergo dicendum, quod Dionysius per verba illa non intendit excludere electionem a Deo simpliciter, sed secundum quid, in quantum scilicet non quibusdam solum bonitatem suam communicat, sed omnibus prout scilicet electio discretionem quamdam importat (4).

Ad secundum dicendum, quod quia essentia Dei est ejus intelligere, & velle, ex hoc ipso quod per essentiam suam agit, sequitur quod agat per modum intellectus, & voluntatis.

Ad tertium dicendum, quod bonum est objectum voluntatis. Pro tanto ergo dicitur, *Quia Deus bonus est, sumus*, in quantum sua bonitas est ei ratio volendi omnia alia, ut supra dictum est (art. 2. in solut. ad 2. præcipue.)

Ad quartum dicendum, quod unius & ejusdem effectus etiam in nobis est causa (**) scientia ut dirigen, qua concipitur forma operis; & voluntas ut imperans: quia forma, ut est in intellectu tantum, non determinatur ad hoc quod sit, vel non sit in effectu,

(1) *Vel quomodo maneret?* ut habet græcus textus: *Eadem autem est ratio ut sit causa permanentiae rerum, & earum productionis primæ, nec potest dici causa ut permaneat, nisi etiam causa ut sit:* Unde ibidem præmittitur: *Negre enim edens (id est nolens) aliquid confitienti &c.*

(*) *Ali. modus.*

(2) Quam obtuse putatur *prædeterminationis* nomine pro physice præmotione hic & similibus aliis locis usurpari cum significet solam destinationem five directionem ex propria intentione S. Thome: Quantumcumque verum sit aliunde rem ipsam quam a nobis prædeterminationis vel physice præmotionis nomine designatur, agnoscit evidenter ab illo & doceri; ut ex professo in selectis & plene.

(3) Ex authore libri de causis inter Axiomata sua equivalenter Beda citat, vel quisquis eorumdem Axiomatum inter ejus opera author fuit; ut videre et in dictione *Omnis*; & intelligi de similitudine analogica fatis est, ut hic.

(4) Non obstat electio quorundam cum aliqua discretione pre aliis ad bonum supernaturale consequendum; quia hic tantum nominativum de bonitate naturali agitur quam omnibus indifferenter Deus confert; juxta exigentiam singulorum: Sic ergo non ex parte subjecti Deo electionem Dionysius negat, quasi caret arbitrio; sed ex parte objecti tantum ut hic patet: Nam aliqui exemplaria ipsa rerum faciendarum cap. 5. *volumenes* appellant.

(**) *Ali. scientiam.*

effectu , nisi per voluntatem . Unde intellectus speculatorius nihil dicit de operando . Sed potentia est causa ut exequens , quia nominat immediatum principium operationis . Sed hæc omnia in Deo unum sunt .

A P P E N D I X .

EX art. habes primo : quomodo per rationem ostendas recte dictum de Deo Sap. 11. Quomodo posset aliquid permanere , nisi in voluntate ? & alia similia . Secundo habes : quomodo per rationem in sensu catholico hæc intelligas , intellectaque defendas . Tertio vides : quomodo ex his damnetur hæresis Arianistarum art. 3. narratam , contra quam iste quoque art. pugnat , &c.

A R T I C U L U S V. 119

Utrum voluntatis divine sit assignare aliquam causam .

*I. dist. xli. art. 3. cor. & I. cont. cap. lxxxvi.
& Lib. II. cap. xxviii. & xxix. &
Lib. III. cap. xcvi.*

AD quintum sic proceditur . Videtur quod voluntatis divinae sit assignare aliquam causam . Dicit enim Augustinus Lib. lxxxiii. Qq. (quæst. xlvi. parum a med.) *Quis audeat dicere , Deum irrationabiliter omnia condidisse ?* Sed agenti voluntario , quod est ratio operandi , est etiam causa volendi . Ergo voluntas Dei habet aliquam causam .

2. Præterea . In his quæ sunt a volente , qui propter nullam causam aliquid vult , non oportet aliam causam assignare nisi voluntatem volentis (1) . Sed voluntas Dei est causa omnium rerum , ut ostensum est (art. præc.) Si igitur voluntatis ejus non sit aliqua causa , non oportebit in omnibus rebus naturalibus aliam causam querere nisi solam voluntatem divinam : & sic omnes scientiae essent supervacue , quæ causas aliquorum ef-

fectuum assignare nituntur : quod videtur inconveniens . Est igitur assignare aliquam causam voluntatis divinae .

3. Præterea . Quod fit a volente non propter aliquam causam , dependet ex simplici voluntate ejus . Si igitur voluntas Dei non habeat aliquam causam , sequitur quod omnia quæ sunt , dependant ex simplici ejus voluntate ; & non habeant aliquam causam aliam : quod est inconveniens .

Sed contra est quod dicit Augustinus in Lib. lxxxiii. Qq. (quæst. xxviii.) (2) *Omnis causa efficiens major est eo quod efficitur : nihil (*) autem majus est voluntate Dei . Non ergo causa ejus querenda est .*

Respondeo dicendum , quod nullo modo voluntas Dei causam haberet .

Ad cuius evidentiam considerandum est , quod cum voluntas consequatur intellectum , eodem modo contingit esse causam alicujus volentis , ut velit , & alicujus intelligentis , ut intelligat . In intellectu autem sic est , quod si seorsum intelligat principium ; & seorsum conclusionem , intelligentia principi est causa scientiæ conclusionis . Sed si intellectus in ipso principio inspicere conclusionem , uno intuitu apprehendens utrumque , in eo scientia conclusionis non causaretur ab intellectu principiorum , quia idem non est causa sui ipsius ; sed tamen intelligeret principia esse causas conclusionis . Similiter est ex parte voluntatis , circa quam sic se habet finis ad ea quæ sunt ad finem , sicut in intellectu principia ad conclusiones . Unde si aliquis uno actu velit finem , & alio actu ea quæ sunt ad finem , velle finem erit ei causa volendi ea quæ sunt ad finem . Sed si uno actu velit finem , & ea quæ sunt ad finem , hoc esse non poterit : quia idem non est causa sui ipsius . Et tanen erit verum dicere , quod velit ordinare ea quæ sunt ad finem , in finem . Deus autem sicut uno actu omnia in essentia sua intelligit , ita uno actu vult omnia in sua bonitate . Unde sicut in Deo intelligere causam non est causa intelligentiæ

(1) Ibi enim in primis locum habet vulgare illud quod nonnisi summorum Dynastarum est bono sensu , *Sic volo , sic iubeo , sic pro ratione volentes* , ut significet rationem non esse inquirendam eorum quæ jubentur , sed simpliciter obsequendum : Quanto magis cum Deus iubet ?

(2) Sic plenius ibi . *Qui querit quare volueris Deus , mandum facere , causam querit voluntatis Dei : Sed omnis causa efficiens est : Omne autem efficiens , maius est quam id quod efficitur : Ubi non eo sensu efficiens videtur usurpari , quo distinguuntur ab aliis cau-*

farum generibus , & a finali nominatim ; ut ex ipso loquendi modo patet per quem causa finalis indicatur (scilicet quare volueris) . Sed eo sensu quo cuilibet cause suis effectus correspondet : Sic enim finis in volente aliquid facit per impulsum illius ad volendum : Et sic sequitur quod si finis est extra Deum quo ad volendum impellitur , major est Deo &c.

(*) Ali. tamen . *Augustini sextus habet : Omnis causa efficiens est . Omne autem efficiens maius est quam id quod efficitur . Nihil autem &c.*

gendi effectus (1), sed ipse intelligit effectus in causa; ita velle finem non est ei causa volendi ea quæ sunt ad finem; sed tamen vult ea quæ sunt ad finem, ordinari in finem. Vult ergo hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult (2) hoc (2).

Ad primum ergo dicendum, quod voluntas Dei rationabilis est, non quod aliquid sit Deo causa volendi, sed inquantum vult unum esse propter aliud (3).

Ad secundum dicendum, quod cum velit Deus effectus sic esse, ut ex causis certis proveniant, ad hoc quod servetur ordo in rebus, non est supervacuum etiam cum voluntate Dei alias causas querere. Eset tamen supervacuum, si aliæ causæ quererentur ut prima, & non dependentes a divina voluntate. Et sic loquitur Augustinus in III. de Trinit. (cap. 11. in med.) *Placuit (4) (**)* vanitati Philosophorum etiam aliis causis effectus contingentes tribuere, cum omnino videre non possent superiorem ceteris omnibus causam, id est voluntatem Dei.

Ad tertium dicendum, quod cum Deus velit effectus esse propter causas, quicunque effectus presupponunt aliquem alium effectum, non dependet ex sola Dei voluntate, sed ex aliquo alio; sed primi effectus ex sola divina voluntate dependent; utpote si dicamus, quod Deus voluit hominem habere manus, ut deservirent intellectui operando diversa opera; & voluit eum habere intellectum ad hoc quod esset homo; & voluit eum esse hominem, ut frueretur ipso, vel ad complementum universi. Quæ quidem non est reducere ad alios fines creatos ulteriores. Unde hujusmodi dependent ex simplici voluntate Dei, alia vero ex ordine etiam aliarum causarum.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem tamquam in radice destruas erro-

rem *Trinitariorum* dicentium. Præordinavit Deus ad vitam aliquem ab æterno propter aliqua ejus bona futura. In idem enim tandem redire videtur hoc cum ly voluntatis divina est assignare aliquam causam, & propterea contra Trinitarios ipsos pugnat articulus. Secundo habes quomodo per rationem ostendas errorem hunc tamquam in radice esse jure damnatum a, &c. Vide qu. 23. art. 5. & ibi invenies hujus damnationem. Tertio vides: quomodo, &c.

A R T I C U L U S VI. 120

Utrum voluntas Dei semper impleatur.

I. dīf. xlvi. art. 1. & 2. & III. dīf. xxxi. quest. II. artic. 3. quest. I. & ver. quest. xxii. art. 2. corp. & quol. XI. art. 3. corp. & quol. XII. art. 4. cor.

AD sextum si proceditur. Videtur quod voluntas Dei non semper impleatur. Dicit enim Apostolus I. ad Timoth. 11. 4 quod *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Sed hoc non ita evenit. Ergo voluntas Dei non semper impletur.

2. Præterea. Sicut (5) se habet scientia ad verum, ita voluntas ad bonum. Sed Deus scit omne verum. Ergo vult omne bonum. Sed non omne bonum fit: multa enim bona possunt fieri, quæ non fiunt. Non ergo voluntas Dei semper impletur.

3. Præterea. Voluntas Dei, cum sit causa prima, non excludit causas medias, ut dictum est (art. præc.) Sed effectus causæ prioræ potest impediri per defectum causæ secundæ; sicut effectus virtutis motivæ impeditur propter debilitatem tibiæ. Ergo & effectus divinæ voluntatis potest impediri propter defectum secundarum causarum: non ergo voluntas Dei semper impletur.

Sed contra est quod dicitur in Psal. cxiii. 3. *Omnis*

(1) In plurali accusativo, sicut & mox, id est, intelligendi ea quæ a causa procedunt.

(2) Ita edit omnes. Codd. Alcan. & Camer. non habens ultimum hoc.

(2) Sive, hoc non est causa cur aliquod aliud velit.

(3) Hinc non tantum secundum voluntatem operari dicuntur, sed secundum consilium voluntatis (ad Eph. 1.) ne fine ratione operari putetur; ait ibidem S. Thomas.

(4) Sic omnia exemplaria S. Thomæ quæ ad maximum sunt; sed exemplar utrumque Augustini ha-

bet, licuit: nec effectus quolibet modo contingentes exprimit ibi, sed vero existentes & monstruosos; ut defectus luminarium. & quorumdam animalium parasitus; quorum nihil nisi voluntate Dei, est plenisque non appetat.

(**) Ad. Licuit vanitati.

(5) Non ex parte subjecti, quia sciens trahit objectum ad se, volens autem extra se fertur ad objectum: Sed ex parte objecti secundum se; quia sicut objectum scientia est verum, sic etiam objectum voluntatis est bonum.

3. *Omnia quacumque voluit Deus, fecit* (1).
Respondeo dicendum, quod necesse est voluntatem Dei semper impleri.

Ad cuius evidentiam considerandum est, quod cum effectus conformetur agenti secundum suam formam, eadem ratio est in causis agentibus, que est in causis formalibus. In formis autem sic est, quod licet aliquid possit deficere ab aliqua forma particulari, tamen a forma universalis nihil deficere potest. Potest enim esse aliquid quod non est homo, vel vivum; non autem potest esse aliquid, quod non sit ens. Unde hoc idem in causis agentibus contingere oportet: potest enim aliquid fieri extra ordinem aliquius causa particularis agentis, non autem extra ordinem aliquius causa universalis, sub qua omnes causae particulares comprehenduntur. Quod si aliqua causa particularis deficiat a suo effectu, hoc est propter aliquam aliam causam particularem impedientem, quae continetur sub ordine causae universalis. Unde effectus ordinem causae universalis nullo modo potest exire. Et hoc etiam patet in corporalibus. Potest enim impediti quod aliqua stella non inducat suum effectum; sed tamen quicunque effectus ex causa corporea impidente in rebus corporalibus consequatur, oportet quod reducatur per alias causas in univeralem virtutem primi cœli. Cum igitur voluntas Dei sit universalis causa omnium rerum, impossibile est quod divina voluntas suum effectum non consequatur. Unde quod recedere videatur a divina voluntate secundum unum ordinem, relabitur in ipsa secundum aliud; sicut peccator, qui quantum est in se, recedit a divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinae voluntatis, dum per ejus justitiam punitur.

Ad primum ergo dicendum, quod illud verbum Apostoli, quod *Deus vult omnes homines salvos fieri &c.* potest tripliciter intel-

Summ. S.Th. T.I.

ligi. Uno modo, ut sit accommodata distributio secundum hunc sensum: Deus vult salvos fieri omnes homines qui salvantur, non quia nullus homo sit quem salvum fieri non velit, sed quia nullus salvus sit quem non velit salvum fieri, ut dicit Augustinus (Lib. I. de prædest. Sanct. cap. viii. & Enchirid. cap. ciii.) (2) Secundo potest intelligi, ut sit distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum, secundum hunc sensum: Deus vult de quolibet statu hominum salvos fieri, mares, & feminas, Ju-dæos, & Gentiles, parvos, & magnos; non tamen omnes de singulis statibus. Tertio secundum Damascenum (Lib. II. orthod. Fid. cap. xxix. non multum a fin.) intelligitur de voluntate antecedente, non de voluntate consequente. Quæ quidem distinctio non accipitur ex parte ipsius voluntatis divinae, in qua nihil est prius, vel posterius, sed ex parte voluntorum.

Ad cuius intellectum considerandum est, quod unumquodque, secundum quod bonum est, sic est voluntum a Deo. Aliquid autem potest esse in prima sua consideratione, secundum quod absolute consideratur, bonum, vel malum; quod tamen prout cum aliquo adjuncto consideratur, quæ est consequens consideratio ejus, e contrario se habet: sicut hominem vivere est bonum, & hominem occidi est malum, secundum absolutam considerationem; sed si addatur circa aliquem hominem, quod sit homicida, vel vivens in periculum multitudinis, sic bonum est eum occidi, & malum est eum vivere: unde potest dici, quod judex justus antecedenter vult omnem hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspensi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quodam damnari secundum exigentiam sua justitiae. Neque tamen id quod antecedenter volumus, simpliciter volumus, sed secun-

Bb

dum

(1) Vei sic: *Deus autem noster in celo, omnis quacumque voluit fecit*: ut videre est vers. 11. & Psal. 134. vers. 6. *Omnis quacumque voluit Dominus fecit, in celo & in terra: in mari & in omnibus abyssis &c.* Adde quod Isaïas 46. vers. 10. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet*: Etsi enim ad statum Israelitici populi speciatim referit Hieronymus, quia in eo impleta sunt quacumque Deus eventura nuntiaverat, ut ex divinatione divinitatem comprehenseret (idest prædictione futurorum) & inde sciret nullum aliud esse Deum nisi eum qui haec scienda cognovit, & fieri præcepit, ad omnia tamen alia propter eamdem rationem generalius extendi pos-

teat, ut hic. Præter alia passim loca quæ in Scriptura idem probant.

(2) Et lib. 4. contra Julianum cap. 8. Quod autem subiungitur ex Damasceno, apud illum habetur lib. 2. de fide orthod. cap. 29. & ex eodem passim refert S. Thomas, ac potissimum illum ipsum locum Apostoli, ubi aliam quoque interpretationem addit, ut sit *sequitur consilium*, quia Deus in Sanctis facit ut omnes velint salvos esse: Sed ex quatuor illis interpretationibus Jansenianus quidam depravator tres tantum arripiuit ut rudiiores desiperet; ac eam que est Damasceni, suppressit, ut veritatem occultaret,

dum quid (1) : quia voluntas comparatur ad res, secundum quod in se ipsis sunt, in se ipsis autem sunt in particulari. Unde simpliciter volumus aliquid, secundum quod volumus illud consideratis omnibus circumstantiis particularibus: quod est consequenter velle. Unde potest dici, quod iudex justus simpliciter vult homicidam suspendi, sed secundum quid vellet eum vivere, scilicet in quantum est homo. Unde magis potest dici velleitas quam absoluta voluntas. Et sic patet quod quidquid Deus simpliciter vult, sit, licet illud quod antecedenter vult, non fiat.

Ad secundum dicendum, quod actus cognoscitivæ virtutis est, secundum quod cognitum est in cognoscente; actus autem virtutis appetitivæ est ordinatus ad res, secundum quod in se ipsis sunt. Quidquid autem potest habere rationem entis, & veri, totum est virtualiter in Deo, sed non totum existit in rebus creatis: & ideo Deus cognoscit omne verum, non tamen vult omne bonum, nisi in quantum vult se, in quo virtualiter omne bonum existit.

Ad tertium dicendum, quod causa prima tunc potest impediри a suo effectu per defecum causæ secundæ, quando non est universaliter prima, sub se omnes causas comprehendens: quia sic effectus nullo modo posset suum ordinem evadere: & sic est de voluntate Dei, ut dictum est (in corp. art.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte dictum Hester 13. non est qui possit resistere voluntati tue, & si decreveris salvare nos, continuo liberabitur. Item Isa. 46. consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Item psal. 113. omnia, quæcumque voluit Dominus, fecit. Hic enim & ubique in hujusmodi monstrare vult scriptura sacra, quod voluntas Dei semper adimpletur. Secundo habes: quomodo per rationem prædictum sensum catholice defendas & cum aliis, quæ in scriptura videntur in contrarium, concilias, puta dicto Mat. 23.

(1) Non quod voluntas antecedens cum voluntate signi quæ impropria voluntas eit, confundenda sit, sicut confundunt quidam qui se Thomistas proficiunt, nec satis caute quid S. Thomas dicat legunt vel attendunt; cum nihil expressius pateat apud illum, quam quod voluntas antecedens (quamlibet

quies volui congregare filios eius, & nolui fit Proverb. 1. Vocavi, & renui. &c. Act. 7. Vos semper Spiritui Sancto resistitis. Ex responsione enim ad primum trahere potes omnium istorum concordem sensum absque præjudicio conclusæ veritatis. Solent & concordari per distinctionem voluntatis beneplaciti, & signi, de qua infra art. II. & 12. Ex eadem responsione ad primum habes; quomodo per rationem, patreque rejicias heresim Calvinii impissime dicentis, Deum creasse genus humanum ad perpetuam damnationem, & interitum potissimum. Cujus heresis damnationem habes ibi clarissimam ab Apostolo 1. Tim. 2. Vult omnes, &c. & taliter q. 24. art. 1. in appendice. Taceo, quod infensa præsertim est hæc impietas mysterio incarnationis, passionis, mortis Christi, propter nos homines, & nostram salutem facta, imo & omnibus aliis divinis erga nos benevolentia veracibus signis, puta cum spiritualibus, tum corporalibus beneficiis, &c. Abfit ergo hæc a fidelium cordibus ingratitudo tanta, atque blasphemia. Tertio vides: quomodo, &c.

ARTICULUS VII. 121

Utrum voluntas Dei sit mutabilis.

Art. 1. corp. & ad 3. & 4. & I. cont. cap. lxxxii. & II. cap. xxv. fin. & III. cap. xcii. & xcvi. fin. & post. quest. IIII. art. 7.

AD septimum sic proceditur. Viderur quod voluntas Dei sit mutabilis. Dicit enim Dominus Genes. vi. 7. Paniçet me facie hominem. Sed quemcumque paniçet de eo quod fecit, habet mutabilem voluntatem. Ergo Deus habet mutabilem voluntatem.

2. Præterea. Hierem. xviii. 7. ex persona Domini dicitur: Loquar adversus gentem, & adversus regnum, ut eradicem, & destruam & disperdam illud; sed si paniçentiam egredit gens illa a malo suo, agam & ego paniçentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei. Ergo Deus habet mutabilem voluntatem (2).

3. Præ-

imperfecta & secundum quid) sit voluntas beneplaciti, & nominatim cum ex professo verba explicat quæ superius ex 1. ad Timoth. 2. relata sunt: Sed hoc plenius in Selectis, & infra suo loco.

(2) Prout voluntarium libertatem perfectam significat, seu libertatem arbitrii, longe alio sensu quam di-

3. Præterea. Quidquid Deus facit, voluntarie facit. Sed Deus non semper eadem facit: nam quandoque præcepit legalia observari, quandoque prohibuit. Ergo habet mutabilem voluntatem.

4. Præterea. Deus non ex necessitate vult quod vult, ut supra dictum est (art. 3. hujus quest.) Ergo potest velle, & non velle idem. Sed omne quod habet potentiam ad opposita, est mutabile; sicut quod potest esse, & non esse, est mutabile secundum substantiam; & quod potest esse hic, & non esse hic, est mutabile secundum locum. Ergo Deus est mutabilis secundum voluntatem.

Sed contra est quod dicitur Num. xxiii. 19. *Non est Deus quasi homo, ut mentiarur, neque ut filius hominis, ut mutetur* (1).

Respondeo dicendum, quod voluntas Dei est omnino immutabilis. Sed circa hoc considerandum est, quod aliud est mutare voluntatem, & aliud est velle aliquarum rerum mutationem. Potest enim aliquis eadem voluntate immobiliter permanente velle quod nunc fiat hoc, & postea fiat contrarium. Sed tunc voluntas mutaretur, si aliquis inciperet velle quod prius non voluit, vel desineret velle quod voluit. Quod quidem accidere non potest, nisi presupposita mutatione vel ex parte cognitionis, vel circa dispositionem substantiaz ipius (*) volentis. Cum enim voluntas sit boni, aliquis de novo dupliciter potest incipere aliquid velle. (**) Uno modo sic quod de novo incipiat sibi illud esse bonum, quod non est abique mutatione ejus; sicut adveniente frigore, incipit esse bonum sedere ad ignem, quod prius non erat. Alio modo sic quod de novo cognoscat illud esse sibi bonum, cum prius hoc ignorasset. Ad hoc enim consilium, ut sciamus quid nobis sit bonum. Ostensum est autem supra (quest. ix. art.

i. & quest. xiv. art. 15.) quod tam substantia Dei, quam ejus scientia est omnino immutabilis. Unde oportet voluntatem ejus omnino esse immutabilem.

Ad primum ergo dicendum, quod illud verbum Domini metaphorice intelligendum est secundum similitudinem nostram. Cum enim nos peccaret, destruimus quod fecimus; quamvis hoc esse possit abique mutatione voluntatis; cum etiam aliquis homo absque mutatione voluntatis interdum velit aliquid facere, simul intendens postea illud destruere. Sic igitur Deus peccatus dicitur secundum similitudinem operationis (2), in quantum hominem, quem fecerat, per diluvium a facie terræ delevit.

Ad secundum dicendum, quod voluntas Dei, cum sit causa prima, & universalis, non excludit causas medias, in quarum virtute est ut aliqui effectus producantur. Sed quia omnes causæ mediaz non adæquant virtutem causæ primæ, multa sunt in virtute, & scientia, & voluntate divina, quæ non continentur sub ordine causalium inferiorum, sicut resuscitatio Lazari. Unde aliquis respiciens ad causas inferiores dicere poterat, Lazarus non resurget; respiciens vero ad causam primam divinam (3) poterat dicere, Lazarus resurget. Et utrumque horum Deus vult, scilicet quod aliquid quandoque sit futurum secundum causam inferiorem, quod tamen futurum non sit secundum causam superiore, vel e converso. Sic ergo dicendum est, quod Deus aliquando pronuntiat aliquid futurum, secundum quod continetur in ordine causalium inferiorum, ut puta secundum dispositionem naturæ, vel meritorum; quod tamen non fit, quia aliter est in causa superiori divina. Sicut cum prædictum Ezechiaz: *Dispone domus tuæ, quia morieris, & non vives*, ut habetur Isaïa xxxviii. 1. neque tamen ita e-
Bb 2 venit,

dicentur voluntaria quedammodo quæ spontanea sunt.

(1) Verba sunt Balaam Pseudoprophetæ quem conduxerat Balach ut populo Dei malediceret, sed agenito spiritu ac impulsu divino contrarium facere compulsus est. Paulo aliter autem 70. legunt: *Non quasi homo Deus ut suspendatur* (vel incertus & auctor noster) *negat quasi filius hominis ut missis temporibus*: Sed in eundem frustum lectio ista redit; quia ex intellectu dubietate vel anticipati confilio contingit passim ut mentiatur homo; & ex metu minarum ut mutetur; seu voluntatem ipse mutet.

(2) Ita codd. Alcam. Camer. Rom. & Torrec.

quibus conscientiam Petav. edit. Rom. voluntatis.

(**) Cod. Alcam. Uno modo si de novo &c. & infra. Alio modo, si de novo &c.

(3) Ut videre est ab Augustino explicatum lib. 83. questionum quest. 52. ubi & similia exempla profert quæ similitudinario Deo tribuantur.

(3) Nempe non tantum ut potenter; quia sic solum affirmaret, *Poteris resurgere*; sed ut volentem absolute: Hinc enim plene affirmare futurum potest quod Lazarus resurget: sicut Martha, & foror ejus vel Apostoli omnes, omnes Christum illud velle intellexerunt.

venit, quia ab eterno aliter fuit in scientia, & voluntate divina, quæ immutabilis est. Propter quod dicit Gregorius (Moral. XVI. cap. v. in princ.) (1) quod Deus (2) immutat sententiam, non tamen mutat consilium, scilicet voluntatis suæ. Quod ergo dicit; Panitentiam agam & ego, intelligitur metaphorice dictum: nam homines quando non impletur quod comminati sunt, paenitere vindentur.

Ad tertium dicendum, quod ex ratione illa non potest concludi, quod Deus habeat mutabilem voluntatem, sed quod mutationem velit.

Ad quartum dicendum, quod licet Deum velle aliquid non sit necessarium absolute, tamen necessarium est ex suppositione propter immutabilitatem divinæ voluntatis, ut supra dictum est (art. 3. hujus quest.)

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo: quomodo per rationem convincas hæresim Calvini ululantis sic: Dei lex, & Dei voluntas sœpe sunt inter se contrariae. Viderat forsan iste vanus Theologus scripturas Gen. 6. Hier. 18. vel hujusmodi, & ex impotenti penetrandi tantum lumen scripturarum, tamquam noctua ad lumen solis, merito oppressus a gloria in terram illam tenebrosum, & operam mortis saligine, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat; hæresim dico, miserrime cecidit. Hac autem Calvinistica impietas complecti intra seipsum videtur, quod divina voluntas sit mutabilis; ut quæ a lege Dei voluntarie data discordet. Si enim dando legem, voluntatem habuit sic, & sic illam dandi, ut apud omnes sapientes vere presupponitur, & quandoque voluntas ejus pugnat cum lege jam data: utique post legificationem mutata erit ejus voluntas. Idcirco articulus iste contra illam in tali sensu militat. Dixi, in tali sensu: quia in quodam alio sensu supra quest. 17. art. 4. ad tertium adducitur, oppugnatur, & expugna-

tur. Vide tu ibi, ut & inde, si opus est, huic loco suffrageris. Secundo habes: quomodo per rationem demonstres, illam merito esse olim damnatam num. 23. Non est Deus, quasi homo, ut mentitur: neque ut filius hominis, ut mutetur. Vide, si vis, plura ad hujus damnationem, supra quest. 9. art. 1. & 2. Tertio vides: quomodo ex his vicissim fieri metur conclusio.

A R T I C U L U S VIII. 122

Utrum voluntas Dei necessitatem rebus volitis imponat.

1. 2. quest. X. art. 4. & I. cont. cap. lxxxv. & III. cap. lxxiiii. usque lxxviii. & lxxx. fin. & I. Perib. lect. 14.

AD octavum sic proceditur. Videtur quod voluntas Dei rebus volitis necessitatem imponat. Dicit enim Augustinus in Enchir. (cap. ciii.) Nullus fit salvus, nisi quem Deus voluerit salvari. Et ideo rogandus est ut velit, quia necesse est fieri, si voluerit.

2. Præterea. Omnis causa quæ non potest impediiri, ex necessitate suum effectum producit: quia & natura semper identiter operatur, nisi aliquid impedit, ut dicitur in II. Physic. (tex. 84.) Sed voluntas Dei non potest impediiri: dicit enim Apostolus ad Rom. ix. 19. Voluntati enim ejus, quis resistit? Ergo voluntas Dei imponit rebus volitis necessitatem.

3. Præterea. Illud quod habet necessitatem ex priori (2), est necessarium absolute; sicut animal mori est necessarium, quia est ex contrariis cōpositum. Sed res creature a Deo (3) comparantur ad voluntatem divinam sicut ad aliquid prius, a quo habent necessitatem; cum haec conditionalis sit vera, Si aliquid Deus vult, illud est: omnis autem conditionalis vera est necessaria. Sequitur ergo quod omne quod Deus vult, sit necessarium absolute (4).

Sed contra. Omnia bona quæ fiunt, Deus vult

(1) Ubi expressè sub his verbis: Omnipotens Deus, est si plerumque mutat sententiam, consilium numerum: Non sicut prius lib. 20. cap. 13. ubi tantum dicitur paenitere, quia quod volueris mutet; quævis rem mutet; consilium non mutet.

(2) At. immutat rem.

(2) Vel ex aliquo antecedente quod sit illius causa, &c.

(3) Ad maiorem expressionem dictum: Alioquin causas a Deo esse intelliguntur, si creare sunt.

(4) Huc spectat quod iam supra ex Rom. 12. vers. 2. notatum est, quæ sit voluntas Dei bona &c. ut & ad Coloss. 4. vers. 12. Sicut perfici & plantare in omni voluntate Dei; Rursumque I. ad Thef. 4. vers. 2. Hoc est voluntas Dei: sanctificatio vestra, ut abstineatis vos &c. Et inferius cap. 5. vers. 15. Semper quod bonum est secundum in iuvanda & in omnibus: Hoc est enim voluntas Dei &c. Hinc & alibi possunt facere bonum pro eodem sumiatur ac Dei voluntatem facere debet.

vult fieri. Si igitur ejus voluntas imponat rebus volitis necessitatem, sequitur quod omnia bona ex necessitate eveniunt: & sic perit liberum arbitrium, & consilium, & omnia huiusmodi.

Respondeo dicendum, quod divina voluntas quibusdam volitis necessitatem imponit, non autem omnibus.

Cujus quidem rationem aliqui assignare voluerunt ex causis mediis: quia ea quæ producit per causas necessarias, sunt necessaria; ea vero quæ producit per causas contingentes, sunt contingentia. Sed hoc non videtur sufficienter dictum propter duo. Primo quidem quia effectus alicujus primæ causæ est contingens propter causam secundam, ex eo quod impeditur effectus causæ primæ per defectum causæ secundæ, sicut virtus Solis per defectum plantæ impeditur. Nullus autem defectus causæ secundæ impedire potest quin voluntas Dei effectum suum producat (1). Secundo quia si distinctio contingentium a necessariis referatur solum in causas secundas, sequitur hoc esse præter intentionem, & voluntatem divinam: quod est inconveniens.

Et ideo melius dicendum est, quod hoc contingit propter efficaciam divinæ voluntatis. Cum enim aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam, non tantum secundum id quod fit, sed etiam secundum modum fiendi, vel essendi. Ex debilitate enim virtutis activæ in semine contingit quod filius nascitur dissimilis patri in accidentibus quæ pertinent ad modum effendi. Cum igitur voluntas divina sit efficissima, non solum sequitur quod fiant ea quæ Deus vult fieri, sed & quod eo modo fiant quo Deus ea fieri vult. Vult autem quædam Deus necessario, quædam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum universi. Et ideo quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt; quibusdam effectibus aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus

effectus contingenter proveniunt. Non igitur propterea effectus voliti a Deo eveniunt contingenter, quia causæ proximæ sunt contingentes; sed propterea quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes causas ad eos præparavit.

Ad primum ergo dicendum, quod per illud verbum Augustini intelligenda est necessitas in rebus volitis a Deo non absoluta, sed conditionalis: necesse est enim hanc conditionalem veram esse: Si Deus hoc vult, necesse est hoc esse.

Ad secundum dicendum, quod ex hoc ipso quod nihil voluntati divinæ resistit, sequitur quod non solum fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter, vel necessario, quæ sic fieri vult.

Ad tertium dicendum, quod posteriora habent necessitatem a prioribus secundum modum priorum (2). Unde & ea quæ sunt a voluntate divina, talem necessitatem habent, quam Deus vult ea habere, scilicet vel absolutam, vel conditionalem tantum. Et sic non omnia sunt necessaria absolute.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem interimas heresim Joannis Wickeff somniantis, necessitate aboluta omnia evenire. Hoc enim in idem redit tandem cum hoc, quod voluntas Domini rebus volitis necessitatem imponat. Secundo habes: quomodo per rationem, hanc recte damnatam esse ostendas a Concilio Costantieni secessione. ubi etiam doctrina ejus in 45. articulis explicata damnatur in hæc verba. *Hec sancta Synodus præfatos art. 45. examinari fecit, & sepius recenseri, quibus examinatis, fuit repertum, aliquos, & plures ex ipsis fuisse, & esse notorie hereticos, & a sanctis Patribus reprobatos, alios non catholicos, sed erroneos, alios scandalosos, & blasphemos, quosdam pia rum aurium offensivos, nonnullos eorum temerarios, & seditiones. Proptere此 Concilium pronunciat hereticum Joannem Wickeff, ac men-*

(1) Per se, directe, formaliter, quasi divina voluntatis efficaciam debilitet; vel quasi tanta nos sit nec tantopere potens voluntatis divina virtus, ut hunc defectum possit removere vel hoc impedimentum superare, si absolute ita vellet: Nam aliqui lib. 4. Sentent. dist. 11. quest. 1. art. 3. quæst. 3. ad 2. resistentia duplex assignatur, scilicet vel ex parte agentis quando ex contrario agepte debilitatur ejus virtus; vel ex parte effectus, quando

ex contraria dispositione impeditur: Et subiungitur quod in operationibus divinis non attenduntur difficiles secundum resistentiam ad agentem, sed secundum impedimentum effectus, &c. Utique propriæ dispositionem contrariam; ut ex prædictis patet.

(2) Ut in exemplo argumenti de naturali morte animalis propter compositionem ex contrariis naturalem.

moriā ejusdem condemnat, & mandat exhumari ossa ipsius, & cremari. Hzc ibi. Item a Conciliis omnibus, Romanis Pontificibus, scripturis sanctis damnata pro heresi intelligantur tunc quando de libero arbitrio tractant, ac ipsum esse liberum statuunt, quando de contumis captandis hortantur, quando vitia vituperanda, paenarumque meritoria, contraque virtutes laudabiles, coelestibusque præmiis jure donandas prædican. Hzc enim omnia supradicta perirent, si volitis divina voluntas necessitatem absolutam imponeret, seu, si omnia ex necessitate absoluta contingent, atque ideo hujusmodi sanctiones cum his venenosis dogmatibus stare non possunt, & consequenter per has ipso facto anathematizata subaudiuntur. Tertio vides: quomodo ex his vicissim firmetur conclusio.

ARTICULUS IX. 123

Utrum voluntas Dei sit malorum.

I. dist. xlvi. art. 4. & I. cont. cap. xcvi. &
Ib. cap. xxv. fin. & po. quest. 1. art. 6.
& quol. v. quest. 2. art. 2.

AD nonum sic proceditur. Videtur quod voluntas Dei sit malorum. Omne enim bonum quod fit, Deus vult. Sed mala fieri bonum est: dicit enim Augustinus in Enchir. (cap. xcvi. circa princip.) *Quemvis ea que mala sunt, in quantum mala sunt, non sunt bona; tamen ut non solum sunt bona, sed etiam ut sunt mala, bonum est fieri.* Ergo Deus vult mala.

2. Præterea. Dicit Dionysius iv. cap. de div. Nom. *Erit malum ad omnis, id est universi, perfectionem conferens:* & Augustinus dicit in Enchir (cap. x. in fin. & xi. in princ.) *Ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulchritudo: in qua etiam illud quod malum dicitur, bene ordinatum, & loco suo positum, eminentius commendat bona* (1), *ut magis placent, & laudabiliora sint, dum comparantur*

malis. Sed Deus vult omne illud quod pertinet ad perfectionem, & decorem universi: quia hoc est quod Deus maxime vult in creaturis. Ergo Deus vult mala.

3. Præterea. Mala fieri, & non fieri sunt contradictione opposita. Sed Deus non vult mala non fieri: quia, cum mala quædam fiant, non semper voluntas Dei impleretur. Ergo Deus vult mala fieri.

Sed contra est quod dicit Augustinus in Lib. lxxxiii. Qq. (quest. 11.) *Nullo sapientie homine auctore fit homo deterior* (2). *Est autem Deus omni sapiente homine præstantior.* *Multa igitur minus Deo auctore fit aliquis deterior.* *Ilo autem auctore fit aliiquid, quod fit illo volente.* Non ergo volente Deo fit homo deterior. Constat autem quod quolibet male fit aliquis deterior. Ergo Deus non vult mala.

Respondeo dicendum, quod, cum ratio boni sit ratio appetibilis, ut supra dictum est (quest. v. art. 1.) malum autem opponatur bono; impossibile est quod aliquod in alio, in quantum hujusmodi, appetatur neque appetitus naturali, neque animali, neque intellectuali, qui est voluntas. Tamen aliquod malum appetitur per accidens, in quantum consequitur ad aliquod bonum: & hoc appetret in quolibet appetitu. Non enim agens naturale intendit privationem, vel corruptionem, sed formam, cui conjungitur privatio alterius formæ, & generationem unius, quæ est corruptio alterius. (3) Leo enim occidens cervum intendit cibum, cui conjungitur occisio animalis; similiter fornicator intendit delectationem, cui conjungitur deformitas culpe. Malum autem, quod conjungitur alicui bono, est privatio alterius boni. Numquam igitur appeteretur malum, nec per accidens, nisi bonum cui conjungitur malum, magis appeteretur, quam bonum quod privatur per malum.

Nullum autem bonum Deus magis vult quam suam bonitatem; vult tamen aliquod bonum magis quam aliud quoddam bonum. Unde

(1) Conformiter ad illud vulgo dictum a Philosophis, *Opposita iusta se posse magis elucescunt:* Quod & ex libro Problematum Aristotelis 22. sect. num. 11. colligi potest, ubi magis dicuntur appetitores.

(2) Et rationem interjectat hic prætermissum, cum subjungit: *Non enim pœna ista culpa est* (nempe auctorum esse aliena ut deterior fiat) *I. mo sancta est qua in sapientem quemvis hominem cadere possunt;* Et post addita illa qua hic tantum in textu

referuntur, ex illis infert: *Eft ergo vitium voluntatis quo fit homo deterior:* *Quod vitium si longe abit a Dei voluntate* (scilicet ratio docet) *in quo fit, querendum est &c.*

(3) Ex lib. 1. de generatione & corruptione text. 17. Quod verissime in omnibus naturalibus rerum generationibus invenitur: *Eft per partem inde Philosophus concludit perpetuam ac sempiternam generationem;* quia creationem temporanam non significat.

A P P E N D I X.

Unde ma'um culpe ; quod privat ordinem ab bonum divinum, Deus nullo modo vult; sed malum naturalis defectus , vel malum peñe vult , volendo aliquod bonum , cui conjungitur tale malum (1) : sicut volendo justitiam vult poenam , & volendo ordinem naturae servari, vult quedam naturaliter corrupti.

Ad primum ergo dicendum , quod quidam dixerunt , quod licet Deus non velit mala , vult tamen mala esse , vel fieri : quia licet mala non sint bona , bonum tamen est mala esse , vel fieri (2) : quod ideo dicebant , quia ea quæ in se mala sunt , ordinantur ad aliquod bonum : quem quidem ordinem importari credebant in hoc quod (*) dicitur mala esse , vel fieri . Sed hoc non recte dicitur : quia malum non ordinatur ad bonum per se , sed per accidens . Præter intentionem enim peccantis est quod ex hoc sequatur aliquod bonum ; sicut præter intentionem tyrannorum fuit quod ex eorum persecutionibus claresceret patientia Martyrum . Et ideo non potest dici , quod talis ordo ad bonum importaretur per hoc quod dicitur , quod malum esse , vel fieri fit bonum : quia nihil judicatur secundum illud quod competit ei per accidens , sed secundum illud quod competit ei per se .

Ad secundum dicendum , quod malum non operatur ad perfectionem , & decorum universi (3) , nisi per accidens , ut dictum est (in solut. ad arg. præced.) Unde & hoc quod dicit Dionysius , quod malum est ad universi perfectionem conferens , concludit inducendo quasi ad inconveniens (4) .

Ad tertium dicendum , quod licet mala fieri , & mala non fieri contradictorie opponuntur ; tamen velle mala fieri , & velle mala non fieri non opponuntur contradictorie , cum utrumque sit affirmativum . Deus igitur neque vult mala fieri , neque vult mala non fieri , sed vult permettere mala fieri ; & hoc est bonum .

Ex art. habes primo : quomodo per primæ partis conclusionis rationem interimas hæresis diabolicas *Calvini* sic furentis , Deus non modo permittit fieri peccata , quæ homines faciunt , sed etiam fiunt volente Deo , & impellente . Item sic ; Dei opera omnino sunt simpliciter omnia peccata , quæ fiunt ab hominibus : Item sic : Nullum furtum , nulla scortatio , nullum adulterium fit ab homine , quod Deus non efficiat in homine . Item sic ; Deus non tantum permittit malum , sed etiam id operatur efficaciter . Item sic : Deum esse non tantum malorum , sed etiam peccati authorem : Item sic : Deo volente , & jubente diabolus mentitur in cordibus hominum . Item sic . Deus non sola' est causa omnis mali , sed etiam hominibus , ut mala operentur , malas cogitationes in cordibus illorum spirat : adeoque , ut non homines peccent , sed Deus sit efficiens , & volens peccatum . Item hæsim *Melancthonis* (Melchior Cano de locis theologicis lib. 2. cap. 4. in resolutione sexti argumenti) sic blasphemantis : Dei opus ita est adulterium *Davidis* , sævitia *Manlii* , proditio *Judeæque* , ac conversio *Pauli* . Secundo habes : quomodo per rationem monstres universas has justissime damnari a Jacobo 1. *Nemo* , cum tentatur , dicat , quoniam a Deo tentatur , Deus enim intentor malorum est , ipse autem neminem tentat : Item ab Isa. c. 65. faciebatis malum in oculis meis , & que nolui , elegeris , &c. 66. Feceruntque malum in oculis meis , & que nolui , elegerent . Item a Concilio Tridentino sess. 6. Canon. 6. si quis dixerit mala opera ita , ut bona , Deum operari non permissive solum , sed etiam proprie , & per se adeo , ut sit ejus proprium opus non minus proditio *Judeæ* , quam vocatio *Pauli* : *Anabona* sit . Hæc ibi . Tertio habes : quomodo per secundæ partis conclusionis rationem reicias positionem *Colluthi* , propter quam velut hæreticus est damnatus , dicens , quod Deus non est malorum factio . Item hæsim

(1) Legant & hæc ac intelligent positivæ deformitatis confessores : Quomodo enim eam nullo modo Deus vult , si positiva supponitur ?

(2) Sic nominatim Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacramentis fidei part. 4. cap. 13. Deus vult esse malum (inquit) & in eo nonnulli bonum vult ; quia bonum est malum esse : Sed non vult ipsum malum , quia bonum non est ipsum malum &c.

(3) *Iea fero omnes* edit. Al. dicitur : Bonum est mala esse , vel fieri .

(4) Multo minus utique mala culpe , ut & ibidem patet .

(4) Contra eos nimisrum qui aliquid putabant esse malum ; quia si est aliquid , eo ipso ad universum decorum continet : Annon & positiva deformitas ?

Sim Manetis. Præterea Anthropomorphite, Audeani, Vadiani dicentis, Deum, neque ignem, neque tenebras creasse. Videbantur enim hæc, reor, Maneti quædam mala. Quarto habes: quomodo per rationem ostendas jure has esse damnatas ab Isa. 45. Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: ego Dominus faciens omnia haec. Quinto vides: quomodo, &c.

ARTICULUS X. 124

Utrum Deus habeat liberum arbitrium.

II. dist. xxv. quest. i. art. 1. & I. cont. cap. lxxxviii. & verit. quest. xxiv. art. 4. & mal. quest. xvi. art. 5. cor.

AD decimum sic proceditur. Videtur quod Deus non habeat liberum arbitrium. Dicit enim Hieronymus in homilia de filio prodigo (& est epist. clxvi. ad Damasum prop. fin.) *Solus Deus est in quem peccatum non cadit, nec cadere potest; cetera, cum sint liberi arbitrii, in utramque partem flecti possunt.*

2. Præterea. Liberum arbitrium est facultas rationis, & voluntatis, qua bonum, & malum eligitur (1). Sed Deus non vult malum, ut dictum est (art. præc.) Ergo liberum arbitrium non est in Deo.

Sed contra est quod dicit Ambrosius in Lib. II. de Fide (cap. iii. parum a med.) *Spiritus sanctus dividit singulis, prout vult: id est libero voluntatis arbitrio, non necessitatis obsequio.*

Respondeo dicendum, quod liberum arbitrium habemus respectu eorum quæ non necessario volumus, vel naturali instinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet quod volumus esse felices, sed ad naturale instinctum: unde & alia animalia, quæ naturali instinctu moventur ad aliquid, non dicuntur libero arbitrio moveri. Cum igitur Deus ex necessitate suam bonitatem vult, alia vero non ex necessitate, ut supra ostensum (2) est (art. 3. hujus quest.) respectu illorum quæ non ex necessitate vult, liberum arbitrium habet.

Ad primum ergo dicendum, quod Hiero-

nymus videtur excludere a Deo liberum arbitrium non simpliciter, sed solum quantum ad hoc quod est deflecti in peccatum.

Ad secundum dicendum, quod cum malum culpæ dicatur per aversionem a bonitate divina, per quam Deus omnia vult, ut supra ostensum est (loc. proxime cit.) manifestum est quod impossibile est eum malum culpæ velle: & tamen ad opposita se habet, inquantum velle potest hoc esse, vel non esse: sicut & nos, non peccando, possumus velle sedere, & non velle sedere.

APPENDIX.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim Petri Abaylardi dicentis, Deum agere ex necessitate naturæ. Hoc enim idem est, quod negare in Deo liberum arbitrium, modo per conclusiōnem exposito. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito damnatam ab Apostolo 1. Cor. 12. *Hec omnia operatur unus, atque idem spiritus dividens singulis, prout vult.* Hoc est exponente Ambrosio 2. de fide, cap. 3. *pro libero sua voluntatis arbitrio, non necessitatis obsequio.* Item ad Rom. 9. *Cujus vult misericordia, & quom vult, inducat: &, An non habet potestatem figuratus ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Ecce, quod habet Deus sub exemplo figurata hanc potestatem per voluntatem suam: ergo ab Apostolo patenter ponitur in Deo liberum arbitrium. Quam totam sententiam Apostoli consequenter & liberum in Deo arbitrium expressius prædixerat Christus Deo Patri sic loquens Matth. 11. *Abscondisti bac a sapientibus, & prudentibus, en vasa in contumeliam; & revelasti ea parvulis, ea vasa in honorem, ita pater, quoniam sic placitum est ante te, en quod habet per suam voluntatem potestatem illam, quod est habere liberum arbitrium.* Item a Hierem 18. *Ecce figurulus faciebat opus super rotam, & dissipatum est vas, quod ipse faciebat e luto, manibus suis, conversusque fecit illud vas alterum, sicut placuerat in oculis ejus, ut faceret, & fa-*

(1) Ex definitione quam assignat Magister Sentent. lib. 2. dist. 24. lit. E seu paragr. 5. ubi notavimus ad marginem eam colligi ex Hugo de S. Victore in suarum Sententiārum Summa Tract. 3. cap. 8. & in Miscellaneis lib. 1. tit. 135. sicut ex Augustini quoque dictis colligi potest. Sed addendum est, ut Magister Sentent. addit. quæ bonum eligitur gra-

sia effidente, vel malum ex deficiente.

(2) Præsertim vero, quia longe antea præmiserat ibidem, quod aequaliter universis Deus dedit liberum arbitrium, ut ad exemplum Dei permittantur facere quidquid velint. An ad exemplum Dei, filiero arbitrio careat?

ARTICULUS XI. 125

Utrum sit distinguenda in Deo voluntas signi.

II. dist. xlvi. art. ult. & ver. quest. XIII. art. 3.

AD undecimum sic proceditur. Videtur quod non sit distinguenda in Deo voluntas signi. Sicut enim voluntas Dei est causa rerum, ita & scientia. Sed non assignantur aliqua signa ex parte divinæ scientiæ. Ergo neque debent assignari aliqua signa ex parte divinæ voluntatis.

2. Præterea. Omne signum quod non concordat ei cuius est signum, est falsum (1). Si igitur signa quæ assignantur circa voluntatem divinam, non concordant divinæ voluntati, sunt falsa; si autem concordant, superflue assignantur. Non igitur sunt aliqua signa circa voluntatem divinam assignanda.

Sed contra est quod voluntas Dei est una, cum ipsa sit Dei essentia: quandoque autem pluraliter significatur, ut cum dicitur (Psal. cx. 2.) *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus* (2). Ergo oportet quod aliquando signum voluntatis pro voluntate accipiatur.

Respondeo dicendum, quod in Deo quædam dicuntur proprie, & quædam secundum metaphoram, ut ex supra dicitur patet (quest. XIIII. art. 3. præcipue.) Cum autem aliqua passiones humanae in divinam prædicationem metaphorice assumuntur, hoc fit secundum similitudinem effectus. Unde illud quod est signum talis passionis in nobis, in Deo nomine illius passionis metaphorice significatur. Sicur apud nos irati punire conluerunt, unde ipsa punitio est signum iræ; & propter hoc ipsa punitio nomine iræ significatur cum Deo attribui. Similiter id quod solet esse in nobis signum voluntatis, quandoque metaphorice in Deo voluntas dicitur; sicut cum aliquis præcipit aliquid, signum est quod velit illud fieri. Unde præceptum divinum quandoque metaphorice vo-

Cc lun.

Summ. S.Tb. T.I.

(1) Quod in signis naturalibus & ad significandum determinatis locum non habet, sed in voluntariis tantum, cum aliud animo gerit qui signum dat; ut ex lib. 2. de doctr. Christ. cap. 1. colligatur.

(2) Ex greco *τελιποτα*, non ad significanda principia volendi, quam multiplicata in Deo sunt;

sed objecta voluntionum vel effectus; id est ipsius voluntatis ordinationes & præcepta: Sicut ex interprete quodam Chrysostomus ibidem induxit, explicans *exquisita opera in omnes voluntates*; id est parata, prompta, expedita ut exequantur illud quod vult, & cuilibet ejus ordinationi obsequantur.

luntas Dei dicitur, secundum illud (1) Matt. vi. 10. *Fiat voluntas tua sicut in celo, & in terra.* Sed hoc distat inter voluntatem, & iram: quia ira de Deo numquam proprie dicitur, cum in suo principali intellectu includat passionem; voluntas autem proprie de Deo dicitur: & ideo in Deo distinguuntur voluntas proprie, & metaphorice dicta. Voluntas enim proprie dicta vocatur voluntas beneplaciti; voluntas autem metaphorice dicta est voluntas signi, eo quod ipsum signum voluntatis voluntas dicitur.

Ad primum ergo dicendum, quod scientia non est causa eorum quae sunt, nisi per voluntatem: non enim quae scimus, facimus, nisi velimus: & ideo signum non attribuitur scientie, sed attributur voluntati.

Ad secundum dicendum, quod signa voluntatis dicuntur voluntates divinæ, non quia sunt signa quod Deus velit; sed quia ea quae in nobis solent esse signa volendi, in Deo divinæ voluntates dicuntur: sicut punitio non est signum quod in Deo sit ira, sed punitio, eo ipso quod in nobis est signum iræ, in Deo dicitur ira.

A P P E N D I X.

Ex articulo habes primo: quomodo per rationem ostendas recte voluntatem Dei quandoque pluraliter, ut in psal. 110. *Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus*, quandoque singulariter, ut in ps. 29. & *vita in voluntate ejus*, in scripturis sanctis nominari. Secundo habes: quomodo per rationem in sensu catholico utrumque dictum intelligas; intellectumque catholice defendas. Tertio vides: quomodo, &c.

Utrum convenienter circa divinam voluntatem ponantur quinque signa.

I. *diss. xlvi. art. 4. & verit. quest. xxiii. art. 3.*

Ad duodecimum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter circa divinam voluntatem ponantur quinque signa, scilicet *prohibitio*, *præceptum*, *consilium*, *operatio*, & *permisso*. Nam eadem quæ nobis præcipit Deus, vel consulit, in nobis quandoque operatur; & eadem quæ prohibet, quandoque permittit. Ergo non debent ex opposito dividi.

2. Præterea. Nihil Deus operatur nisi volens, ut dicitur Sapient. xi. (2) Sed voluntas signi distinguuntur a voluntate beneplaciti. Ergo *operatio* sub voluntate signi comprehendendi non debet.

3. Præterea. *Operatio*, & *permisso* communiter ad omnes creaturas pertinent: quia in omnibus Deus operatur, & in omnibus aliquid fieri permittit. Sed *præceptum*, *consilium*, & *prædictio* pertinent ad solam rationalem creaturam. Ergo non veniunt convenienter in unam divisionem, cum non sint unius ordinis.

4. Præterea. Malum pluribus modis contingit quam bonum: quia *bonum* contingit *uno modo*, sed *malum omnifariam*, ut patet per Philosophum in II. Ethic. (cap. vi. a med.) (3) & per Dionysium in IV. cap. de div. Nom. (aliquantulum a med.) Inconvenienter igitur respectu mali assignatur unum signum tantum, scilicet *prohibitio*; respectu vero boni duo signa, scilicet *consilium*, & *præceptum*.

Respondco dicendum, quod hujusmodi signa voluntatis dicuntur ea quibus consuevimus demonstrare nos aliquid velle. Potest autem aliquis declarare se velle aliquid vel

per

(1) Sic enim August. lib. 2. de serm. Dom. in monte cap. 11. vel in aliis cap. 6. *Recte intelligitur*: *Fiat voluntas tua*, *Obedias præceptis suis*: *Nam fieri voluntatem Dei cum obtemperatur præceptis ejus*, *ipse Dominus dicit*, *cum ait*: *Mens cibis q̄s ut faciam voluntatem ejus qui me misit* (Joh. 4. v. 34.) Et, *qui feceris voluntatem Patris mei qui in celis es*, *bis es frater meus*; &c. Matth. 12. vers. 50. Sic Cyprianus quoque lib. de orat. dominica: *Præceptum Dei facere*, *deo es voluntatem Patris adimplere*.

(2) Äquivalente sensu, eti puto aliis verbis

vers. 26. cum ait: *Quomodo potuisse aliquid permanere nisi ex voluntate?* Vel potius cum ait immediate ante: *Nec enim odiosus aliquid constitui* (scilicet *odiosus*, aut inviti facimus illud).

(3) Colligitur ex cap. 7. in antiquis exemplaribus & apud S. Thomam lect. 7. Sed in edit. græco lat. cap. 5. ubi ad illum sensum applicatur quod Philosophi Pythagorici assertebant *bonum esse finis*, (scilicet ad finitum pertinere) sed *malum infinitum*, (scilicet pertinere ad infinitum) non sicut prius indicabatur ad marginem cap. 6.

per se ipsum, vel per alium. Per se ipsum quidem, inquantum facit aliquid vel directe, vel indirecte & per accidens. Directe quidem, cum per se aliquid operatur: & quantum ad hoc dicitur esse signum *operatio*. Indirecte autem, inquantum non impedit operationem: nam removens prohibens dicitur movens per accidens, ut dicitur in VIII. Physic. (tex. 32.) (1). Et quantum ad hoc dicitur signum *permisso*. Per alium declarat se aliquid velle, inquantum ordinat alium ad aliquid faciendum; vel necessaria inductione, quod fit præcipiendo quod quis vult, & prohibendo contrarium; vel aliqua persuasoria inductione, quod pertinet ad *consilium*. Quia igitur his modis declaratur aliquem velle aliquid, propter hoc ista quinque nominantur interdum nomine voluntatis divinæ, tamquam signa voluntatis.

Quod enim *præceptum*, *consilium*, & *prohibito* dicantur Dei voluntas, patet per id quod dicitur Matth. vi. 10. *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra*. Quod autem *permisso*, vel *operatio* dicantur Dei voluntas, patet per Augustinum, qui dicit in Enchirid. (cap. xcv. in fin.) *Nihil sit, nisi omnipotens fieri vellit, vel finendo ut fiat, vel faciendo* (2). Vel potest dici, quod *permisso*, & *operatio* referantur ad præsens: *permisso* quidem ad malum, *operatio* vero ad bonum: ad futurum vero *prohibito* respectu mali; respectu vero boni *necessarii præceptum*: respectu vero superabundantis boni *consilium*.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil prohibet circa eamdem rem aliquem diversimode declarare se aliquid velle; sicut inventiuntur multa nomina idem significantia. Unde nihil prohibet idem subiacere *præcepto*, & *consilio*, & *operationi*, & *prohibitioni*, vel *permisioni*.

Ad secundum dicendum, quod sicut Deus potest significari metaphorice velle id quod

non vult voluntate proprie accepta; ita potest metaphorice significari velle id quod proprie vult. Unde nihil prohibet de eodem esse voluntatem beneplaciti, & voluntatem signi. Sed *operatio* semper est eadem cum voluntate beneplaciti, non autem *præceptum*, vel *consilium*: tum quia hæc est de præsenti, illud de futuro: tum quia hæc per se est effectus voluntatis, illud autem per alium, ut dictum est (in corp. art.)

Ad tertium dicendum, quod creatura rationalis est domina sui actus: & ideo circa ipsam specialia quædam signa divinæ voluntatis assignantur, inquantum rationalem creaturam Deus ordinat ad agendum voluntarie, & per se. Sed aliæ creature non agunt nisi motæ ex operatione divina: & ideo circa alias non habent locum nisi *operatio*, & *permisso* (3).

Ad quartum dicendum, quod omne malum culpæ; licet multipliciter contingat, tamen in hoc convenit quod discordat a voluntate divina: & ideo unum (4) signum respectu malorum assignatur, scilicet *prohibito*. Sed diversimode bona se habent ad bonitatem divinam: quia quædam sunt sine quibus fruitionem divinæ bonitatis consequi non possimus; & respectu horum est *præceptum*: quædam vero sunt, quibus perfectius consequimur; & respectum horum est *consilium*. Vel dicendum, quod *consilium* est non solum de moribus bonis assequendis, sed etiam de minoribus malis vitandis.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte dictum Rom. 9. Cujus vult, miseretur, & quem vult, inducat, & Matth. 23. Quoties volui congregare filios tuos, & nolui? Ecce hic quinque illa signa voluntatis divinæ. Cujus vult: ly vult,

Cc 2 stat

(1) Prope finem, ubi exemplum ejus afferit qui collonam divellit, vel a vase in æqua lapidem removet, quia uterque quodammodo causa est cur moveatur illud, cuius motum impedimenta illa prohibent; sicut paries quoque cur pila reflectatur.

(2) Prout idem est *permisso* quod non impedimentum faciendi, quatenus homo sibi veluti dimittitur ad malum faciendum, vel ei quoque malum aliquod evenire finitur; Sed non prout est quædam approbatio facti vel concessio & facultas aliquid faciendi: Sic enim *permisso*, boni tantum est; sicut Paulus usurpat 1. ad Corinth. 16. vers. 7. cum se mansurum apud illos promittit, si permisisti Deus: Et ad Hebr. 6. vers. 3. cum simili loquutione se quod

inchoaverat perfecturum.

(3) Priori tamen sensu pro non impedimento sumpta.

(4) Per se loquendo & proprie: Nam alioqui duplex in textu assignatur; sed posterius tantum veluti *signum per accidens*, nimurum *permisso*. Utrumque autem illud quod respectu bonorum assignatur est signum per se: Sed *permisso boni*, vel quædam ad agendum præparatio quale signum? aut cur prædictis non additur? ut sum Tobiam cecitate tentari ac probari permisit (ex cap. 2. vers. 12.) aut cum longius ire se finxit Christus, (Luc. 24. vers. 28.) Ad operationem reducitur.

*stat pro operatione : nam de eadem operatione & voluntas signi, & voluntas beneplaciti potest dici, ut in ad secundum. Quem vult, ly vult stat pro permissione, id est, quem permittit indurari, induratur, non ex Deo tamen, sed ex seipso : quoties volui, ly volui stat pro pracepto, consilio, prohibitione. Aliquando enim praeceptis, quandoque consiliis, nonnumquam prohibitionibus nos congregare sub alas suas querit Dominus. Non sunt ergo inventiones novorum scholasticorum, quos ad nauseam usque odit Lutherus, ut patet legentibus Gabrielem Prateolum, *ti. Lutherani* : sed ex sacrifici litteris sunt accepta ista quinque divinitatis voluntatis signa, & voluntates Dei nominata. Secundo habes : quomodo concordes scripturas dicentes, quod voluntas Dei semper impletur, & quod quandoque non impletur, quod voluntati ejus nihil resistere potest, & quod peccatores voluntati ejus resistunt, & similia. Tertio vides : quomodo, &c.*

Q U A E S T I O V I G E S I M A .

*De amore Dei,**In quatuor articulos divisita.*

DEINDE considerandum est de his quae absolute ad voluntatem Dei pertinent. In parte autem appetitiva inveniuntur in nobis & passiones animae, ut gaudium, amor, & hujusmodi; & habitus moralium virtutum, ut justitia, fortitudo, & hujusmodi. Unde primo considerabimus de amore Dei; secundo de justitia Dei, & misericordia ejus.

*Circa primum queruntur quatuor.**Primo, utrum in Deo sit amor.**Secundo, utrum amet omnia.**Tertio, utrum magis amet unum quam aliud.**Quarto, utrum meliora magis amet.*

(1) *Seu commixtiva ex greco συμπαθειν quia in unum contempnerat.*

(2) *Magis continet probatio quam quod provisio continet : Non enim tantum probat quod sit in Deo amor, sed quod sit amor Deus ipse : Quamvis respectu Dei perinde est, quia nihil in Deo*

Utrum amor sit in Deo.

Inf. quest. lxxxii. art. 5. ad 1. & III. diff. xxxii. art. 1. & I. con. cap. lxxxix. xc. xci. & xcvi. & Lib. IV. cap. xix.

AD primum sic proceditur. Videtur quod amor non sit in Deo. Nulla enim passio est in Deo. Amor autem est passio. Ergo amor non est in Deo.

2. Præterea. Amor, ira, tristitia, & hujusmodi contra se dividuntur. Sed tristitia, & ira non dicuntur de Deo nisi metaphorice. Ergo nec amor.

3. Præterea. Dionysius dicit iv. cap. de div. Nom. *Amor est vis unitiva, & concretria (1)*. Hoc autem in Deo locum habere non potest, cum sit simplex. Ergo in Deo non est amor.

Sed contra est quod dicitur I. Joan. iv.

16. *Deus caritas est (2).*

Respondeo dicendum, quod necesse est posse amorem in Deo. Primus enim motus voluntatis, & cuiuslibet appetitivæ virtutis est amor. Cum enim actus voluntatis, & cuiuslibet appetitivæ virtutis tendat in bonum, & malum sicut in propria objecta; bonum autem principalius & per se sit objectum voluntatis, & appetitus; malum autem secundario, & per aliud, in quantum scilicet opponitur bono: oportet naturaliter esse priores actus voluntatis, & appetitus, qui respiciunt bonum, his qui respiciunt malum, (3) ut gaudium quam tristitiam, & amorem quam odium. Semper enim quod est per se, prius est eo quod est per aliud.

Rursus: quod est communius, naturaliter est prius: unde & intellectus per prius habet ordinem ad verum commune quam ad particularia quedam vera. Sunt autem quidam actus voluntatis, & appetitus respicientes bonum sub aliqua speciali conditione; sicut gaudium, & delectatio est de bono presenti, & habito; desiderium autem, & spes de bono nondum adepto (4). Amor autem respicit

præter Deum, & quod non possit dici Deus, vel non de Deo predicari.

(3) *Vel planiori constructione: Oportet actus voluntatis & appetitus qui respiciunt bonum, esse priores naturaliter his qui respiciunt malum.*

(4) *Stricte loquendo & proprio: Nam extensiva signi.*

respicit bonum in communi , sive sit habi-
tum , sive non habitum : unde amor natu-
raliter est primus actus voluntatis , & appe-
titus : & propter hoc omnes alii motus ap-
petitivi presupponunt amorem quasi primam
radicem : nullus enim desiderat aliquid nisi
bonum amatum ; neque aliquis gaudet nisi
de bono amato : odium etiam non est nisi
de eo quod contrariatur rei amatae : & si-
militer tristitiam , & cetera hujusmodi ma-
nifestum est in amorem referri sicut in pri-
mum principium . Unde in quocumque est
voluntas , vel appetitus , oportet esse amo-
rem . Remoto enim primo , removentur alia .
Ostensum est autem (quæst . xix . ar . 1 .) in
Deo esse voluntatem : unde necesse est in eo
ponere amorem .

Ad primum ergo dicendum , quod vis co-
gnitiva non movet nisi mediante appetitiva ;
& sicut in rebus ratio universalis movet me-
diante ratione particulari , ut dicitur in III .
de Anima (tex . 57 . & 58 .) ita appetitus
intellectivus , qui dicitur voluntas , movet in
nobis mediante appetitu sensitivo : unde pro-
ximum motivum corporis in nobis est ap-
petitus sensitivus . Unde semper actum appeti-
tus sensitivi concomitantia aliqua transmuta-
tio corporis , & maxime circa cor , quod
est primum principium motus in animali .
Sic igitur actus appetitus sensitivi , inquan-
tum habent transmutationem corporalem an-
nexam , passiones dicuntur , non autem actus
voluntatis . Amor igitur , & gaudium , &
delectatio , secundum quod significant actus
appetitus sensitivi , passiones sunt ; non au-
tem secundum quod significant actus appeti-
tus intellectivi : & sic ponuntur in Deo .
Unde dicit Philosophus in VII . Ethicor .
(cap . ult . ad fin .) (1) quod Deus una & sim-
plici operatione gaudet ; & eadem ratione si-
ne passione amat .

Ad secundum dicendum , quod in passio-
nibus sensitivi appetitus est considerare ali-

quid quasi materiale , scilicet corporalem
transmutationem , & aliquid quasi formale ,
quod est ex parte appetitus : sicut in ira ,
ut dicitur in I . de Anima (tex . 15 . 62 . &
64 .) materiale est accensio sanguinis circa
cor , vel aliquid hujusmodi ; formale vero
appetitus vindictæ . Sed rursus ex parte ejus
quod est formale , in quibusdam horum de-
signatur aliqua imperfectio ; sicut in deside-
rio , quod est boni non habiti , & in tristitia ,
qua est mali habiti : & eadem ratio
est de ira , qua tristitiam supponit . Quæ-
dam vero nullam imperfectionem designant ,
ut amor , & gaudium . Cum igitur nihil
horum Deo conveniat secundum illud quod
est materiale in eis , ut dictum est (ad præc.
arg .) illa qua imperfectiō important
etiam formaliter , Deo convenire non pos-
sunt , nisi metaphorice propter similitudi-
nem effectus , ut supra dictum est (quæst .
111 . art . 2 . ad 2 . & quæst . præc . art . 11 .)
Quæ autem imperfectionem non important ,
de Deo proprie dicuntur , ut amor , & gau-
dium ; tamen sine passione , ut dictum est
(in isto art . & quæst . præc . art . 11 .)

Ad tertium dicendum , quod actus amoris
semper tendit in duo , scilicet in bonum
quod quis vult alicui , & in eum cui vult
bonum . Hoc enim est proprie amare ali-
quem , velle ei bonum . Unde in eo quod
aliquis amat se , vult bonum sibi ; & sic il-
lad bonum querit sibi venire , inquantum
potest . Et pro tanto dicitur amor vis uni-
tiva etiani in Deo , sed absque compositiō-
ne : quia illud bonum quod vult sibi , non
est aliud quam ipse , qui est per suam essen-
tiā bonus , ut supra ostensum est (quæst .
iv . art . 1 . & 3 .) In hoc vero quod ali-
quis amat alium , vult bonum illi ; & sic
utitur eo tamquam se ipso , referens bonum
ad illum sicut ad se ipsum . Et pro tanto
dicitur amor vis concretiva , quia alium ag-
gregat sibi , habens se ad eum sicut ad se
ipsum .

Significatione potest etiam de re nondum habita esse
gaudium propter spei habendi , secundum illud ad
Rom . 12 . vers . 12 . Spe gaudens ; & similia pas-
sim : Sicut & e converso potest esse desiderium de
re habita propter aviditatem quamdam & animi ef-
fusionem qua quis in re possedit delectatur , vel
ejus perpetuam possessionem ardenter amat ac de-
perit , secundum illud Ecclesiast . 24 vers . 29 . ex per-
sona Sapientiae dictum , Qui edun me , adhuc es-
sient ; & qui bibunt me , adhuc sient , &c .

(1) Paulo aliis verbis ; nempe quod una & sim-
plici gaudes voluptate (juxta græcum ἀδοὺς) sive
una simplici delectatione , sicut vetus Interpres red-

dit , & ibidem usurpat Sanctus Thomas : Perinde
tamen utrumque est , quia ratio præmittitur ex ope-
ratione ipsa cur una voluptate gaudeat & simplici .
Appendix autem sequens colligitur ex text . 16 ubi
Dialecticum & Naturalem diversimode iram definire
animadvertisit : Alterum quidem , ut si appetitus
recontristationis (ὅπερι αἱ ταυτίσεις) hoc est vindictæ
qua reddimus ei qui nos contristavit ; Alterum ve-
ro , ut sit fervor sanguinis cives cor (ζέντις αἰγαλος)
Et illum quidem formam vel rationem assignare ;
hunc materialis : Non tam proprie tamen quam in
physicis assignatur , sed quasi , &c .

ipsum. Et sic etiam amor divinus est vis concretiva absque compositione quæ sit in Deo, in quantum aliis bona vult.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim Novatiani, seu Novati (Prat. Cœlestiani) horribiliter blasphemantis, Deum esse crudelem. Maxime vero i Mam rejicies, si articulum sequentem, quod scilicet Deus amet omnia, huic adjunxeris. Secundo habes: quomodo per rationem demonstres, illam jure esse damnatam ab Apostolo Joanne in prima sua epistola cap. 2. *Deus Caritas est*. Per hæc enim & a fortiori quidem, damnatur ipsa, dum non tantum amor in Deo esse dicitur, sed etiam ipsem amor essentialiter Deus esse statuit. Non potest igitur vel quantumcumque minima crudelitas esse in Deo, quandoquidem, sicut in albedine nigredinem, vel tantillam esse impossibile est, licet in re alba possit esse aliqua nigredo: ita in amore reperiri posse vel minimum oppositi singi nequit, licet in aliqua re amante posse & singi, & esse. Tertio vides: quomodo, &c.

ARTICULUS II. 128

Utrum Deus omnia amet.

2. 2. quest. cx. art. 1. cor. & III. dist. xxxii. art. 1. & 2. & I. con. cap. xc. & III. cap. cl. princ. & ver. quest. xxvii. art. 1. cor. & vir. quest. II. art. 7. ad 2.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod Deus non omnia amet. Quia secundum Dionysium iv. cap. div. Nom. (part. 1. vers. finem lect. 10.) amor amantem extra se ponit, & eum quodammodo in amatum transfert. Inconveniens autem est dicere, quod Deus extra se positus in alia transferatur. Ergo inconveniens est dicere, quod

Deus alia a se amet.

2. Præterea. Amor Dei æternus est. Sed ea quæ sunt alia a Deo, non sunt ab æterno nisi in Deo. Ergo Deus non amat ea nisi in se ipso. Sed secundum quod sunt in eo, non sunt aliud ab eo. Ergo Deus non amat alia a se ipso.

3. Præterea. Duplex est amor, scilicet concupiscentia, (1) & amicitia. Sed Deus creaturas irrationalis non amat amore concupiscentia, quia nullius extra se eget; nec etiam amore amicitia, quia non potest ad res irrationalis haberis, ut patet per Philosophum in VIII. Ethicorum (cap. ii.) (2). Ergo Deus non omnia amat.

4. Præterea. In Psal. v. 7. dicitur: *Odisi omnes qui operantur iniquitatem. Nihil autem simul odio habetur, & amat. Ergo Deus non omnia amat.*

Sed contra est quod dicitur Sapien. xi. 25. *Diligis omnia que sunt, & nihil odisti eorum que fecisti.*

Respondeo dicendum, quod Deus omnia existentia amat: nam omnia existentia, in quantum sunt, bona sunt. Ipsum enim esse cuiuslibet rei quoddam bonum est, & similiter quilibet perfectio ipsius. Ostensum est autem supra (quest. xix. art. 4.) quod voluntas Dei est causa omnium rerum: & sic oportet quod intantum habeat aliquid esse, aut quodcumque bonum, in quantum est volitum a Deo. Cuilibet igitur existenti Deus vult aliquid bonum. Unde cum amare nihil aliud sit quam velle bonum alicui, manifestum est quod Deus omnia quæ sunt, amat, non tamen eo modo sicut nos (3). Quia enim voluntas nostra non est causa bonitatis rerum, sed ab ea movetur sicut ab objecto, amor noster, quo bonum alicui volumus, non est causa bonitatis ipsius, sed e converso bonitas ejus vel vera, vel æstimata provocat amorem, quo ei volumus & bonum conservari quod habet, & addi quod non habet; & ad hoc operamur. Sed amor Dei est infundens, & creans bonitatem in rebus.

Ad

(1) Quo amamus rem causa nostri; sicut altero causa fu:.

(2) Tum in greco latinis tum in antiquis colligitur expresse, ubi sic plene Philoponus: *Cum sis finis proper quo homines amant (nempe honestas, utilitas, delectatio) in rerum quidem inanimatarum. amores five amatione (φιλίας), amicitia non dicitur, quia redematio esse non potest (αρτιφιαλησις)* Riscendum enim est ut vino bonum aliquis velit: Sed

si vnde illius conservari, hoc ransum vult us ejus usum sibi habeat. &c.

(3) Supple amamus, ut adjuncta explicant: Et si alio sensu non sicut nos, amare dici posset omnia quæ sunt, quia speciali amore nos diligit supra omnia: Unde mox ibi subiungitur: *Quia tua sunt, Domine qui amas animas; vel Domine amator omniarum (φιλόνυχε δέσποτα) &c.*

Ad primum ergo dicendum, quod amans sic fit extra se, in amatum translatum, in quantum vult amato bonum, & operatur per suam providentiam, sicut & sibi. Unde dicit Dionysius iv. cap. de div. Nomin. (loco cit. in arg. 1.) Audendum est autem & hoc pro veritate dicere, quod & ipse omnium causa per abundantiam amative bonitatis extra seipsum sit ad omnia existentia (*) providentis (1).

Ad secundum dicendum, quod licet creature ab æterno non fuerint nisi in Deo; tamen per hoc quod ab æterno in Deo fuerunt, ab æterno Deus cognovit res in propriis naturis, & eadem ratione amat, sicut & nos per similitudines rerum; quæ in nobis sunt, cognoscimus res in se ipsis existentes.

Ad tertium dicendum, quod amicitia non potest haberi nisi ad rationales creature, in quibus contingit esse redamationem, & communicationem in operibus virtutum, & quibus contingit bene evenire, vel male secundum fortunam, & felicitatem; sicut & ad eas proprie benevolentia est. Creature autem irrationalis non possunt pertingere ad amandum Deum, neque ad communicationem intellectualis, & beatæ virtutum, qua Deus vivit. Sic igitur Deus, proprie loquendo, non amat creature irrationalis amore amicitiae, sed amore concupiscentiae, inquantum ordinat eas ad rationales creature, & etiam ad se ipsum, non quasi eis indigeat, sed propter suam bonitatem, & nostram utilitatem (2). Concupiscimus enim aliquid & nobis, & aliis.

Ad quartum dicendum, quod nihil prohibet unum & idem secundum aliquid amari, & secundum aliquid odio haberi. Deus autem peccatores, inquantum sunt naturæ quædam, amat: sic enim & sunt, & ab ipso sunt. Inquantum vero peccatores sunt, non sunt, (3) sed ab esse deficiunt, & hoc in eis a Deo non est: unde secundum hoc ab ipso odio habentur.

APPENDIX.

EX artic. habes primo: quomodo totaliter id Novati destruas, quod in articulo primo fuit notatum. Si enim Deus omnia amat & intime, quomodo crudelis esse potest? Secundo habes: quomodo per rationem varias juxta sensum scripturas catholice concordes, ut ly odio sunt Deo impius, & impietas ejus Sap. 14 & ly Diligis omnia, que sunt, & nihil odisti eorum, que fecisti Sap. 11. Nota autem contra Novatum, qui forsan ex odio Dei contra peccatores posset inferre Deum, ut nominat ipse, crudelem aliquo modo, nota inquantum, quod hoc, etiam si felicit, non posset inferre. Nam odire peccatores non est crudelitatis, sed amoris, & iustitiae. Ex hoc enim, quod amas aliquem, provenit, quod non sufficiens videre illum soridum, & consequenter, quod odis & sordes ejus, & ipsum, quatenus soridus est. Vides ergo, quod odire impium monstrat, quod Deus diligit illum hominem. Justum est etiam, ipsum odire impium quoniam impietas est, ut odiatur, sicut virtutis ut ametur, & iustitiae est, ut reddat unicuique suum. Quod dixi de impietate, dicas etiam de impio, ut sic, quoniam impius, ut sic, est creatura vestita impietate. Tertio vides: quomodo ex his, &c.

ARTICULUS III. 129

Utrum Deus aequaliter diligat omnia.

IL dist. xxvi. art. 1. ad 2. & III. dist. xix. art. 5. quest. 1. dist. xxiii. art. 4. & I. cont. cap. xcii.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod Deus æqualiter diligit omnia. Dicitur enim Sapient. vi. 8. *Æqualiter est ei cura de omnibus.* Sed providentia Dei, quam habet de rebus, est ex amore quo amat res. Ergo æqualiter amat omnia.

2. Præterea. Amor Dei est ejus essentia. Sed essentia Dei magis, & minus non recipit.

(*) *Ali. providentis.*

(1) Ut ex antiqua versione usurpat S. Thomas: *Ex græca autem phrasι ταῦτα τὰ ὄντα τάχτα τεμνούσαι reddi planius potest: Extra seipsum quodammodo sit providentia quæ ad omnia quæ sunt habet: Vel omniū rerum procurations; ut modernus quipiam verbit; Vel per providentias omnium rerum, ut aliud;*

Uterque tamen minus ad græcam phrasim brens.

(2) An non etiam propter gloriam sua manifestationem? Unde, *Celsi narrant gloriam Dei, &c.*

(3) Et positivum tamen peccatum est? Apote? Hinc illud nihil de quo Joan. 1. Augustinus peccatum intelligit per quod homines singulis nihil, cuncto peccant.

pit . Ergo nec amor ejus : non igitur quædam aliis magis amat .

3. Præterea . Sicut amor Dei se extendit ad res creatas , ita scientia , & voluntas . Sed Deus non dicitur scire quædam magis quam alia , neque magis velle . Ergo nec magis quædam aliis diligit .

Sed contra est quod dicit Augustinus super Joann . (tract . cx . a med . æquivalenter :) (1) Omnia diligit Deus quæ fecit , & inter ea magis diligit creature rationales , & in illis eas amplius quæ sunt membra Unigeniti sui , & multo magis ipsum Unigenitum suum .

Respondeo dicendum , quod cum amare sit velle bonum alicui , dupli ratione potest aliquid magis , vel minus amari . Uno modo ex parte ipsius actus voluntatis , qui est magis , vel minus intensus : & sic Deus non magis quædam aliis amat , quia omnia amat uno & simplici actu voluntatis , & semper eodem modo se habente . Alio modo ex parte ipsius boni , quod aliquis vult amato , & sic dicimus aliquem magis alio amare , cui volumus majus bonum , quamvis non magis intensa voluntate : & hoc modo necesse est dicere , quod Deus quædam aliis magis amat . Cum enim amor Dei sit causa bonitatis rerum , ut dictum est (art . præc .) non esset aliquid alio melius , si Deus non vellet unum majus bonum quam alteri .

Ad primum ergo dicendum , quod dicitur Deo æqualiter esse cura de omnibus , non quia æqualia bona sua cura omnibus dispensaret , sed quia ex æquali sapientia , & bonitate omnia administrat (2) .

Ad secundum dicendum , quod ratio illa procedit de intentione amoris ex parte actus voluntatis , qui est divina essentia . Bonum autem quod Deus creature vult , non est divina essentia . Unde nihil prohibet illud intendi , vel remitti .

Ad tertium dicendum , quod intelligere , & velle significant solum actus , non autem in sua significatione includunt aliqua objecta (3) , ex quorum diversitate possit dici Deus magis , vel minus scire , aut velle , si-

cut circa amorem dictum est (in corp . art .)

A P P E N D I X .

EX art . habes primo : quomodo per rationem interimas hæreses Luberi (R . P . Bannes hic) dicentis , quod omnes sunt æqualiter justi , & quod omnes sunt ad æqualem gloriam prædestinati . Item hæresim Catharorum (Cardinal . Turrecremata de Eccles . lib . 4 . cap . 35 .) dicentium , omnes fore parens in gloria , ac in pœna . Si enim Deus per secundam conclusionem inæqualiter diligit , utique non erit æqualitas justorum in justitia , nec prædestinatorum ad gloriam , nec præmiatorum in retributionibus sibi correspondentibus , quoniam omne bonum nostrum ab amore Dei causatur , & præmia secundum bona meritoria recipimus . Secundo habes : quomodo per rationem demonstres , has omni jure fuisse brevibus damnatas a Concilio Flor . sess . public . 1439 . sic . Defini-mus &c. animas purgatas in cælum mox recipi , & intueri clare ipsum Deum Trinum , & Unum , sicut est , pro meritorum tamē diversitate alium alio perfectius . Illorum autem animas , qui in actuali mortali peccato , vel solo originali decedunt mox in infernum descendere , pœnis tamen disparibus puniendas . Hæc ibi . En , quod Concilium merita diversa , demerita dispara , inæqualem tum in gloria , tum in pœnis retributionem decernit , & consequenter portas prædictas inferorum convellit . Amplectitur etiam prædestinationem ad illa inæqualia inæqualiter factam in suo præmisso decreto , quandoquidem inæqualia dari ad æqualia prædestinatis , noscis omnino impossibile fore , cum Deus , sit solus ille , cuius providentia in sui dispositione nunquam fallitur , ut ab initio canit Ecclesia . Tertio vides : quomodo ex his vicissim firmetur secunda conclusio . Nam de prima , cum Deus sit etiam secundum Philolophum actus purus , quis dubitat ? Et si quis insipiens dubitet , per dicta in q . 3 . quæ est de simplicitate Dei , obstruatur os loquentium iniqua , vide ibi , si opus sit .

AR-

(1) Super illud a Christo dictum , *Dilexi>bas; cas sis me* : Sic enim ibi plenioribus verbis sub finem : *Hoc in omnibus intelligi potest de illo cui varaciter dicitur* (Sap . 11 .) *Nihil odisti eorum quæ fecisti* : Et paulo infra : *Cum igitur eorum quæ fecisti nihil odoris ; quis digne posse eloqui quantum diligas membra unigeniti sui* , & quanto amplius ipsum unigenitum in qua condita sunt omnia , &c. Unde præmittit illud *scis non ad æqualitatem*

significandam semper usurpari , sed aliquando ad intendendum quod sit aliquid unum , quia est & aliud : ut ibi : *Sicut me misisti , & ego misi eos* , &c.

(2) Vé àequaliter non dicitur proprio sensu , sed ut idem est ac similiter , iuxta græcum ὁμοίως quia tam his providet suo modo quam illi .

(3) Nempe inimedita & formalia quæ objectis terminativis applicentur , sicut bonum amatis , &c.

ARTICULUS IV. 130

An Deus semper magis diligit meliora.

III. dist. xxxii. artic. 5. quest. 1. 2. 3.
 & 4. & dist. xxxi. quest. 11.
 articul. 3. quest. 3.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod Deus non semper magis diligit meliora. Manifestum est enim quod Christus est melior toto genere humano, cum sit Deus, & homo. Sed Deus magis dilexit genus humaanum quam Christum: quia dicitur Rom. viii. 32. *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ergo Deus non semper magis diligit meliora.

2. Præterea. Angelus est melior homine: unde in Psal. viii. 7. dicitur (1) de homine: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Sed Deus plus dilexit hominem quam Angelum: dicitur enim Hebr. ii. 16. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abræ apprehendit.* Ergo Deus non semper magis diligit meliora.

3. Præterea. Petrus fuit melior Joanne, quia plus Christum diligebat: unde Dominus sciens hoc esse verum, interrogavit (2) Petrum; dicens: *Simon Joannis diligis me plus bis?* Sed tamen Christus plus dilexit Joannem quam Petrum: ut enim dicit Augustinus super illud Joann. xx. *Vidis discipulum quem diligebat Jesus.* (tract. ult. in Joann. post princ.) „Hoc ipso signo Joann., nes a ceteris discipulis discernitur: non quod solum eum, sed quod plus eum ceteris diligebat, “ Non ergo semper magis diligit meliora. ”

4. Præterea. Melior est innocens pœnitentia. *Summ. S.Tb. T. L.*

te, cum pœnitentia sit secunda tabula post naufragium, ut dicit Hieronymus (cap. iii. in Isaiam super illud, *Peccatum suum ut Sodoma predicaverunt*) (3). Sed Deus plus diligit pœnitentem quam innocentem, quia plus de eo gaudet; dicitur enim Luc. xv. 7. *Dico vobis, quod majus gaudium erit in calo super uno peccatore pœnitentiam agente quam super nonaginta novem iussis, qui non indigent pœnitentia.* Ergo Deus non semper magis diligit (*) meliora.

5. Præterea. Melior est justus præscitus quam peccator prædestinatus. Sed Deus plus diligit peccatorem prædestinatum, quia vult ei majus bonum, scilicet vitam æternam. Ergo Deus non semper magis diligit meliora.

Sed contra. Unumquodque diligit sibi simile, ut patet per illud quod habetur Eccli. xiii. 19. *Omne animal diligit sibi simile.* Sed intantum aliquid est melius, inquantum est Deo similius. Ergo meliora magis diliguntur a Deo.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere secundum prædicta, quod Deus magis diligit meliora. Dictum est enim (art. 2. & 3. præc.) quod Deum diligere magis aliquid nihil aliud est quam ei majus bonum velle: voluntas enim Dei est causa bonitatis in rebus; & sic ex hoc sunt aliqua meliora, quod Deus eis majus bonum vult. Unde sequitur quod meliora plus amet.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus Christum diligit non solum plus quam totum humanum genus, sed etiam magis quam totam universitatem creaturarum: quia scilicet ei majus bonum voluit, quia dedit ei nomen quod est super omne nomen (4), ut verus Deus esset. Nec aliquid ejus excellenter deperiit ex hoc quod Deus dedit eum in mortem pro salute humani generis; quinimmo ex hoc factus est victor gloriosus: *factus*

Dd enim

(1) Secundum litteralem significationem, ut vide-
re est ibi; quamvis & Apostolus quasi de Christo di-
ctum notat ad Hebr. 2. vers. 9.

(2) Sic enim Augustinus loco mox indicando, non
super illud *Simon Joannis, diligis, me* ut prius:
Quod sciebat, interrogabas, ut nos amorem Petri &
vito interrogante & isto respondente nosceremus.

(3) Tum hic, tum ad Demetriadem epist. 8. ubi
circa medium ait: *Nos ignoramus pœnitentiam, ne
facile peccamus: illa quasi secunda post naufragium
misericordia tabula sis: In virginis integra servetur na-
vis.* &c. Quin & simile quiddam ex epist. 9. ad Sal-
vinianum colligi potest, ubi sub finem ait: *Ne statim
nobis pœnitentia subsidia blandiansur, que sunt in-
felicitum remedia: Nam aliud est integra nave por-*

tum salutis intrare; aliud nudum barrere tabula, &c.
(*) Edis. Rom. & Petav. meliorem.

(4) Ut cap. 2. ad Philip. vers. 9. factum esse si-
gnificatur postquam humiliavit se usque ad mortem;
non quod folium tunq; Deus esse de novo incepit,
sed quod specialius innoverit & ab omnibus palam
sit agnitus. Quod autem subiungitur ex Isaiæ 9. al-
lusion est ad sacrosanctam crucem quam humeris ges-
tavit ut regis dignitatis insigne, adeoque regia in-
scriptione non tam Pilati iussu, quam Dei ntu in-
signitum; aut ut trophyum victoriae sive triumphi
sui quod gloriissimum debellator victor & inimicorum
virtutum potentissimus debellator pulchra specie ade-
randum regnis omnibus inferebas; ut serm. 8. de
passione loquitur S. Leo.

enim est principatus super humerum ejus , ut dicitur Ifa. ix. 6.

Ad secundum dicendum , quod naturam humanam assumptam a Dei Verbo in persona Christi , secundum praedicta (in arg. præc.) Deus plus amat quam omnes Angelos ; & melior est , maxime ratione unionis. Sed loquendo de humana natura communiter , eam angelicæ comparando , secundum ordinem ad gratiam , & gloriam æqualitas invenitur , cum eadem sit mensura hominis , & Angeli , ut dicitur Apoc. xx. ita tamen quod quidam Angeli quibusdam hominibus , & quidam homines quibusdam Angelis , quantum ad hoc , potiores inveniuntur. Sed quantum ad conditionem naturæ , Angelus est melior homine . Nec ideo naturam humanam assumpsit Deus , quia hominem absolute plus diligeret , sed quia plus indigebat ; sicut bonus paterfamilias aliquid pretiosius dat servo ægrotanti , quod non dat filio fano .

Ad tertium dicendum , quod hæc dubitatio de Petro , & Joanne multipliciter solvitur . Augustinus namque (tract. hic supra cit.) refert hoc ad mysterium , dicens , quod vita activa , quæ significatur per Petrum , plus diligit Deum quam vita contemplativa , quæ significatur per Joannem : quia magis sentit præsentis vita angustias , & æstuantur ab eis liberari desiderat , & ad Deum ire . Contemplativam vero vitam Deus plus diligit , quia magis eam conservat : non enim finitur simul cum vita corporis , sicut vita activa (1).

Quidam vero dicunt , quod Petrus plus dilexit Christum in membris , & sic etiam a Christo plus fuit dilectus : unde ei Ecclesiam commendavit . Joannes yero plus dilexit Christum in se ipso , & sic etiam plus ab eo fuit dilectus : unde ei commendavit Matrem (2). Alii vero dicunt , quod incertum est , quis horum plus Christum dilexerit amo-

re caritatis ; & similiter quem Deus plus dilexit in ordine ad maiorem gloriam vitez æternæ . Sed Petrus dicitur plus dilexisse quantum ad quamdam promptitudinem , vel fervorem ; Joannes vero plus dilectus quantum ad quoddam familiaritatis indicia quæ Christus ei magis demonstrabat propter ejus juventutem , & puritatem . Alit vero dicunt , quod Christus plus dilexit Petrum quantum ad excellentius donum caritatis , Joannem vero plus quantum ad donum intellectus . Unde simpliciter Petrus fuit melior , & magis dilectus , sed Joannes secundum quid . Praesumptuosum tamen videtur hoc dijudicare : quia , ut dicitur Prov. vi. 2. *Spirituum ponderator est Dominus* , & non aliud .

Ad quartum dicendum , quod pœnitentes , & innocentes se habent sicut excedentia , & excessa . Nam sive sint innocentes , sive pœnitentes , illi sunt meliores , & magis dilecti qui plus habent de gratia ; ceteris tamen paribus innocentia dignior est , & magis dilecta . Dicitur tamen Deus plus gaudere de pœnitentes quam de innocentibus : quia plerunque pœnitentes cautiore , humiliores , & ferventiores resurgunt . Unde Gregorius dicit ibidem (hom. xxxiv. in Evang. aliquant. a princ.) quod *dux in prælio eum militem plus diligit qui post fugam conversus fortiter bostem premis , quam qui numquam fugit , nec unquam fortiter fecit* (3) . Vel alia ratione , quia æquale donum gratiarum plus est comparatum pœnitenti , qui meruit pœnam , quam innocentibus , qui non meruit ; sicut centum marchæ majus donum est , si dentur pauperi , quam si dentur Regi (4).

Ad quintum dicendum , quod cum voluntas Dei sit causa bonitatis in rebus , secundum illud tempus pensanda est bonitas ejus qui amatur a Deo , secundum quod dandum est ei ex bonitate divina aliquid bonum . Secundum ergo illud tempus quo prædestinatio peccatori dandum est ex divina voluntate majus

(1) Quæ omnia proixe ibi ac eleganter cum variis antithesisibus prosequitur .

(2) Plus igitur Joannes Christum ut privatim privatum diligebat : Plus Petrus ut subditus Dominum : Sive magis personam ejus diligebat Joannes : Magis autem autoritatem Petrus vel potestatis dignitatem : Sicut olim dictus est Ephesioν φιλαρέτους (id est amatoris Alexandri) quod Alexandro familiaris esset supra omnes : Craterus vero φιλοβασιλεύς (id est Regis amator vel amicus) quod in iis quæ ad regiam dignitatem & gubernandi autoritatem pertinebant , fidelissimus et esset .

(3) Sive qui numquam serga præbuit , & numquam aliquid fortiter gesse , ut Gregorii textus habet ; ex quo etiam reponimus *reversus pro conversus* .

(4) Pro certo quodam auri vel argenti pondere usurpatum ex prisco usu quo *marchæ* pro termino solebat usurpari : Cum ergo massa sive auri sive argenti ad aliquem terminum perducitur , qui justum pondus efficiat vocatur *marchæ* : Continet autem pondus illud ex aurifucum usu & estimatione uncias octo , vel dimidium libras ; ut videre est in Syntagmate juris lib. 36. cap. 2. num. 13; licet apud alias artifices uncias novem ; lib. 23. cap. 13. num. 8.

majus bonum, melior est, licet secundum aliquod aliud tempus sit pejor: quia & secundum aliquod tempus non est nec bonus, neque malus (*).

A P P E N D I X .

EX articul. habes *primo*: quomodo per rationem consutes errorem *Joannis Huss* di- centis. Præscitus etsi aliquando sit in gracia secundum præsentem justitiam, tamen numquam est pars sanctæ Ecclesiæ, & prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ, licet aliquando excidat a gratia adventitia; sed non a gratia prædestinationis. Hic enim Deum semper non diligere meliora fatetur, dum prædictum in gratia non vult pro tunc esse membrum Ecclesiæ, ejus membrum dicit esse prædestinatum extra gratiam. Contra hunc militat totus articulus, specialiter responsio ad *quintum*. Nec mirum, si sic loquitur, quoniam ipsem Huss Ecclesiam statuit esse congregationem prædestinatorum, sive sint in gratia, sive non, & hoc eiusdem est unum inconveniens damnatum a Concilio *Constantiensi* *sess. 15.* & uno inconvenienti dato secundum Philosophum, necesse est multa sequi. **Secundo** habes: quomodo per rationem ostendas, errorem illum primo narratum jure damnatum fuisse a Concilio ipso *Constantiensi* *sess. predicta*. Ibi enim pronunciata est sententia damnationis articulorum *30.* & consequenter hujus illis connumerati *Joannis Huss* sub eadem forma, quæ condemnati sunt articuli *Joannis Wicelleff*. Hanc formam vide ad verbum scriptam supra *q. 19. a. 8. in appendice*. **Tertio** vides, &c.

Q U E S T I O V I G E S I M A P R I M A .

De justitia, & misericordia Dei,

In quatuor articulos divisâ.

POst considerationem divini amoris, de justitia, & misericordia ejus agendum est:

& circa hoc queruntur quatuor.

Primo, utrum in Deo sit justitia.

Secundo, utrum justitia ejus veritas dici possit.

Tertio, utrum in Deo sit misericordia.

Quarto, utrum in omni opere Dei sit justitia, & misericordia.

A R T I C U L U S I . 131

Utrum in Deo sit justitia.

IV. dñs. xlvi. quest. i. art. i. quest. i. & I. cont. cap. xciii.

AD primum sic proceditur. Videtur quod in Deo non sit justitia. Justitia enim contra temperantiam dividitur. Temperantia autem non est in Deo. Ergo nec justitia.

2. **Præterea.** Quicumque facit omnia pro libito suæ voluntatis, non secundum justitiam operatur. Sed, sicut dicit Apostolus ad Eph. i. 11. *Deus operatur omnia secundum consilium sue voluntatis*. Non ergo ei justitia debet attribui.

3. **Præterea.** Actus justitiae est reddere debitum (1). Sed Deus nulli est debitor. Ergo Deo non competit justitia.

4. **Præterea.** Quidquid est in Deo, est ejus essentia. Sed hoc non competit justitiae: dicit enim Boetius in Lib. de heb. (2) (cujus Lib. titulus est. *An omne quod est, bonum sit, circa fin.*) quod *bonum essentiam, justum vero actum respicit*. Ergo justitia non competit Deo.

Sed contra est quod dicitur in Psalm. x. 8. *Iustus Dominus, & iustitiam (3) dilexit.*

Respondeo dicendum, quod duplex est species justitiae. Una quæ consistit in mutua datione, & acceptance, ut puta quæ consistit in emptione, & venditione, & aliis hujusmodi communicationibus, vel communicationibus: & haec dicitur a Philosopho in V. Ethic. (cap. iv.) *iustitia commutativa, vel directiva commutationum, sive com-*

Dd 2 muni-

(*) *Al. nempe cum natus adhuc non est.*

(1) *Inferiori, superiori, vel æuali, ut suo loco expressius.*

(2) *Ob initium sui sic inscripto: Sed vera inscrip-
tio An omne quod est, bonum sit.*

(3) *Ut Psalterium Chaldaicum, Ambrosianum, &
etiam Romanum legit: Sed in Biblia emendatis
(ex græca phrasi δικαιοσύνα γένεται) pluraliter
legitur iusticias: Vel iusticias usurpando pro iustis*

*ipsis; vel quia quasi multæ iustitiae videntur esse in multis iustis, cum sit una nobilissima Dei iustitia cui omnes participare, ut Augustinus notat ibi.
Quod autem subiungunt ex Ethic. 5. ut ex cap. q.
in antiquis Exemplaribus prius indicabatur ad marginem, sed in græco-lat. cap. 5. ubi *commutatio-*
nem solum nomen expresse (συαλλαγμάτων) sed
*communicationem indicatur.**

municationum. Et hæc non competit Deo, quia, ut dicit Apostolus Rom. 11. 35. *quis prior dedit illi, & retribuerit ei?* Alia quæ consistit in distribuendo, & dicitur distributiva justitia, secundum quod aliquis gubernator, vel dispensator dat unicuique secundum suam dignitatem. Sicut igitur ordo congreus familiæ, vel cuiuscumque multitudinis gubernatæ demonstrat hujusmodi justitiam in gubernante; ita ordo universi, qui appetet tam in rebus naturalibus, quam in rebus voluntariis, demonstrat Dei justitiam. Unde dicit Dionysius VIII. cap. de div. Nom. (non procul. a fine lect. 4.) *Oportet videre in hoc veram Dei esse justitiam, quod omnibus tribuit protilla secundam uniuscujusque existentium dignitatem, & uniuscujusque naturam in proprio salvat ordine, & virtute* (1).

Ad primum ergo dicendum, quod virtutum moralium quedam sunt circa passiones, sicut temperantia circa concupiscentias, fortitudo circa timores, & audacias, mansuetudo circa iram: & hujusmodi virtutes Deo attribui non possunt nisi secundum metaphoram: quia in Deo neque passiones sunt, ut supra dictum est (quæst. XX. art. 1) neque appetitus sensitivus, in quo sunt hujusmodi virtutes sicut in subiecto, ut dicit Philosophus in III. Ethic. (cap. X.) (2). Quædam vere virtutes morales sunt circa operationes, ut puta circa dationes, & sumptus, ut justitia, & liberalitas, & magnificentia: quæ etiam non sunt in parte sensitiva, sed in voluntate. Unde nil prohibet hujusmodi virtutes in Deo ponere, non tamen circa actiones civiles, sed circa actiones Deo convenientes. Ridiculum est enim secundum virtutes politicas Deum laudare, ut dicit Philosophus in X. Ethic. (cap. VIII.)

Ad secundum dicendum, quod cum bonum intellectum sit objectum voluntatis, impossibile est Deum velle nisi quod ratio suæ sapientiæ habet. Quæ quidem est sicut lex justitiae, secundum quam ejus voluntas

recta, & justa est. Unde quod secundum voluntatem facit, juste facit; sicut & nos, quod secundum legem facimus, juste facimus; sed nos quidem secundum legem alicujus superioris, Deus autem sibi ipse est lex.

Ad tertium dicendum, quod unicuique debetur quod suum est. Dicitur autem esse suum alicujus quod ad ipsum ordinatur; sicut est servus domini, & non e conversio: nam liberum est quod sui causa est (3). In nomine ergo debiti importatur quidam ordo exigentia, vel necessitatis alicujus, ad quod ordinatur.

Est autem duplex ordo considerandus in rebus. Unus, quo aliiquid creatum ordinatur ad aliud creatum, sicut partes ordinantur ad totum, & accidentia ad substantias, & unaquaque res ad suum finem. Alius ordo, quo omnia creata ordinantur in Deum. Sic igitur & debitum attendi potest duplitter in operatione divina. Aut secundum quod aliiquid debetur Deo, aut secundum quod aliiquid debetur rei creatæ: & utroque modo Deus debitum reddit. Debitum enim est Deo ut impleatur in rebus id quod ejus sapientia, & voluntas habet, & quod suam bonitatem manifestat: & secundum hoc justitia Dei respicit decentiam ipsius, secundum quam reddit sibi quod sibi debetur. Debitum etiam est alicui rei creatæ quod habeat id quod ad ipsam ordinatur; sicut homini, quod habeat manus, & quod ei alia animalia serviant: & sic etiam Deus operatur justitiam, quando dat unicuique quod ei debetur secundum rationem suæ naturæ, & conditionis. Sed hoc debitum dependet ex primo: quia hoc unicuique debetur quod est ordinatum ad ipsum secundum ordinem divinæ sapientiæ. Et licet Deus hoc modo debitum alicui det, non tamen ipse est debitor, quia ipse ad alia non ordinatur, sed potius alia in ipsum. Et ideo justitia quandoque dicitur in Deo condescensatio sua bonitatis, quandoque vero retribu-

ti.

(1) *Seu potentia & vi sua ex græco δύναμις.*
§. 7. prope finem; ubi græcum quoque *εἰδίας* melius reddendum est *Oportet scire*, quam *Oportet videre*, ut hic.

(2) *Vel ex cap. 13. græco-latino colligitur, vel in antiquis 19 & apud S. Thomam lect. 19. Et si pro appetitu sensitivo ponitur græce ἀλογος μήπος; id est pars expressus rationis.* Appendix autem sequens paulo alijs verbis ex cap. 8. græco-latino desumpta est, *vel cap. 12. in antiquis, ubi nimisrum Deos fore ridiculos inculcat, si commercia more hominum vel pugnandas agerent, aliquæ id genus quæ ad vi-*

tam civilem spectant.

(3) *In ablativo, id est gratia sui (αὐτῆς ἡ τέλεα) lib. 1. Metaph. cap. 2. Non in nominativo, quæ dicitur per seipsum agere vel dispositionem sui actus habere: Licet enim interdum S. Thomas (& nominatim 1. part. qu. 83. art. 3. ad 3.) fatus expresse sic usurpet, quia ex uno tempore consequitur aliud, nec aliquis gratia sui potest operari qui non habeat dispositionem vel dominium sui actus: Priore tamen sensu qui expressior & formalior solus est, intellexit ac explicavit suo loco lect. 3. ut hic.*

tio pro meritis. Et utrumque modum tangit Anselmus dicens (Prologii cap. x.) *Cum punis malos, justum est, quia illorum (*) meritis convenit; cum vero parcis malis, justum est, quia bonitati tue concedens est* (1).

Ad quartum dicendum, quod licet iustitia respiciat actum, non tamen per hoc excluditur quin sit essentia Dei, quia etiam id quod est de essentia rei, potest esse principium actionis. Sed bonum non semper respicit actum: quia aliquid dicitur esse bonum non solum secundum quod agit, sed etiam secundum quod in sua essentia perfectum est. Et propter hoc ibidem dicitur, quod bonum comparatur ad justum sicut generale ad speciale.

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo: quomodo per rationem rejicias haeresim *Gnosticorum, Appellis, Albanensium* dicentium: reperiri Deum malum. Si enim Deus malus est, justus non est, & si iustitia in Deo est, Deus malus esse non potest. Nec obstat illos posuisse duos Deos, unum bonum, alterum malum: quoniam in veritate est tantum unus Deus, qui est bonus, supra qu. II. art. 3. extra de sum. Trin. & fid. Cath. firmiter credimus, & *sunt liciter confitemur, quod unus solus est verus Deus*. Secundo habes: quomodo per rationem demonstres, hanc recte damnatam fuisse a psal. 10. *Justus Dominus, & iusticias dilexit*, & a mille scripturarum locis. *Tertio* vides, &c.

A R T I C U L U S II. 132

Utrum iustitia Dei sit veritas.

IV. dist. xlvi. quest. 1. art. 1. quest. 3.

AD secundum sic proceditur. Videlur quod iustitia Dei non sit veritas. Iustitia

enim est in voluntate: est enim rectitudo voluntatis, ut dicit Anselmus (in dial. verit. cap. xiii.) veritas autem est in intellectu secundum Philosophum in VI. Metaph. (tex. 8.) & in VI. Ethic. (cap. 11. & vi.) (2) Ergo iustitia non pertinet ad veritatem.

2. Præterea. Veritas secundum Philosophum in IV. Eth. (cap. vii.) est quædam alia virtus a iustitia. Non ergo veritas pertinet ad rationem iustitiae.

Sed contra est quod in Psal. lxxxiv. 11. dicitur *Misericordia, & veritas obvia veritate sibi*: & ponitur ibi veritas pro iustitia (3).

Respondeo dicendum, quod veritas consistit in adæquatione intellectus, & rei, sicut supra dictum est (quest. XVI. art. 1.) Intellectus autem, qui est causa rei, comparatur ad ipsam sicut regula, & mensura, & converso autem est de intellectu qui accipit scientiam a rebus. Quando igitur res sunt mensura, & regula intellectus, veritas consistit in hoc quod intellectus adæquatur rei, ut in nobis accidit: ex eo enim quod res est, vel non est opinio nostra, & oratio vera, vel falsa est. Sed quando intellectus est regula, vel mensura rerum, veritas consistit in hoc quod res adæquintur intellectui; sicut dicitur artifex facere verum opus, quando concordat arti. Sicut autem se habent artificiata ad artem, ita se habent opera justa ad legem, cui concordant. Iustitia igitur Dei, quæ constituit ordinem in rebus conformem rationi sapientie suæ, quæ est lex ejus, convenienter veritas nominatur. Et sic etiam dicitur in nobis veritas iustitiae (4).

Ad primum ergo dicendum, quod iustitia quantum ad legem regulantem est in ratione, vel intellectu; sed quantum ad imperium, quo opera regulantur secundum legem, est in voluntate.

Ad secundum dicendum, quod veritas illa de qua loquitur Philosophus ibi est quædam virtus, per quam aliquis demonstrat se tam

(*) Ali. demeritis.

(1) Sive paulo plenius: *Cursus parcis malis, justum est. non quia illorum meritis sed quia bonitatis tuae concedens est*: ut cap 10 Prologii habet; Quis merita illorum porrõ nisi mala? ex August. lib. de gratia & libero arbitrio cap. 5.

(2) Tum in græco-latinis tum in antiquis æquivalenter: sequens autem appendix ex cap. 13. græco-lat. vel in antiquis 15. colligitur non 7. ut prius.

(3) Ut Arabica versio legit: *Et si de veritate pro-*

*mitionum quæ Judæis factæ sunt, Augustinus explicat. Et veritatem ex Hebreo Pagninus verit. Sed frequenter Hebrei veritatem pro iustitia ponunt. Ut Isaia 39. *Fias pax & veritas*: Pro quo 70. vertunt, *Fias pax & iustitia* (ειναι εις) In Psalmo tamen hic notato etiam veritatem (seu græce αληθεια) reddunt, ut Vulgata.*

(4) Prout redditimus unicuique quod ex lege debemus; vel veritatem ex iustitia manifestamus; ut explicatur sup. qu. 16. art. 2. ad 3. & 2. 2. qu. 10. art. 3. ad 3.

lem in dictis, vel factis, qualis est (1): & sic consistit in conformitate signi ad significatum, non autem in conformitate effectus ad causam, & regulam, sicut de veritate iustitiae dictum est (in corp. art.)

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas recte veritatem fuisse positam pro justitia a psalm. 14. Universæ vie Domini misericordia, & veritas. Item 92. Ad annuntianandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. Item 88. Misericordias Domini in eternum cantabo, in generationem, & generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo. Item 88. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso. Item 60. Misericordiam, & veritatem ejus quis requiri? Item 56. Magnificata est usque ad calos misericordia sua, & veritas tua usque ad nubes. Item 83. Misericordiam, & veritatem diligit Deus. Ibi namque, & in multis aliis scripturarum locis veritas ponitur pro justitia, ut apertissime patet per correspondentiam ad misericordiam sibi condivisam. Pro justitia autem ponitur veritas, ut justitiam Dei alienam omnino a quantumlibet parva injustitia, quæ falsitas est, per hanc loquendi formulam agnoscas; ac si clarius per hoc dicatur. Sicut impossibile est, veritatem in abstractum sumptam admittere secum vel minimam falsitatem; licet res vera, quod falsum est, quandoque admittat, ita impossibile omnino est, justitiam divinam secum vel minimam injustitiam compati. Secundo vides, quomodo, &c.

Utrum misericordia competit Deo.

2. 2. quest. XXX. art. 2. ad 1. & IV. dist. xlvi.
quest. II. art. 2. quest. I. & I. cont. cap. xcii.

AD tertium sic proceditur. Videlur quod misericordia Deo non competit. Misericordia enim est species tristitiae, ut dicit Damascenus (Lib. II. orth. Fid. cap. xiv.) Sed tristitia non est in Deo. Ergo nec misericordia.

z. Præterea. Misericordia est relaxatio justitiae. Sed Deus non potest prætermittere id quod ad justitiam suam pertinet: dicitur enim II. ad Timoth. II. 13. Si non credimus, ille fidelis permanet, se ipsum negare non potest. Negaret autem se ipsum, ut dicit Glossa (interl. ibidem) (2) si dicta sua negaret. Ergo misericordia Deo non competit.

Sed contra est quod dicitur in Psalm. cx.
4. *Miserator, & misericors Dominus.*

Respondeo dicendum, quod misericordia est Deo maxime attribuenda, tamen secundum effectum, non secundum passionis effectum.

Ad cuius evidentiam considerandum est, quod misericors dicitur aliquis, quasi habens miserum cor (3), quia scilicet afficit ex miseria alterius per tristitiam, ac si esset ejus propria miseria: & ex hoc sequitur quod operetur ad depellendam miseriam alterius, sicut miseriam propriam; & hic est misericordiae effectus. Tristari ergo de miseria alterius non competit Deo; sed repellere miseriam alterius hoc maxime ei competit, ut per miseriam quemcumque defectam intelligamus. Defectus autem non tolluntur nisi per alicujus bonitatis perfectionem. Prima autem origo bonitatis Deus est, ut supra dicatum est (quest. vi. art. 4.)

Sed considerandum est, quod elargiri perfectio-

(1) Vel in sermone ac in vita verax est, quod sit habens ipsas talis; ut scilicet explicat Philosophus ibidem.

(2) Vetus vel manuscripta ex Haimone, cuius nomine pronominatur: Moderna vero vel impressa sed interlinealis, tantum idem sine nomine habet: Quamvis collater. tale aliquid ex Hieronymo infinuat.

(3) Sic Augustinus quoque lib. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 27. *Quis ignorat ex eo appellatum esse misericordiam quod miserum cor faciat condenans alieno malo?* Conformiter ad illud Cicero-

nis misericordiam definientis Tuscul. 4. quod sit agnoscendo ex miseria alterius iniuria laborantis (quæsi dicat, *injuste laborantis*). Et hoc pertinet quod serm. 14. a Chrysologo super illud, *Benedic qui intelligit super egenum & pauperem*, dicitur: *Quod si Deus amore pauperis sic deponat ut non adsit pauperi sed & ipsa sit pauper, quomodo non magna est?* Et paulo infra: *Parvus fuisse amor pauperis quod pauperem suscepisse, nichil & passiones pauperis suscepisse: Verus amor ut fecisse suas angustias amgustias, &c.*

Q U E S T. XXI. A R T. III. & IV.

215

sectiones rebus pertinet quidem & ad bonitatem divinam, & ad justitiam, & ad liberalitatem, & misericordiam, tamen secundum aliam, & aliam rationem. Communatio enim perfectionum absolute considerata pertinet ad bonitatem, ut supra ostensum est (quest. vi. art. 2. & 4.) Sed in quantum perfectiones rebus a Deo dantur secundum earum proportionem, pertinet ad justitiam, ut dictum est supra (art. 2. hujus quest.) In quantum vero non attribuit rebus perfectiones propter utilitatem suam, sed solum propter suam bonitatem, pertinet ad liberalitatem. In quantum vero perfectiones datæ rebus a Deo omnem defectum排斥unt, pertinet ad misericordiam.

Ad primum ergo dicendum, quod objectio illa procedit de misericordia quantum ad passionis affectum.

Ad secundum dicendum, quod Deus misericorditer agit, non quidem contra justitiam suam faciendo, sed aliquid supra justitiam operando; sicut si alicui, cui debentur centum denarii, aliquis ducentos det de suo; tamen non contra justitiam facit, sed liberaliter, vel misericorditer operatur: & similiter si aliquis offendam in te commissam remittat. Qui enim aliquid remittit, quodammodo donat illud: unde Apostolus remissionem donationem vocat Ephes. iv. 32. (1) *Donate invicem, sicut & Christus vobis donavit.*

Ex quo patet quod misericordia non tollit justitiam, sed est quædam justitiae plenitudo. Unde dicitur Jac. ii. 13. quod *misericordia superexaltat iudicium.*

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo iterum hæresim Novati, seu Novatiani qu. 20. art. 1. narratam interimas blasphemio ore dicentis: Deum esse crudelem. Secundo habes: quomodo ostendas hanc fuisse merito prædamnatum ab Apost. 1. Cor. 1. *Deus totius consolationis, pater misericordiarum;* Item a psal. 144. *suavis Dominus universis, & 91. Reclitus Dominus noster,* & non est iniquitas in eo. Quis modo nesciat crudelitatem esse iniquitatem: & crudelem aliquibus non esse suavem universis? Item a *Canticis Cantorum,*

ubi, postquam c. 5. Ecclesia sponsi Dei humanati dixit mirabiles amabilitatis conditio-nes singillatim a ly, *Dilectus meus candidus, & rubicundus, &c.* in fine universa de eo possibilia dici concludens inquit. *Guttur il- lius suævissimum, & torus desiderabilis.* Si torus ergo desiderabilis; utique nulla ex parte crudelis. Crudelitas enim non est desiderabilis, ut patet, neque crudelis, ut sic, est diligibilis. Et tamen sponsa Ecclesia sancta ibi languere se testatur præ amore erga suum sponsum Christum totum desiderabilem. Tandem si Deus non tantum miserator est, & misericors, sed est ipsa misericordia, ps. 58. *Deus suscepтор meus es, Deus meus, misericordia mea,* utique nec minimum crudelitatis, aut alicujus misericordiz tantæ oppositi in Deo esse potest. *Tertio* vides: quomodo ex his bene applicatis, &c.

A R T I C U L U S IV.

214

Utrum in omnibus operibus Dei sit misericordia, & justitia.

IV. disf. xlvi. quest. II. art. 2. quest. 2. & II. con. cap. xxviii. & ver. quest. xxviii. art. 1. ad 8. & por. quest. v. art. 4. ad 6. & Psalm. xxiv. & ad Rom. xv.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod non in omnibus Dei operibus sit misericordia, & justitia. Quædam enim opera Dei attribuuntur misericordiaz, ut justificatio impii; quædam vero justitiaz, ut damnatio impiorum. Unde dicitur Jac. ii. 13. *Judicium sine misericordia fieri ei qui non fecerit misericordiam.* Non ergo in omni opere Dei appetat misericordia, & justitia.

2. Præterea. Apostolus ad Roman. xv. conversionem Judæorum attribuit justitiaz, & veritati; conversionem autem gentium misericordiaz (2). Ergo non in quolibet opere Dei est justitia, & misericordia.

3. Præterea. Multi justi in hoc mundo affliguntur. Hoc autem est injustum. Non ergo in omni opere Dei est justitia, & misericordia.

4. Præterea. Justitiaz est reddere debitum, misericordiaz autem sublevare miseriām; & sic tam justitia, quam misericordia aliquid præ-

(1) Non ut prius etiam in roticis ac manuscritis Ephes. 5. ex vetustis Bibiis quæ initium quinti ex fine quarti faciebant.

(2) Nempe cum ait Christum Jesum ministram

fullo circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrium; Gentes autem super misericordia honorare Deum; ut videre est vers. 8.

præsupponit in suo opere . Sed creatio nihil præsupponit . Ergo in creatione neque misericordia est, neque justitia .

Sed contra est quod dicitur in Psalm. xxv.
10. *Omnis via Domini misericordia, & veritas* (1).

Respondeo dicendum, quod necesse est quod in quolibet opere Dei misericordia, & veritas inveniantur ; si tamen misericordia pro remotione cuiuscumque defectus accipiatur, quanvis non omnis defectus proprie possit dici miseria, sed solum defectus rationalis naturæ, quam contingit esse felicem : nam miseria felicitati opponitur (2).

Hujus autem necessitatis ratio est, quia cum debitum, quod ex divina justitia redit, sit vel debitum Deo, vel debitum alicui creaturæ, neutrum potest in aliquo opere Dei prætermitti . Non enim potest facere aliquid Deus quod non sit conveniens sapientiæ, & bonitati ipsius ; secundum quem modum diximus, aliquid esse debitum Deo . Similiter etiam quidquid in rebus creatis facit, secundum convenientem ordinem, & proportionem facit ; in quo consistit ratio justitiæ . Ec sic oportet in omni opere Dei esse justitiam .

Opus autem divina justitia semper præsupponit opus misericordiæ, & in eo fundatur . Creaturæ enim non debetur aliquid, nisi propter aliquid in ea præexistens, vel præconsideratum . Et rursus si illud creaturæ debetur, hoc erit propter aliquid prius . Et cum non sit procedere in infinitum, oportet devenire ad aliquid quod ex sola bonitate divinæ voluntatis dependeat, quæ est ultimus finis ; utpote si dicamus, quod ha-

bere manus debitum est homini propter animam rationalem, animam vero rationalem habere ad hoc quod fit homo, hominem vero esse propter divinam bonitatem . Et sic in quolibet opere Dei appetet misericordia quantum ad primam radicem ejus : cuius virtus salvatur in omnibus consequentibus, & etiam vehementius in eis operatur, sicut causa primaria vehementius influit quam causa secunda (3) . Et propter hoc etiam ea quæ alicui creaturæ debentur, Deus ex abundantia suæ bonitatis largius dispensat quam exigat proportio rei . Minus enim est quod sufficeret ad conservandum ordinem justitiae, quam quod divina bonitas consert, quæ omnem proportionem creaturæ excedit .

Ad primum ergo dicendum quod quædam opera attribuuntur justitiæ, & quædam misericordiæ, quæ in quibusdam vehementius appetet justitia, in quibusdam misericordia . Et tamen in damnatione reproborum appetet misericordia, non quidem totaliter relaxans, sed aliqualiter allevians, dum punit citra condignum ; & in justificatione impii appetet justitia, dum culpas relaxat propter dilectionem, quam tamen ipse misericorditer infundit ; sicut de Magdalena legitur Lucæ viii. 47. (*) *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (4).

Ad secundum dicendum, quod justitia, & misericordia Dei appetet in conversione Iudeorum, & Gentium . Sed aliqua ratio justitiæ appetet in conversione Iudeorum quæ non appetet in conversione Gentium, sicut quod salvati sunt propter promissiones patribus factas .

Ad

(1) Ubi Theodoretus *omnes vias* interpretatur administrationes omnes (οἰνοπειας τάσις) in remuneratione bonorum, & malorum punitione : Nec diffimili sensu August. *misericordiam* qua condonat peccata placabilis, ut in primo adventu ; veritatem quæ merita judicat incorruptus, ut in secundo .

(2) Unde illius tantum esse potest, cuius est felicitas : Felicitatem porro solius creature rationalis esse Philosophus ostendit Eth. i. quia scilicet felicitas divinissimum quiddam est & optimum & in virtutis operatione consistens : Unde nec bruta nec pueri felicitate participare possunt, sicut nec operatione virtutis ; ut cap. 10. greci lat. videtur est, vel cap. 14. in antiquis, & apud S. Thomam lect. 14. Similique habet lib. i. Eudemiorum seu Moralium ad Eudemium directorum cap. 7.

(3) Colligitur ex prima Propositione libri de causis qui post libros Metaph. in veteribus codicibus habetur, sed ab Arabe quoddam scriptus ; ubi dicitur : *Omnis causa primaria plus est influens supra causas*

secundum suum quam causa universalis secunda : Ex inferius : Prima est plus comprehensans & vehementius causa rei quam causa propinqua, &c.

(*) *Vulgata*. Remittuntur ei.

(4) De muliere peccatrice innominata hoc dicit Lucas, & non pauci sunt qui aliam a Magdalena putent : Sed eamdem affirmat Gregorius, & Gregorii sensum Ecclesia sequitur, cum promiscue in Officio suo de utraque loquitur ut de una . Hinc & ejusdem sensum suis omnibus amplectendum Facultas ipsa Parisiensis contra Fabri Stapulæ libellum tunc recentem ad annum 1521. publico & solemní Decreto sanxit ; & contra rugas nescioquorum blaterorum (etiam Sancto Thomæ id affingere audientium) anno 1636. cum esset ipse presens, idem Decretum renovavit . Appendix autem sequens Gregorii colligi potest quoad sensum ex 26. Moral. cap. 9. ubi de bonis ait quod eos mali dum violenter illis multa inferunt, festinare ad superna compellunt, &c.

Ad tertium dicendum, quod in hoc etiam quod justi puniuntur in hoc mundo, appareat justitia, & misericordia, in quantum per huiusmodi afflictiones aliqua levia in eis purgantur, & ab affectu terrenorum in Deum magis eriguntur, secundum illud Gregorii (Lib. XXVI. Moral. cap. ix.) *Mala que in hoc mundo nos premissum, ad Deum nos ire compellunt.*

Ad quartum dicendum, quod licet creationi non presupponatur aliquid in rerum natura, presupponitur tamen aliquid in Dei cognitione: & secundum hoc etiam salvatur ibi ratio justitiae, in quantum res in esse producitur, secundum quod convenit divinitate sapientiae, & bonitati; & salvatur quodammodo ratio misericordiae, in quantum res de non esse in esse mutatur.

A P P E N D I X.

EX articul. habes primo: quomodo per rationem declares recte a scripturis attribui Deo, quod in cunctis operibus suis misericordia simul, & justitia utatur, ut a ps. vigesimoquarto. *Universæ vie Domini misericordia & veritas.* Secundo habes: quomodo per rationem scripturas apparterent circa hoc dissonantes concordare possis. Tertio vides: quomodo, &c.

QUÆSTIO VIGESIMASECUNDA.

De providentia Dei,

In quatuor articulos divisâ.

Consideratis autem his quæ ad voluntatem absolute pertinent, procedendum est ad ea quæ respiciunt simulum intellectum, & voluntatem. Hujusmodi autem est providentia quidem respectu omnium, prædestinatione vero, & reprobatio, & quæ ad hanc consequuntur, respectu hominum specialiter in ordine ad æternam salutem. Nam & post morales virtutes in scientia morali considera-

Summ. S.Tb. T.I.

(1) Sed in antiquis cap. 4. post principium, cap. 6. post medium, & cap. 8. prope finem: Ex quibus locis colligitur hoc præcipue esse prudentiam vel providentiam opus recte consiliari, &c.

(2) *Vulgata:* Tua autem, Pater, providentia gubernat: quoniam &c.

(3) Sive, ut in Biblio emendatis vers. 3. *Tuus autem Pater providentia gubernas;* ex græca phrasí ση-

tur de prudentia, ad quam providentia pertinere videtur.

Circa providentiam autem Dei quæruntur quatuor.

Primo, utrum Deo conveniat providentia.

Secundo, utrum omnia divinitate providentia subsint.

Tertio, utrum divina providentia immediate sit de omnibus.

Quarto, utrum providentia divina imponeat necessitatem rebus provisis.

A R T I C U L U S I. 135

Utrum providentia Deo conveniat.

III. cont. cap. xciv. & ver. quest. v. art. 1.

AD primum sic proceditur. Videtur quod providentia Deo non conveniat. *Providentia* enim secundum Tullium (Lib. II. de invent. ante finem) est pars prudentie. Prudentia autem, cum sit bene consiliativa secundum Philosophum in VI. Eth. (cap. v. & VIII. in princ. & cap. xviii. cir. fin.) (1) Deo competere non potest, qui nullum dubium haberet, unde cum consiliari oporteat. Ergo providentia Deo non competit.

2. Præterea. Quidquid est in Deo, est æternum. Sed providentia non est aliquid æternum: est enim circa existentia, quæ non sunt æterna secundum Damascenum (Lib. II. de Fid. orthod. cap. xxix.) Ergo providentia non est in Deo.

3. Præterea. Nullum compositum est in Deo. Sed providentia videtur esse aliquid compositum, quia includit in se voluntatem, & intellectum. Ergo providentia non est in Deo.

Sed contra est quod dicitur Sap. xvi. 3. (*) *Tu autem Pater gubernas omnia providentia* (1).

Respondeo dicendum, quod necesse est ponere providentiam in Deo. Omne enim bonum quod est in rebus, a Deo creatum est, ut supra ostensum est (quest. vi. art.

E e 4.) In

δε, Πάτερ, διακυβερνει πρόσωπα. Pro quo fortasse regit vetus Interpres paulo altere εὐ ή Πάτερ διακυβερνει πρόσωπα. Ni si potius imperitus aliquis depravavit: qualis etiam fuit qui ad marginem Hugonis Cardinalis posuit imprudenter *altas prudenter*: Ple-nius autem ad marginem veterum Bibliorum qui iam addendum censuerunt. *Tuus autem, Pater, providentia ab initio cuncta gubernas, &c.*

4.) In rebus autem creatis invenitur bonum non solum quantum ad substantiam rerum, sed etiam quantum ad ordinem earum in finem, & præcipue in finem ultimum, qui est bonitas divina, ut supra habitum est (quest. præced. ar. 4.) Hoc igitur bonum ordinis in rebus creatis existens a Deo creatum est. Cum autem Deus sit causa rerum per suum intellectum, & sic cuiuslibet sui effectus, oportet rationem in ipso præexistere, ut ex superioribus patet (quest. xix. ar. 4.) necesse est quod ratio ordinis rerum in finem in mente divina præexistat: ratio autem ordinandorum in finem proprie providentia est: est enim principalis pars prudentiaz, ad quam aliae duæ partes ordinantur, scilicet memoria præteriorum, & intelligentia præsentium; prout ex præteritis memoratis, & præsentibus intellectis conjectamus de futuris providendis. Prudentiaz autem proprium est secundum Philosophum in VI. Ethic. (cap. xii. circa med.) (1) ordinare alia in finem, sive respectu sui ipsius, sicut dicitur homo prudens qui bene ordinat actus suos ad finem vitæ sue: sive respectu aliorum sibi subiectorum in familia, vel civitate, vel regno; secundum quem modum dicitur Matth. xxiv. 45. *Fidelis servus, & prudens, quem constituit dominus super familiam suam:* secundum quem modum prudentia, vel providentia Deo convenire (*) potest. Nam in ipso Deo nihil est in finem ordinabile, cum ipse sit finis ultimus. Ipsa igitur ratio ordinis rerum in finem providentia in Deo nominatur. Unde Boetius IV. de Consol. (prof. vi. paulo a prin.) dicit, quod *providentia est ipsa divina ratio in summo omnium principiœ constituta, que cuncta disponit*. Dispositio autem potest dici tam ratio ordinis rerum in finem, quam ratio ordinis partium in toto.

Ad primum ergo dicendum, quod secundum Philosophum VI. Ethic. (cap. ix. & x.) (2) *prudentia proprie est præceptrix eorum de quibus cœbulia recte consiliatur, & synesis recte judicat*. Unde licet consiliari non com-

petat Deo, secundum quod consilium est inquisitio de rebus dubiis; tamen præcipere de ordinandis in finem, quoram rectam rationem habet, competit Deo, secundum illud Psalm. cxlviii. 6. *Precepsum posuit, & non preteribit*. Et secundum hoc competit Deo ratio prudentiaz, & providentiaz. Quamvis etiam dici possit, quod ipsa ratio rerum agendarum consilium in Deo dicitur, non propter inquisitionem, sed propter certitudinem cognitionis, ad quam consiliantes inquirendo pervenient. Unde dicitur Ephes. i. 11. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sua*.

Ad secundum dicendum, quod ad curam duo pertinent, scilicet ratio ordinis, quæ dicitur providentia, & dispositio (3), & executio ordinis, quæ dicitur gubernatio: quorum primum est æternum, secundum temporale.

Ad tertium dicendum, quod providentia est in intellectu, sed præsupponit voluntatem finis. Nullus enim præcipit de agendis propter finem, nisi velit finem. Unde & prudentia præsupponit virtutes morales, per quas appetitus le habet ad bonum, ut dicitur in VI. Eth. (cap. xii. in med.) (4) Et tamen si providentia ex æquali respiceret voluntatem, & intellectum divinum, hoc esset absque detrimento divina simplicitatis, cum voluntas, & intellectus in Deo sint idem, ut supra dictum est (quest. xix. art. 2. & 4.)

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo interimas hæresim Atheorum dicentium, nullum esse Deum, nullam providentiam divinam. Item Philosophorum (Direct. inquis. 2. par. quest. 4.) dicentium: Providentia ulla divina mundus non regitur: habes quomodo per rationem demonstres has merito damnatas fuisse a Matth. 6. *Pater vester cœlestis pascit illa, scilicet volatilia cœli, & lilia agri Deus sic vestit, ut nec Solomon in omni gloria sua compareret*

(1) *Ubi propterea Periclem, & similes, quia quæ sibi & aliis bona sunt contemplantur, prudentes dici possunt concludit; ac in iis economicos & politicos complectitur. Similia etiam ex cap. 5. græco lat. vel in antiquis cap. 4. colligi possunt.*

(2) *Ita cod. Alcon. cum plurimis editis. Ali. non potest.*

(3) *Vel ex cap. 10. & 11. græco lat. Est porro cœbulia (ex græco θεολογία) quasi bona consiliorum*

*vel consilio: Synesis autem (iuxta græcum συνέσις) quasi perspicacia quandam in discernendo vel judicando; sive quandam vis & facultas intelligendi ut oppositet; vel uno verbo *intelligensia*, &c.*

(4) *Vel ad ambiguitatem constructionis, præcavendam, providentia sua dispositio: Quippe dispositio cum ipsam providentia legi conjunctum debet.*

(5) *Ubi Socrates arguitur qui eas quoque prudencias vocabat, ut cap. ult. videre est.*

ponus sit , sicut unum ex ipsis . Item a Sap. 8. Astringit a fine usque ad finem fortiter , & disponit omnia suaviter . Item Sapien. 14. Tu autem providentia , Pater , ab initio cuncta gubernas . Item Judith. 9. Hoc factum est , quod ipso voluntisti , omnes via tua parate sunt , & tua iudicia in tua providentia posuisti . Terro vides : quomodo &c.

ARTICULUS II. 136

Utrum omnia sint subjecta divinae providentiae .

Inf. questi. CIII. art. 5. & I. deist. XXXIX. questi. II. art. 2. & III. cons. cap. LXIV. XCIV. & CXI. & ver. questi. V. art. 2. 3. & 4. 5. 6. 7. 8. & op. II. cap. CXXVI. CXXXVII. & CXXXVIII. & opus. xv. cap. XII. XIII. XIV. & XV.

AD secundum sic proceditur . Videtur quod non omnia sint subjecta divinæ providentiaz . Nullum enim provisum est fortuitum . Si ergo omnia sunt provisa a Deo , nihil erit fortuitum ; & sic perit casus , & fortuna : quod est contra communem opinionem .

2. Præterea . Omnis sapiens provisor excludit defectum , & malum , quantum potest , ab his quorum curam gerit . Videmus autem multa mala in rebus esse . Aut igitur Deus non potest ea impedire , & sic non est omnipotens ; aut non de omnibus curam habet .

3. Præterea . Quæ ex necessitate eveniunt , providentiam , seu prudentiam non requirunt . Unde secundum Philosophum in VI. Eth. (cap. IV. IX. X. & XI.)⁽¹⁾ prudentia est recta ratio contingentium , de quibus est consilium , & electio . Cum igitur multa in rebus ex necessitate eveniant , non omnia providentiaz subduntur .

4. Præterea . Quicunque dimittitur sibi , non subest providentiaz alicujus gubernantis . Sed homines sibi ipsis dimittuntur a Deo , secundum illud Eccli. xv. 14. Deus ab initio constituit hominem , & reliquit eum in manu⁽²⁾ consilii sui : & specialiter mali , secun-

dum illud Psal. lxxx. 13. *Dimisi illos secundum desideria cordis eorum . Non igitur omnia divinæ providentiaz subsuntur .*

5. Præterea . Apostolus I. Corint. ix. 9. dicit , quod *non est Deo cura de bobus : & eadem ratione de aliis creaturis irrationalibus . Non igitur omnia subsuntur divinæ providentiaz .*

Sed contra est quod dicitur Sapient. VIII. 1. de divina sapientia , quod *attingit a fine usque ad finem fortiter , & disponit omnia suaviter .*

Respondeo dicendum , quod quidam tota- liter providentiam negaverunt , sicut Democritus , & Epicurei , ponentes mundum fatum esse casu⁽³⁾ .

Quidam vero posuerunt incorruptibilia tan- tum providentiaz subiacere , corruptibilia ve- ro non secundum individua , sed secundum species , sic enim incorruptibilia sunt : ex quorum persona dicitur Job XXII. 14. *Nubes lacibulum ejus , & circa cardines caeli perambulat , neque nostra considerat .*

A corruptibilium autem generalitate exceptit Rabbi Moyses homines propter splen- dum intellectus , quem participant . In aliis autem individuis corruptibilibus aliorum opinione est secutus .

Sed necesse est dicere , omnia divinæ pro- videntiaz subiacere , non in universali tan- tum , sed etiam in singulari . Quod sic patet . Dum enim omne agens agat propter finem , tantum se extendit ordinatio effec- tuum in finem , quantum se extendit cau- salitas primi agentis . Ex hoc enim contin- git in operibus alicujus agentis aliquid pro- venire non ad finem ordinatum , quia effec- tus ille consequitur ex aliqua alia causa præ- ter intentionem agentis . Causalitas autem Dei , qui est primum agens , se extendit us- que ad omnia entia non solum quantum ad principia speciei , sed etiam quantum ad in- dividualia principia , non solum incorruptibilium , sed etiam corruptibilium . Unde ne- cessere est omnia quæ habent quocumque modo esse , ordinata esse a Deo in finem , se- cundum illud Apostoli ad Rom. XIII. 1. *Que-*

Ee 2 a Deo

⁽¹⁾ Vel in antiquis 4. 6. 8. 9.

⁽²⁾ Hoc est se posseesse . Hinc apud Augustinum tom. 7 author Hypognostici lib. 3. cap. 2. *Quid est inquit Reliquis eum in manu consilii sui , nisi , Dimisi eum in possibilitate liberi arbitrii sui ? In manu enim possibiliter intelligitur .*

⁽³⁾ De Democrito notum quod ex atomis fortuito concurrentibus mundum dixerit factum esse : At Epi-

curum principia dogmata ex Democrito desumpta Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum notat : Idemque lib. 5. providentiaz negatorem velut atheum supplicio potius quam refutatione dignum censet : Sic & Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 24. divinitatem negandam infert si negetur providentia : Et Lactantius , impunitatem Epicuri eam ob causam exigitans .

a Deo sunt, ordinata sunt (1). Cum ergo nihil aliud sit Dei providentia quam ratio ordinis rerum in finem, ut dictum est (ar. præcd.) necesse est omnia, inquantum participant esse, intantum subdi divinis providentias.

Similiter etiam supra ostendit est (quæst. xiv. art. 6. & 11.) quod Deus omnia cognoscit, & universalia, & particularia. Et cum cognitione ejus comparetur ad res sicut cognitione artis ad artificiata, ut supra dictum est (loc. prox. cit.) necesse est quod omnia supponantur suo ordini, sicut omnia artificiata subduntur ordini artis.

Ad primum ergo dicendum, quod aliter est de causa universalis, & de causa particulari. Ordinem enim causæ particularis aliquid potest exire, non autem ordinem causæ universalis. Non enim subducitur aliquid ab ordine causæ particularis, nisi per aliquam aliam causam particularem impedientem, sicut lignum impeditur a combustione per actionem aquæ. Unde cum omnes causæ particulares concludantur sub universalis causa, impossibile est aliquem effectum ordinem causæ universalis effugere. Inquantum igitur aliquis effectus ordinem alicujus causæ particularis effugit, dicitur esse casuale, vel fortuitum respectu causæ particularis; sed respectu causæ universalis, a cuius ordine subtrahi non potest, dicitur esse provisum: sicut & concursus duorum fervorum, licet sic casualis inquantum ad eos, est tamen provisus a domino, qui eos scienter sic ad unum locum mittit, ut unus de alio nesciat.

Ad secundum dicendum, quod aliter de eo est qui habet curam alicujus particularis, & de provisore universali: quia provisore particularis excludit defectum ab eo quod ejus curæ subditur, quantum potest; sed provisore universalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur

bonum totius. Unde corruptiones, & defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem; sed tamen sunt de intentione naturæ universalis, inquantum defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius universi: nam corruptio unius est generatio alterius (2), per quam species conservatur. Cum igitur Deus sit universalis provisor totius entis, ad ipsius providentiam pertinet ut permittat quosdam defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum universi perfectum. Si enim omnia mala impedirentur, multa bona defessent universo: non enim esset vita leonis, si non esset occisio animalium; nec esset patientia Martyrum, si non esset occisio tyrannorum. Unde dicit Augustinus in Enchirid. (cap. xi. in princ.) *Deus omnipotens nullo modo sineret malum aliquod esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens, & bonus, ut bene faceret etiam de malo* (3). Ex duabus autem rationibus, quas nunc solviimus, videntur moti suisse qui divinæ providentiaz subtraxerunt corruptibilia, in quibus inveniuntur casualia, & mala.

Ad tertium dicendum, quod homo non est institutor naturæ, sed utitur in operibus artis, & virtutis ad suum usum rebus naturalibus. Unde providentia humana non se extendit ad necessaria, quæ ex natura proveniunt, ad quæ tamen se extendit providentia Dei, qui est author naturæ. Et ex hac ratione videntur moti suisse qui cursum rerum naturalium subtraxerunt divinæ providentiaz, attribuentes ipsum necessitatim materiam, ut Democritus, & alii Naturales antiqui (4).

Ad quartum dicendum, quod in hoc quod dicitur, Deum hominem sibi reliquisse, non excluditur homo a divina providentia; sed ostenditur quod non præfigitur ei virtus operationis.

(1) Ut vetera Biblia legunt; indeque S. Thomas: In recentibus autem & emendatis: *Quæ sunt (scilicet potestates), a Deo ordinata sunt* (id est a Deo instituta). Quod expressius in greco texta patet, *αἱ δὲ οὐσίαι ἐστοῦνται τοῖς τεραγμέναις εἰσιν*, ad ostendendum quod *qui resistit potestati, ordinatus est Dei resistit*, sicut & ibi subiungitur. Non incongrue tamen ad institutionem præfens accommodari potest, quia & ipsa potestatum ordinatio pars quedam est ordinis generalis quem in omnibus rebus Dei providentia instituit, ut insinuat ibi Chrysost. homil. 23. & ibidem Thedoretus ita dicens: *Hæc a Dei providentia pendens: Communis enim ordinis curam gerentes quidem imperato, illos patere insitum (scilicet dispoluit; φυγόμενος)* &c.

(2) Usurpatum ex lib. 1. de generat. & corruptione text. 17. ubi tamen perperam *perpetuum transmutationem* inde concludit Philosophus, *quia creationem (cum novitate saltem effendi) desiebat*.

(3) Sicut ibi paulo plenius quam hic videre est, ubi & infideles hoc fateri quoad omnipotentiam saltem vel bonitatem insinuat; ex quo sequitur ut nec malum permittat nisi propter aliquod bonum.

(4) Insinuat ab illis dictum esse Aristoteles lib. 1. de partibus animalium cap. 1. ubi valde stolidus (*άπλωτος*) vel crassis quadam ingenii simplicitate dictum id esse addit; quasi faber de manu artefacta sive lignea loqueretur, & ejus formam naturali dumtaxat ligati dispositioni, non etiam ictui suo vel sue arti tribueret.

perativa determinata ad unum, sicut rebus naturalibus, quæ aguntur tantum, quasi ab altero directæ in finem, non autem se ipsa agunt, quasi se dirigentia in finem, ut creaturæ rationales per liberum arbitrium, quo confiliantur, & eligunt: unde signanter dicit: *In manu confilii sui*. Sed quia ipse actus liberi arbitrii reducitur in Deum, sicut in causam, necesse est ut ea quæ ex libero arbitrio fiunt, divinæ providentiaz subdantur. Providentia enim hominis continetur sub providentia Dei sicut causa particularis sub causa universalis. Hominum autem justorum quodam excellenter modo Deus habet providentiam, quam impiorum, inquantum non permittit contra eos evenire aliquid quod finaliter impediat salutem eorum: nam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, ut dicitur Roman. viii. 28. (1) Sed ex hoc ipso quod impios non retrahit a malo culpe, dicitur eos dimittere, non tamen facit quod totaliter ab ejus providentia excludantur, aliquin in nihilum deciderent, nisi per ejus providentiam conservarentur. Et ex hac ratione videtur motus fuisse Tullius, qui res humanas, de quibus confiliamus, divinæ providentiaz subtraxit.

Ad quintum dicendum, quod quia creatura rationalis habet per liberum arbitrium dominium sui actus, ut dictum est (quest. xix. art. 10.) speciali quodam modo subditur divinæ providentiaz, ut scilicet ei imputetur aliquid ad culpam, vel ad meritum, & reddatur ei aliquid ut pena, vel præmium (2). Et quantum ad hoc curam Dei Apostolus a bobus removet, non tamen ita quod individua irrationalium creaturarum ad Dei providentiam non pertineant, ut Rabbi Moses existimavit.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem interimas heresim. *Rabbi Moyses* (Direct. inquis. 2. p. qu. 4.) dicentis providentiam aliorum Deus non habet quoad speciem, & singularia, nec contingentia particularia sunt sub divina providentia. Item *Averrois* (Directorium ibi) dicentis: Providentia Dei non est de individualiis, &

de hic inferius existentibus. Item *Atheorum* dicentium, providentiam Dei de rebus humanis nullam esse. Secundo habes: quomodo per rationem monstres, has omnes recte damnari a Christo Matth. 10. & Luc. 12. *Capilli capitis vestri omnes numerati sunt*. Item Luc. 21. *Capillus de capite vestro non peribit*. Item Matth. 10. *Nonne duo passores affe veneant?* Et unus ex illis non caderet super terram sine Patre vestro? multis passeribus, meliores eis vos. Item Luc. 12. *Nonne quinque passeres veneant dipondio?* Et unus ex illis non est in oblivione coram Deo? multis passeribus pluris eis vos. Contra illas hæreses quid clarius ad ostendendum, quod Deus minutissima curat, & multo magis nos? Nota etiam validissima argumenta Christi Matth. 6. *Respicite volatilia caeli, quæ non servunt, neque metunt, neque congregant in horrea,* & Deus pascit illa. *Nonne vos magis pluris eis illis?* Hoc est (ut ait Luc. 12.) *Quanto magis vos, qui pluris eis illis?* (Aliud argumentum Matth.) *Si fænum agri, quid hodie est,* & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos modicæ fidei? Ecce inanimata quoque etiam mox transeuntia, tam nobiliter a Deo provideri testatur Christus. Nihil ergo vel minimum, vel vilissimum, vel quantumvis cito transitorum est, quod singularissima a Deo providentia non custodiatur in omnibus semper, & ubique. Hoc voluit per hæc sua dicta teneri pro certissimo Christus. Hac tamen veritate visa, non sumas occasionem dicendi in sensu malo, omnia divinæ providentiaz esse committenda. Hæc enim propositio est suspecta, eo quod videatur tollere industriam humanaam, & deducta ab hæreticis ex 11. Ecclesiastici. *Confide, inquit in Deo, & mane in loco tuo.* Vel ex alio simili, ut notat censura generalis in Biblia. Nollent enim per hanc propositionem hæretici, nos satagere, ut per bona opera certam nostram vocacionem, & electionem faceremus, quod est contra monitum Principis Apostolorum 2. Petri 1. Si tamen in Catholicō sensu intelligatur illa propositio, acceperit debet, ac observari. *quemadmodum nos longo* discursu admonet Christus Matth. 6. ubi, narrata Dei subtilissima providentia concludit. *Nolite ergo*

(1) Ubi ex Augustino Beda usque adeo proufus omnia (inquit) ut si qui exorbitant eorum aut deviant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores: Ex libro autem de corrept. & gratia cap. 9. defumptum est

sub finem.

(2) Non in ordine supernaturali tantum de quo nulla cum bobus comparatio moveri posset; sed in ordine naturali, prout cibus est merces quadam, sed non bovis.

se ergo solliciti esse dicentes, quid manducabimus? &c. & Apostol. Philip. 4. Dominus prope est, scilicet providentia, nihil solliciti sis. Audi sensum Catholicum. Labor exercendus (teste ibi B. Hieron.) sollicitudo tollenda. Psal. 36. Spera in Domino, & fac bonitatem. Non tollit operandi curam, ut intendit hereticus, ex hoc quod per speciem veram committenda omnia nostra providentiae divinae vult Propheta, sed ex hoc nos magis ad faciendum bonitatem invitat. Sis ergo cautus, ne decipiaris. Terio tandem videt: quomodo, &c.

ARTICULUS III. 137

Utrum Deus immediate omnibus provideat.

Inf. quest. ciii. art. 6. & II. dist. xi. quest. i. art. i. cor. & III. con. cap. lxxvi. lxxvii. lxxxiii. & xciv. & opusc. II. cap. cxxx. & cxxxii. & opusc. xv. cap. xiv.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod Deus non immediate omnibus provideat. Quidquid enim est dignitatis, Deo est attribuendum. Sed ad dignitatem alicujus Regis pertinet quod habeat ministros, quibus mediantibus subditis provideat. Ergo multo magis Deus non immediate omnibus provideat.

2. Præterea. Ad providentiam pertinet res in finem ordinare. Finis autem cuiuslibet rei est ejus perfectio, & bonum. Ad quamlibet autem causam pertinet effectum suum perducere ad bonum. Quilibet igitur causa agens est causa effectus providentiae. Si igitur Deus omnibus immediate provideat, subtrahuntur omnes causa secundæ.

3. Præterea. Augustinus dicit in Ench. (cap. xvii.) (1) quod melius est quedam nescire quam scire, ut vilia: & idem dicit Philosophus in XII. Metaph. (tex. 51.) Sed omne quod est melius, Deo est attribuendum. Ergo Deus non habet immediate pro-

videntiam quorundam vilium, & minimerum.

Sed contra est quod dicitur Job. xxxiv. 13. *Quem constituis alienum super terram? auctum posuit super orbem, quem fabricatus est?* Super quo dicit Gregorius (Lib. XXIV. Mor. cap. xxvi. ante med.) (2) „Munum per se ipsum regit, quem per se ipsum condidit, “

Respondeo dicendum, quod ad providentiam duo pertinent, scilicet ratio ordinis rerum provisarum in finem, (3) & executio hujus ordinis, quia gubernatio dicitur.

Quantum igitur ad primum horum, Deus immediate omnibus providet, qui in suo intellectu habet rationem omnium etiam minimorum (4), & quascumque causas aliquibus effectibus præfecit, dedit eis virtutem ad illos effectus producendos. Unde oportet quod ordinem illorum effectuum in sua ratione præhabuerit.

Quantum autem ad secundum, sunt aliqua media divinitate providentiae, quia inferiora gubernat per superiora, non propter defectum suæ virtutis, sed propter abundantiam suæ bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communiceat.

Et secundum hoc excluditur opinio Platoni, quam narrat Gregorius Nyssenus (Lib. VIII. de providentia cap. iii.) triplicem providentiam ponens. Quarum prima est summi Dei, qui primo & principaliter providet rebus spiritualibus, & consequenter toti mundo quantum ad genera, species, & causas universales. Secunda vero providentia est qua providetur singularibus generabilium, & corruptibilium: & hanc attribuit diis qui circumneunt cœlos, idest substantiis separatis, que movent corpora coelestia circulariter. Tertia vero providentia est rerum humanarum, quam attribuebat dæmonibus, quos Plato ponebat medios inter nos & deos, ut narrat Augustinus IX. de civitate Dei (cap. i. & ii. & Lib. VIII. cap. xiv.)

Ad primum ergo dicendum, quod habere ministros executores suæ providentiae pertinet

(1) Ut ibi videtur est paulo plenius; ubi *vilia* in exemplum non assert, sed *nominis* del *minus utilis*. Indefinitive autem Philosophus 32. Metaph. text. 51. sive cap. 9.

(2) Ubi & addit: *Nec indiges alienis adiutoriis ad regendum qui non eguis illis ad faciendum.*

(3) Idest, ipsa dispositio per quam ordinantur in finem.

(4) Nec obstat Hieronymus, indignum Dei maiestate afferens ut quot culices per singula momenta

gescantur, sciit; quia tantum vult non eandem de illis ac de nobis providentiam esse; sicut plenius infra quest. 103. art. 5. annotandum recurret. Nemesis autem est quod paulo post ex Gregorio Nysseno subiungitur, & ut ex illo quondam circumferri solebat: *Nemesisque (qui Philosophus fuit christianus) tom. 2. Biblioth. græcorum Patrum vel in græco-latine tom. 12. tribuitur; ubi Tractatu de natura hominis cap. 44. quod est 3. caput de providentia, hinc habet.*

met ad dignitatem Regis. Sed quod non habeat rationem eorum quæ per eos agenda sunt, est ex defectu ipsius. Omnis enim scientia operativa tanto perfectior est, quanto magis particularia considerat, in quibus est actus.

Ad secundum dicendum, quod per hoc quod Deus habet immediate providentiam de rebus omnibus, non excluduntur causæ secundæ, quæ sunt executrices hujus ordinis, (1) ut ex supra dicit paret (quest. xix. art. 5. & 8.)

Ad tertium dicendum, quod nobis melius est non cognoscere mala, & vilia, in quantum per ea impeditur a consideratione aliorum meliorum (2), quia non possumus simul multa intelligere, & in quantum cogitatio malorum pervertit interdum voluntatem in malum. Sed hoc non habet locum in Deo, qui simul omnia uno intuitu videt, & cujus voluntas ad malum flecti non potest.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte dictum Job. 34. *Quem constituit alium super terram? aue quem posuit super orbem, quem fabricauit est?* Hoc est secundum S. Gregor. Moral. cap. 26. *Mundum per seipsum regit, quem per seipsum condidit, scilicet, Deus.* Item recte dictum ab Ecclesia. *Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumque dispensans, concede propitiis, &c.* Ecce, quod Ecclesia testatur, Deum mediantibus Angelis providere hominibus, & mediantibus ministeriis hominum providere reliquis aliis hominibus. Secundo habes: quomodo per rationem intelligas utrumque dictum in sensu catholicō, & ad invicem concordare scias. Tertio videre licet: quomodo ex predictis bene applicatis, & mature consideratis explicetur vicissim, & corroboretur Angelica præsentis articuli conclusio.

Sup, quest. xix. art. 8. & 1. 2. quest. 10. art. 4. & dist. xxxix. quest. II. art. 2. & III. cont. cap. lix. lxx. lxxi. xciii. & xciv. & opusc. II. cap. cxli. & cxlii. & opusc. xv. cap. xv.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod divina providentia necessitatem rebus provisus imponat. Omnis enī effectus qui habet aliquam causam per se, quæ jam est, vel fuit, ad quam de necessitate sequitur, provenit ex necessitate, ut Philosophus probat in VI. Metaph. (text. 7.) Sed providentia Dei, cum sit æterna, præexistit, & ad eam sequitur effectus de necessitate: non enim potest divina providentia frustrari. Ergo providentia divina necessitatem rebus provisus imponit.

2. Præterea. Unusquisque provisor stabilis opus suum, quantum potest, ne deficiat. Sed Deus est summe potens. Ergo necessitatis firmitatem rebus a se provisus tribuit.

3. Præterea. Boetius dicit IV. de conf. (prosa vi. parum ante med.) (3) quod *fatum ab immobilibus providentie proficiens exordiis, actus fortunæque bonorum indissolubili causarum coniunctione astringit.* Videtur ergo quod providentia necessitatem rebus provisus imponat.

Sed contra est quod dicit Dionysius iv. cap. de divin. Nom. (parum ante fin.) quod *corruus pere naturam non est divine providentie.* Hoc autem habet quarundam rerum natura quod sint contingentia. Non igitur divina providentia necessitatem rebus imponit, contingentiam excludens.

Respondeo dicendum, quod providentia divina quibusdam rebus necessitatem imponit, non autem omnibus, ut quidam crediderunt (4).

Ad

(1) Imo potius includuntur, ut ad maiorem Dei dignitatem, juxta predicta, pertinentes.

(2) Sicut lib. 2. Topicorum cap. 4. habet exprefse Philosophus, ex quo iam supra quest. 14. art. 7. notatum est.

(3) Ubi *Fatigies* (inquit) *calum ac fidera mores, elementa in se invicem temperat, & alterna communione transformas : Eadem* (supple series)

ascendis occidentisque omnia per similes fatigis formumque renovas progressus : Hac actus etiam fortunæque bonorum indissolubili causarum coniunctione astringit ; qua cum ab immobili providentia proficiens exordiis, ipsas quoque immutabiles necessitatem efficit.

(4) Puta qui fatum induxerunt ex vi siderum & eorum positione actus humanos ita regens ut libertatem

Ad providentiam enim pertinet ordinare res in finem. Post bonitatem autem divinam, quæ est finis a rebus separatus, principale bonum in ipsis rebus existens est perfectio universi: quæ quidem non esset, si non omnes gradus essendi invenirentur in rebus. Unde ad divinam providentiam pertinet omnes gradus entium produceres. Et ideo quibusdam effectibus preparavit causas necessarias, ut necessario evenirent; quibusdam vero causas contingentes, ut evenirent contingenter, secundum conditionem proximorum causarum.

Ad primum ergo dicendum, quod effectus divinæ providentiaz non solum est aliquid evenire quocumque modo, sed aliquid evenire vel contingenter, vel necessario. Et ideo evenit infallibiliter, & necessario quod divina providentia disponit evenire infallibiliter, & necessario; & evenit contingenter quod divinæ providentiaz ratio habet ut contingenter eveniat.

Ad secundum dicendum, quod in hoc est immobilis, & certus divinæ providentiazordo, quod ea quæ ab ipso providentur, cuncta eveniunt eo modo quo ipse provideret, siue necessario, siue contingenter.

Ad tertium dicendum, quod indissolubilitas illa, & immutabilitas quam Boetius tangit, pertinet ad certitudinem providentiaz, quæ non deficit a suo effectu (1), neque a modo eveniendi, quem providit; non autem pertinet ad necessitatem effectuum. Et considerandum est, quod necessarium, & contingens proprie consequuntur ens, in quantum hujusmodi. Unde modus contingenter, & necessitatis cadit sub provisione Dei, qui est universalis provisor totius entis, non autem sub provisione aliquorum particularium provisionum.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem dissipes heresim Joannis Wicleff po-

nentis, omnia ex necessitate absoluta provenire. Item Melanchthonis dicentis, si ad prædestinationem referas humanam voluntatem, nec in internis, nec in externis operibus ultra est libertas, sed eveniunt omnia juxta divinam prædestinationem. Ubi ignarus iste propriam vocem non intelligens, accepit ly eveniunt omnia juxta divinam prædestinationem, pro ly eveniunt omnia de necessitate absolute, ut pater ex ipsiusmet verborum contextu. Per hoc enim dictum vult exclusam esse libertatem humanam, quæ tamen vera, licet omnia, ut etiam nos concedimus, eveniant juxta divinam prædestinationem, nullo modo excluditur; excluderetur autem si omnia de necessitate absoluta provenirent. Nescivit ergo iste misellus, vel noluit distinguere inter necessitatem conditionalem, & necessitatem absolutam, ut saepius docuit S. Thomas. Ne cui autem mirum sit, si de prædestinations loquentem heresim huc retulimus, quoniam hæc, cum prædestinatione sit pars providentiaz, in providentiam redundat. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, merito has fuisse damnatas a Concilio Constantiensi supra quest. 19. art. 8. *Dum enim in octava sess. damnavit articulum Joannis Wicleff in ordine damnasse cointelligitur omnem alium similem sub quacumque forma verborum idem dicentem. Hæc est enim regula utilissima omnium doctrinarum, Canonum, Scripturarum. Quoniam de sensu principaliter fit sermo. Tunc ergo condemnatum intelligimus & Melanchthonis dogma prædictum ab eodem Conc.* Item a Papa, & Conc. quolibet damnari errores hujusmodi, judicandum est, qui, vel quot dari liberum arbitrium sanxerunt. Sic enim statuendo intelliguntur simul reprobare omnia illa, quæ liberum arbitrium revera tollunt, qualia sunt Wicleffi, Melanchthonis prædictæ positiones. Vide quest. 19. art. 8. appendicem. Tertio vides: quomodo, &c.

QUE-

tatem tollat; sicut ex lib. 5. de civit. Dei c. 1. colligitur, ubi eos qui sine Dei voluntate decernere opiniones fidem quid agamus, ab omnibus omnium repellendos concludit, non solum eorum qui veram religionem tenent, sed qui deorum qualiumcumque religionis esse cultores: Hoc enim opinio quid agit nisi ne nullus colatur Deus? Eos vero quid positionem stellorum ex Dei voluntate suspendant, nullum iudicium de hominum factis Deus relinquere quibus necessitas existat adhibebetur.

(1) Hoc est, non facit ut effectus providentia-

propterea necessarius dici debat secundum se, sed ex conditione solum vel hypothesi necessario eveniat: Unde ibidem Boetius præmitit in hunc sensum quod gerendarum rerum similes & immobilia forma prædensia est; mobilia autem nexus & ordo temporalis fatum est: Ex quo concludit quod omnia que facti subsunt, prævidentia quoque subjecta sunt, cui ipsum omnia subiecta fatum; quadam vero qua sub prædensia locata sunt, facti seriem superant: Sed plus inferius quest. 116. ubi de fato ex professo.

QUÆSTIO VIGESIMATERTIA.

*De prædestinatione,**In octo articulos divisa.*

POst considerationem divinæ providentiaz agendum est de prædestinatione, & de libro vitæ.

Et circa prædestinationem quæruntur octo. Primo, utrum Deo conveniat prædestinatio.

Secundo, quid sit prædestinatione, & utrum ponat aliquid in prædestinato.

Tertio, utrum Deo competat reprobatio aliquorum hominum.

Quarto de comparatione prædestinationis ad electionem, utrum scilicet prædestinati elegantur.

Quinto, utrum merita sint causa, vel ratio prædestinationis, vel reprobationis, aut electionis.

Sexto de certitudine prædestinationis, utrum scilicet prædestinati infallibiliter salvantur.

Septimo, utrum numerus prædestinatorum sit certus.

Octavo, utrum prædestinatione possit juvari præcibus Sanctorum.

ARTICULUS I. 139

Utrum homines prædestinentur a Deo.

I. dist. IX. quæst. II. art. unico, & III. cont. cap. ult. & verit. quæst. VI. art. I.

AD primum sic proceditur. Videtur quod homines non prædestinentur a Deo. Dicit enim Damascenus in II. Lib. (orth. Fid. cap. XXX. in princ.) *Oportet cognoscere, quod omnia quidem præcognoscit Deus, non autem omnia prædeterminat. Præcognoscit enim ea quæ in nobis sunt, non autem prædeterminat.* (1) ea.

Summ. S.Th. T.I.

(1) Quid apertius quam quod prædeterminatione significet hic idem ac *decretum*? Quid obtutius ergo quam ut physica præmotioni applicetur, quasi hoc sensu S.Thomas usurpet quantumcumque rem ipsam evidenter agnoscat; sicut iam notatum est supra.

(2) Sic etiam Lexicon Theologicum nomine Augustini velut ex libro de prædestinatione Sanctorum; ut & prius hic ad marginem indicabatur *unum finis haberi eo libro & cap. 10.* Sed ibi tantum prædestinatione dicitur esse *præparatio gratia*, non *propositum misericordiæ*: Et si cap. 17. hanc esse ait immobi-

Sed merita, & demerita humana sunt in nobis, in quantum sumus nostrorum actuum domini per liberum arbitrium. Ea ergo quæ pertinent ad meritum, vel demeritum, non prædestinantur a Deo: & sic hominum prædestinatione tollitur.

2. Præterea. Omnes creature ordinantur ad suos fines per divinam providentiam, ut supra dictum est (quæst. præced. art. 1. & 2.) Sed alia creature non dicuntur prædestinari a Deo. Ergo nec homines.

3. Præterea. Angeli sunt capaces beatitudinis, sicut & homines. Sed Angelis non competit prædestinari, ut videtur, cum in eis numquam fuerit miseria; prædestinatione autem est propositum miserendi, ut dicit Augustinus (de prædest. Sanct. cap. XVII.) (2). Ergo homines non prædestinentur.

4. Præterea. Beneficia hominibus a Deo collata per Spiritum sanctum viris sanctis revelantur, secundum illud Apostoli I. Corin. 11. 12. *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* Si ergo homines prædestinentur a Deo, cum prædestinatione sit Dei beneficium, esset prædestinatis nota sua prædestinatione: quod patet esse falsum.

Sed contra est quod dicitur Rom. VIII. 30. *Quos prædestinavisti, eos & vocavi.*

Respondeo dicendum, quod Deo convenienter est homines prædestinare. Omnia enim divinæ providentiaz subjacent, ut supra ostensum est (quæst. præc. art. 4.) Ad providentiam autem pertinet res in finem ordinare, ut dictum est (quæst. præc. art. 1. & 2.) Finis autem ad quem res creatæ ordinantur a Deo, est duplex. Unus, qui excedit proportionem naturæ creatæ, & facultatem; & hic finis est vita æterna, quæ in divina visione consistit, quæ est supra naturam cuiuslibet creature, ut supra habitum est (quæst. XII. art. 4.) Alius autem finis est naturæ creatæ proportionatus, quem scilicet res creata potest attingere secundum

F f

vir-

lem prædestinationis veritatem quod misericordia Dei elegit nos non secundum debitum sed secundum gratiam: Et cap. 3. præmisserat *vocationem secundum propositum ad misericordiam pertinere*: Sicut & epist. 105. prædestinationem appellat *misericordiam*, ut Magister Sentent. dist. superius notata ex ejus dictis inferit; ac eo sensu intelligendum addit illud ad Rom. 9. vers. 18. *Cujus vult misereatur*: Licet non ad prædestinationem tantum referat, sed ad ejus effectum. C. five §. 3. versus finem.

virtutem suæ naturæ. Ad illud autem ad quod non potest aliquid virtute suæ naturæ pervenire, oportet quod ab alio transmittatur, sicut sagitta a sagittante mittitur ad signum. Unde proprie loquendo, rationalis creatura, quæ est capax vitæ æternæ, perducitur in ipsam quasi a Deo transmissa. Cujus quidem transmissionis ratio in Deo præexistit, sicut & in eo est ratio ordinis omnium in finem, quam diximus esse providentiam. Ratio autem alicujus fiendi in mente actoris existens est quædam præexistentia rei fiendæ in eo. Unde ratio prædictæ transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ prædestination nominatur: (1) nam destinare est mirtere.

Et sic pater quod prædestination, quantum ad objecta, est quædam pars providentiaz.

Ad primum ergo dicendum, quod Damascenus nominat prædeterminationem impositionem necessitatis; sicut est in rebus naturalibus, quæ sunt prædeterminatae ad unum. Quod patet ex eo quod subdit: Non enim vult malitiam, neque compellit virtutem. Unde prædestination non excluditur.

Ad secundum dicendum, quod creature irrationalis non sunt capaces illius finis qui facultatem humanæ naturæ excedit. Unde non proprie dicuntur prædestinari, et si aliquando abusive prædestination nominetur respectu cujuscumque alterius finis.

Ad tertium dicendum, quod prædestinari convenit Angelis, sicut & hominibus, licet numquam fuerint miseri. Nam motus non accipit speciem a termino a quo sed a termino ad quem. Nihil enim refert, quantum ad rationem dealbationis, utrum ille qui dealbatur, fuerit niger, aut pallidus, vel rubeus: & similiter nihil refert ad rationem prædestinationis, utrum quis prædestinatur in vitam æternam a statu miseris, vel non. Quamvis dici possit, quod omnis collatio boni supra debitum ejus cui consertur, ad misericordiam pertineat, ut supra dictum est (quest. xxii. art. 3. & 4.)

Ad quartum dicendum, quod etiam si aliquibus ex speciali privilegio sua prædestinatione reveletur; non tamen convenit ut re-

veletur omnibus (2): quia sic illi qui non sunt prædestinati, desperarent, & securitas in prædestinatis negligentiam pareret.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem interimas hæresim *Calvini* impie dicentis, quod Deus creavit genus humandum ad perpetuam damnationem, & interitum potissime. Videtur enim hic prædestinationem hominum a Deo fieri negare, ne intentio Dei potissima, qualem ipse ponit, fructetur. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito ab Apostolo damnaram, dum *Rom. 8.* fatetur Deum homines ad glorificationem æternam prædestinare dicens. *Quos predestinavit, eos & vocavit, magnificavit, glorificavit.* Item a *Concilio Tridentino supra ad quartum*, dum in illis cap. & canone prædestinari ad vitam homines a Deo presupponit. Item a *Concilio Arancian cap. 25.* dicente: *Aliquos ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione in illos anathema dicimus.* Hæc ibi. Si concilium omnino detestatur anathematizando dicentes, quod aliqui ad malum a Deo prædestinantur, quanto magis *Calvinum* intelligitur damnasse tunc, qui genus humanum ad tantum malum (ut supra) & quidem potissime dicit esse a Deo creatum? Vide q. 19. art. 6. & q. 24. artic. 1. Tertio vides, &c.

A R T I C U L U S II. 140

Utrum prædestinatione aliquid ponat in Prædestinatione.

I. dist. xl. quest. i. art. 1. & 3. & dist. vii. quest. iii. art. 1. corp.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod prædestinatione ponat aliquid in prædestinatione. Omnis enim actio ex se passionem infert. Si ergo prædestinatione actio est in Deo, oportet quod prædestinatione passio sit in prædestinatis.

2. Præ-

(1) Præter alia duo significata principia que hoc referri possunt: Alterum quidem quo *destinare* idem est ac apud se firmiter statuere; hec 2. ad Corinth. 9. vers. 7. *unusquisque pro te destinatus in corde suo;* id est dare statuere vel prædeliberavit, ut explicat ibidem S. Thomas; & ad eundem sensum pertinere videtur quod ex libro 2. *Machabiorum* referendum est

inferius: Alterum autem quo idem est ac assignare vel decernere sicuti, sicut *Ecclesi. 17. vers. 20. De destinavit illis forem veritatis;* & similia.

(2) Nec Apostoli sensus in argumento vel scopus est, nisi ut ea in communi sciamus quæ donata sunt nobis.

2. Præterea. Origenes dicit super illud Rom. i. *Qui prædestinatus est &c.* (1) „Prædestinatio ejus est qui non est, sed destinatio ejus est qui est: „ & Augustinus dicit in Lib. de prædestinatione Sanctorum: „ Quid est prædestinatio nisi destinatio aliquius existentis? „ Ergo prædestinatio non est nisi alicuius existentis; & ita ponit aliquid in prædestinato.

3. Præterea. Præparatio est aliquid in præparato. Sed prædestinatio est *præparatio beneficiorum Dei*, ut dicit Augustinus in Lib. II. de prædest. Sanctorum (cap. xiv. aliquanto post princ.) Ergo prædestinatio est aliquid in prædestinatis.

4. Præterea. Temporale non ponitur in definitione æterni. Sed gratia, quæ est aliquid temporale, ponitur in definitione prædestinationis: nam prædestinatio dicitur esse præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro. Ergo prædestinatio non est aliquid æternum: & ita oportet quod non sit in Deo, sed in prædestinatis: nam quidquid est in Deo, est æternum.

Sed contra est quod Augustinus dicit (ibid.) quod prædestinatio est *præscientia beneficiorum Dei*. Sed præscientia non est in præscitis, sed in præciente. Ergo nec prædestinatio est in prædestinatis, sed in præstinenti.

Respondeo dicendum, quod prædestinatio non est aliquid in prædestinatis, sed in prædestinante tantum. Dictum est enim, quod prædestinatio est quædam pars providentie. Providentia autem non est in rebus provisis, sed est quædam ratio in intellectu provisoris, ut supra dictum est (quæst. xxii. art. 1.)

Sed executio providentia, quæ gubernatio dicitur, passive quidem est in gubernatis, active autem est in gubernante. Unde

manifestum est quod prædestinatio est quædam ratio ordinis (2) aliquorum in salutem æternam in mente divina existens; executio autem hujus ordinis est passive quidem in prædestinatis, active autem est in Deo. Est autem executio prædestinationis vocatio, & magnificatio, secundum illud Apostoli Rom. viii. *Quos prædestinavit, eos & vocavit, eos & quos vocavit (*) eos & magnificavit* (3).

Ad primum ergo dicendum, quod actiones in exteriorem materiam transeuntes inferunt ex se passionem, ut calefactio, & scatatio, non autem actiones in agente manentes, ut sunt intelligere, & velle, ut supra dictum est (quæst. xiv. art. 4. & xviii. art. 3. ad 1.) & talis actio est prædestinatio. Unde prædestinatio non ponit aliquid in prædestinatis; sed executio ejus, quæ transit in exteriore res, ponit in eis aliquem effectum.

Ad secundum dicendum, quod destinatio aliquando sumitur pro reali missione alicuius ad aliquem terminum; & sic destinatio non est nisi ejus quod est. Alio modo sumitur destinatio pro missione (4), quam aliquis mente concepit, secundum quod dicimus destinare quod mente firmiter proponimus. Et hoc secundo modo dicitur in II. Mach. vi. 20. quod *Eleazarus destinavit non admittere illicita propter vita amorem*. Et sic destinatio potest esse ejus quod non est. Tamen prædestinatio ratione antecessionis, quam importat, potest esse ejus quod non est, qualitercumque ejus destinatio sumatur.

Ad tertium dicendum, quod duplex est præparatio. Quædam patientis, ut patiatur; & hæc præparatio est in præparato. Quædam alia est agentis, ut agat, & hæc est in agente; & talis præparatio est prædestinatio, prout aliquod agens per intellectum dicitur se præparare ad agendum, in qua-

F f 2 tum

(1) Vei super illud. *Qui factus est ei secundum carnem &c.* Quod autem subjungitur ex Augustino de prædestinatione Sanctorum, & ad marginem notabatur de bono perseverantia cap. 14. neutrobius occurrit; sed a Deo prædestinari ea quæ ipse facturus est. Sequentes porro appendices quod sit præscientia vel etiam præparatio beneficiorum Dei ex his posteriori loco colliguntur; ubi & Augustinus addit quod art. 6. argum. *Sed contra refert ex Glossa S. Thomas.* Refertur vero ut ex libro de prædestinatione Sanctorum, quia liber de bono perseverantia sic ei annexus est, ut ex veterum usu liber secundus de prædestinatione Sanctorum inscribatur.

(2) Seu *ratio transmissionis* ut art. 1. dixit: Et sic describi vulgo solet, vel definiri a Thamistis.

(*) *Vulgate* illos & glorificavit.

(3) Ut Biblia vetera legunt, ac ex istud Glossa, Hugo, & ipse S. Thomas ibidem: Sed nunc Biblia nova emendata, glorificavit (ex græco ἀδελφοί) Nec tantum de profecto gratiæ sed gloriæ hoc ipsum S. Thomas explicat, & sic præteritum poni vult pro futuro.

(4) Annon planior sensus videri posset si *pro promissione* dicetur ur? quamvis gothica, manuscripta, impressa passim sic habeant: Nam per promissionem interiorem sive mente conceptam propositum intelligitur juxta significacionem hic subjunctam & jam anteua indicatam. Sed quid ad Augustinum? qui potius vult prædestinationem ejus esse quod non est adhuc sed futurum est: Unde serm. 11. de verbis Apostoli, *Elegantur qui non sunt*, inquit, ut infra.

tum præconcipit rationem operis fiendi. Et sic Deus ab æterno præparavit prædestinando concipiens rationem ordinis aliquorum in salutem.

Ad quartum dicendum, quod gratia non ponitur in definitione prædestinationis, quasi aliquid existens de essentia ejus, sed in quantum prædestinatio importat respectum ad gratiam, ut causa ad effectum, & actus ad objectum. Unde non sequitur quod prædestinatio sit aliquid temporale.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas recte dictum ab Apost. Eph. 1. *Elegit nos ante mundi constitutionem, & Rom. 8. Quos prædestinavit, hos & vocavit, & magnificavit, & glorificavit.* Quia enim prædestinatio nihil ponit in prædestinato, ideo potuit esse ante mundi constitutionem; quia vero prædestinationis executio aliquid ponit in prædestinato, ideo electorum vocatione fit in tempore. Secundo habes: quomodo per distinctionem datam concordes illa Apostoli dicta, & si qua sunt similia. Tertio vides: quomodo, &c.

A R T I C U L U S III. 141

Utrum Deus aliquem hominem reprobet.

I. dist. xl. quest. iv. art. 1. & 2. & III. cont. cap. ult. & Rom. 1x. lect. 2. fin.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod Deus nullum hominem reprobet. Nullus enim reprobat quem diligit. Sed Deus omnem hominem diligit, secundum illud Sapientiae xi. 25. *Diligis omnia que sunt, & sibil odisti eorum que fecisti.* Ergo Deus nullum hominem reprobat.

2. Præterea. Si Deus aliquem hominem reprobat, oportet quod sic se habeat reprobatio ad reprobatos, sicut prædestinatio ad

prædestinatos. Sed prædestinatio est causa salutis prædestinatorum. Ergo reprobatio erit causa perditionis reprobatorum. Hoc autem est falsum: dicitur enim Ofez xiii. 9. (*) *Perditio tua, Israël, ex te est* (1): *tantummodo ex me auxilium tuum.* Non ergo Deus aliquem reprobat.

3. Præterea. Nulli debet imputari quod vitare non potest. Sed si Deus aliquem reprobatur, non potest vitare quin ipse pereat: dicitur enim Eccle. vii. 14. *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigerem quoniam ipse despicerit.* Ergo non esset hominibus imputandum, quod pereunt. Hoc autem est falsum: non ergo Deus aliquem reprobatur.

Sed contra est quod dicitur Malach. i. 2. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (2).

Respondeo dicendum, quod Deus aliquos reprobatur. Dictum enim est supra (art. 1. huic quæst.) quod prædestinatio est pars providentiaz. Ad providentiam autem pertinet permittre aliquem defectum in rebus quæ providentiaz subduntur, ut supra dictum est (quæst. xxii. art. 2.) (3). Unde cum per divinam providentiam homines in vitam æternam ordinentur, pertinet etiam ad divinam providentiam ut permittat aliquos ab isto fine desicere: & hoc dicitur reprobare.

Sic igitur sicut prædestinatio est pars providentiaz respectu eorum qui divinitus ordinantur in æternam salutem, ita reprobatio est pars providentiaz respectu illorum qui ab hoc fine decidunt. Unde reprobatio non nominat præscientiam tantum, sed aliquid addit secundum rationem, sicut & providentia, ut supra dictum est (quæst. præced. art. 1. & ex Augustino Lib. I. ad Simplicianum quæst. 111.) (4). Sicut enim prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam, & gloriam; ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus omnes

(*) Vulgata: *Perditio tua, Israël: tantummodo in me auxilium tuum.*

(1) Illud *ex te*, in emendato textu non habetur, sed ab omnibus passim subintelligi solet. Sic autem ibi Hieronymus: *Dispicias Israël, quia nibil tibi reliquum est nisi ut clemensia mea conservabis: Ut & yo. Corruptioni tua quis auxiliabis &c.*

(2) Et ad Rom. 9. vers. 11. usurpat Apostolus expresse, ut referat ad propositum Dei quo alios efficit *vosa misericordia, alios vosa tra:* Sicut etiam ibidem intelligit S. Thomas,

(3) Ubi dicuntur propterea tales defectus ad natura universalis intentionem pertinere, licet contra particularis intentionem eveniant. Sicut art. 1. sequens appendix indicatur.

(4) Et lib. 1. de prædestinat. & gratia cap. 2. ut prius indicabatur ad marginem; sed Augustini non est hic posterior liber: Addebatur & Fulgentius lib. de dupli prædestinatione, ubi cap. 5. 6. 7. *prædestinatio ad supplicationem non ad peccatum significatur effi reprobatio.*

Omnes homines diligit, & etiam omnes creatureas, inquantum omnibus vult aliquod bonum, non tamen quocumque bonum vult omnibus. Inquantum igitur quibusdam non vult hoc bonum quod est vita æterna, dicitur eos habere odio, vel reprobare.

Ad secundum dicendum, quod aliter se habet reprobatio in causando quam prædestinationis. Nam prædestinationis est causa & ejus quod expectatur in futura vita a prædestinatis, scilicet gloriæ, & ejus quod percipitur in præsenti, scilicet gratiæ. Reprobatio vero non est causa ejus quod est in præsenti, scilicet culpa; sed est causa derelictionis a Deo. Est tamen causa ejus quod redditur in futuro, scilicet poenæ æternæ. Sed culpa provenit ex libero arbitrio ejus qui reprobatur, & a gratia deferitur. Et secundum hoc verificatur dictum Prophetæ, scilicet *Perditio tua, Israel, ex te* (1).

Ad tertium dicendum, quod reprobatio Dei non subtrahit aliquid de potentia reprobati. Unde cum dicitur, quod reprobatus non potest gratiam adipisci, non est hoc intelligendum secundum impossibilitatem absolutam, sed secundum impossibilitatem conditionatam, sicut supra dictum est (quæst. xix. art. 3.) (2) quod prædestinatum necesse est salvari necessitate conditionata, quæ non tollit libertatem arbitrii. Unde licet aliquis non possit gratiam adipisci qui reprobatur a Deo; tamen quod in hoc peccatum, vel illud labatur, ex ejus libero arbitrio contingit. Unde & merito sibi imputatur inculpam.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo ostendas recte fuisse dictum Mala. 1. *Esau autem odio babui*. Secundo habes: quomodo per rationem id catholice intelligas, scripturisque aliis concordes, puta Sap. 11. *Nibil odisti eorum, quæ fecisti*. Item 2. Petr. 3. *Nolens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reverti*. Aliud est enim velle quod justum est, ad quod sequitur absque vel minima Dei culpa, aliquem perire: Aliud est velle

de se aliquem perire. Primum Deus, cum sit justus, vult: ideo reprobare, seu odire dicitur; secundum Deus, cum non sit crudelis, humquam vult: ideo non delectatur in perditionibus nostris. Tob. 3. Sap. 1. non vult mortem peccatoris. 1. Ezech. 18. 33. Vide quæst. 19. art. 6. & 9. & quæst. 20. art. 2. Tertio vides, &c.

ARTICULUS IV. 142

Utrum prædestinati elegantur a Deo.

Inf. quæst. xxiv. art. 1. corp. & I. difl. xl.
art. 1. & 2. & ver. quæst. vi. art. 1. corp.
& ix. Rom. lebt. 2. cont. 3.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod prædestinati non elegantur a Deo. Dicit enim Dionysius iv. cap. de divin. Nom. (circa princ. lect. 1.) quod sicut Sol corporeus non eligendo omnibus corporibus lumen immittit, ita & Deus suam bonitatem. Sed bonitas divina communicatur præcipue aliquibus secundum participationem gratiæ, & gloriæ. Ergo Deus absque electione gratiam, & gloriam communicat: quod ad prædestinationem pertinet.

2 Præterea. Electio est eorum quæ sunt. Sed prædestinationis ab æterno est etiam eorum quæ non sunt (3). Ergo prædestinantur aliqui absque electione.

3. Præterea. Electio quamdam discretiōnem importat. Sed Deus vult omnes homines salvos fieri, ut dicitur I. Timoth. 11. 4. Ergo prædestinationis, quæ præordinat homines in salutem, est absque electione.

Sed contra est quod dicitur Ephes. 1. 4. *Electi nos in ipso* (4) *ante mundi constitutionem*. Respondeo dicendum, quod prædestinationis secundum rationem presupponit electionem, & electionem dilectionem. Cujus ratio est, quia prædestinationis, ut dictum est (art. 1. hujus quæst.) est pars providentiaz. Providentia autem, sicut & prudentia, est ratio in intellectu existens præceptiva ordinatiois aliquorum in finem, ut supra dictum est (quæst. xxii. art. 2.) Non autem præcipitur

(1) Ut supponitur in argumeto, ubi alium tam sensum annotavimus ad marginem.

(2) Addi etiam potest Augustinus ad articulos falso impositos art. 13. 14. 15. ut & Anselmus de concordia prædestinationis & liberi arbitrii.

(3) Juxta ea quæ prius art. 2. ad 2. explicata sunt, quomodo prædestinationis sit aliquius existens &

fit non existens destinatio &c.

(4) Nempe in Christo, ut supplendum est ex adjunctis; perinde ac si dicat, *per Christum*, sicut & commentatur ibi S. Thomas, qui ad eundem quoque sensum ibidem refert illud Joan. 13. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*.

tur aliquid ordinandum in finem nisi praexistente voluntate finis. Unde praedestinatio aliquorum in salutem æternam præsupponit secundum rationem (1), quod Deus illorum velit salutem: ad quod pertinet electio, & dilectio. *Dilectio* quidem, inquantum vult eis hoc bonum salutis æternæ: nam diligere est velle alicui bonum, ut supra dictum est (quæst. xx. art. 2. & 3.) *Electio* autem, inquantum hoc bonum aliquibus præ aliis vult, cum quosdam reprobet, ut supra dictum est (art. 3. hujus quæst.) *Electio* tamen, & *dilectio* aliter ordinantur in nobis, & in Deo: eo quod in nobis voluntas diligendo non causat bonum, sed ex bono præexistente incitamus ad diligendum; & ideo eligimus aliquem, quem diligamus; & sic *electio* dilectionem præcedit in nobis: in Deo autem est e converso: nam voluntas ejus, qua vult bonum alicui diligendo, est causa quod illud bonum ab eo præ aliis habetur. Et sic patet quod *dilectio* præsupponitur electioni secundum rationem (2), & *electio* prædestinationi. Unde omnes prædestinati sunt electi, & dilecti.

Ad primum ergo dicendum, quod si consideretur communicatio bonitatis divinæ in communi, absque electione bonitatem suam communicat, inquantum scilicet nihil est quod non participet aliquid de bonitate ejus, ut supra dictum est (quæst. vi. art. 4.) Sed si consideretur communicatio illius, vel illius boni, non absque electione tribuit: quia quosdam bona dat aliquibus quæ non dat aliis. Et sic in collatione gratia, & gloria attenduntur *electio*.

Ad secundum dicendum, quod quando voluntas eligentis provocatur ad eligendum a bono in re præexistente, tunc oportet quod *electio* sit eorum quæ sunt, sicut accidit in electione nostra. Sed in Deo est aliter, ut dictum est (in corp. art. & quæst. xx. art. 2.) Et ideo, sicut dicit Augustinus (ser. xi. de verb. Apost. aliquant. a princ.) (3) eliguntur a Deo qui non sunt, neque tamen erat qui eligit.

Ad tertium dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. xix. art. 6.) Deus vult omnes homines salvos fieri antecedenter (quod

non est simpliciter velle, sed secundum quid non autem consequenter, quod est simpliciter velle.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte sacram Scripturam afferere, quod prædestinati eliguntur a Deo, ut Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*. Matth. 24. *Dies illi proper electos breviabuntur*. 2. Tim. 2. *omnis autem sustineo proper electos* 2. Tim. 5. *Testificor coram Deo in Christo Jesu, & electis Angelis ejus*. Secundo habes: quomodo per rationem ultra sacram scripturam damnari possint, si qui forte dicent contrarium. Dixi *ly forte*, ad declarandum, quod vix hoc invenies. Nam & heretici tamquam ab ipsa veritate coacti uruntur nomine electionis, de prædestinatis loquendo, & ut in speciali dicamus, *Theodorus Beza*. Iste enim inquit. Electis nulla peccata esse mortalia, & reprobis nulla venialia. Ecce, quod prædestinatos, quos a reprobis sacerint, a Deo eligi putat, quamvis cum ista veritate hereticum quidpiam, ut illorum moris est, admisceat, scilicet illis mortalia nulla peccata esse, istis venialia nulla. Contra quod clamant exempla Apostolorum Petri, & Pauli, atque proditionis Judæ, Petro enim dicitur Luc. 22. *tu aliquando conversus*: ergo per hoc denotatur patenter, quod aliquando fuit aversus, id, quod per peccatum solum mortale fit. Paulus prius fuit blasphemus, & Ecclesiæ Dei persecutor, & incredulus, & omnium peccatorum primus, prime Tim. 1. ergo aut ista secundum se non sunt peccata mortalia, & nullus peccatorum peccat mortaliter, aut Paulus peccavit mortaliter: omnia sunt clara præterquam non intelligentibus, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Item Concilium Constantiense damnat has utrasque propositiones Jo: Huff. decimaquinta. Una est. Paulus numquam fuit membrum diaboli, licet sacerditus quosdam actibus Ecclesiæ malignantium confimiles. Altera. Prædictus, et si aliquando sit in gratia secundum præsentem justitiam,

(1) Idest secundum considerationem intellectus, qui unum prius alio intelligit, quamvis non sit re ipsa unum alio prius; cum Deus uno actu simplicissimo & indiviso (non successivo & distincto) diligat, velit, eligat, prædestinet.

(2) Non quod inter plures electos unum eligat

præ alio, & sic non omnes quos diligit eligat; sicut gratia præsupponit naturam, & non omnibus habentibus naturam datur: Sed quod illosmet quos eligit, prius diligit ratione; quamvis nisi electos non diligit ad sensum hic intentum.

(3) Sive cap. 4. et Editiones novæ distinguunt.

tiam, tamen nonquam est pars sancte Ecclesie. Quid clarius contra Bezan? De Judea prodiit simul, & de aliis dicit Christus Joann. sexto: *Nonne duodecim vos elegi?* At post electionem unus illorum diaclavis factus est. Tertio vides: quomodo ex his vicissim firmetur conclusio.

ARTICULUS V. 143

Utrum præscientia meritorum sit causa prædestinationis.

I. *diss. xli. art. 3. & III. cont. cap. ult. & ver. quæst. vi. art. 2. & Joann. xv. lect. 3. & Rom. i. lect. 3. & cap. viii. lect. 6. & cap. ix. lect. 3. & Eph. vii. lect. 15.*

AD quintum sic proceditur. Videtur quod præscientia meritorum sit causa prædestinationis. Dicit enim Apostolus Rom. viii. 30. *Quos præcivit, hos & prædestinavit:* & Glossa Ambrosii super illud Rom. ix. *Miserebor cui miserebor* &c. dicit: „Misericordiam illi dabo quem præscio toto corde reveratur ad me.“ Ergo videtur quod præscientia meritorum sit causa prædestinationis.

2. Præterea. Prædestination divina includit divinam voluntatem, qua irrationalis esse non potest; cum prædestination sit propositionem miserendi, ut Augustinus dicit (Lib. II. de prædest. Sanct. cap. xvii.) Sed nulla alia ratio potest esse prædestinationis nisi præscientia meritorum. Ergo præscientia meritorum est causa, vel ratio prædestinationis.

3. Præterea. *Non est iniquitas apud Deum,* ut dicitur Rom. ix. 14. (1) Iniquum autem esse videtur ut æqualibus inæqualia dentur: omnes autem homines sunt æquales & secundum naturam, & secundum peccatum originale; attenditur autem in eis inæqualitas secundum merita, vel demerita propriorum actuum. Non igitur inæqualia præparat Deus

hominibus prædestinando, & reprobando, nisi propter differentium meritorum præscientiam.

Sed contra est quod dicit Apostolus ad Titum 111. 5. (2) *Non ex operibus justitia, que facimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.* Sicut autem salvos nos fecit, ita prædestinavit nos salvos fieri. Non ergo præscientia meritorum est causa, vel ratio prædestinationis.

Respondeo dicendum, quod, cum prædestination includat voluntatem, ut supra dictum est (art. præc.) sic inquirenda est ratio prædestinationis, sicut inquiritur ratio divinæ voluntatis. Dictum est autem supra (quæst. xix. art. 5.) quod non est assignare causam divinæ voluntatis ex parte actus volendi; sed potest assignari ratio ex parte volitorum, in quantum scilicet Deus vult esse aliquid propter aliud. Nullus ergo fuit ita insanus mentis qui diceret, merita esse causam divinæ prædestinationis ex parte actus prædestinantis; sed hoc sub quæstione vertitur, utrum ex parte effectus prædestinatione habeat aliquam causam. Et hoc est quærere, utrum Deus præordinaverit se daturum effectum prædestinationis alicui propter merita aliqua.

Fuerunt igitur quidam qui dixerunt, quod effectus prædestinationis præordinatur alicui propter merita præexistentia in alia vita: & hæc fuit positio Origenis, qui posuit animas humanas ab initio creatas (3), & secundum diversitatem suorum operum diversos status eas sortiri in hoc mundo corporibus unitas. Sed hanc opinionem excludit Apostolus Rom. ix. 11. dicens: *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid egissent boni, vel mali, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major serviet minori.*

Fuerunt ergo alii qui dixerunt, quod merita præexistentia in hac vita sunt ratio, & causa effectus prædestinationis. Posuerunt enim Pelagiani, quod initium bene facientiæ sit ex nobis, consummatio autem a Deo.

Et

(1) Sic enim ibi fortiori expressione post relationem electionem Jacob, & Esau rejectionem, vers. 14. *Quid ergo dicimus: Numquid iniquitas apud Deum?* Absit.

(2) De salute per Christum & in ejus adventu exhibita hoc dicit propter spiritualem regenerationem qua renovati sumus, ut ex adjunctione patet: Sed ad æternam refert ex Augustino Beda super eundem locum propter spem ejus in regenerationis lavacro nobis datum; Et tamen, inquit, quia certa spes est, tamquam jam data nobis esset eadem salus, dicit in-

præterito, *salvos nos fecis:* In eundemque sensu refert illud ad Rom. 8. vers. 24. *Spe salvi facti sumus:* Et August. ipse lib. 1. de peccatorum meritis & remissione cap. 18.

(3) Tale aliquid habet libro 1. contra Celsum; sed juxta Pythagoram, Platonem, Empedoclem, quos nominabat lepe Celsus, id se dicere profiteretur, ut ex illius principiis inferat quam insigne corpus contingere anima Christi debuerit. Reversa tamen ex proprio etiam sensu sic loquutus est; ut plenius petebat qu. 30.

Et sic ex hoc contingit quod alicui datur prædestinationis effectus , & non alterius : quia unus initium dedit se præparando , & non aliis . Sed contra hoc est quod dicit Apostolus II. Cor. 111. 5. quod non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis . Nullum autem anterius principium inveniri potest quam cogitatio . Unde non potest dici , quod aliquod in nobis initium existat quod sit ratio effectus prædestinationis .

Unde fuerunt alii qui dixerunt (1) , quod merita sequentia prædestinationis effectum sunt ratio prædestinationis , ut intelligatur , quod ideo Deus dat gratiam alicui , & præordinavit se ei daturum , quia præcivit eum bene usurum gratia ; sicut si Rex det alicui militi equum , quem scit eo bene usurum . Sed isti videntur distinxisse inter id quod est ex gratia , & id quod est ex libero arbitrio , quasi non possit esse idem ex utroque . Manifestum est autem quod id quod est gratia , est prædestinationis effectus ; & hoc non potest nisi ut ratio prædestinationis , cum hoc sub prædestinatione concludatur . Si igitur aliquid aliud ex parte nostra sit ratio prædestinationis , hoc erit præter effectum prædestinationis . Non est autem distinctum quod est ex libero arbitrio , & ex prædestinatione , sicut nec est distinctum quod est causa secunda , & causa prima . Divina enim providentia producit effectus per operationes causarum secundarum , ut supra dictum est (quæst. xix. art. 5.) Unde & id quod est per liberum arbitrium , est ex prædestinatione .

Dicendum est ergo , quod effectum prædestinationis considerare possumus dupliciter . Uno modo in particulari ; & sic nihil prohibet aliquem effectum prædestinationis esse causam , & rationem alterius ; posteriorem quidem prioris secundum rationem causæ finalis ; priorem vero posterioris secundum ra-

tionem causæ meritioræ , quæ reducitur ad dispositionem materiæ : sicut si dicamus , quod Deus præordinavit se daturum alicui gloriam ex meritis , & quod præordinavit se daturum alicui gratiam ut mereretur gloriam . Alio modo potest considerari prædestinationis effectus in communi ; & sic impossibile est quod totus prædestinationis effectus in communi habeat aliquam causam ex parte nostra : quia quidquid est in homine ordinans ipsum in salutem , comprehensidit totum sub effectu prædestinationis , etiam ipsa præparatio ad gratiam . Neque enim hoc fit nisi per auxilium divinum , secundum illud Thren. ult. 21. (2) . *Converte nos Domine ad te , & convertet nos .* Habet tamen hoc modo prædestinatio ex parte effectus pro ratione divinam (*) bonitatem , ad quam totus effectus prædestinationis ordinatur ut in finem , & ex qua procedit sicut ex principio primo movente .

Ad primum ergo dicendum , quod usus gratia præscitus non est ratio collationis gratia , nisi secundum rationem causæ finalis , ut dictum est (in cor. art.)

Ad secundum dicendum , quod prædestination habet rationem ex parte effectus in communi ipsam divinam bonitatem ; in particulari autem unus effectus est ratio alterius , ut dictum est (in cor. art.) (3) .

Ad tertium dicendum , quod ex ipsa bonitate divina ratio sumi potest prædestinationis aliquorum , & reprobationis aliorum . Sic enim Deus dicitur omnia propter suam bonitatem fecisse , ut in rebus divina bonitas repræsentetur . Necesse est autem quod divina bonitas , quæ in se est una , & simplex , multiformiter repræsentetur in rebus , propter hoc quod res creatæ ad simplicitatem divinam attingere non possunt . Et inde est quod ad completionem universi requiruntur diversi gradus rerum , quarum quædam altum & quædam infimum locum teneant

(1) Massilienses nempe , qui & Semipstagiani dicunt , quia gratiam quidem ad operandum non tamen ag credendum necessariam afferebant : Quippe a Deo ante mundi constitutionem prædestinatos ac præcitos dicebant eos , quos gratus vocatos dignos futuros elektione , & de hac vita bono fine excessuros esse prævidisse ; ut Augustino scriptus Prosper . Nec idem est quod oratio Ecclesiæ pro vivis & defunctis notata dicit : *Omnium misericordia quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis :* Cum sit sensus dumtaxat quod eorum temporaliter misereatur quos ab æterni suos fore prænoscit : Quasi dicat quod misereretur electorum .

(2) Seu Lamentationum Hieremias ex greco tñr.

quod *Lamentationem* significat : Habetur autem ibi cap. 5. vel in Orat. Hieremias vers. 21. clausula haec , & in praesentem sensum a Coacilio Tridentino less. 6. cap. 5. applicatur .

(3) Ita codd. Alcan. Camer. & Rom. Edisti voluntatem .

(3) Utinam vero satis dictum attendant qui non in ratione finis tantum ante merita destinari gloriam volunt , quod legitime arbitrantur , sed & in ratione mercedis , quod contradicitorum omnino est , nisi violento sensu intelligatur ; & hoc velle contendunt S. Thomam ; scilicet cuius verba hoc ipso loco manifeste repugnant .

teneant in universo. Et ut multis formitas graduum conservetur in rebus, Deus permittit aliqua mala fieri, ne multa bona impediatur, ut supra dictum est (quest. xxii. art. 2. & colligitur ex Aug. Lib. I. ad Simplician. quest. 11. & de bono Persever. Lib. II. cap. viii.) Sic igitur consideremus totum genus humanum sicut totam rerum universitatem. Voluit igitur Deus in hominibus quantum ad aliquos, quos praedestinat, suam representare bonitatem, per modum misericordiae parcendo, & quantum ad aliquos, quos reprobavit, per modum justitiae puniendo. Et haec est ratio quare Deus quosdam eligit, & quosdam reprobavit (1). Et hanc causam assignat Apostolus ad Roman. ix. 22. dicens : *Vulnus Deus ostendere iram, id est vindictam justitiae, & notam facere potentiam suam, sustinuit, id est permisit, in multa patientia vasa ire apta in interitum, ut offendaret divitias glorie sue in vasa misericordie, que preparavit in gloriam : & II. Timoth. 11. 20. dicit : In magna domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed etiam lignea, & fictilia, & quedam quidem in honorem, quedam in contumeliam . Sed quare hos elegit in gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem nisi divinam voluntatem . Unde Augustinus dicit super Joannem (tract. xxvi. non remote a princ.) Quare bunc trahat, & illum non trahat, noli velle disjudicare si non vis errare . Sicut etiam in rebus naturalibus potest assignari ratio, cum prima materia tota sit in se uniformis, quare una pars eius est sub forma ignis, & alia sub forma terrae a Deo in principio condita, ut sic sit diversitas specierum in rebus naturalibus ; sed quare hac pars materiarum est sub ista forma, & illa sub alia, dependet ex simplici divina voluntate ; sicut ex simplici voluntate artificis dependet quod ille lapis est in ista parte parietis, & ille in alia, quamvis ratio artis habeat quod aliqui sint in hac, & aliqui sint in illa . Neque tamen propter hoc est iniquitas apud Deum, si inaequalia non inaequalibus præparat . Hoc enim esset contra justitiae ratio-*

Summ. S.Th. T.I.

nem, si prædestinationis effectus ex debito redderetur, & non daretur ex gratia . In his enim quæ ex gratia dantur, potest aliquis pro libito suo dare cui vult plus, vel minus, dummodo nulli subtrahat debitum, absque prejudicio justitiae . Et hoc est quod dicit patres familias Matth. xx. 15. *Tolle quod tuum est, & vade: an non licet mihi, quod volo, facere?*

A P P E N D I X .

Ex art. habes primo : quomodo per rationem projicias errorum Trinitariorum dicentium, quod Deus propter alicujus bona futura præordinavit aliquem ab æterno . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas errorem hunc iuste damnari a Concilio Araucano canon. 12. & 22. vide ad primum, & notationem secunde conclusionis . Si enim nemo habet de suo, &c. utique videtur, quod Deus propter alicujus bona opera futura non præordinaverit, seu prædestinaverit aliquem ab æterno . Item, si tales nos Deus amat, quales, &c. videtur utique idem, quod immediate supra . Item a Concilio Tridentino sess. sexta, videtur in suo simili damnatus, quando can. 3. sic ait . *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritu sancti adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut paenitere possit, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; Anathema sit.* A simili ergo dicere, quod homo sine præveniente divino adiutorio mereri possit, ut sibi prædestinationis gratia conferatur, di cere, inquam, hoc, Concilio isti dissonare videtur, & tanto magis, quanto gratia prædestinationis pluris est, quam gratia justificationis, ut patet . Ceterum, si vis, audi ordinariam glossam Decreti 23. questio. 4. *Vasis ira.* Si vere (inquit) volumus loqui, non est concedendum, quod futura bona sint causa prædestinationis . Hæc ibi . Item merito damnari a Concilio Valentino , cujus definitiones in 1. 2. & 3. capitulis sunt in hæc verba : *De prescientia Dei, prædestinatione, & questionibus aliis, in quibus fratrum animi non*

G g

parant

(1) Colligitur ex Augustino paulo ante citat. ubi præter alia multa, dicit unam quendam esse peccati massam que divina summaque justitia supplicium debet; quod siue exigatur, siue donetur, nulla est iniquitas . Et hoc postea inconclusa remendum fide ait ut neque ille a quo exigitur, possit recte de eis iniquitate conqueri; nec ille cui donat, de suis meritis gloriarisi: ut & lib. de bono perseverantia cap. 8. Ex

uno omnes in condemnationem non injustiam judicantur sed justam: Si ergo in remittendo debito bonitas, in ex gendo equitas intelligitur, nusquam esse apud Deum iniquitas inventur . Sed superflue prius tum ex Hypognostici lib. 6. tum ex lib. de prædest. & gratia simile quidpiam sumptum esse indicabatur, cum neutrius author sit Augustinus.

parum scandalizari probantur, iltud tantum firmissime tenendum credimus; quod ex maternis Ecclesie visceribus nos huiusse gaudemus, Deum precire, & prescisse eternaliter & bona, que boni erant facturi, & mala, que mali sunt gesturi, quia vocem scriptura dicentis habemus, Deus aeternus, qui absconditorum es cognitor, qui omnia nosti, antequam fiant. Fideliter tenemus, & placet tenere bonos eum prescisse omnino per gratiam suam bonos futuros, & per eandem gratiam aeterna premia accepturos, malos autem eum prescisse per propriam malitiam malos futuros, & per suam justitiam aeterna ultione dammandos, secundum Psalmistam, quia potestas Dei est, & Domini misericordia, ut reddat unicuique secundum opera sua, nec profus ulli malo prescientiam Dei imposuisse necessitatem, ut aliud esse non posset, sed quod ille futurus erat ex propria voluntate, Deus, qui novit omnia antequam fiant, prescit ex sua omnipotencia, & incommutabili maiestate, nec ex prejudicio ejus aliquem, sed ex merito proprio iniquitatis, credimus condemnari. Nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non posuerunt, sed quia boni esse voluerunt, suoque vicio in massa damnationis merito, vel originali, vel etiam actuali permanserunt. Sed & de predestinatione Dei placuit, & fideliter placet, juxta Apostolicam autoritatem, que dicit. An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud vero in consumeliam? ubi & statim subjungit, quod si volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientia vasa ire apta, sive preparata ad meritum, ut ostenderet divitias gracie sue in vasa misericordiae, que preparavit in gloriam: fidekerque fatemur predestinationem electorum ad vitam, & prescientiam impionum ad mortem; In electione tamen salvandorum misericordiam Dei procedere meritum bonum, in damnatione autem periturorum meritum malum procedere justum Dei judicium. Predestinatione autem Deum ea tantum statuisse, que ipse vel gratuita misericordia, vel justo iudicio facturus erat secundum scripturam dicentes: qui fecit, que futura sunt. In malis vero ipsorum malitiam prescisse, quia ex ipsis est, non predestinasse, quia ex illo non est. Pernam sane malum meritorum eorum sequentem, Deum, qui omnia proupicit, prescivisse, & predestinasse, quia justus est, apud quem est, ut Sanctus Augustinus, de omnibus omnino rebus tam fixa sententia, quam certa prescientia. Ad hoc siquidem facit sapientis dictum, parata sunt derisoribus judicia, & mallei percussientes stultorum corporibus. De hac immobilitate prescien-

tia, & predestinationis Dei, per quam apud eum futura jam facta sunt, apud Ecclesiasten bene intelligitur dictum. Cognovi, quod omnia opera, que fecit Deus, perseverent in perpetuum, non possimus his addere, nec auferre, que fecit Deus, ut timeatur. Verum aliquos ad malum predestinatos esse divina potestate, uidelicet, ut quasi aliud esse non possint non solum non credimus: sed etiam, si sunt, qui tantum mali credere velint, cum omni defactu, sicut Araucana Synodus, illis anathema dicimus. Hucusque Valentinium Concilium. Singula hujus verba grandi consideratione pondera, quoniam & aurea sunt, & ad plures quæstiones decidendas damnando oppositura faciunt. Dixi ly damnando oppositum, quoniam ad hoc etiam valet authoritas conciliorum provincialium, quale est Valentinium præmissum. Unde Concilium Nicenum secundum de hujusmodi Conciliis loquens in actione tertia, sic ait: Locales autem synodos non auersemur, sed magis amamus, amplectimur, & recipimus, earum etiam divinitus inspiratas canonicas constitutiones, correctiones, & uiles earum legislationes summa observantia colimus. Item in canone primo sic: A sanctis Apostolis prius editos canones, & a sanctis universalibus, & localibus synodis amplectentes, eos anathematizamus, qui ab ipsis anathematizati fuere, deponimus, qui deposui fuere, nibilque bis adjicimus, non inexplebiles (ut avari) existentes, sed bis, que ab illis constituta sunt, contenti sumus. Hæc omnia Concilium Nicenum. Per synodos locales intendit provinciales, quoniam eas distinguit contra universales, & quoniam etiam provinciales restringunt ad unum locum particularem. Non enim de omni loco ad synodum provinciale conveniunt Patres, quod fit in generali, sed tantum de loco uno, scilicet de illa provincia. Valent prædictæ Concilii Valentini definitiones etiam ad alia multa in aliis articulis dicta, prout prudens lector per se considerabit. Si quis ergo Doctores authentici videantur aliquando tenuisse, vel scripsisse contrarium, exponantur, si possunt, pie secundum exemplar monstratum nobis ab Angelico Doctore erga Beatum Ambrosium hic, ut, quoad fieri potest, securius procedamus, ne forte in Anathemata præmissa Conciliorum impingamus, & heresi Pelagiane vel in sono verborum aliqualiter appropinquare videamur. Tertio vides: quomodo ex his vicissim Angelica hæc doctrina declaretur, atque confirmetur.

AR.

ARTICULUS VI. 144

Utrum prædestinationis sit certa.

- I. *diss. ix. quest. iii. art. uni. & v. quod. quest. i. art. 2. & xi. quod. art. 3. quod. xii. quest. iii. art. 4. & ver. quest. vi. art. 3. & 5. & ad Hebr. xii. lect. 4. fin.*

AD sextum sic proceditur. Videtur quod prædestination non sit certa. Quia super illud Apocal. 3. 11. *Tene quod habes, ne alius accipias coronam tuam*, dicit Augustinus (Lib. de correp. & gr. cap. xiii.) quod „alius non est accepturus, nisi iste periderit“. Potest ergo & acquiri, & perdi corona, quæ est prædestinationis effectus. Non est igitur prædestination certa.

2. Præterea. Posito possibili, nullum sequitur impossibile (1). Possibile est autem aliquem prædestinatum, ut Petrum, peccare, & tunc occidi: hoc autem posito, sequitur prædestinationis effectum frustrari. Hoc igitur non est impossibile: non ergo est prædestination certa.

3. Præterea. Quidquid Deus potuit, potest. Sed potuit non prædestinare quem prædestinavit. Ergo nunc potest non prædestinare: ergo prædestination non est certa.

Sed contra est quod super illud Rom. viii. *Quos prescrivit, hos & prædestinavit &c.* dicit Glossa (ex Augustino Lib. II. de don. persev. cap. xiv. parum a princ.) „Prædestinationis est præscientia, & præparatio benevolentiae et præfationis Dei (*), qua certissime libenter riantur quicunque liberantur“.

Respondeo dicendum quod prædestination certissime, & infallibiliter consequitur suum effectum, nec tamen imponit necessitatem, ut scilicet effectus ejus ex necessitate proveniat (2). Dictum est enim supra (art. i. hujus quest.) quod prædestination est pars præscientie. Sed non omnia quæ præscientie subduntur, necessaria sunt; sed quædam contingentier eveniunt secundum conditionem cau-

sarum proximarum, quas ad tales effectus divina providentia ordinavit. Et tamen præscientie ordo est infallibilis, ut supra ostensum est (qu. st. xxii. art. 4.) Sic igitur & ordo prædestinationis est certus, & tamen libertas arbitrii non tollitur, ex qua contingenter provenit prædestinationis effectus.

Ad hoc etiam consideranda sunt quæ supra dicta sunt (quest. xiv. art. 13. & quest. xix. art. 4.) de divina scientia, & de divina (3) voluntate, quæ contingentiam a rebus non tollunt, licet certissima, & infallibilia sint.

Ad primum ergo dicendum, quod corona dicitur esse alicuius dupliciter. Uno modo ex prædestinatione divina; & sic nullus coronam suam amittit. Alio modo ex meritorum gratia. Quod enim meremur, quodammodo nostrum est; & sic suam coronam aliquis amittere potest per peccatum mortale sequens. Alius autem illam coronam amissam accipit, in quantum loco ejus subrogatur: non enim permittit Deus aliquos cedere, quin alios erigat, secundum illud Job xxxiv. 24. *conteret multis, & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.* Sic enim in locum Angelorum cadentium substituti sunt homines, & in locum Judæorum Gentiles. Substitutus autem in statum gratiae etiam quantum ad hoc (4) coronam cadentis accipit, quod de bonis quæ alius fecit, in æterna vita gaudebit, in qua unusquisque gaudebit de bonis tam a se, quam ab aliis factis.

Ad secundum dicendum, quod licet sit possibile eum qui est prædestinatus, mori in peccato mortali secundum se consideratum; tamen hoc est impossibile, posito, prout scilicet ponitur, eum esse prædestinatum. Unde non sequitur quod prædestination falli possit.

Ad tertium dicendum, quod cum prædestination includat divinam voluntatem; sicut supra dictum est (art. 4. hujus quest.) quod Deum velle aliquid creatum est necessarium

G g 2

(1) Sicut 8. Physicorum text. 36. a Philosopho usurpat, Quod sic alii vulgo: *Nulum sequitur inconveniens.*

(2) *Augustinus* quibus.

(2) Cur ergo cum effectus infallibilitate necessitatem facientis confundunt quidam, ut libertatem veniam tollant; hoc est indifferentem, arbitrariam, eleculivam?

(3) *An sciens Dei sit futurorum contingentium:*

An voluntas Dei sit causa rerum: Et art. 7. An voluntas Dei sit mutabilis: Et art. 8. An aliquam necessitatem rebus imponat.

(4) Minus propriæ tamen quam præcedenti sensu; quia gaudium illud quod habetur de bonis quæ alius fecerit, non est gaudium vel præmium essentialis quod per coronam significatur: sed aliquid accidentale tantum & appendix gaudi vel præmii essentialis, consequenter se habens ad coronam.

sarium ex suppositione , propter immutabilitatem divinæ voluntatis , non tamen absolute , ita dicendum est hic de prædestinatione . Unde non oportet dicere , quod Deus possit non prædestinare quem prædestinavit , in sensu composito accipiendo (1) ; licet absolute considerando , Deus possit prædestinare , vel non prædestinare . Sed ex hoc non tollitur prædestinationis certitudo .

A P P E N D I X .

Ex art. habes primo : quomodo per rationem demonstres , merito inter regulas fidei catholicæ (hic est liber Augustini (Fulgentii) de fide ad Petrum) cap. 32. dici : firmissime tene , & nulceus dubies , omnes , quos rasa misericordie gratia tua benitate Deus fecit , ante constitutionem gratitiae adoptionem filiorum Dei prædestinatos a Deo . Neque ferire posse aliquem eorum , quos Deus prædestinavit ad regnum celorum , nec quinquam eorum , quos Deus non prædestinavit ad vitam , ulla posse ratione salvati . Prædestination enim illa gratuita donatio- nis est preparatio , quia nos Apostolus ait prædestinatus in adoptionem filiorum Dei per Jesum Christum in ipsum . Hæc ibi . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas eos decipi , qui ex hoc , quod certissimam esse prædestinationem viderunt , vel arbitrii nostri libertatem sustulerunt , vel operum qualitatem nihil prædeste nobis , aut obesse dixerunt . Contra hos enim pugnat articulus in calce corporis dicens ly Et tamen libertas arbitrii non tollitur , & in argumento primo ac secundo , dum ad hæc operum qualitatem , bonitatem , vel malitiam facere aliquid in ista materia declarat . Per rationem igitur interimas hæresim Melanchtonis dicentis : Si ad prædestinationem referas humanam voluntatem ; nec in internis , nec in externis ultra est libertas , sed eveniunt omnia juxta prædestinationem divinam sup. quest. 22. art. 4. Item hæresim quorundam Idiotarum in Hollandia , & Friesia 1534. ortam , Alfonso Castr. referente , dicentium , ex sola prædestinatione , & præscientia divina omnia pendere , & nulli homini bonum opus prædeste , aut malum obesse . Item hæresim Prædestinaturum (sic hujus authores vocat Sigibertus monachus in suis chronicis) dicentium , prædestinatis ad vitam æternam a Deo quacumque scelera ab eis commissa non obesse ,

& pie viventibus bonorum operum labore non prædeste , si a Deo ad mortem sunt ordinati . Item similem Joannis Huff (sup. quest. 20. 4.) dicentis , prædestinatum a Deo ad vitam , etiamsi ipse mala opera agat , numquam posse esse membrum diaboli , & prædestinatum ad mortem , quantumcumque ipse bene vivat , numquam posse esse membrum Dei , & si aliquando sit in gratia secundum præsentem justitiam , tamen numquam esse partem Ecclesiæ . Tercio habes : quomodo per rationem ostendas , omnes has recte damnari a Concilio Constantiens , dum seff. 15. damnat errores Joan. Huff . Universas enim similes in sensu positiones , ut sunt prædictæ , intelligitur damnasse sancta Ecclesia , quando unani illarum expresse damnavit . Vide supra quest. 22. artic. 4. quest. 19. art. 8. Item a Gen. 4. ubi dominus alloquitur Cain reprobanti dicens : Nonne , si bene egeris recipies ? Quasi dicat : Non est dubitandum de hoc . Sed , inquit , sub te erit appetitus tuus , & tu dominaberis illi , scilicet , peccato . Poterat reprobis hic dicere : ex quo ego sum reprobatus a te , non possum non peccare , ideo audit , sed sub te erit appetitus tuus , & tu dominaberis illi . Quasi dicat ei Deus : Non est hoc verum , quia per reprobationem meam non tollitur tua libertas ad dominandum appetitu peccati , nec tollitur hoc , quod bona opera , si ea feceris , tibi prosint , & ab oppositis non tollitur libertas ad peccandum prædestinatis , neque hoc , quod mala , si ea fecerint , eis ob sint . Ex his videtur , quod Cain erat imbutus prædictis hæresibus , quando has ab ejus mente præmissis verbis Dominus evellere conatus est . Quanto vides : quomodo ex his vicissim Angelica firmetur conclusio .

A R T I C U L U S VII. 145

Urum numerus prædestinatorum sit certus .

I. dist. xl. quest. iii. artic. unic. &
verit. quest. vi. art. 4

Ad septimum sic proceditur . Videtur quod numerus prædestinatorum non sit certus . Numerus enim cui potest fieri additio , non est certus . Sed numero prædestinatorum potest fieri additio , ut videtur : dicitur enim Deuteronom. i. ii. Dominus Deus noster

(1) Idest , ut hæc duo fiant simul , Non est prædestinatus , Et , est prædestinatus .

*offer addat ad hunc numerum multa millia :
Glossa (ordinaria),, definitum apud Deum,
,, qui novit qui sunt ejus . , , (1) Ergo nu-
merus prædestinatur non est certus .*

3. Præterea . Non potest assignari ratio
quare magis in hoc numero quam in alio
Deus homines præordinet ad salutem . Sed
nihil a Deo sine ratione disponitur . Ergo
non est certus numerus salvandorum præordi-
natus a Deo .

3. Præterea . Operatio Dei est perfectior
quam operatio nature . Sed in operibus na-
ture bonum invenitur ut in pluribus , de-
fensus autem , & malum ut in paucioribus .
Si igitur a Deo institueretur numerus salvan-
dorum , plures essent salvandi quam damnan-
di : cuius contrarium ostenditur Matth . vii.
13. ubi dicitur : *Lata , & stratis est via
qua dicit ad perditionem : & multi sunt qui
intrant per eam (2) Anxia est porta , & ar-
gia via qua dicit ad vitam ; & pauci sunt ,
qui irruunt eam .* Non ergo est præord.natus
a Deo numerus salvandorum .

Sed contra est quod Augustinus dicit in
L:b. de correptione & gratia (cap . xiii .)
*Certus est prædestinatur numerus , qui neque
augeri potest , neque minui (3) .*

Respondeo dicendum , quod numerus præ-
destinatur est certus .

Sed quidam dixerunt , eum esse certum
formaliter , sed non materialiter ; ut puta ,
si diceremus certum esse quod centum , vel
mille salvantur , non autem quod hi , vel
illi . Sed hoc tollit certitudinem prædestina-
tionis , de qua jam diximus (art . præc .)

Et ideo oportet dicere , quod numerus
prædestinatorum sit certus Deo non solum
formaliter , sed etiam materialiter . Sed ad-
vertendum est , quod numerus prædestinato-
rum certus Deo dicitur , non solum ratione
cognitionis , quia scilicet scit quot sunt sal-

vandi , sic enim Deo certus est etiam nu-
merus guttarum pluviarum , & arenæ maris ;
sed ratione electionis , & definitionis cuius-
dam .

Ad cujus evidentiam est sciendum , quod
omne agens intendit facere aliquid finitum ,
ut ex supradictis de infinito (quæst . vii.
art . 2. & 3.) apparet . Quicumque autem
intendit aliquam determinatam mensuram
in suo effectu , excogitat aliquem numerum
in partibus essentialibus ejus quæ per se re-
quiruntur ad perfectionem totius . Non enim
per se eligit aliquem numerum in his quæ
non principaliter requiruntur , sed solum
propter aliud ; sed in tanto numero accipit
hujusmodi , in quantum sunt necessaria pro-
pter aliud : sicut ædificator excogitat deter-
minatam mensuram domus , & etiam deter-
minatum numerum mansionum , quas vult
facere in domo , & determinatum numerum
mensurarum parietis , vel tecti , non autem
eligit determinatum numerum lapidum , sed
accipit tot quot sufficiunt ad explendam
tantam mensuram parietis . Sic igitur con-
siderandum est in Deo respectu totius univer-
sitatis , quæ est ejus effectus . Præordinavit
enim in qua mensura deberet esse totum
universum , & quis numerus esset conveni-
ens essentialibus partibus universi ; que sci-
licet habent aliquo modo ordinem ad per-
petuitatem , quot scilicet sphæræ , quot stel-
læ , quot elementa , quot species rerum (4).
Individua vero corruptibilia non ordinantur
ad bonum universi quasi principaliter , sed
quasi secundario , in quantum in eis salvatur
bonum speciei . Unde licet Deus sciat nu-
merum omnium individuorum , non tamen
nummerus vel bovum , vel culicum , vel ali-
quorum hujusmodi est per se præordinatus a
Deo (5) . Sed tot hujusmodi divina provi-
dentialia producit , quot sufficiunt ad specie-
rum

(1) Juxta illud 2. ad Timo. b. 2. vers. 19. *Fir-
num fundamentum Dei fiat , habens hoc signaculum ,
novis Dominis qui sunt ejus .* Ad quod alludit ibi
Glossa collateralis , addens , etiam quod numerus mal-
i sudinem stellarum Psal. 146. vers. 4.

(2) Quia sponte se offert nec eam queri vel in-
veniri necesse est sicut angustum : ait ibidem Hiero-
nymus .

(3) Sive paulo aliter quoad eos quibus datum est
ut deserere bonum invictissime nolent : sicut præmit-
tit ibi : *Hec de his loquor qui prædestinari sunt in
regnum Dei , quorum ita certus est numerus ut nec ad-
datur eis quisquam nec minuaretur ex eis .* Neque au-
gendum porro neque minuendum ibidem probat Au-

gustinus ex eo quod Joannes Baptista Iudeis dicit
Luc . 3. vers . 8. & Matth . 3. vers . 9 *Ne dixeritis :
Patrem habemus Abraham : Dico enim vobis quia
potens est Deus de lapidis iis suis suscitare filios Abra-
ham , ut ostendas sic istos esse amputandos si non fecer-
tis fructum , ut non deficiat numerus qui promissus est
Abraha .* Sed aperte ex illis verbis Apoc . 3. verso
11. *Tene quod habes , ne alius accipias coronam tuam ,
ex quibus infert : Si alius non est accepturus nisi isto
perdidis , corrus est numerus .*

(4) Quæ non eodem tamen modo perpetuae sunt
quantum ad realem existentiam sicut stellæ vel sphæ-
ræ (id est celestes orbes) vel elementa .

(5) Huc spectat quod jam supra ex Hieronymo
indi-

rum conservationem. Inter omnes autem creaturas principalius ordinantur ad bonum universi creature rationales, quæ in quantum hujusmodi, incorruptibiles sunt, & possimmo illæ quæ beatitudinem consequuntur, quæ immediatius attingunt ultimum finem. Unde certus est Deo numerus prædestinatum, non solum per modum cognitionis, sed etiam per modum cuiusdam principalis prædefinitionis.

Non sic autem omnino est de numero reproborum, qui videntur esse præordinati a Deo in bonum electorum, quibus omnia cooperantur in bonum.

De numero autem omnium prædestinatum hominum, quis sit, dicunt quidam, quod tot ex hominibus salvabuntur, quot Angeli ceciderunt. Quidam vero, quod tot salvabuntur, quot Angeli remanserunt. Quidam vero, quod tot ex hominibus salvabuntur, quot Angeli ceciderunt, & insuper tot, quot fuerunt Angeli creati. Sed melius dicitur, quod *soli Deo est cognitus numerus electorum in superna felicitate locandus* (ut habet Collecta pro vivis & defunctis).

Ad primum ergo dicendum, quod verbum illud Deuteronom. est intelligendum de illis qui sunt prænotati a Deo respectu præsentis justitiae. Horum enim numerus & augetur, & minuitur, & non numerus prædestinatum.

Ad secundum dicendum, quod ratio quantitatis alicujus partis accipienda est ex proportione illius partis ad totum. Sic enim est apud Deum ratio quare tot stellas fecerit, vel tot rerum species, & quare tot prædestinavit, ex proportione partium principium ad bonum universi.

Ad tertium dicendum, quod bonum proportionatum communi statui naturæ accedit ut in pluribus, (*) & deficit ab hoc bono ut in paucioribus; sed bonum quod excedit communem statum naturæ invenitur ut in paucioribus, & deficit ab hoc bono ut in

pluribus: sicut patet quod plures homines sunt qui habent sufficientem scientiam ad regimen vitæ suæ; pauciores autem qui haec scientia carent, qui moriones, vel stulti dicuntur; sed paucissimi sunt respectu aliorum, qui attingunt ad habendam profundam scientiam intelligibilium rerum. Cum igitur beatitudo æterna in visione Dei conuictus excedat communem statum naturæ, & præcipue secundum quod est gratia destituta per corruptionem originalis peccati, pauciores sunt qui salvantur. Et in hoc etiam maxime misericordia Dei apparet quod aliquos in illam salutem erigit, a qua plurimi deficiunt secundum communem cursum, & inclinationem naturæ.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, esse recte dictum a regulis catholicæ fidei, idest, in August. (seu Fulg.) lib. de fid. ad Petrum c. 32. quod nullus a Deo prædestinatus potest finaliter a vita æternæ consecratione deficere, & e contra de præscitis, idest reprobis. Verba ejus adducta vide supra art. 6. Item recte dictum a Christo Joan. 10. *Nemo potest rapere oves meas de manu mea*. Item ab Apostolo 2. Tim. 2. Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: *Novit Dominus, qui sunt ejus*. Hæc ibi. Ne autem hac veritate male intendas cadas in hereses a. 6. narratas, addidit immediate, & discedat ab iniustitate omnis, qui invocat nomen Domini. Quis expressè dicat: *Signaculum prædestinationis continet numerum formaliter etiam certum*, ideo dicitur ibi: *Novit Dominus, qui sunt ejus*: continet, & media cooperante libero arbitrio facta ad certitudinem illam afferendam, ideo ibi connectitur: *Discedat ab iniustitate omnis, qui invocat nomen Domini*. Si ergo prædestinatus non discederet ab iniustitate, idest, si non faceret bona opera confor-

indicatum est super Abacuch 1. *Absurdum esse ad hoc Dei deducere manifestum ut sciatis per momenta singula quæ nascentur culices, quanti pisces in aqua nascens &c.* Non quia id omnino a Deo sciti neget; sed quod non per se, sicut quæ ad homines vel ad rationales creature quascumque spectant, decerni velet: Unde subiungit: *Non simus tam fatui adulatores Dei ut dum potentiam ejus etiam ad ima decrebitimus, in nos ipsos injuriosimas, tandem rationabilium quam irrationalium providentiam effe dicentes: Ex quo liber ille apocryphus flutatio condonandus est in quo scriptum est quendam Angelum no-*

mino Tyri præesse reptilibus; & in base semiliustrinem pisibus quoque & arboribus & bestiis animalibus proprio in custodiam Angeli affigatos: En quo sensu providentiam irrationalium peculiarem neget: Alioqui præmitit quamvis ex aliena persona: *Dicamus quidquid sine te fieri: Hoc sensisse blasphemum est: Ut & Matth. 6. super illud ex vers. 26 Respicite volatilia cœli, &c.*

(*) *Ista cod. Alcan. cui consonant edit. Rom. & Parav. At Theol. Duconis & Louan. ac Nicolsij: & deficit ut in paucioribus.*

formia prædestinationi , vel si faceret opera mala disiformia illi , non salvaretur , quia signaculum ambo illa simul continet , nec unum sine altero ibi esse potest . Alioquin si de qualitate operum quis rationem non habeat , ut prænominari hæretici , art. 6. append. corruptit , seu falsificat illud signaculum . Integer ergo legatur liber , non mutillus , seu falsus , & tunc nullus error , sed catholico sensui erunt consona . Prædicta nihilominus hypothetica stante verissima , adhuc categorica pariter vera est scilicet quod *nemo rapiet oves de manu mea* , quod numerus prædestinatorum formaliter sit certus . Nec illa opponuntur ad invicem , quandoquidem diversorum generum sunt categorica , & hypothetica propositio . Secundo habes : quomodo per rationem concordes varia superficie tenus scripturarum dicta circa numerum bonorum sine præjudicio conclusionis , & regularum fidei . *Tertio* vides : quomodo , &c.

ARTICULUS VIII. 146

Utrum prædestination posset juvari precibus Sanctorum .

I. dist. xli. art. 4. & III. dist. xvii. art. 3.
& IV. dist. xlvi. quest. iii. art. 3. ad
5. & ver. quest. vi. art. 6.

AD octavum sic proceditur . Videtur quod prædestination non possit juvari precibus Sanctorum . Nullum enim æternum (*) præceditur ab aliquo temporali ; & per consequens non potest temporale juvare ad hoc quod aliquod æternum sit . Sed prædestination est æterna . Cum igitur preces Sanctorum sint temporales , non possunt juvare ad hoc quod aliquis prædestinetur . Non ergo

prædestination juvatur precibus Sanctorum .

2. Præterea . Sicut nihil indiget consilio nisi propter defectu m cognitionis , ita nihil indiget auxilio nisi propter defectum virtutis . Sed neutrum horum competit Deo prædestinanti : unde dicitur Roman. xi. 34 . (1) *Quis adjuvit Spiritum Domini ? aut quis consiliarius ejus fuit ?* (**) Ergo prædestination non juvatur precibus Sanctorum (2) .

3. Præterea . Ejusdem est adjuvari , & impediiri . Sed prædestination non potest aliquo impediiri . Ergo non potest aliquo juvari .

Sed contra est quod dicitur Gen. xxv . quod Isaac rogavit Deum pro Rebecca uxore sua , & dedit conceptum Rebeccæ . Ex illo autem conceptu natus est Jacob , qui prædestinatus fuit . Non autem fuisset impleta prædestination , si natus non fuisset . Ergo prædestination juvatur precibus Sanctorum .

Respondeo dicendum , quod circa hanc questionem diversi errores fuerunt .

Quidam enim attentes certitudinem divinæ prædestinationis dixerunt , superfluas esse orationes , vel quidquid aliud fiat ad salutem æternam consequendam : quia his factis , vel non factis , prædestinati consequuntur , reprobati non consequuntur . Sed contra hoc sunt omnes admonitiones sacræ Scripturæ exhortantes ad orationem , & ad alia bona opera .

Alii vero dixerunt , quod per orationes mutatur divina prædestination : & hæc dicitur fuisse opinio Ægyptiorum , qui ponebant ordinationem divinam , quam datum appellabant , aliquibus sacrificiis , & orationibus impediiri posse . Sed contra hoc etiam est authoritas sacræ Scripturæ : dicitur enim I. Reg. xv. 29 . Porro triumphator Israhel non parcer , neque penitidine affletetur : & Roman. xi. 29. dicitur , *Quod sine penitentia sunt dona Dei* , & vocatio .

Et

(*) *Ita Cod. Alcon. Editio* impeditur .
(1) Ut Isaie 40. vers. 13. Vulgata legit ; ubi 70. nihilominus habent , 71. εγενούτο ; id est ; *quis cognovit* ; Et ita refert loco hic indicato Apostolus tum in Biblicalis veteribus tum etiam in novis ; ac ipse S. Thomas ibidem lect. 5.
(**) *Vulgata* *Quis cognovit sensum Domini ? Isaie vero xl. 13. unde Apollonius sumphi , habebet :* *Quis adjuvit Spiritum .*
(2) Sic lib. i. Dialogorum cap. 8. Grægorius : *Qua sancti viri orando efficunt (inquit) ita prædestinatione fons ut precibus obtineantur : Nam ipsa quoque parentes regni prædestinatione ita est ab omnipotenti Deo disposita ut hoc electi postulando mereantur accipere*

quod eis omnipotens Deus ante focula disposite dare : Tum inferius : *Constat quod omnipotens Deus semen Abræ multiplicare per Isaac prædestinaverat : Si ergo multiplicatio generis Abræ per Isaac prædestinata fuit , cur conjugem levilem accepit ? Sed animo constat quia prædestinatione precibus impletur , quando is in quo Deus multiplicare semen Abræ prædestinaverat , oratione obtinuit ut filios habere posueret .* Sic Augustinus quoque scripsit . I. de B. Stephano versus finem salutem Pauli ad Stephani orationem refert : *Dicam plaus (inquit) Elianus esse filium perdisionis : Erectus est vos electionis : Nam si sanctus Stephanus sic non erasset , Ecclesia Petrum non duxerit .*

Et ideo aliter dicendum, quod in prædestinatione duo sunt consideranda, scilicet ipsa præordinatio divina, & effectus ejus. Quantum igitur ad primum, nullo modo prædestinatione juvatur precibus Sanctorum. Non enim precibus Sanctorum fit quod aliquis prædestinetur a Deo. Quantum vero ad secundum dicitur prædestinatione juvari precibus Sanctorum, & aliis bonis operibus: quia providentia, cuius prædestinatio est pars, non subtrahit causas secundas; sed sic providet effectus, ut etiam ordo causarum secundarum subjaceat providentia. Sicut igitur sic providentur naturales effectus, ut etiam causæ naturales ad illos naturales effectus ordinentur, sine quibus illi effectus non provenirent; ita prædestinatur a Deo salus alijcujus, ut etiam sub ordine prædestinationis cadat quidquid hominem promovet in salutem, vel orationes propriæ, vel aliorum, vel alia bona, vel quidquid hujusmodi, sine quibus aliquis salutem non consequitur. Unde prædestinatis conandum est ad bene operandum, & orandum: quia per hujusmodi prædestinationis effectus certitudinaliter impletur. Propter quod dicitur II. Petr. I. 10. *Sicut ergo ut per bona opera certam (1) vestram vocationem, & electionem faciatis.*

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa ostendit quod prædestinatione non juvatur precibus Sanctorum quantum ad ipsam præordinationem.

Ad secundum dicendum, quod aliquis dicitur adjuvari per alium dupliciter. Uno modo inquantum ab eo accipit virtutem, & sic adjuvari infirmi est: unde Deo non competit; & sic intelligitur illud: *Quis adjuvit Spiritum Domini?* Alio modo dicitur quis adjuvari per aliquem, per quem exequitur suam operationem, sicut dominus per ministrum: & hoc modo Deus adjuvatur per nos, inquantum (*) exequimur suam ordinationem, secundum illud I. ad Corinth. 11. 9. *Dei enim adiutores (2) sumus.* Neque hoc est propter defectum divinæ virtutis, sed quia utitur causis mediis, ut ordinis pulchritudo servetur in rebus, & ut et-

iam creaturis dignitatem causalitatis communicet.

Ad tertium dicendum, quod secundæ causæ non possunt egredi ordinem causæ primæ universalis, ut supra dictum est (q. xix. art. 6.) sed ipsum exequuntur: & ideo prædestinatione per creature potest adjuvari, sed non impediti.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem interimas heres predicas articul. 6. Joannis Huss dicentis, prædestinatum a Deo ad vitam, etiam mala agat, numquam posse esse membrum diaboli, & prædestinatum ad mortem, quantumcumque ipse bene vivat, numquam posse esse membrum Ecclesiæ; & alias similes ibi, cujuscumque sint, numeratas. Adde & hanc illis ejusdem Joannis Huss dicentis, gratia prædestinationis est vinculum, quo corpus Ecclesiæ, & quodlibet ejus membrum jungitur Christo capiti indissolubiliter. Sub ly indissolubiliter enim latet venenum aliis suis positionibus simile, id est quod sive bonum, sive malum faciant prædestinati, salvabuntur. Taceo, quod in solis prædestinatis ponit Ecclesiam militantem, quod per scripturas est proprium solius Ecclesiæ triumphantis, & consequenter blasphemum est, & hereticum. Hoc enim suo loco, Deo operante, condemnatum demonstrabimus. Secundo habes: quomodo ostendas, Concilium Constantiense illas omnes justissime damnasse. Vide supra a. 6. 7. & locis ibi citatis, quo & Concilii verba reperias, & ab aliis quoque hujusmodi propheticas voces damnatas fuisse compellas. Tertio vides: quomodo ex his vicissim conclusio stabiatur.

QUE-

(1) Vel ex greco *βεβαιωσις firmans*: Et per bona opera quidem id fieri non ex Vulgata tantum sic habetur, sed & Regius Codex grucus eodem quoque modo habet, *δια τον καλων εργων*. Quamvis nunc in aliis passim deest.

(2) Ita odis. Rom. & Pat. Nicolajus exequitur.

(2) Ut iterum Vulgata vers. 9. sed cooperatores

tantum græce (*κοινωνιαι*) ubi nihilominus Ambrosii adscriptorius Commentarius legit *Dei operis adiutores*: Minus porro est *cooperatores* dici quam *adiutores* ut sic; et si bono etiam sensu posterius hoc dici potest, ut hic & ibi S. Thomas interpretatur lect. 2.

QUÆSTIO VIGESIMAQUARTA.

*De libro vita,**In tres articulos divisa.*

DEINDE considerandum est de libro vita: & circa hoc queruntur tria.
Primo, quid sit liber vita.
Secundo, cujus vita sit liber.
Tertio, utrum aliquis possit deleri de libro vita.

ARTICULUS I. 147

Utrum liber vita sit idem quod prædestinatio.

1. *diss. xl. quest. i. art. 2. ad 5. & III. diss. xxxi. quest. i. art. 2. quest. 2. per totum & quest. i. ad 1. & ver. quest. vii. art. 4. & Psalm. xxxix. & Phil. 4.*

AD primum sic proceditur. Videtur quod liber vita non sit idem quod prædestination. Dicitur enim Eccli. xxiv. 32. *Hec omnia liber vita: Glossa (interlinearis) „, idest novum, & vetus testamentum. „ Hoc autem non est prædestination. Ergo liber vita non est idem quod prædestination.*

2. Præterea. Augustinus in Lib. XX. de civit. Dei (cap. xiv. a med.) ait, *quod liber vita est quedam vis divina, qua fiet ut cunctum opera sua bona, vel mala in memoriam reducantur.* Sed vis divina non videtur pertinere ad prædestinationem (1), sed magis ad attributum potentia: Ergo liber vita non est idem quod prædestination.

3. Præterea. Prædestinationi opponitur reprobatio. Si igitur liber vita esset prædestination, inveniretur liber mortis, sicut liber vita.

Sed contra est quod dicitur in Glossa (ordinari. & sumitur ex Cassiodoro) (2) super illud Psalm. lxviii. *Deleantur de libro viventium: „ Liber iste est notitia Dei, qua*

Summ. S. Th. T.I.

” prædestinavit ad vitam quos præscivit. “ Respondeo dicendum, quod liber vita in Deo dicitur metaphorice secundum similitudinem a rebus humanis acceptam. Est enim consuetum apud homines quod illi qui ad aliquid eliguntur, conscribuntur in libro, utpote milites, vel consiliarii, qui olim dicebantur patres conscripti (3). Patet autem ex præmissis (art. 4. quest. præc.) quod omnes prædestinati eliguntur a Deo ad habendum vitam æternam.

Ipsa ergo prædestinatur conscriptio dicitur liber vita. Dicitur autem metaphorice aliquid conscriptum in intellectu alicuius quod firmiter in memoria tenet, secundum illud Proverb. iii. 3. *Ne obliviscaris legis mea, & precepta mea cor tuum custodiat: & post pauca sequitur: Describe illa in tabulis cordis sui: nam & in libris materialibus aliquid conscribitur ad succurrendum memoriam.* Unde ipsa Dei notitia, qua firmiter retinet se aliquos prædestinatis ad vitam æternam, dicitur liber vita: nam sicut scriptura libri est signum eorum quæ fienda sunt; ita Dei notitia est quoddam signum apud ipsum, corum quæ sunt perducendi ad vitam æternam, secundum illud II. Timoth. i. 19. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Novis Dominus quæ sunt ejus.*

Ad primum ergo dicendum, quod liber vita potest dici duplicitate. Uno modo conscriptio eorum qui sunt electi ad vitam; & sic loquimur nunc de libro vita. Alio modo potest dici liber vita conscriptio eorum quæ ducunt in vitam: & hoc duplicitate: vel sicut agendorum (4); & sic novum, & vetus testamentum dicitur liber vita: vel sicut iam factorum; & sic illa vis divina, qua fiet ut cailibet in memoriam reducantur facta sua, dicitur liber vita; sicut etiam liber militia potest dici vel in quo scribuntur electi ad militiam, vel in quo traduntur facta militum.

Unde patet solutio ad secundum.

Hh

Ad

nomen illud, ut apud Ciceronem paſſim, quoties in Senatu oraret; sive quia major numerus conscriptorum, sive quia omnes conscripti erant suo modo.

(4) In quibus cognoscenda subintelligi debent, vel credenda: tum quia fides vel cognitio est bonorum operum principium quæ sine illa esse non possunt, tum quia in credendo vel cognoscendo exercetur aliquis actus cognitionis vel fidei: Unde glossa ibidem addit. *Testamentum in quo est agitatio veritatis.*

Ad tertium dicendum, quod non est consuetum conscribi eos qui repudiantur, sed eos qui eliguntur. Unde reprobationi non respondet liber mortis, sicut praedestinationi liber vita.

Ad quartum dicendum, quod secundum rationem differt liber vita a praedestinatione: importat enim notitiam praedestinationis, sicut etiam ex Glossa inducta appetat (in argum. *Sed contra*).

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem interimas hærefim impiissimam *Calvini* dicentis: Deum creasse genus humanum ad perpetuam damnationem, & interitum potissimum. Dicit enim littera, quod praedestinatio dicitur in Deo liber vita, non mortis, cum tamen secundum hujus impii blasphemiam, dici deberet potius liber mortis, quam vita. Secundo habes: quomodo per rationem demonstres, hanc justissime fuisse damnatam a scripturis per hoc, quod librum vitæ Deo attribuunt, non autem librum mortis. Item per hoc, quod dicitur *Ezech. 18. Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus, Et non magis, ut converzatur, Et vivat?* Notato verba: Impius, ut impius est mortis filius, genus humanum ut sic, ab impietate abstrahit, & consequenter ipsum ut sic, non est mortis filius. Rursum. Impius ut sic, est singulare quoddam: genus humanum ut sic, singularia fere infinita complectitur. Si ergo voluntatis Domini non est, quod impius moriatur, utique sequetur a fortiori, non esse voluntatis Domini, quod genus humanum perpetuo moriatur, & adhuc a fortiori, Deum non creasse genus humanum potissimum ad damnationem perpetuam, & interitum. Rursum. Si voluntatis Domini est, quod impius conversus vivat, & ut vivat, vult Dominus, quod convertatur: fatebimur utique a fortiori, voluntatis Domini esse, quod genus humanum vivat, & si in impietate est, quod convertatur, & vivat. Deum igitur creasse genus humanum ad vitam potius, quam ad mortem, cum *Ezechiele* dicentes, Calvinisticam

pravitatem toto corde detestabimur in æternum. Hanc detestationem contra perditos homines, qualis *Calvinus* est, olim factam a sacro Concilio *Arausiano* vide q. 3. art. 1. ad 5. ubi, & in q. 19. art. 6. multa contra desperatum hunc hominem conspicies. Tertio vides: quomodo, &c.

ARTICULUS II. 148

Utrum liber vita sit solum respectu vite glorie praedicatorum.

Ver. quest. VII. art. 5. 6. 7. Et III. diff. xxxi. quest. 1. art. 2. quest. 1.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod liber vita non sit solum respectu vite gloriae praedicatorum. Liber enim vita est notitia vita. Sed Deus per vitam suam cognoscit omnem aliam vitam. Ergo liber vita præcipue dicitur respectu vite divinae, & non solum respectu vite praedicatorum.

2. Præterea. Sicut vita gloriae est a Deo, ita vita naturæ (1). Si igitur notitia vite gloriae dicitur liber vita, etiam notitia vite naturæ diceretur liber vita.

3. Præterea. Aliqui eliguntur ad gratiam, qui non eliguntur ad vitam gloriae, ut patet per id quod dicitur *Joan. vi. 71. Nonne duodecim vos elegi, Et unus ex vobis diabolus est?* Sed liber vita est conscriptio electionis divinae, ut dictum est (art. præc.) Ergo etiam est respectu vite gratiae.

Sed contra est quod liber vita est notitia praedestinationis, ut dictum est (ibid.) (2) Sed praedestinatio non respicit vitam gratiae, nisi secundum quod ordinatur ad gloriam: non enim sunt praedestinati qui habent gratiam, & deficiunt a gloria. Liber igitur vita non dicitur nisi respectu gloriae.

Respondeo dicendum, quod liber vita, ut dictum est (ibid.) importat conscriptionem quamdam, sive notitiam electorum ad vitam. Eligitur autem aliquis ad id quod non competit sibi secundum suam naturam. Et iterum ad id ad quod eligitur aliquis, habet rationem finis. Non enim miles eligitur, aut conscribitur ad hoc quod armetur, sed ad hoc quod

(1) Quippe cum ipso deo omnibus vitam & inspirationem & omnia, ut *Ast. 17. vers. 25.* dicit Paulus; homini autem speciatim inspiraverit spiritum vita, *Genes. 2. vers. 7.* Hinc Deus vita *Eclesiast. 33. vers. 4.*

(2) Sive juxta *Cassiodori Glossam* art. præcedenti

relatam, super 68. *Psalmmum*: Sed ante illum Augustinus in eum ipsum locum: *Preciosus est Deus* (inquit): *Praedestinavit omnes regnatores cum filio suo in vita eterna: Hos quos conscripsit, consenserunt liber vita.*

quod pugnet : hoc enim est proprium officium ad quod militia ordinatur (1). Finis autem supra naturam existens est vita gloria, ut supra dictum est (quest. xxiii. art. 1.) Unde proprie liber vitae respicit vitam gloriam.

Ad primum ergo dicendum, quod vita divina, etiam prout est (*) gloria, est Deo naturalis : unde respectu ejus non est electio, & per consequens neque liber vitae : non enim dicimus, quod aliquis homo eligatur ad habendum sensum, vel aliquid eorum quae consequuntur naturam.

Unde per hoc etiam patet solutio ad secundum : respectu enim vitae naturalis non est electio, neque liber vita.

Ad tertium dicendum, quod vita gratiae non habet rationem finis, sed rationem ejus quod est ad finem. Unde ad vitam gratiae non dicitur aliquis eligi, nisi in quantum vita gratiae ordinatur ad gloriam. Et propter hoc illi qui habent gratiam, & excidunt a gloria, non dicuntur esse electi simpliciter, sed secundum quid (2) : & similiter non dicuntur esse scripti simpliciter in libro vite, sed secundum quid, prout scilicet de eis in ordinatione, & notitia divina existit quod sint habituri aliquem ordinem ad vitam æternam secundum participationem.

A P P E N D I X.

Hinc habes primo : quomodo ex ratione intelligas recte factum, quod in sacrifici litteris liber vitae respectu gloriarum dici perhibetur : ut psal. 39. Dan. 12. Apoc. 13. & 21. Luc. 10. Philip. 4. In psalmo enim praedicto dicit Christus in propheta (ut exponit Apost. Heb. 9.) In capite libri (scilicet vite) scriptum est de me, & hoc, tum quia Christus est caput omnium praedestinatorum, tum quia ad gloriam tamquam Christi coheredes ibi scripti sunt. In Daniele autem manifeste ad gloriam referuntur liber, cum ibi dicitur ; salvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit scriptus in libro (scilicet vite.) In

Apocalypsi, & liber vitae verbaliter exprimitur, & ibi scriptus in gloriam æternam tandem reducitur. *Nomina* (inquit Christus in Luca) *vestra scripta sunt in cœlis*; cui dicto si junxeris illud ad Philippenses, scilicet *quorum nomina scripta sunt in libro vite*, clarissime perspicies, quod liber vitae respectu gloriarum dicitur. Secundo consequenter vides, sic.

ARTICULUS III. 149

Utrum aliquis deleatur de libro vite.

I. dist. xl. quest. 1. art. 2. ad 5. & quest. iii. art. unic. ad 3. & III. dist. xxxxi. quest. i. artic. 2. ad 5. & Philip. iv. fin. & Hebr. xii. loc. 4. fin.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod nullus deleatur de libro vite. Dicit enim Augustinus in XX. de civ. Dei) cap. xv. in fin.) quod *præscientia Dei*, que non potest falli, liber vite est. Sed a præscientia Dei non potest aliquid subtrahi, similiter neque a prædestinatione. Ergo nec de libro vite potest (**) aliquid deleri.

2. Præterea. Quidquid est in aliquo, est in eo per modum ejus in quo est. Sed liber vite est quid æternum, & immutabile. Ergo quidquid est in eo, est ibi non temporaliter, sed immobiliter, & indelebiliter.

3. Præterea. Deletio scripturarum (3). Sed aliquis non potest de novo scribi in libro vite. Ergo neque inde deleri potest.

Sed contra est quod dicitur in Psal. lxviii. 29. *Deletantur de libro viventium* (4).

Respondeo dicendum, quod quidam dicunt, quod de libro vite nullus potest deleri secundum rei veritatem, potest tamen aliquis deleri secundum opinionem hominum. Est enim consuetum in Scripturis ut aliquid dicatur fieri, quando innotescit : & secundum hoc aliqui dicuntur esse scripti in libro vite, in quantum homines opinantur eos ibi

H h 2 scri-

(1) Hinc & metaphorice 1. ad Timoth. 1. vers. 18. *Commendo tibi secundum præcedentes in te prophetias ut milites in illis militiam bonam &c.* Et 2. Timoth. 2. vers. 3. *Labora sicut bonus miles Christi Iesu : Nam & qui certas in agne, non coronamus nisi legitime certaverit.*

(*) *Ita cod. Alcan. aliquis cum Nicolajo. Edis. Rom. & Pasavin. vita gloria.*

(2) An propterea id olatrum soli significantur per monscriptos in libro vite agni ? Apoc. 13. vers. 8.

& Apocal. 17. vers. item 8.

(**) *Nicoley* aliquis.

(3) *Vel transpositis verbis opponuntur scripturae.*

(4) Cum explicatione Cassiodori & Augustini jam notata ; cui & addi potest explicatio Theodoreti referentis hunc versum ad id quod Psalm. 1. vers. 6. dictum est, *Non resurgent impii in iudicio, neque peccatores in concilio iudiciorum* ; five ad judicium de quo Daniel. 7. ut participes eorum non sint quæ cultoribus Dei concedentur.

scriptos propter præsentem justitiam , quam in eis vident , sed quando apparet vel in hoc seculo , vel in futuro , quod ab hac iustitia excederint , dicuntur inde deleri . Et sic etiam exponitur in Glossa (ordin.) (1) deletio talis , super illud Psal. lxviii . Deleantur de libro viventium .

Sed quia non deleri de libro vita ponitur inter præmia iustorum secundum illud Apocal. iii . 5. *Qui vicerit sic , vestierur vestimentis albis , & non dolebo nomen ejus de libro vita* (quod autem Sanctis re promittitur , non est solum in hominum opinione) potest dici , quod deleri vel non deleri de libro vita , non solum ad opinionem hominum referendum est , sed etiam quantum ad rem . Est enim liber vita conscriptio ordinatorum in vitam æternam , ad quam ordinatur aliquis ex duobus ; scilicet ex prædestinatione divina , & hæc ordinatio numquam deficit ; & ex gratia : quicumque enim gratiam habet , ex hoc ipso est dignus vitam æternam ; & hæc ordinatio deficit interdum , quia aliqui ordinati sunt ex gratia habita ad habendum vitam æternam , a qua tamen deficiunt per peccatum mortale . Illi igitur qui sunt ordinati ad habendum vitam æternam ex prædestinatione divina , sunt simpliciter scripti in libro vita , quia sunt ibi scripti ut habituri vitam æternam in seipso ; & illi numquam delentur de libro vita . Sed illi qui sunt ordinati ad habendum vitam æternam non ex prædestinatione divina , sed solum ex gratia , dicuntur esse scripti in libro vita non simpliciter , sed secundum quid , quia sunt ibi scripti ut habituri vitam æternam non in seipso , sed in sua causa ; & tales possunt deleri de libro vita ; ut deletio non referatur ad notitiam Dei , quasi Deus aliquid præsciat , postea nesciat , sed ad rem scitam , quia scilicet Deus scit aliquem prius ordinari in vitam æternam , & postea non ordinari , cum deficit a gratia (2) .

Ad primum ergo dicendum , quod deletio , ut dictum est (in corp. art.) non refertur ad librum vita ex parte præscientia , quasi in Deo sit aliqua mutabilitas , sed ex parte præceptorum , quæ sunt mutabilia .

Ad secundum dicendum , quod licet res in Deo sint immutabiliter , tamen in se ipsis mutabiles sunt : & ad hoc pertinet deletio libri vita .

Ad tertium dicendum , quod eo modo quo aliquis dicitur deleri de libro vita , potest dici , quod ibi scribatur de novo vel secundum opinionem hominum , vel secundum quod de novo incipit habere ordinem ad vitam æternam per gratiam : quod etiam sub divina notitia comprehenditur , licet nova de novo .

A P P E N D I X .

Hinc habes primo , quomodo ex ratione intelligas psalmum sexagesimum octavum : *Deleantur de libro viventium , & Apocalypsis tertium : Non delebo nomen ejus de libro vita , & si qua sunt hujusmodi . Secundo* vides : quomodo ex his bene pensatis , & applicatis declaretur vicissim Angelica doctrina præsens , atque confirmetur conclusio .

Q U A E S T I O V I G E S I M A Q U I N T A .

De divina Potentia ,

In sex articulos divisa .

Post considerationem divinæ præscientia , & voluntatis , & eorum quæ ad hoc pertinent , restat considerandum de divina potentia : & circa hoc queruntur sex .

Primo , utrum in Deo sit potentia .

Secundo , utrum ejus potentia sit infinita .

Tertio , utrum sit omnipotens .

Quarto , utrum possit facere quod ea quæ sunt

(1) *Si enim ibi : Non sic accipiondam est tamquam in hoc libro aliquem scribat Deus quem posse delerat , sed secundum spem illorum qui se scriptos putant . Cassiodorus autem cuius nomine prænotatur Dicitur de Judais , Deleantur de libro viventium , non quia scripti erant , sed quia se adscriptos esse judicabant . Sed expressius Augustinus . Quomodo inde delentur , ubi numquam scripti sunt ? Hoc dictum est secundum spem ipsorum , quia ibi se scriptos putabant &c. Unde prius glossa ex Augustino quam ex Cassiodoro prænotari debuit .*

(2) *Tales illi de quibus dictum Apocal. 22. vers. 18. Ceteris omni audienti verba prophæcia libri*

bujus : Si quis apposuerit ad hæc , appones Deus super illum platas scriptas in libro ipso : Et si quis diminuerit de verbis libri prophetia bujus , apposes Deus partem ejus de libro vita & de civitate sancta &c. Ubi de civitate sancta idem est ac beatitudine cœlesti , ad quam proinde ordinari aliquo modo videbantur qui de illo dicuntur auferendi : Et quidam auferendi secundum partem , quia non nisi secundum quid in libro illo scripti erant : Quamvis de hereticis passim interpres explicant . Sed haeretici quoque aliquando gratiam haberunt per quam in eis scriberentur .

sunt præterita, non fuerint.

Quinto, utrum Deus possit facere quæ non facit, vel prætermittere quæ facit.

Sexto, utrum quæ facit, possit facere meliora.

ARTICULUS I. 150

Urum in Deo sit potentia.

I. *diss. xlii. quest. 1. art. 1. & I. cont. cap. xvi. & II. cap. vii. viii. ix. & x.*
& po. quest. 1. art. 1.

AD primum sic proceditur. Videtur quod in Deo non sit potentia. Sicut enim prima materia se habet ad potentiam, ita Deus, qui est agens primum, se habet ad actum. Sed prima materia secundum se considerata est absque omni actu. Ergo agens primum, quod est Deus, est absque potentia.

2. Præterea. Secundum Philosophum in IX. Metaph. (tex. 19.) *qualibet potentia melior est ejus actus* (1): nam forma est melior quam materia, & actio quam potentia activa, est enim finis ejus. Sed nihil est melius eo quod est in Deo, quia quidquid est in Deo, est Deus, ut supra ostensum est (quest. iii. art. 3.). Ergo nulla potentia est in Deo.

3. Præterea. Potentia est principium operationis. Sed operatio divina est ejus essentia, cum in Deo nullum sit accidens: essentia autem divina non est aliquid principium. Ergo nulla potentia est in Deo.

4. Præterea. Supra ostensum est (quest. xiv. art. 8. & quest. xix. art. 4.) quod scientia Dei, & voluntas ejus sunt causa rerum. Causa autem, & principium idem sunt. Ergo non oportet in Deo assignare potentiam, sed solum scientiam, & voluntatem.

Sed contra est quod dicitur in Psalm. lxxxviii. 9. *Potens es, Domine, & veritas tua in circuitu tuo* (2).

Respondeo dicendum, quod duplex est po-

tentia; scilicet passiva, quæ nullo modo est in Deo; & activa, quam oportet in Deo summe ponere. Manifestum est enim quod unumquodque, secundum quod est actu, & perfectum, secundum hoc est principium activum alicujus. Patitur autem unumquodque, secundum quod est deficiens, & imperfectum. Ostensum est autem supra (quest. ii. art. 3. & quest. iv. art. 1. & 2.) quod Deus est purus actus, & simpliciter & universaliter perfectus, neque in eo aliqua imperfectio locum habet. Unde sibi maxime competit esse principium activum, & nullo modo pati. Ratio autem activi principii convenit potentiaz activaz: nam potentia activa est principium agendi in aliud; potentia vero passiva est principium patiendi ab alio, ut Philosophus dicit V. Metaph. (tex. 17.) (3). Relinquitur ergo quod in Deo maxime sit potentia activa.

Ad primum ergo dicendum; quod potentia activa non dividitur contra actum, sed fundatur in eo: nam unumquodque agit, secundum quod est in actu: potentia vero passiva dividitur contra actum: nam unumquodque patitur, secundum quod est in potentia. Unde haec potentia excluditur a Deo, non autem activa.

Ad secundum dicendum, quod quandocumque actus est aliud a potentia, oportet quod actus sit nobilior potentia. Sed actio Dei non est aliud ab ejus potentia, sed utrumque est essentia divina, quia nec esse ejus est aliud ab ejus essentia (4). Unde non oportet quod aliud sit nobilius quam potentia Dei.

Ad tertium dicendum, quod potentia in rebus creatis non solum est principium actionis, sed etiam effectus. Sic igitur in Deo salvator ratio potentiaz quantum ad hoc quod est principium effectus, non autem quantum ad hoc quod est principium actionis, quæ est divina essentia; (5) nisi forte secundum modum intelligendi, prout divina essentia, quæ in se simpliciter præhabet quidquid perfectionis est in rebus creatis, potest intel-

(1) Et rationem ibi reddit, quia potentia se habet simili ad contraria; puta agrotum esse, ac famulum esse; sed haec non possunt esse simili actu: Nec exemplum de actu formæ affert vel potentia materiæ.

(2) Ubi Cæsiodorus addit: *Non ex alto sed ex te potens: Nec aliunde illuminatus veritate sed eam secum individus conjunctam habens: Ad Sanctorum differentiam qui potentes ex Deo tantum & a Deo illuminati &c. Sc & Deuteronom. 10. vers. 17. Dominus magnus & potens: Job. 36. vers. 5. Deus potentes non abscis, cum & ipse sit potens: Et 2. Machab. 15. vers. 4. Dominus virous ipso in celo potens &c.*

(3) Vel cap. 12. ubi dicitur paulo aliis verbis quod potentia quedam est principium transmutationis in altero proposito alterum, quedam principium transmutationis ab altero proposito etiam alterum est, &c.

(4) Ut ex professo qu. 3. art. 4. explicatum est & probatum.

(5) Identice, non formaliter.

intelligi & sub ratione actionis, & sub ratione potentiaz, sicut etiam intelligitur & sub ratione suppositi habentis naturam, & sub ratione naturæ (1). Sic igitur in Deo salvatur ratio potentiaz quantum ad hoc quod est principium effectus.

Ad quartum dicendum, quod potentia non ponitur in Deo ut aliquid differens a scientia, & voluntate (*) secundum rem, sed solum secundum rationem, inquantum scilicet potentia importat rationem principii exequentis id quod voluntas imperat, & ad quod scientia dirigit: quæ tria Deo secundum idem convenient.

(**) Vel dicendum, quod ipsa scientia, vel voluntas divina, secundum quod est principium effectivum, habet rationem potentiaz. Unde consideratio scientiaz, & voluntatis præcedit in Deo considerationem potentiaz, sicut causa præcedit operationem, & effectum.

A P P E N D I X .

Hinc habes primo: quomodo per rationem rejicias hæresim Davidis de Diuando ponentis Deum esse materiam primam. Nam materia prima est potentia passiva. Secundo habes: quomodo ex ratione ostendas, & catholicum sensum Ephes. 1. *Confortamini in potentia virtutis ejus, scilicet Domini, & hæresim hanc per Apostolum ibi justè esse damnatain.* Consule q. 3. art. 8. Tertio vides: quomodo, &c.

A R T I C U L U S II. 151

Utrum potentia Dei sit infinita.

I. dñst. xlvi. quest. 1. art. 1. & IV. con. cap. xlvi. & cap. lxv. & por. quest. 1. art. 2. & opusc. II. cap. xix. & opusc. IX. cap. IV. & XII. Metaph. lett. 6. fin.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod potentia Dei non sit infinita. Omne enim infinitum est imperfectum, secundum Philosophum in III. Physic. (tex. 63. 64. & 65.) Sed potentia Dei non est imperfecta. Ergo non est infinita.

2. Præterea. Omnis potentia manifestatur per effectum, alias frustra esset. Si igitur potentia Dei esset infinita, posset facere effectum infinitum; quod est impossibile.

3. Præterea. Philosophus probat in VIII. Physicorum (tex. 79.) (2) quod si potentia alicujus corporis esset infinita, moveret in instanti. Deus autem non movet in instanti, sed movet creaturam spiritualem per tempus, creaturam vero corporalem per locum, & tempus, secundum Augustinum VIII. super Genesim ad litteram (cap. xx. xxii. & xxiii.) (3) Non ergo est ejus potentia infinita.

Sed contra est quod dicit Hilarius VIII. de Trin. (non procul a med. & Dama. Lib. I. cap. xviii.) quod (****) Deus est immensæ virtutis, vivens, potens. Omne autem immensum est infinitum. Ergo virtus divina est infinita.

Respondeo dicendum, quod, sicut jam dictum est (art. præc.) secundum hoc potentia activa invenitur in Deo, secundum quod ipse actu est: esse autem ejus est infinitum, inquantum non est limitatum per aliquid recipiens, ut patet per hæc quæ supra

(1) Non suppositi determinati quod ipsomet nomine Dei per se importetur; sed quodammodo indefinite significati per nomen Dei, ac terminati per tres personas. Hæc intelligent absolute subsistentia confitentes; quia perinde suppositum etiam absolutum probare possent ex hoc loco. An ita velint?

(2) *Ita omnes edisti.* In Cod. Alcan. deest secundum rem.

(*) *Deest hæc secunda responso in cod. Alcan. aliisque.* Habent editi omnes quos vidimus. Vido infra art. 5. corp. & supra quest. xx. art. 4. ad 4. & II. contr. Genit. cap. 1. ad 4.

(2) Aequivalenter inde colligitur.

(3) Jam ex cap. 20. & sequentibus indicatur est

quest. 10. art. 3. & quest. 12. art. 20. Quod autem subiungitur ex Hilario paulo aliter & majori emphasi habet: *Deus immensa virtus, vivens potens, que nusquam non adsit, nec de sit usquam &c.* Sic Damascenus quoque lib. 1. cap. 18. potentiam divinam nulla mensura designata (*ωδη μέτρη γραπτη, γνώμη*) sed voluntate sola mensuram se definitam vocat: Eademque Theodoretus lib. 1. de hæresibus cap. 1. habet; ut & ante utrumque Gregorius Nyssenus in Hexameron tale aliquid inanuat.

(***) *Hilarius:* Deus immensæ virtutis, vivens potestas, que nusquam non adsit, nec de sit usquam &c. ut in Nota præced.

pra dicta sunt (quæst. vii. art. 1.) cum de infinitate divinæ essentiaz ageretur. Unde necesse est quod activa potentia Dei sit infinita. In omnibus enim agentibus hoc inventur quod quanto aliquod agens per se habet formam qua agit, tanto est major ejus potentia in agendo; sicut quanto est aliquid magis calidum, tanto habet maiorem potentiam ad calefaciendum: & haberet utique potentiam infinitam ad calefaciendum, si ejus calor esset infinitus. Unde cum ipsa essentia divina, per quam Deus agit, sit infinita, sicut supra ostensum est (loco proxime citat.) sequitur quod ejus potentia sit infinita.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus loquitur de infinito quod est ex parte materiæ non terminata per formam (1), cuiusmodi est infinitum quod congruit quantitatæ. Sic autem non est infinita divina essentia, ut supra ostensum est (loc. cit.) & per consequens nec ejus potentia. Unde non sequitur quod sit imperfecta.

Ad secundum dicendum, quod potentia agentis univoci tota manifestatur in suo effectu: potentia enim generativa hominis nihil potest plus quam generare hominem: sed potentia agentis non univoci non tota manifestatur in sui effectus productione; sicut potentia Solis non tota manifestatur in productione alicujus animalis ex putrefactione generati (2). Manifestum est autem quod Deus non est agens univocum. Nihil enim aliud potest cum eo convenire neque in specie, neque in genere, ut supra ostensum est (quæst. iii. artic. 5. & quæst. iv. art. 3.) (3). Unde relinquitur quod effectus ejus semper est minor quam potentia ejus. Non ergo oportet quod manifestatur infinita potentia Dei in hoc quod producat effectum infinitum. Et tamen etiamsi nullum effectum produceret, non esset Dei potentia frustra: quia frustra est quod ordinatur ad finem quem non attingit (4); potentia autem Dei non ordinatur ad effectum sicut ad finem, sed magis ipsa est finis sui effectus.

Ad tertium dicendum, quod Philosophus in VIII. Physicorum (tex. 79.) probat, quod si aliquod corpus haberet potentiam infinitam, moveret in non tempore: & tamen ostendit, quod potentia motoris cœli est infinita, quia mouere potest tempore infinito. Relinquitur ergo secundum ejus intentionem quod potentia infinita corporis, si esset, moveret in non tempore, non autem potentia incorporei motoris. Cujus ratio est, quia corpus movens aliud corpus est agens univocum: unde oportet quod tota potentia agentis manifestetur in motu. Quia igitur quanto moventis corporis potentia est major, tanto velocius moveat, necesse est quod si fuerit infinita, moveat improportionabiliter citius, quod est mouere in non tempore. Sed movens incorporeum (5) est agens non univocum. Unde non oportet quod tota virtus ejus manifestetur in motu, ita quod moveat in non tempore: & præfertim quia moveat secundum dispositionem suæ voluntatis.

A P P E N D I X.

Hinc habes primo: quomodo ex ratione reprobes hæresim Joannis Wicleff (Alphonsus Castr. adv. hær. *Futura contingentia*) dicentis, quod potentia Dei, & actualis creatio sunt ejusdem mensuræ. Ex quo nimur sequi videtur, quod potentia Dei non sit immensa. Mensuratur enim secundum istum æqualiter cum actuali creatione: & actualis creatio, cum omnia creata etiam simul sumpta sint finita; non est infinita. Imo, cum nullum creatum esse possit infinitum simpliciter, licet posset creari aliquod infinitum secundum quid q. 7. potentia Dei secundum istum non esset simpliciter infinita, etiam quod ejusdem mensuræ ab eo ponetur cum creatione potentiali. Secundo habes: quomodo ex ratione eadem ostendas, hæresim hanc juste ab Innocentio in Concilio generali esse damnatam de sum. Tri. & fid. cath. firmiter credimus, & simpliciter confitemur,

(1) Sic enim ibi cap. 6. text. 63. *Infinitum est, cuius secundum quantitatem semper aliquid extra est accipere: Cuius autem nihil est extra, id perfidum est.*

(2) Quia in multo digniores effectus potest; ut metallæ, vel gemmas &c.

(3) Scilicet utrum sit in genere aliquo: & utrum aliqua creatura possit esse similitis Deo.

(4) Ut Philosophus notat a. Physicorum cap. 6.

text. 62. ubi & ridiculum esse ait, si quis dicat se lotum frustra quia defecerit Sol: Non enim unum ordinabatur ad aliud, nec finis ejus erat: Recte autem dicitur lotus esse vel ambulasse frustra propter purgationem si purgatio sequuta non est, ut præmittit.

(5) Quod nunc intelligitur solus Deus juxta prædicta: Unde solus propriæ dici potest secundum dispositionem sua voluntaria mouere, ut mox.

mur, quod Deus est immensus. Sive enim accipias ly *immensus* pro substantia Dei, si-
ve pro potentia, nihil refert ad intentum, quoniam in utroque sensu sequitur poten-
tiam Dei esse infinitam. Nam, quidquid est in Deo, est Deus, ergo si Deus immensus,
& ejus potentia immensa. *Tertio* habes:
quomodo ex his, &c.

A R T I C U L U S III. 152

Utrum Deus sit omnipotens.

III. P. quest. xiii. art. i. cor. & I. con. cap. xxii. & xxv. & pot. quest. vii. art. i.

AD tertium sic proceditur. Videlur quod Deus non sit omnipotens. Moveri enim, & pati aliquid omnium est. Sed hoc Deus non potest: est enim immobilis, ut supra dictum est (quest. ii. art. 3. & quest. ix. art. i.) Non igitur est omnipotens.

2. Præterea. Peccare aliquid agere est. Sed Deus non potest peccare, neque se ipsum negare, ut dicitur II. Tim. ii. (1). Ergo Deus non est omnipotens.

3. Præterea. De Deo dicitur (in collecta Domin. x. post Pent.) quod *omnipoten-
tiam suam parcendo maxime, & miserando
manifestat* (2). Ultimum igitur quod potest divina potentia, est parcere, & miserereri. Aliquid autem est multo magis quam parcere, & miserereri, sicut creare alium mundum, vel aliquid hujusmodi. Ergo Deus non est omnipotens.

4. Præterea. Super illud I. Corinth. i.
Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi, dicit Glossa (Ambrosii in hunc locum), „ *Sapientiam hujus mundi fecit Deus stul-
tam, ostendendo possibile quod illa im-
possibile judicabat.* “ (3). Unde videlur quod non sit aliquid judicandum possibile, vel impossibile secundum inferiores causas, prout sapientia hujus mundi judicat, sed se-

cundum potentiam divinam. Si igitur Deus sit omnipotens, omnia erunt possibilia: nihil ergo impossibile. Sublato autem impossibili, tollitur necessarium. Nam quod necesse est esse, impossibile est non esse. Nihil ergo erit necessarium in rebus, si Deus est omnipotens. Hoc autem est impossibile. Ergo Deus non est omnipotens.

Sed contra est quod dicitur Lucx. i. 37.

Non erit impossibile apud Deum omne verbum.

Respondeo dicendum, quod communiter confitentur omnes, Deum esse omnipotentem. Sed rationem omnipotentie assignare videtur difficile. Dubium enim potest esse quid comprehendatur sub ista distributione, cum dicitur, *omnia posse Deum.*

Sed si quis recte consideret (cum potentia dicatur ad possibilia) cum Deus omnia posse dicitur, nihil rectius intelligitur quam quod possit omnia possibilia, & ob hoc omnipotens dicatur. Possibile autem dicitur duplicer secundum Philosophum V. Metaph. (tex. 17.) (4). Uno modo per respectum ad aliquam potentiam; sicut quod subditur humanae potentiae, dicitur esse possibile homini. Non autem potest dici, quod Deus dicitur omnipotens, quia possit omnia que sunt possibilia naturæ creatæ, quia divina potentia in plura extenditur. Si autem dicitur, quod Deus sit omnipotens, quia potest omnia que sunt possibilia suæ potentiae, erit circulatio in manifestatione omnipotentiae: hoc enim non erit aliud quam dicere, quod Deus est omnipotens, quia potest omnia que potest. Relinquitur igitur quod Deus dicitur omnipotens, quia potest omnia possibilia absolute; quod est alter modus dicendi possibile (5). Dicitur autem aliquid possibile, vel impossibile absolute ex habitudine terminorum. Possibile quidem, quia prædicatum non repugnat subjecto, ut Socratem sedere; impossibile vero absolute, quia prædicatum repugnat subjecto, ut hominem esse asinum.

Et

(1) Quoad salam secundam appendicem.

(2) Vel sic in secunda persona: *Deus qui omni-
potentiam suam parcendo maxime & miserando ma-
nifestat;* ut in Collecta Dominicæ 10. Post Pente-
costen, five 8. post octavas Trinitatis, habetur.

(3) Ex Ambrosii adulterino Commentario quem sub nomine Ambrosiastri glossa citat, & Hilarius Diaconus Luciferianus hereticus passim creditur: Paulo aliter autem ibi: *Stulta facta est sapientia hujus mundi:* Putans enim se sapere, inventa est imprudens: *Quod enim impossibile judicabas, possibi-
le declaratum est &c.* Et si ad illud refert quod hac

stulta sapientia incuriosum Deum existimavis; quia fecerit mundum, & nullam eius curam agat: Cu-
jusmodi assertione, nihil stultius, inquit.

(4) Sive cap 12. versus finem æquivalenter col-
ligitur; prius autem hic in impressis gothicis, ma-
nuscriptis referebatur cum biau, secunda *possibilis*
acceptio prætermissa quam reponimus.

(5) An propterea forte prætermisimus est superius hic modus, quia nunc exprimitur? Sed ad seriem pauciorem & clariorem sensum ibi exprimi quoque debuisse satis apte per se patet.

Est autem considerandum, quod cum unumquodque agens agat sibi simile, unicuique potentiae activae correspondet possibile ut objectum proprium secundum rationem illius actus in quo fundatur potentia activa; sicut potentia calefactiva refertur, ut ad proprium objectum, (*) ad esse calefactibile. Esse autem divinum, super quod ratio divinitatis potest fundatur, est esse infinitum, non limitatum ad aliquod genus entis (1), sed præhabens in se totius esse perfectionem. Unde quidquid potest habere rationem entis, continetur sub possibilibus absolutis, respectu quorum Deus dicitur omnipotens.

Nihil autem opponitur rationi entis nisi non ens. Hoc igitur repugnat rationi possibilis absoluti, quod subditur divinitatis omnipotentiae, quod implicat in se esse, & non esse simul: hoc enim omnipotentiae non subditur, non propter defectum divinitatis potentiae, sed quia non potest habere rationem factibilis, neque possibilis. Quæcumque igitur contradictionem non implicant, sub illis possibilibus continentur respectu quorum dicitur Deus omnipotens. Ea vero quæ contradictionem implicant, sub divina omnipotentia non continentur, quia non possunt habere possibilium rationem. Unde convenientius dicitur, quod ea non possunt fieri, quam quod Deus non possit facere. Neque hoc est contra verbum Angeli dicentis: *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*: id enim quod contradictionem implicat, verbum esse non potest, quia nullus intellectus potest illud concipere (2).

Ad primum ergo dicendum, quod Deus dicitur omnipotens secundum potentiam aliquam, non secundum potentiam passivam, ut dictum est (art. 1. hujus quest. & in isto.) Unde quod non potest moveri, & pati, non repugnat omnipotentiae.

Summ. S.Th. T.I.

Ad secundum dicendum, quod peccare est deficere a perfecta (**) actione: unde posse peccare est posse deficere in agendo, quod repugnat omnipotentiae: & propter hoc Deus peccare non potest, qui est omnipotens. Quamvis Philosophus dicat in IV. Topic. (cap. 111.) (3) quod potest Deus, & studiosus prava agere, si velit; nihil enim prohibet conditionalem esse veram, cuius antecedens, & consequens est impossibile; sicut si dicatur, *Si homo est asinus, habet quatuor pedes*: vel ut intelligatur, quod Deus potest aliqua agere quæ nunc prava videntur, quæ tamen, si ageret, bona essent. Vel loquitur secundum communem opinionem gentilium, qui homines dicebant transferri in deos, ut Jovem, vel Mercurium.

Ad tertium dicendum, quod Dei omnipotentia ostenditur maxime in parcendo, & miserando, quia per hoc ostenditur Deum habere summam potestatem, quod libere peccata dimittit: ejus enim qui superioris legi astringitur, non est libere peccata condonare. Vel quia parcendo hominibus, & miserando perducit eos ad participationem infiniti boni, qui est ultimus effectus divinitatis virtutis. Vel quia, ut supra dictum est (quest. xxii. art. 4.) effectus divinitatis misericordie est fundamentum omnium divinorum operum: nihil enim debetur alicui nisi propter id quod est datum ei a Deo non debitum. In hoc autem maxime divina omnipotentia manifestatur quod ad ipsum pertinet prima institutio omnium bonorum.

Ad quartum dicendum, quod possibile absolutum non dicitur neque secundum causas superiores, neque secundum causas inferiores, sed secundum se ipsum. Possibile vero quod dicitur secundum aliquam potentiam, nominatur possibile secundum proximam causam.

I i sam

(*) *Nicolaj ad omne calefactibile.*

(1) Ut art. præcedenti ex quest. 7. notatum est: Unde conclusum quoque quod potentia ejus infinita sit, & ex Theodoreto ac Damasco ad calcem plenius confirmatum: Quibus & addi potest quod Cyrilus Alexandrinus lib. 9. in Joannem vocat *immensem potentiam magnitudinem*, sicut Interpres reddit *απερίνοτος μέγεσσος* & quæ capi cogitatione non possit: Et quod item Dionysius ὑπεράτειρ vel *superinfinitem* cap. 8. de divinis nominibus appellat.

(2) More Scripturæ tamen *verbum* hic non sumitur prout conceptionem significat, sed ut idem est ac *res*: Quamvis & subtilius solutio, si explicetur ut hic.

(**) *All. ratione.*

(3) Innui tantum in cap. 2. prius indicabatur ad marginem: Sed cap. 3. id expresse haberi (sicut plane habetur) quidni etiam notatum est? Dicitur autem *studiosus*, ut & græce στρατεύεσθαι probus & quem *virtuosum* quoque minus latine quidam volunt: Sensus porro est absolutus (ut ibi patet) ideo posse Deum & homines etiam præbos prava facere, quia potest illa expetenda est (prout physice accipitur) tametsi tales non sint ut ad agenda prava inclinentur, quia hoc supposito mores illorum essent mali: Nos vero non sic; sed omnimodum potentiam Deo soli negamus per se; probis vero non nisi per gratiam.

sam (1). Unde ea quæ immediate nata sunt fieri a Deo solo , ut creare , justificare , & hujusmodi , dicuntur possibilia secundum causam superiorē . Quæ autem nata sunt fieri a causis inferioribus , dicuntur possibilia secundum causas inferiores . Nam secundum conditionem causæ proximæ effectus habet contingentiam , vel necessitatē , ut supra dictum est (quæst. xv. art. 13. ad 2.) In hoc autem reputatur stulta mundi sapientia , quia ea quæ sunt impossibilia naturæ , etiam Deo impossibilia judicabat . Et sic patet quod omnipotētia Dei impossibilitatem , & necessitatē a rebus non excludit .

A P P E N D I X .

Hinc habes primo : quomodo ex ratione reprobes hæresim Bezanitarum blasphemantium , quod Deus non sit omnipotens , & Rabbi Moyris (Direct. Inquisit. 2. p̄r. quæst. 4.) ignorantissime dicentis , Deo aliqua esse impossibilia , ut quod accidentis sit sine subiecto . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas , hanc rite damnari in Gen. 17. Ego Deus omnipotens , & symbolo fidei , Credo in Deum omnipotentem , & in deum sum. Trin. & fid. cathol. firmiter credimus , &c. quod Deus est omnipotens . Matth. 19. omnia Deo possibilia sunt . Tertio vides : quomodo ex his , &c.

ARTICULUS IV. 153

Utrum Deus possit facere quod præterita non fuerint .

2. 2. quæst. clii. art. 3. ad 3. & I. dist. xlil. quæst. ii. art. 2. & II. con. cap. xxv. & pot. quæst. i. art. 3. & quol. v. quæst. ii. art. 1.

AD quartum sic proceditur . Videtur quod Deus possit facere quod præterita non fuerint . Quod enim est impossibile per se , magis est impossibile per accidens . Sed Deus

poteſt facere id quod est impossibile per se , ut cæcum illuminare , vel mortuum resuscitare . Ergo multo magis potest Deus facere illud quod est impossibile per accidens . Sed præterita non fuſſe est impossibile per accidens : accidit enim Socratem non currere , esse impossibile (2) , ex hoc quod præteriit . Ergo Deus potest facere quod præterita non fuerint .

2. Præterea . Quidquid Deus facere potuit , potest , cum ejus potentia non minuatur . Sed Deus potuit facere , antequam Socrates curreret , quod non curreret . Ergo postquam currexit , potest Deus facere quod non currebit .

3. Præterea . Caritas est major virtus quam virginitas . Sed Deus potest reparare caritatem amissam (3) . Ergo & virginitatem : ergo potest facere quod illa quæ corrupta fuit , non fuerit corrupta .

Sed contra est quod Hieronymus (ep. ii. ad Euſtochium de custodia virginitatis , aliquantulum a princ.) dicit : *Cum Deus omnia posſit , non potest de corrupta facere incorruptam* (4) . Ergo eadem ratione non potest facere de quocumque alio præterito , quod non fuerit .

Respondeo dicendum , quod , sicut supra dictum est (art. præc. & quæst. vii. art. 2. ad 1.) sub omnipotētia Dei non cadit aliquid quod contradictionem implicat : præterita autem non fuſſe , contradictionem implicat . Sicut enim contradictionem implicat dicere , quod Socrates sedet , & non sedet , ita quod sederit , & non sederit (5) . Dicere autem , quod sederit , est dicere , quod sit præteritum ; dicere autem , quod non sederit , est dicere , quod non fuerit . Unde præterita non fuſſe non subjetat divinæ potentiaz . Et hoc est quod Augustinus dicit contra Faustum (Lib. XXV. cap. v. in princ.) *Quisquis ita dicit : Si Deus omnipotens est : faciat ut que facta sunt , facta non fuerint , non videt hoc se dicere , si Deus omnipotens est , faciat ut ea quæ vera sunt , eo ipso quod vera sunt , falsa sint .* Et Philosophus dicit in VI.

(1) Id est secundum illam causam ex qua proxime pendet . Hinc effectus a solo Deo dependentes , cum impossibilis dicuntur , absolute subintelligi debent ; ordinarie autem , si etiam a creatura ut a cauſa proxima dependant .

(2) Sive Accidit esse impossibile quod Socrates non currerit &c. Id est , quod Socrates non curreverit , impossibile tantum per accidens dicitur .

(3) Ex cap. 2. Apocal. vers. 4. & Seſ. 6. Con-

ciliij Tridentini cap. 4.

(4) Vel sic : *Audenter loquer : Cum omnia posſit Deus , virginem suscitare non potest posse ruinam ; ut videris est epist. 2. de custodia virginitatis ad Euſtochium .*

(5) Si ad idem omnino referatur , ut hic supponi debet : Alioqui dicere quod sederit & non sederit diversis locis vel temporibus quid ad contradictionem refert ?

VI. Ethicor. (cap. II. in fin.) (1) quod *hoc solo privatur Deus ingenita facere que sunt facta*.

Ad primum ergo dicendum, quod licet præterita non fuisse sit impossibile per accidens, si consideretur id quod est præteritum, idest cursus Socratis; tamen si consideretur præteritum sub ratione præteriti, ipsum non fuisse est impossibile, non solum per se, sed absolute contradictionem implicans; & sic est magis impossibile secundum aliquam potentiam, scilicet naturalem: talia enim impossibilia divinae potentiae subduntur.

Ad secundum dicendum, quod sicut Deus, quantum est ad perfectionem divinæ potentiaz, omnia potest, sed quædam non subjacent ejus potentiaz, quia deficiunt a ratione possibilium; ita si attendatur immutabilitas divinæ potentiaz, quidquid Deus potuit potest. Aliqua tamen olim habuerunt rationem possibilium, dum erant fienda, quæ jam deficiunt a ratione possibilium, dum sunt facta: & sic dicitur Deus ea non posse (2), quia ea non possunt fieri.

Ad tertium dicendum, quod omnem corruptionem mentis, & corporis Deus auferre potest a muliere corrupta (3); hoc tamen ab ea removeti non poterit, quod corrupta non fuerit: sicut etiam ab aliquo peccatore auferre non potest quod non peccaverit, & quod caritatem non amiserit.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo ex ratione ostendas, plenum esse ignorantia errorem illum *Bezanitum*, quo dicunt, Deum non esse omnipotentem, nisi ad omne facinus improbis se impulsorem, & actorem præbuerit. Sicut enim hi non intellexisse per hoc se monstrant, quid est esse omnipotentem; qui ponerent vel Deum, ex quo est omnipotens, posse facere præterita non fuisse; vel Deum non esse omnipotentem, nisi

possit facere præterita non fuisse: ita isti Bezanitæ per hoc, quod dicunt, ut audisti, semetipsos declarant ignorare, quid sit omnipotens. Mitto, quod utrique contradictionia ponunt. Quemadmodum enim implicat præterita non fuisse, ita implicat contradictionem, Deum esse Deum, & ipsum posse peccare. Natura siquidem bonitas est Deus, & peccatum bonitas non est, imo oppositum bonitati. Si ergo Deus posset peccare, seu præbere se adjutorem ad peccandum, tunc Deus non esset Deus, & per consequens non esset ipsa essentia bonitatis, si Deus esset Deus, & simul non esset Deus; esset ipsa essentia bonitatis, & simul non esset, quod procul dubio implicat contradictionem. Secundo videre potes, quomodo, &c.

A R T I C U L U S V. 154

Utrum Deus possit facere que non facit.

I. *diss. xliii. quest. ii. & II. con. cap. xxiii. usque xxx. & III. cap. xcvi. fin.*
& post. quest. i. art. 5.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod Deus non possit facere nisi ea quæ facit. Deus enim non potest facere quæ non præscivit, & præordinavit se facturum. Sed non præcivit, neque præordinavit se facturum nisi ea quæ facit. Ergo non potest facere nisi ea quæ facit.

2. Præterea. Deus non potest facere nisi quod debet, & quod justum est fieri. Sed Deus non debet facere quod non facit; nec justum est ut faciat quæ non facit. Ergo Deus non potest facere nisi quæ facit.

3. Præterea. Deus non potest facere nisi quod bonum est (4), & conveniens rebus factis. Sed rebus factis a Deo non est bonum, nec conveniens aliter esse quam sint. Ergo Deus non potest facere nisi quæ facit.

Sed contra est quod dicitur Matth. xxvi. 53. (5) *An non possum rogare Patrem meum,*
I i 2 *& ex-*

(1) Non ex proprio tantum sensu, sed ex cuiusdam Agathonis Jambici Poeta mente, cuius dictum hoc velut recte dictum commendat. Legi porro melius debet ex greco αγέντα *infelix* quam ut vetus Interpres vertit *ingenita*, quasi legisset αγέντα; quod non quadraret metro, nec sensui convenit latissimè: Nisi & *ingenitum* pro non facto sumatur, sicut pro factione usurpatum *genesis* in Scriptura, sive generatio mundi, &c.

(2) Ex parte rei nempe, sed non ex parte sui.

(3) Virginesne igitur erunt, quæ meretrices

prius? Insulfissimus Augusti ni corruptor dixit, quem suo loco refellemus.

(4) Juxta illud Ecclesiast. 36. ver. 21. *Universa opera Domini bona valde.*

(5) Ex verbis Christi Petrum a seriendo prohibentis vers. 53. sic plenius: *An putas quia non possumus, &c.* Per duodecim autem legiones intelliguntur sepruginta duo millia Angelorum: quia una legio sex millibus hominum apud veteres complebatur, ut Hieronymus ibidem notat.

C exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum? Neque autem ipse rogabat, neque Pater exhibebat ad repugnandum Judæis. Ergo Deus potest facere quod non facit.

Respondeo dicendum, quod circa hoc quidam duplíciter erraverunt.

Quidam enim posuerunt, Deum agere quasi ex necessitate naturæ; ut sicut ex actione rerum naturalium non possunt alia provenire nisi quæ eveniunt, utpote ex semine hominis homo, ex semine olivæ oliva; ita ex operatione divina non possint alia res, vel alius ordo rerum effluere, nisi sicut nunc est. Sed supra ostendimus (quæst. xix. art. 3.) (1). Deum non agere quasi ex necessitate naturæ, sed voluntatem ejus esse omnium rerum causam, neque etiam ipsam voluntatem naturaliter, & ex necessitate determinari ad has res. Unde nullo modo iste cursus rerum sic ex necessitate a Deo provenit, quod alia provenire non possent.

Alii vero dixerunt, quod potentia divina determinatur ad hunc cursum rerum propter ordinem sapientiæ, & justitiae divinæ, sine quo Deus nihil operatur (2). Cum autem potentia Dei, quæ est ejus essentia, non sit aliud quam Dei sapientia, convenienter quidem dici potest, quod nihil sit in Dei potentia quod non sit in ordine divinæ sapientiæ: nam divina sapientia totum posse potentia comprehendit.

Sed tamen ordo a divina sapientia rebus inditus, in quo ratio justitiae consistit, ut supra dictum est (quæst. xxii. art. 2.) non adæquat divinam sapientiam sic ut divina sapientia limitetur ad hunc ordinem. Manifestum est autem quod tota ratio ordinis, quam sapiens rebus a se facit imponit, a fine sumitur. Quando igitur finis est pro-

portionatus rebus propter finem factis, sapientia faciens limitatur ad aliquem determinatum ordinem. Sed divina bonitas est finis improportionabiliter excedens res creatas: Unde divina sapientia non determinatur ad aliquem ordinem rerum, ut non possit alius cursus rerum effluere. Unde dicendum est simpliciter, quod Deus potest alia facere quam quæ facit.

Ad primum ergo dicendum, quod in nobis, in quibus est aliud potentia, & essentia a voluntate, & intellectu, & iterum intellectus aliud a sapientia, & voluntas aliud a justitia, potest esse aliquid in potentia quod non potest esse in voluntate justa, vel intellectu sapiente. Sed in Deo est idem potentia, & essentia, & voluntas, & intellectus, & sapientia, & justitia. Unde nihil potest esse in potentia divina quod non possit esse in voluntate justa ipsius, & intellectu sapiente ejus. Tamen quia voluntas non determinatur ex necessitate ad hæc, vel illa, nisi forte ex suppositione, ut supra dictum est (quæst. xix. art. 3.) neque sapientia Dei, & justitia determinatur ad hunc ordinem, ut supra dictum est (in cor. art.) nihil prohibet esse aliquid in potentia divina, quod non vult, & quod non continetur sub ordine quem statuit rebus. Et quia potentia intelligitur ut exequens, voluntas autem ut imperans, & intellectus, & sapientia ut dirigens; quod attribuitur potentia secundum se considerata, dicitur Deus posse secundum potentiam absolutam; & hujusmodi est omne illud in quo potest salvare ratio entis, ut supra dictum est (art. 3. hujus quæst.) quod autem attribuitur potentia divina, secundum quod exequitur imperium voluntatis justæ, hoc dicitur Deus posse facere de potentia ordinaria. Secundum hoc

(1) Hic nempe implicitè, sed art. 4. expressius; & rursus implicitè art. 10. cum in Deo liberum arbitrium esse ostendit.

(2) In eum sensum sic insensata Abaylardus lib. 3. Introduct. cap. 5. Cum id sanctum Deus facere possit quod sum facere convenis, nec eum quidquam facere convenis quod facere pretermittas, id solum facere arbitror quod aliquando facit: Licet hec nostra opinio paucos habebat assertatores, & plurimum dictis Sanctorum dissentire videatur. Impudentiam singularem! Potuit & addere quod plurimum etiam sacre Scriptura contradicat: Sic enim Augustinus lib. de spiritu & lit. cap. 34 vel 35. postquam attulit plura que fieri dicuntur posse in Scriptura variis locis, nec facta sunt, concludit: Quisquis horum aliquid Deo dixerit impossibile, vides quam despiciat & quem adversus fidem Scriptura ejus loquatur. Quippe Gentes

exterminare velociter potuit quas paulatim exterrinavit (Josue 23. vers. 9.) Nova in impios tormenta exercere, quæ re ipsa non exercuit (Sap. 16. vers. 6.) Suscitare de lapidibus filios Abraham quos non suscitavit (Luc. 3. vers. 8. & Matth. 3. vers. 9.) Transferre montes in mare vel hanc suis conferre potentiam quorum neutrum praestit (Marc. 11. vers. 23. & Matth. 21. vers. 21.) Præter sexentam similiam (inquit ibidem Augustinus cap. 1.) qua occurrere possunt. Hinc nata distinctio potentia ordinaria ac potentia absolute quam idem quoque lib. de natura & gratia cap. 7. insinuat, cum ab exemplo Iudei quem sequit ac Lazarum suscitare potuit Christus, nec suscitavit, negat consequens esse ut quod fieri potest, etiam si: Ad idemque pertinet quod alium redemptio modum possibilem agnoscat lib. 13. de Trin. cap. 20. &c.

hoc ergo dicendum est , quod Deus potest alia facere de potentia absoluta quam quæ præscivit , & præordinavit se facturum ; non tamen potest esse quod aliqua faciat quæ non præsciverit , & præordinaverit se facturum : quia ipsum facere subjacet præscientiæ , & præordinationi , non autem ipsum posse , quod est naturale . Ideo enim Deus aliquid facit , quia vult ; non tamen ideo potest , quia vult , sed quia talis est in sui natura .

Ad secundum dicendum , quod Deus non debet aliquid alicui nisi sibi . Unde cum dicitur , quod Deus non potest facere nisi quod debet , nihil aliud significatur nisi quod Deus non potest facere , nisi quod ei est conveniens & justum . Sed hoc quod dico conveniens , & justum , potest intelligi dupliciter . Uno modo sic quod hoc quod dico conveniens , & justum , prius intelligatur conjungi cum hoc verbo est , ita quod restringatur ad standum pro præsentibus , & sic referatur ad potentiam : & sic falsum est , quod dicitur : est enim sensus : Deus non potest facere nisi quod modo conveniens est , & justum . Si vero prius conjugatur cum hoc verbo potest (quod habet vim ampliandi) & postmodum cum hoc verbo est , significabitur quoddam præsens , & confusum ; & erit locutio vera sub hoc sensu : Deus non potest facere nisi id quod si faceret , esset conveniens , & justum .

Ad tertium dicendum , quod licet iste cursus rerum sit determinatus ipsis rebus quæ nunc sunt ; non tamen ad hunc cursum limitatur divina sapientia , & potest . Unde licet ipsis rebus quæ nunc sunt , nullus alias cursus esset bonus , & conveniens ; tamen Deus posset alias res facere , & alium eis imponere ordinem .

A P P E N D I X .

EX art. habes primo : quomodo ex ratione rejicias heresim Petri Abayardi (Alphos. Castr. adv. hær. Deus 4.) dicentem , quod Deus non potest facere nisi ea , quæ facit . Secundo habes : quomodo ex eadem ratione ostendas , hanc juste damnari Matth. 26. An non possum rogare patrem meum , &

exhibebit mihi plusquam duodecim Legiones Angelorum ? Nec tamen ipse Christus hoc patrem rogarabat , nec pater eas legiones ad examen dum Christum a Judæis exhibebat . Item Matth. 19. omnia apud Deum possibilia sunt . Quæ scilicet non implicant contradictionem ; cuiusmodi non est , quod Deus possit facere , quæ non facit . Tertio vides : quomodo , &c.

A R T I C U L U S VI . 155

Utrum Deus possit meliora facere ea quæ facit

I. dist. lxiv. art. 1. 2. & 3. & III. dist. xiii. quest. 1. art. 2. quest. 2. ad 2. & 3. & pot. quest. III. art. 16. ad 17.

AD sextum sic proceditur . Videtur quod Deus non possit meliora facere ea quæ facit . Quidquid enim Deus facit , potentissime , & sapientissime facit . Sed tanto fit aliquid melius , quanto fit potentius , & sapientius . Ergo Deus non potest aliquid facere melius quam facit .

2. Præterea . Augustinus contra Maximum Lib. III. cap. viii. ad fin.) sic argumentatur (1). Si Deus potuit , & noluit dignare Filium sibi æqualem , invidus fuit : eadem ratione si Deus potuit res meliores facere quam fecerit , & noluit ; invidus fuit . Sed invidia est omnino relegata a Deo . Ergo Deus unumquodque fecit optimum : non ergo Deus potest aliquid facere melius quam fecit .

3. Præterea . Id quod est maxime , & valde bonum , non potest melius fieri , quia maximo nihil est majus . Sed , sicut Augustinus dicit in Ench. (cap. x.) bona sunt singula que Deus fecit , sed simul universa valde bona , quia ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulchritudo . Ergo bonum universi non potest melius fieri a Deo .

4. Præterea . Homo Christus est plenus gratia , & veritate , & Spiritum habet non ad mensuram (2) ; & sic non potest esse melior . Beatiudo etiam creata dicitur esse summum bonum ; & sic non potest esse melius . Beata etiam Virgo Maria est super omnes

(1) Vel sic , verbis paululum immutatis : Proferas ad bunc articulum res colligitur , ut Deus Peter aequalem sibi dignera filium aut non poteris , aut nolueris : Si non poteris , infirmus : Si noluis invidus inveneris ; ut cap. 7. libr. 3. videre est sub finem .

(2) Juxta id quod habetur Joan. 1. vers. 14.

quoad priora verba ; & Joan. 3. vers. 34. quoad posteriora , cum Joannes Baptista dicit , Non ad mensuram Deus dat spiritum ; & addi passim solet , non ad mensuram dat Filio : Quamvis indefinite possit intelligi ; ut summa Dei liberalitas indicetur qui dat omnipotens affluenter Jacobi primo vers. 5.

omnes chorus Angelorum exaltata ; & sic non potest esse melior . Non igitur omnia quæ fecit Deus , potest facere meliora .

Sed contra est quod dicitur ad Ephes. 111. 20, quod Deus potest omnia facere abundantius quam petimus , aut intelligimus .

Respondeo dicendum , quod bonitas alicuius rei est duplex . Una quidem quæ est de essentia rei , sicut esse rationale est de essentia hominis ; & quantum ad hoc bonum Deus non potest facere aliquam rem meliorem quam ipsa sit , licet possit facere aliquam aliam ea meliorem ; sicut etiam non potest facere quaternarium majorem , quia non esset major , jam non esset quaternarius , sed alias numerus : sic enim se habet additionis substantialis in definitionibus , sicut additio unitatis in numeris , ut dicitur VIII. Metaph. (tex. 10.) (1).

Alia bonitas est quæ est extra essentiam rei , sicut bonum hominis est esse virtuosum , vel sapientem ; & secundum tale bonum potest Deus res a se factas facere meliores . Simpliciter autem loquendo qualiter re a se facta potest Deus facere aliam meliorem .

Ad primum ergo dicendum , quod cum dicitur Deum posse aliquid facere melius quam facit , si ly melius sit nomen , verum est : qualibet enim re potest facere aliam meliorem . Eamdem vero potest facere meliorem quodammodo , & quodammodo non , sicut dictum est (in corp. artic.) Si vero ly melius sit adverbium , & importet modum ex parte facientis , sic Deus non potest facere melius quam sicut facit : quia non potest facere ex majori sapientia , & bonitate . Si autem importet modum ex parte facti , sic potest facere melius : quia potest dare rebus a se factis meliorem modum essendi quantum ad accidentalia , licet non quantum ad essentialia .

Ad secundum dicendum , quod de ratione filii est quod æquetur patri , cum ad perfectum venerit ; non est autem de ratione creaturæ alicuius quod sit melior quam a Deo

facta est . Unde non est similis ratio (2) .

Ad tertium dicendum , quod Universum (suppositis istis rebus) non potest esse melius propter decentissimum ordinem his rebus attributum a Deo , in quo bonum Universi consistit . Quorum si unum aliquod esset melius , corrumperetur proportio ordinis ; sicut si una corda plus debito intenderetur , corrumperetur cithara melodya . Posset tamen Deus alias res facere , vel alias addere istis rebus factis : & sic esset illud Universum melius .

Ad quartum dicendum , quod humanitas Christi ex hoc quod est unita Deo , & beatitudo creata ex hoc quod est fruitio Dei , & Beata Virgo ex hoc quod est mater Dei , habent quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito , quod est Deus (3) : & ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis , sicut non potest aliquid melius esse Deo .

A P P E N D I X .

Hinc habes primo : quomodo ex ratione confundas hæresim Petri Abaylardi (Alph. Castr. adv. her. Deus 4.) blasphemantis , Deum non posse facere res aliter , quam facit . Hanc Wicleff hæretico attribuit Pater Dominicus Bannes 1. qu. 25. art. 6. renuit , inquiens , quod divina potentia adæquatur his effectibus , quos fecit ita , ut nec alios , nec meliores possit facere . Petrus Abaylardus , subdit is Pater , sequutus est hunc errorem . Secundo habes : quomodo ex eadem ratione , quæ , ut vidisti , ex articul. præcedentibus pendet , ostendas , hanc jure esse damnatam in symbolo fidei . Credo in Deum omnipotentem . Si enim omnipotens : ergo ejus potentia adæquatur his effectibus ita , ut non possit & alios , & meliores efficere etiam eosdem , secundum tamen quod non implicat contradictionem , ut in corpore dictum est . Damnationem quoque prædictæ hæresis vide Eph. 3. Deus potens est omnia facere abundantius , quam petimus , aut intelligimus , ut patet in arguento sed contra . Tertio vides , &c.

QUE.

(1) Ex cap. 3. ubi plenius : Definitio numerus quidem est : Et quemadmodum de numero & auctoratur vel addatur aliquid ex quibus numerus est , non est amplius idem numerus quantumlibet minimum vel aucteris vel addi contigerit , sic nec definitio nec ipsum quod quid est , erit amplius , cum aliquid vel ablatum fuerit vel additum : Sed præcipue differentia &c.

(2) Non obstat illud Augustini ex libro 4 de Genesi ad lit. cap. 16. quod si facere bona Deus non posset , posse nulla est ; sed si posset & nollet ,

invidentia magna est : Nam quod in illis libris plura queritur quam invenerit , & plura invenerit quam firmaverit , ipse sincere profitetur lib. 2. Retract. cap. 24.

(3) Diversimode tamen & secundum proportionem singulorum : Nam humanitas Christi aliquo modo intrinsecam propter substantialiem unionem , & propriea simpliciter : Alia vero extrinsecam & habitualem tantum , ac propter secundum quid ; sed nobilis præ ceteris B. Virgo .

QUESTIO VIGESIMASEXTA.

*De divina beatitudine,**In quatuor articulos divisa.*

ULTIMO autem post considerationem eorum quæ ad divinæ essentiæ unitatem pertinent, considerandum est de divina beatitudine: & circa hoc queruntur quatuor.

Primo, utrum beatitudo Deo competit.

Secundo, secundum quid dicitur Deus esse beatus, utrum secundum actum intellectus.

Tertio, utrum ipse sit essentialiter beatitudo cuiuslibet beati.

Quarto, utrum in ejus beatitudine omnis beatitudo includatur.

ARTICULUS I. 156

Utrum beatitudo Deo competit.

Inf. quest. lxi. art. 4. cor. & II. dist. 1. quest. unic. art. 2. ad 4. & dist. xv. quest. III. art. 3. ad 1. & I. con. cap. c. & cl.

AD primum sic proceditur. Videtur quod beatitudo Deo non conveniat. *Beatitudo enim secundum Boetium in IV. de Consol. (prof. 11. parum a princ.) est status omnium bonorum aggregatione perfectus.* Sed aggregatio bonorum non habet locum in Deo, sicut nec compositio. Ergo Deo non convenit beatitudo.

2. Præterea. Beatitudo, sive felicitas est præmium virtutis, secundum Philosophum in I. Ethicor. (cap. ix. paulo a prin.)⁽¹⁾. Sed Deo non convenit præmium, sicut nec meritum. Ergo nec beatitudo.

Sed contra est quod dicit Apostolus I. ad Timoth. ultim. 15. *Quem suis temporibus offendet Deus beatus, & solus potens, Rex regum, & Dominus dominantium.*

Respondeo dicendum, quod beatitudo maxime Deo competit. Nihil enim aliud sub nomine beatitudinis intelligitur nisi bonum perfectum intellectualis naturæ, cuius est

suam sufficientiam cognoscere in bono quod habet; & cui competit ut ei contingat aliquid vel bene, vel male, & sit suarum operationum domina. Utrumque autem istorum excellentissime Deo convenit, scilicet perfectum esse, & intelligentem. Unde beatitudo maxime convenit Deo.

Ad primum ergo dicendum, quod aggregatio bonorum est in Deo, non per modum compositionis, sed per modum simplicitatis: quia quæ in creaturis multiplicia sunt, in Deo præexistunt simpliciter, & unite, ut supra dictum est (quest. iv. artic. 2. & quest. xii. artic. 4.)⁽²⁾.

Ad secundum dicendum, quod esse præmium virtutis accedit beatitudini, vel felicitati, inquantum aliquis beatitudinem acquirit; sicut esse terminum generationis accedit enti, inquantum exit de potentia in actum. Sicut igitur Deus habet esse, quamvis non generetur; ita habet beatitudinem, quamvis non mereatur.

APPENDIX.

HINC habes primo: quomodo ex ratione ostendas, jure a sacris litteris beatitudinem attribui Deo. I. Tim. ult. *Deus beatus, & solus potens.* Ex ratione quoque habes intelligentiam hanc sanam, quod *ly solus* potest etiam referri ad *ly beatus*, ut dicatur Deus solus, id est solum beatus. Solus enim ipse est naturaliter beatus, ut pater in ad secundum; alii vero per meritum bonarum operationum gratia formatum. Hæc naturalitas significata est in conclusione per *ly maxime*, ut dicatur beatitudo maxime, id est naturaliter competit Deo. Secundo videtis: quomodo ex his, &c.

ARTICULUS II. 157

*Utrum Deus dicatur beatus secundum intellectum.**II. dist. XVI. 1. 2. cor.*

AD secundum sic proceditur. Videtur quod Deus non dicatur beatus secundum

⁽¹⁾ Vel cap. 14. in antiquis & apud S. Thomam lect. 14. ubi dicitur quod si bonum aliquod hominibus a diis conceatum est, id non aliud quam felicitas esse debet, ac tanto magis quanto verius rerum omnium humanarum praestantissima & optima est:

Et max, quod etiæ eam dii non dent, ex rebus ta-

nent divinitissimis presumenda est esse, quippe cum

sit optimum quoddam & præmium virtutis: Q. am-

vis id christiane correndum.

⁽²⁾ Tum qu. 4. art. 2. ad 1. Tum qu. 13. art.

4. in corp. & ad 3. Non autem quest. 18. art. 4.

ut prius ad marginem:

dum intellectum. Beatitudo enim est summum bonum. Sed bonum dicitur in Deo secundum essentiam: & bonum respicit esse secundum essentiam, secundum Boetium in Lib. de hebdom. (sive in Lib. *An omne quod est, bonum sit.*) Ergo & beatitudo dicitur in Deo secundum essentiam, & non secundum intellectum.

2. Præterea. Beatitudo habet rationem finis. Finis autem est objectum voluntatis, sicut & bonum. Ergo beatitudo dicitur in Deo secundum voluntatem, & non secundum intellectum.

Sed contra est quod Gregorius dicit XXXII. *Moralium* (cap. vii. in princ. super illud Job xl. *Circumda tibi decorum*) *Ipse gloriōsus est, qui dum se ipso perficitur, accedit laudis indigens non est.* Esse autem gloriōsum significat esse beatum. Cum igitur Deo fruamur secundum intellectum, quia visio est tota merces, ut dicit Augustinus (Lib. XXII. de civ. Dei cap. xxvi. aliquantulum a princ.) (1) videtur quod beatitudo dicatur in Deo secundum intellectum.

Respondeo dicendum, quod beatitudo, sicut dictum est (art. præc.) significat bonum perfectum intellectualis naturæ: & inde est quod sicut unaquæque res appetit suam perfectionem, ita & intellectualis natura naturaliter appetit esse beata. Id autem quod est perfectissimum in qualibet intellectuali natura, est intellectualis operatio, secundum quam capit quodammodo omnia. Unde cujuslibet intellectualis naturæ creatæ beatitudo consistit in intelligendo. In Deo autem non est aliud esse, & intelligere secundum rem, sed tantum secundum intelligentiam rationem. Attribuenda ergo est Deo beatitudo secundum intellectum, sicut & aliis beatis, qui per assimilationem ad beatitudinem ipsius beati dicuntur.

Ad primum ergo dicendum, quod ex illa ratione probatur quod Deus sit beatus secundum suam essentiam, non autem quod beatitudo ei conveniat secundum rationem essentiae, sed magis secundum rationem intellectus (2).

Ad secundum dicendum, quod beatitudo,

(1) Ex quo loco tamen minus expesse colligitur; ubi dicitur tantum quod *premium fides nobis visio ipsa servasur*: Sed plenius & expressius ex illius Commentario super Psal. 90. ad illa verba vers. 16. vel ut. *Ostendam illi salutare meum*: Et lib. I. de Trinit. cap. 9. *In visione merces tota promissus delegationis & desiderii nostri* &c. Præter alia loca

cum sit bonum, est objectum voluntatis: objectum autem præintelligitur actui potentiae. Unde secundum modum intelligendi prius est beatitudo divina quam actus voluntatis in ea requiescentis. Et hoc non potest esse nisi actus intellectus. Unde in actu intellectus attenditur beatitudo.

A P P E N D I X.

Hinc habes primo: quomodo ex ratione ostendas, beatitudinem recte actui intellectus adscribi Jo. 17. *Hec est vita eterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Secundo habes: quomodo hos, & similes passus scripturar rationabiliter intelligas, pariter etiam illos, qui beatitudinem actui voluntatis attribuunt. Ut Isaia *sedebit populus meus in multitudine pacis*, & psal. 147. *Qui posuit fines tuos pacem*, & ubicumque jucunditatem, delectationem, vel simile attribuunt beatitudini. Tertio habes: quomodo ex his, &c.

A R T I C U L U S III. 158

Urrum Deus sit beatitudo cuiuslibet beati.

1. 2. quest. III. articul. 1. & IV. dist. xlvi.
quest. 1. articul. 2. quest. 1. & I.
cont. cap. CII. §. 2.

AD tertium sic proceditur. Videlur quod Deus sit beatitudo cujuslibet beati. Deus enim est summum bonum, ut supra ostensum est (quest. vi. art. 2. & 4.) Impossibile est autem esse plura summa bona, ut etiam ex superioribus patet (quest. xi. artic. 3.) Cum igitur de ratione beatitudinis sit quod sit summum bonum, videntur quod beatitudo non sit aliud quam Deus.

2. Præterea. Beatitudo est finis rationalis naturæ ultimus. Sed esse ultimum finem rationalis naturæ soli Deo convenit. Ergo beatitudo cujuslibet beati est solus Deus.

Sed contra. Beatitudo unius est major beatitudine alterius, secundum illud I. Cor. xv. 41.

(1) Stel-

que hoc ipsum indicant passim.

(2) An vero actualis intellectus sit effectus ipsa Dei vel essentiae constitutiva formaliter, ex mente S. Thomæ, sicut aliqui fingunt? Et sic tamen distinguit intellectum ab essentiae ratione? Legant & intelligent.

(1) *Stella differt a stella in claritate.* Sed Deo nihil est majus. Ergo beatitudo est aliquid aliud quam Deus.

Respondeo dicendum, quod beatitudo intellectualis naturae consistit in actu intellectus: in quo duo possunt considerari, scilicet objectum actus; quod est intelligibile, & ipse actus, qui est intelligere.

Si igitur beatitudo consideretur ex parte ipsius objecti, sic solus Deus est beatitudo: quia ex hoc solo est aliquis beatus quod Deum intelligit, secundum illud Augustini in V. Lib. Confess. (cap. iv. in princ.) *Beatus est qui te novit, etiam si alia ignoret* (2). Sed ex parte actus intelligentis, beatitudo est quid creatum in creaturis beatis; in Deo autem est etiam secundum hoc aliquid increatum.

Ad primum ergo dicendum, quod beatitudo, quantum ad objectum, est summum bonum simpliciter; sed quantum ad actum in creaturis beatis, est summum bonum non simpliciter, sed in genere bonorum participabilem a creatura.

Ad secundum dicendum, quod finis est duplex, scilicet *cujus*, & *quo*, ut Philosophus dicit (Libr. I. Magn. Mor. capit. IIII.) (3) scilicet ipsa res, & usus rei; sicut avaro est finis pecunia, & acquisitio pecunie. Creaturæ igitur rationalis est quidem Deus finis ultimus ut res; beatitudo autem creata ut usus, vel magis fruitio rei.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte dictum quandoque a scripturis. I. Corin. 15. *stella differt a stella in claritate* (loquendo de beatis); & *Summ. S.Th. T.I.*

(1) De inæquali quidem corporum claritate post resurrectionem exprefse dictum, ut evidenter ibi, vers. 41. patet; sed ad gloriam animalium analogice refundendum, ex qua claritas ipsa gloria corporum derivatur. Unde ad illam refert Aug. Tr. 67. in Joan. lib. de sancta virginit. cap. 26. Et Serm. 46. ac 59. de verbis Domini, &c.

(2) Vel sic: *Infelix homo qui scit omnia, sed au- sem nesciit: Beatus autem qui se scit, etiam si illa nescias;* Qui vero & se & illa novit, non propter illa beatior, sed propter se solum beatus est.

(3) Ubi non bonum tantum ut cap. 2. sed usura boni finem vocat: Hic autem est finis quo.

(4) Ut suo loco expressi & sigillatum, cum ex professo ea de re agitur infra 2. 2. quest. 2. art. 1. quantum ad divitias; & art. 6. quantum ad voluntates; intermediiis autem articulis quantum ad potestatem, ad honorem, ad famam, ad aliquod corporis

Jo. 14. In domo Patris mei mansiones multe sunt: quandoque autem dictum, Genel. 15. *Ego Deus merces tua magna nimis*, & Matth. 20. Conventione facta cum operariis ex denario diurno. Secundo habes: quomodo rationabiliter concordes utrumque, & quando sci- dicet in primis locis plures esse beatitudines innuit, & quando in secundis unam tantum. Tertio vides: quonodo &c.

A R T I C U L U S IV. 159

Utrum in Dei beatitudine omnis beatitudo includatur.

I. cont. cap. ult.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod beatitudo divina non complectatur omnes beatitudines. Sunt enim quædam beatitudines falsæ. Sed in Deo nihil potest esse falsum. Ergo divina beatitudo non complectitur omnem beatitudinem.

2. Præterea. Quædam beatitudo secundum quosdam consistit in rebus corporalibus, sicut voluptatibus, divitiis, & hujusmodi: (4) quæ quidem Deo conuenire non possunt, cum sit incorporeus. Ergo beatitudo ejus non complectitur omnem beatitudinem.

Sed contra est quod beatitudo est perfectio quædam. Divina autem perfectio complectitur omnem perfectionem, ut supra ostensum est (quest. IV. art. 2.) Ergo divina beatitudo complectitur omnem beatitudinem.

Respondeo dicendum, quod quidquid est desiderabile in quacumque beatitudine vel vera, vel falsa, (5) totum eminentius in K k di-

bonum, &c.

(5) Non ex proprio sensu, sed potius ex alieno quem refellit; ostendens quod hæc præsumptitia beatitudo inanis & falsa sit; ut videre est Prosa 2. & deinceps; Quin & id quod sequitur de divina beatitudine omnem aliam continentem postmodum subindicit Prosa 10. ubi tam ex persona Sapientis quam ex propria sua Deum esse concludit summum bonum & summi boni plenissimum; addit non extrinsecus cum accepisse hoc ipsum bonum quo plenus est, sed sic illud habere naturaliter, ut non aliud quam substantia beatitudinis debat cogitari; ac propterea eum esse ipsam beatitudinem necessario confitendum: Denique quod cum liquido appareat ipsius boni & beatitudinis eamdem esse substantiam, secure concludendum Dei quoque in ipso bono nec usquam alio fieri esse substantiam, &c.

divina beatitudine præexistit. De contemplativa enim felicitate habet continuam, & certissimam contemplationem sui, & omnium aliorum, de activa vero gubernationem totius universi. De terrena vero felicitate, quæ consistit in voluptate, divitiis, potestate, dignitate, & fama, secundum Boetium in III. de cons. (prof. x.) habet gaudium de se, & de omnibus aliis pro delectatione; pro divitiis habet omnimodam sufficientiam, quam divitiae promittunt; pro potestate omnipotentiam; pro dignitate omnium regnum; pro fama vero admirationem totius creaturæ.

Ad primum ergo dicendum, quod beatitudo aliqua secundum hoc est falsa, secundum quod deficit a ratione veræ beatitudinis; & sic non est in Deo: sed quidquid habet de similitudine quantumcumque tenuis beatitudinis, totum præexistit in divina beatitudine.

Ad secundum dicendum, quod bona quæ sunt in corporalibus corporaliter, in Deo sunt spiritualiter secundum modum suum.

Et hæc dicta sufficiant de his quæ pertinent ad divinæ essentiaz unitatem.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem monstres, recte Deum in scripturis vocari omne bonum. Exo. 33. ostendamus tibi omne bonum. Secundo habes, quomodo catholice per hæc, & similia intelligas in proposito ly *Deus est omne bonum*, idest Deus continet in se omnes beatitudines. Non enim est omne bonum tantum causaliter, vel per remotionem, ut dicit error *Algarzelis*, & *Rabbi Mosis* (Direct. inquis. 2. p. qu. 4.) sed vere, & proprie: sup. qu. 13. ar. 2. & 3. Tertio vides: quomodo &c.

TRACTATUS DE TRINITATE.

QUESTIO VIGESIMASEPTIMA.

De processione Divinarum Personarum,

In quinque articulos divisa.

Consideratis autem his quæ ad divinas essentiaz unitatem pertinent, restat considerare de his quæ pertinent ad trinitatem personarum in divinis. Et quia personæ divinæ secundum relationes originis distinguuntur, secundum ordinem doctrinæ prius considerandum est de origine, sive de processione; secundo de relationibus originis; tertio de personis.

Circa processionem queruntur quinque.

Primo, utrum processio sit in divinis.

Secundo, utrum aliqua processio in divinis generatio dici possit.

Tertio, utrum præter generationem aliqua alia processio possit esse in divinis.

Quarto, utrum illa alia processio possit dici generatio.

Quinto, utrum in divinis sint plures processiones quam duæ.

ARTICULUS I. 160

Utrum processio sit in divinis.

I. dist. XIII. art. 1. & IV. cont. cap. XI. & post. quest. II. art. 1.

AD primum sic proceditur. Videtur quod in Deo non possit esse aliqua processio. Processio enim significat motum ad extra. Sed in divinis nihil est mobile, neque extraneum. Ergo neque processio.

2. Præterea. Omne procedens est diversum ab eo a quo procedit. Sed in Deo non est aliqua diversitas, sed summa simplicitas. Ergo in Deo non est processio aliqua.

3. Præterea. Procedere ab alio, videtur rationi primi principii repugnare. Sed Deus est primum principium, ut supra (1) ostensum est (quest. II. art. 3.) Ergo in Deo processio locum non habet.

Sed

(1) *Equivalenter qu. 4. art. 1.*

Sed contra est quod dicit Dominus Joan. VIII. 42. (1) *Ego ex Deo processi.*

Respondeo dicendum, quod divina Scriptura in rebus divinis, nominibus ad processionem pertinentibus utitur.

Hanc autem processionem diversi diversimode acceperunt.

Quidam enim acceperunt hanc processionem, secundum quod effectus procedit a causa: & sic accepit Arius dicens, *Filiū procedere a Patre sicut primam ejus creaturam, & Spiritum sanctum procedere a Patre, & Filio sicut creaturam utriusque.* Et secundum hoc neque Filius, neque Spiritus sanctus esset verus Deus. Quod est contra id quod dicitur de Filio I. Joan. ult. 20. *Ut . . . simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus.* Et de Spiritu sancto dicitur I. Corinth. vi. 19. *Nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti? templum autem habere solius Dei est.*

Alli vero hanc processionem acceperunt, secundum quod causa dicitur procedere in effectum (2), inquantum vel moveret ipsum, vel similitudinem suam ipsi imprimat: & sic accepit Sabellius dicens, ipsum Deum Patrem Filium dici, secundum quod carnem assumpsit ex Virgine; & eundem dici Spiritum sanctum, secundum quod creaturam rationalem sanctificat, & ad vitam movet. Huic autem acceptioni repugnant verba Domini de se dicentis Joan. v. 19. *Non potest facere a se Filius quidquam:* & multa alia, per quae ostenditur, quod non est ipse Pater, qui Filius.

Si quis autem diligenter consideret, uterque accepit processionem, secundum quod est ad aliquid extra: unde neuter posuit processionem in ipso Deo; sed cum omnis processio sit secundum aliquam actionem,

scit secundum actionem quae tendit in exteriorem materiam, est aliqua processio ad extra; ita secundum actionem quae manet in ipso agente, attenditur processio quædam ad intra. Ex hoc maxime patet in intellectu, cuius actio, scilicet intelligere, manet in intelligente. Quicumque autem intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est (*) conceptionis rei intellectus (3), ex ejus notitia procedens. Quam quidem conceptionem vox significat, & dicitur verbum cordis significatum verbo vocis. Cum autem Deus sit super omnia, ea quae in Deo dicuntur, non sunt intelligenda secundum modum infinitarum creaturarum, quae sunt corpora, sed secundum similitudinem supremarum creaturarum, quae sunt intellectuales substantiae, a quibus etiam similitudo accepta deficit a representatione divinorum. Non ergo accipienda est processio, secundum quod est in corporalibus vel per motum localem, vel per actionem alicujus causæ in exteriorem effectum, ut calor a calefaciente in calefactum; sed secundum emanationem intelligibilem, utpote verbi intelligibilis a dicente, quod manet in ipso. Et sic fides catholica processionem ponit in divinis.

Ad primum ergo dicendum, quod objecatio illa procedit de processione quae est motus localis, vel quae est secundum actionem tendentem in exteriorem materiam, vel in exteriorem effectum: talis autem processio non est in divinis, ut dictum est (in corp. artic.)

Ad secundum dicendum, quod id quod procedit secundum processionem quae est ad extra, oportet esse diversum ab eo a quo procedit; sed id quod procedit ad intra processu intelligibili, non oportet esse diversum;

K k 2 sum;

(1) Minus expresse quidem quoad presentem sensum, quia sequitur ibi quod ad processionem temporalem pertinet; cum dicitur, *Ex Deo processi & voti in mundum: Neque enim a meipso voti, sed illo me misit: Nihilominus ad aeternam etiam ac divinam processionem aequivalenter spectat quae temporeli processioni presupponitur ut principium ejus: Et sic explicat Augustinus Tract. 42. in Joan.*

(2) Non quasi Pater ex mente Sabellii causa Filii diceretur; hoc enim ad heresim Arii reculeret cui opposita Sabelliana erat: Sed quod uterque tantum per causalem habitudinem ad effectus exteriores distinguatur, quamvis personaliter idem esset.

(3) *Iota cod. Alcan. antiqua plures. Edisi: concepcionis rei intellectus ex vi intellectiva proveniens, & ex ejus notitia procedens.*

(3) Quid universalius & formalius dici posset?

propter universale signum, *Omnis intelligens, propter additam reduplicationem, eo ipso quod intelligens;* propter ingeminatam reduplicationis causam, *ex vi intellectiva proveniens: Annon igitur factum ut explicetur permissus vel de visoribus tantum? Quam recta conclusio? Viciores producunt verbum, Ergo Pater: Vel ista. Permissus producit Verbum intellectus (id est alius intellectus) Ergo divinus, &c. Qui superius quæst. 15. de ideis nolebat glossas singi quæ S. Thomam tam legitimè sensu excutarent, ut notavimus ibi, cur istam singit modo tam aperte textui repugnaret? Atqui Filius & Spiritus sanctus non formant Verbum, sicut objici solet: In promptu responsio: Nempe quia una est Patris & illorum intellectio iudicativa, quæ verbum illud in Parte format ut in primo: Sed nec Beati formant: Formari poterat ex mente S. Thomas patet in Selectiss.*

sum ; immo quanto perfectius procedit , tanto magis est unum cum eo a quo procedit . Manifestum est enim quod quanto aliquid magis intelligitur , tanto conceptio intellegitualis est magis intima intelligenti , & magis unum . Nam intellectus secundum hoc quod actu intelligit , secundum hoc sit (*) unum cum intellecto . Unde cum divinum intelligere sit (**) in fine perfectionis , ut supra dictum est (quæst . xiv . art . 2 .) necesse est quod verbum divinum sit perfecte unum cum eo a quo procedit , absque omni diversitate .

Ad tertium dicendum , quod procedere a principio ut extraneum , & diversum , repugnat rationi primi principii ; sed procedere ut intimum , & absque diversitate per modum intelligibilem , includitur in ratione primi principii . Cum enim dicimus adificatorem principium domus , in ratione hujus principii includatur conceptio suæ artis , & includeretur in ratione primi principii , si adificator esset primum principium . Deus autem , qui est primum principium rerum , comparatur ad res creatas ut artifex ad artificiata .

A P P E N D I X .

Hinc habes primo : quomodo ex ratione in sensu catholicō intelligas scripturas , ubicumque ponunt processionem in divinis , ut Joann . 8 . ex Deo processi , & 17 . Exi vi a patre , & quomodo ex ratione eadem monstres , illas rite processionem ibi ponere . Secundo habes : quomodo Trinitarios , idest negantes Trinitatem in divinis , quocumque nomine interim specialiter vocentur , confundere incipias ex ratione . Hic enim articulus cum multis sequentibus est quasi fundamentum preparatorium ad ponendam sanctam Trinitatem , & adversarios ejus confunden-

dos . Tertio habes : quomodo tamquam in radice monstres , Trinitarios hujusmodi esse justissime tum per scripturas , tum per Ecclesiam , quod suo loco speciatim ostendemus , damnatos . Quarto vides ; quomodo &c .

A R T I C U L U S II. 161

Utrum aliqua processio in divinis generatio dici possit .

IV. cont. cap. x. & xl. & opusc. II. cap. xl.

Ad secundum sic proceditur . Videtur quod processio quæ est in divinis , non possit dici generatio . Generatio enim est mutatio de non esse in esse , corruptioni opposita , & utriusque subjectum est materia . Sed nihil horum competit divinis . Ergo non potest generatio esse in divinis .

2. Præterea . In Deo est processio secundum modum intelligibilem , ut dicitur est (art . præced .) Sed in nobis talis processio non dicitur generatio (1) . Ergo neque in Deo .

3. Præterea . Omne genitum accipit esse a generante . Esse ergo cuiuslibet geniti est esse receptum . Sed nullum esse receptum est per se subsistens . Cum igitur esse divinum sit esse per se subsistens , ut supra probatum est (quæst . viii . art . 1 . & quæst . xi . art . 4 .) sequitur quod nullius geniti esse sit esse divinum . Non est ergo generatio in divinis .

Sed contra est quod dicitur in Psalm . 11 . 7. *Ego hodie genui te* (2) .

Respondeo dicendum , quod processio Verbi in divinis dicitur generatio .

Ad cuius evidentiam sciendum est , quod nomine generationis dupliciter utimur . Uno modo communiter ad omnia generabilia , & corruptibilia ; & sic generatio nihil aliud est quam mutatio de non esse ad esse . Alio modo proprie in viventibus ; & sic generatio si-

gnifi-

(*) Ita cod . Alcan . Edisi omnes magis unum .

(**) Al . infinitus .

(1) Quantumcumque dicatur productio quæ per conceptionem solam verificari potest , ut explicatur infra ; indeque verbum protos mensis .

(2) Ad hunc eundem sensum referit in eum locum August . propter illud hodie quo sempiternam generationem indicari vult ; eis ad incarnationem quoque referri posse notat , per quam factus est homo unio ne filius Dei . Ad resurrectionem autem Christi pertinet vult Hilarius , & sensum illum suum apostolicam autoritatem vocalit ; quia sic Paulus nempe Act . 23 . vers . 33 . usurpare videtur , ubi ait : *Annonciatus vobis enim quæ ad Patrem nostros reprobasse fa-*

*cti est ; quoniam hanc Deus adimplavit filios nostris resuscitans Jesum ; sicut & in Psal . 2 . scriptum est . Filius meus es tu , ego hodie genui te : Hunc & primogenitus mortuorum Apocal . 2 . vers . 5 . sive primogenitus ex mortuis ad Colos . 1 . vers . 18 . propter resurrectionem appellatur . Sed quicunque sit sensus in his verbis , eterna semper generationem presupponit ; ad quam etiam Ecclesia in Officio Nativitatis Christi referit : Et si Theodoreetus , nimis utique confidenter : *Hanc vocem nemo qui Spiritus sancti de-* *Divina credas , divinitati Christi applicabit , de qua* universorum Deus Psal . 109 . dixit , *Ex utero ante* *Luciferum genui te .**

gnificat originem alicujus viventis a principio vivente coniuncto; & haec proprie dicitur nativitas. Non tamen omne hujusmodi dicitur genitum, sed proprie quod procedit secundum rationem similitudinis. Unde pilus, vel capillus non habet rationem geniti, & filii, sed solum quod procedit secundum rationem similitudinis, non cujuscumque: nam vermes, qui generantur in animalibus, non habent rationem generationis, & filiationis, licet sit similitudo secundum genus: sed requiritur ad rationem talis generationis quod procedat secundum rationem similitudinis in natura ejusdem speciei; sicut homo procedit ab homine, & equus ab equo. In viventibus autem, quae de potentia in actum vitæ procedunt, sicut sunt homines, & animalia, generatio utramque generationem includit. Si autem sit aliquod vivens cuius vita non exeat de potentia in actum, processio (si qua in tali vivente invenitur) excludit omnino primam rationem generationis; sed potest habere rationem generationis quae est propria viventium.

Sic igitur processio Verbi in divinis habet rationem generationis: procedit enim per modum intelligibilis actionis, quae est operatio vitæ, & a principio coniuncto, ut supra jam dictum est (art. præc.) & secundum rationem similitudinis: quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ, & in eadem natura existens: quia in Deo idem est intelligere, & esse, ut supra ostensum est (quest. III. art. 4. & quest. XIV. art. 4.)

Unde processio Verbi in divinis dicitur generatio, & ipsius Verbum procedens dicitur Filius.

Ad primum ergo dicendum, quod objectio illa procedit de generatione secundum rationem primam, prout importat exitum de potentia in actum: & sic non invenitur in divinis, ut supra dictum est (in corp. art.)

Ad secundum dicendum, quod intelligere in nobis non est ipsa substantia intellectus. Unde verbum, quod secundum intelligibilem operationem procedit in nobis, non est ejusdem naturæ cum eo a quo procedit: unde non proprie, & complete competit sibi ratio generationis. Sed intelligere divinum est

ipsa substantia intelligentis (1), ut supra ostensum est (quest. XIV. artic. 4.). Unde Verbum procedens procedit ut ejusdem naturæ substantia: & propter hoc proprie dicitur Genitum, & Filius. Unde & his quæ pertinent ad generationem viventium, utitur Scriptura ad significandam processionem divinæ sapientiæ, scilicet conceptione, & partu: dicitur enim ex persona divinæ Sapientiæ Proverb. VIII. 24. *Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram . . . Ante colles ego paturiebar.* Sed in intellectu nostro. utimur nomine conceptionis, secundum quod in verbo nostri intellectus invenitur similitudo rei intellectæ, licet non inveniatur naturæ identitas.

Ad tertium dicendum, quod non omne acceptum est receptum in aliquo subjecto; alioquin non posset dici, quod tota substantia rei creatæ sit accepta a Deo, cum totius substantiæ non sit aliquod subjectum receptivum. Sic igitur id quod est genitum in divinis, accipit esse a generante, non tamquam illud esse sit receptum in aliqua materia, vel subiecto, quod repugnat substantia divini esse; sed secundum hoc dicitur esse acceptum, inquantum procedens ab aliо habet esse divinum, non quasi aliud ab esse divino existens. In ipsa enim perfectione divini esse continetur & Verbum intelligibiliter procedens, & principium Verbi, sicut & quæcumque ad ejus perfectionem pertinent, ut supra dictum est (quest. IV. art. 2. & quest. XIV. art. 4.)

A P P E N D I X.

Hinc habes primo: quomodo ex ratione ostendas, jure positam fuisse generationem in divinis tum a quatuor Conciliis principalissimis, scilicet Niceno primo, Constantiopolitano primo, Ephesino primo, & Chalcedonensi, dum in confessione fidei Verbum vocant genitum: si genitum ibi ponunt; ergo & generationem qua generatur, & consequenter ab omnibus aliis Conciliis de fide in Filium Dei genitum tractantibus. Tuni a scripturis sanctis ps. 2. *Ego hodie genui te,* quod psalmi dictum ab Apost. Heb. 1. generatio-

(1) Non formalis sed identico sensu, sicut ad articulum quartum questionis 14. jam notavimus. Quam violentum ergo, imo quam fictitum, bioc eruerre quod ratio formalis & proprie constitutiva deitatis dici debeat actualis intellectio? Cum si sensus dumtaxat quod haec intellectio accidentalis non sit nec a

divinitate vel essentia Dei distinguatur; sicut ibidem notavimus de voluntate ab eodem etiam dictum esse; vel sicut universa quæ de Deo dicuntur, sunt substantia ipsa Dei: Nam aliqui quest. 26. art. 2. ad 2. rationem essentia & rationis intellectus distinxerunt.

rationi Filii a Patre applicatur ; item psal. 109. *Ex utero ante luciferum genui te . Secundo habes : quomodo ex ratione hujusmodi omnia de generatione dicta in sensu catholico & intelligas , & contra hostes veritatem defendas . Tertio vides : quomodo &c.*

A R T I C U L U S III. 162

Utrum sit in divinis alia processio a generatione Verbi .

I. dist. XIII. quest. I. art. 2. & IV. cons. cap. XIII. fin. & post. quest. X. art. 2.

AD tertium sic proceditur . Videtur quod non sit in divinis alia processio a generatione Verbi . Eadem enim ratione erit aliqua alia processio ab illa alia processione ; & sic procederetur in infinitum , quod est inconveniens . Standum est igitur in prima , ut sit una tantum processio in divinis .

2. Præterea . In omni natura invenitur tantum unus modus communicationis illius naturæ : & hoc ideo est , quia operationes secundum terminos habent unitatem , & diversitatem . Sed processio in divinis non est nisi secundum communicationem divinæ naturæ . Cum igitur sit una tantum natura divina , ut supra ostensum est (quest. XI. art. 3.) (1) reliquitur quod una sit tantum processio in divinis .

3. Præterea . Si sit in divinis alia processio ab intelligibili processione Verbi , non erit nisi processio amoris , quæ est secundum voluntatis operationem . Sed talis processio non potest esse alia a processione intellectus intelligibili : quia voluntas in Deo non est aliud ab intellectu , ut supra ostensum est (quest. XIX. art. 1.) (2) Ergo in Deo non est alia processio præter processionem Verbi .

Sed contra est quod Spiritus sanctus procedit a Patre , ut dicitur Ioan. xv . Ipse autem est alias a Filio , secundum illud Joan. XIV. 16. *Rogabo Patrem meum , & alium*

Paracletum (3) dabit vobis . Ergo in divinis non est alia processio præter processionem Verbi . Respondeo dicendum , quod in divinis sunt duæ processiones , scilicet processio Verbi , & quedam alia .

Ad cujus evidentiam considerandum est , quod in divinis non est processio nisi secundum actionem , quæ non tendit in aliquid extrinsecum , sed manet in ipso agente . Hujusmodi autem actio in intellectuali natura est actio intellectus , & actio voluntatis . Processio autem Verbi attenditur secundum actionem intelligibilem . Secundum autem operationem voluntatis invenitur in nobis quedam alia processio , scilicet processio amoris , secundum quam amatum est in amante , sicut per conceptionem verbi res dicta , vel intellectus est in intelligentie . Unde & præter processionem Verbi ponitur alia processio in divinis , quæ est processio amoris .

Ad primum ergo dicendum , quod non est necessarium procedere in divinis processionibus in infinitum . Processio enim quæ est ad intra in intellectuali natura , terminatur in processione voluntatis .

Ad secundum dicendum , quod quidquid est in Deo , est Deus , ut supra ostensum est (quest. IIII. art. 3. & 4.) quod non contingit in aliis rebus . Et ideo per quamlibet processionem quæ non est ad extra , communicatur divina natura , non autem aliæ naturæ .

Ad tertium dicendum , quod licet in Deo non sit aliud voluntas , & intellectus ; tamen de ratione voluntatis , & intellectus est quod processiones quæ sunt secundum actionem utriusque , se habeant secundum quemdam ordinem . Non enim est processio amoris nisi in ordine ad processionem Verbi . Nihil enim potest voluntate amari , nisi sit in intellectu conceptum . Sicut igitur attenditur quidam ordo Verbi ad principium , a quo procedit , licet in divinis sit eadem substantia intellectus , & conceptio intellectus ; ita licet in Deo sit idem voluntas , & intellectus ; tamen quia de ratione amoris est quod non proce-
dat

(1) Ubi queritur ex professo an unus Deus tantum ; & probatur quod unus quia est sua natura , &c.

(2) Äquivalenter tantum & implicite ubi dicitur ab essentia non distingui , sicut nec intellectus .

(3) Ideo *consolatorios* , ut significat græcum *ταπάκλητος* . Potest & reddi *Advocatus* , ut cap. 2. epist. I. Joan. vers. 1. Sed in eundem sensum reddit , cum sint & *Advocati* vel ex officio esse debeat oppresorum consolatores : Nec legendum ut multi passim legunt *Paracletus* quasi ex græco *ταπάκλητος* , nec vel

ταπάκλητος cum diptongo ut *ταπάκλητος* . Tum quia numquam sic usurpat Scriptura , cum de Spiritu sancto agit : Tum quia sensum vel violentum facit vel prepostorum , vel ambiguum saltem ; & utrolibet modo a Scriptura intentione alienum : Quod propter imperitos vel minus forte advertentes nos superfluum fuit annotare ; cum & hac de re Opusculum integrum Theologus Ecclesiastes ante annos aliquot ediderit , quod & inscripsit *Paracletus* & doctissimus additamentis occasione nata illustravit .

dat nisi a conceptione intellectus, habet ordinis distinctionem processio amoris a processione Verbi in divinis.

A P P E N D I X.

HInc habes primo : quomodo ex ratione ostendas, merito duas in divinis processiones assignari, Jo. 15. 14. Christus enim Jo. 8. dicit, *ego ex Deo processi*. Jo. 15. *Spiritus sanctus procedit a Patre*. Jo. 14. *Alium Paracletum dabit vobis*. Ecce ergo una processio, Jo. 8. 15. Ecce alia, & alia (ergo duæ) Jo. 14. per quarum unam procedit unus, per aliam alias. Secundo habes radicaliter : quomodo ex ratione rejicias hæresim *Dosithei* dicentis, spiritum Dei non esse. Si namque Spiritus sanctus, seu Spiritus Dei non esset, frustra assignaretur processio alia a processione Verbi, & si frustra ista non assignatur (ut verum est) procul dubio Spiritus Dei per ipsam procedens est. Tertio habes etiam radicaliter : quomodo ex ratione monstris hanc rite damnatam ab Innoc. III. Conc. Later. de sum. Trin. & fid. cathol. firmiser, & Gregor. X. in Conc. Lugdunensi, de sum. Trin. & fid. cathol. 16. fidelis, ac devota. Ibi enim Pontifex uterque Romanus Spiritum sanctum esse profitetur. Ab omnibus etiam scripturis de Spiritu sancti existentia mentionem facientibus damnatam intelligimus, hæresim hanc Dosithei. *Quarto*, quomodo ex his vicissim Angelica firmetur conclusio præsens, vides. Nam quoscumque canones Spiritum sanctum esse, & alium esse a filio, ponentes (ut supra fit) pro coniunctione stare, saltem per suppositionem, dicimus, quandoquidem hujusmodi omnes dari duas processiones, ut duas ipsas personas itant, præsupponunt.

A R T I C U L U S IV. 163
Urum processio amoris in divinis sit generatio.

I. diff. XIII. art. 3. & IV. conc. cap. XXIII.

AD quartum sic proceditur. Videlur quod processio amoris in divinis sit generatio. Quod enim procedit (*) in similitudinem (1) naturæ in viventibus, dicitur generatum, & nascens. Sed id quod procedit in divinis per modum amoris, procedit in similitudinem naturæ, alias esset extraneum a natura divina, & sic esset processio ad extra. Ergo quod procedit in divinis per modum amoris, procedit ut genitum, & nascens.

2. Præterea. Sicut similitudo est de ratione verbi, ita est etiam de ratione amoris. Unde dicitur Eccl. XII. 19. quod *omne animal diligit simile sibi*. Si igitur ratione similitudinis verbo procedenti convenit generari, & nasci, videntur etiam quod amori procedenti convenit generari.

3. Præterea. Non est in genere quod non est in aliqua ejus specie. Si igitur in divinis sit quædam processio amoris, oportet quod præter hoc nomen commune habeat aliquod nomen speciale. Sed non est aliud nomen (2) dare nisi generatio. Ergo videntur quod processio amoris in divinis sit generatio.

Sed contra est, quia secundum hoc sequetur quod Spiritus sanctus, qui procedit ut amor, procederet ut genitus, quod est contra illud Athanasii (in suo Symbolo fidei:) *Spiritus sanctus a Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens* (3).

Respondeo dicendum, quod processio amoris in divinis non debet dici generatio. Ad cuius evidentiam sciendum est, quod haec est differentia inter intellectum, & voluntatem, quod intellectus fit in actu per hoc quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem; voluntas autem fit in actu, non per hoc quod aliqua similitudo voliti fit in voluntate, sed ex hoc quod voluntas habet quamdam inclinationem in rem volitam (4). Pro-

(*) *Al. hic & infra in similitudine.*

(1) Impressa passim habent, ut & gothica in similitudine: Sed manuscriptum, *in similitudinem*, ut expressius dicit solet, quia procedit nempe ut sit simile in natura, quod per processum in similitudinem (quasi terminum sui) significantius exprimitur.

(2) Quid scilicet soleat usurpare Scriptura cum divinam processionem insinuat: Spirationis enim no-

men in Scriptura nullibi usurpatum hoc seculu repertur.

(3) Ut videre est in Symbolo quod ab illo editum Ecclesia recipit & usurpat; quamvis Antericitici contradicunt, ut expressius in 2. 2. notabitur ubi agetur de Symbolis quest. 1. art. 10. ex professo.

(4) Non repugnat quod articulo præcedenti dictum est per amoris processionem amatum esse in amante: Id enim non per modum assimilationis amati ad

Processio igitur quæ attenditur secundum rationem intellectus, est secundum rationem similitudinis; & intantum potest habere rationem generationis, quia omne generans generat sibi simile. Processio autem quæ attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis, & moventis in aliquid.

Et ideo quod procedit in divinis per modum amoris, non procedit ut genitum, vel ut filius, sed magis procedit ut spiritus: quo nomine quazdam vitalis motio, & impulsio designatur, prout aliquis ex amore dicitur moveri, vel impelli ad aliquid faciendum.

Ad primum ergo dicendum, quod quidquid est in divinis, est unum cum divina natura. Unde ex parte hujus unitatis non potest accipi propria ratio hujus processionis, vel illius, secundum quam una distinguitur ab aliis; sed oportet quod propria ratio hujus, vel illius processionis accipiat secundum ordinem unius processionis ad aliam. Hujusmodi autem ordo attenditur secundum rationem voluntatis, & intellectus. Unde secundum horum propriam rationem fortitur in divinis nomen utraque processio, quod imponitur ad propriam rationem rei significandam: & inde est quod procedens per modum amoris & divinam naturam accipit, & tamen non dicitur natum.

Ad secundum dicendum, quod similitudo alter pertinet ad verbum, & aliter ad amorem: nam ad verbum pertinet, inquantum ipsum est quazdam similitudo rei intellectus, sicut genitum est similitudo generantis; sed ad amorem pertinet, non quod ipse amor sit similitudo, sed inquantum similitudo est principium amandi. Unde non sequitur quod amor sit genitus, sed quod genitum sit principium amoris.

Ad tertium dicendum, quod Deum nominare non possumus nisi ex creaturis, ut dictum est supra (quæst. xiiii. art. i.) Et quia in creaturis communicatio naturæ non est nisi per generationem, processio in divinis non habet proprium, vel speciale nomen, nisi

generationis. Unde processio quæ non est generatio, remansit sine speciali nomine; sed potest nominari spiratio, quia est processio spiritus.

A P P E N D I X.

Hinc habes primo: quomodo ex ratione ostendas, jure in Symbolo S. Athanasii (hoc tamquam regula fidei censetur a Concilio Florentino, in Decretis super unione Jacobinorum, & Armenorum, ibi: *Sexto concordiosem illam fiduci regulam per beatissimum Athanasium ipsius prebemus, videlicet: Qui-cunque vult salvus esse, &c.*) de Spiritu sancto dici, quod non est genitus, sed procedens. Item a Concilio Toletano primo in assertione fidei contra Priscillianistas ibi: *Ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus, sed a Patre Filioque procedens.* Hec ibi. Ab his enim patribus sic dicentibus insinuatur, quod processio amoris, seu Spiritus sancti, non debet dici generatio, & ideo probatio conclusionis articuli potest adversari ostendere, ab eis esse de Spiritu sancto sic recte dictum. Secundo illa ratione potes etiam rejicere Calvinum irrationaliter credere nolentem symbolo Athanasii (Prat. Trinitarii.) Item Petrum Statorium, & Georgium Brandata illud symbolum, non Athanasii, sed Satanæ plusquam injuriose dicentes (Prat. Lucas Sternberger,) licet in Catholicæ Ecclesiæ cantari soleat. Item Valentiniæ blasphemæ dicentes, symbolum Athanasii esse sophisticum, quod quarum inducat Deum; & sacrilegum, quod solvat Christum. Tertio yides: quomodo &c.

A R-

ti ad amandum, sed per inclinationem amantis ad amatum intelligitur, ut quæst. 37. art. x. expressius patebit: Unde nulla ratio congruentior cur Spiritus sanctus non generetur, quidquid aliqui contradicunt: Quia nimis est si Spiritus sanctus ex via processionis *ut divina est*, sit similis; ex vi processionis tamen ut *simpliciter processio voluntatis est*, non est similis: Adeo *ut similitudo in natura quam*

ex processione habet ut divina est, sit veluti differentia per accidentem & extranea processionis prout voluntatis est. At utrolibet modo similis est Filius: Ita ut ejus in natura similitudo propter processionem *ut divina est*, quasi differentia per se in illam cadat *ut processio intelligentia est*, &c. Sed hanc plenius in Selectis.

ARTICULUS V. 164

Utrum sint plures processiones in divinis quam duas.

Inf. quest. xxviii. art. 4. corp. & quest. xxxvii. art. 1. corp. & quest. xi. art. 6. corp. & pot. quest. x. art. 2. arg. Sed contr.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod sunt plures processiones in divinis quam duas. Sicut enim scientia, & voluntas attribuitur Deo, ita & potentia. Si igitur secundum intellectum, & voluntatem accipiuntur in Deo duas processiones, videtur quod tertia sit accipienda secundum potentiam.

2. Præterea. Bonitas maxime videtur esse principium processionis, cum bonum dicatur diffusivum cuius esse (1). Videtur igitur quod secundum bonitatem aliqua processio in divinis accipi debat.

3. Præterea. Major est secunditatis virtus in Deo quam in nobis. Sed in nobis non est tantum una processio verbi, sed multæ: quia ex uno verbo in nobis procedit aliud verbum, & similiter ex uno amore aliis amor. Ergo & in Deo sunt plures processiones quam duas.

Sed contra est quod in Deo non sunt nisi duo procedentes, scilicet Filius, & Spiritus sanctus (2). Ergo sunt ibi tantum duas processiones.

Respondeo dicendum, quod processiones in divinis accipi non possunt nisi secundum actiones quæ in agente manent. Hujusmodi autem actiones in natura intellectuali, & divina non sunt nisi duas, scilicet intelligere, & velle. Nam sentire, quod etiam videtur esse operatio in sentiente, est extra naturam intellectualis, neque totaliter est remotum a genere actionum quæ sunt ad extra: nam sentire perficitur per actionem sensibilis insensum. Relinquitur igitur quod nulla alia processio possit esse in Deo nisi verbi, & amoris.

Ad primum ergo dicendum, quod potest summa. S.T.B. T.I.

(1) Colligitur ex lib. de divinis nominibus cap. 4. §. 1. 4. 10. ut quest. 5. art. 4. argum. a. ad marginem plenius notatum est non de processione tamen quæ vocatur *ad intra* sed *ad extra*.

(2) Nam de Filio quidem iam ostensum est ex Joan. 8. vers. 42. ut art. 1. pater: Ostendi vero potest & de Spiritu sancto ex verbis Christi apud Joan. rursum cap. 15. vers. 26. *Cum veniris Paracletus spiritus veritatis qui a Patre procedit, &c.* Nec alibi quam his duobus locis processio alterutrius eo saltet

tia est principium agendi in aliud (3). Unde secundum potentiam accipitur actio ad extra: & sic secundum attributum potentiae non accipitur processio divinæ personæ, sed solum processio creaturarum.

Ad secundum dicendum, quod bonum, sicut dicit Boetius in Lib. de hebdomadib. (Lib. An omne quod est, bonum sit, circa finem) (4) pertinet ad essentiam, & non ad operationem, nisi forte sicut objectum voluntatis. Unde cum processiones divinas secundum aliquas actiones necesse sit accipere; secundum bonitatem, & hujusmodi alia attributa non accipiuntur alia processiones nisi verbi, & amoris, secundum quod Deus suam essentiam, veritatem, & bonitatem intelligit, & amat.

Ad tertium dicendum, quod, sicut supra habitum est (quest. xiv. art. 5. & quest. xix. art. 5.) Deus uno simplici actu omnia intelligit, & similiter omnia vult. Unde in eo non potest esse processio verbi ex verbo, neque amoris ex amore; sed est in eo solum unum verbum perfectum, & unus amor perfectus; & in hoc ejus perfecta secunditas manifestatur.

APPENDIX.

Hinc habes primo: quomodo ex ratione ostendas, duas tantum personas procedentes merito ponи in divinis & a scripturis sacris, & a symbolo fidei, & ab omnibus legitimis Concilis de hoc tractantibus. Si enim duas tantum sunt processiones ibi, quarum utravis persona producitur perfectissima in summo, patet, quod ibi duo tantum procedentes sunt. Secundo habes: quomodo ex eadem ratione, extensione quadam proportionali, intelligas contrariam sententiam (quod scilicet sunt plures processiones, quam duas) esse damnatum, *de Jum. Trin. & fid. catol. Damnamus*. Ibi enim Papa Innoc. in Concilio abhorret in divinis quaternitatem, quæ deducitur ex trinitate personarum, & re absolute extra personas. Ergo a simili detestatur Ll quæ-

nomine designatur.

(3) Sic de activa tantum lib. 5. Metaph. text. 17. vel cap. 12. ubi passiva quoque per oppositum definitur.

(4) Sic autem ibi: *Bonum esse ad essentiam, Justum vero ad actum respicit: Ex quo infert quod non est idem nobis bonos esse quod iustos, quia nec nobis est idem esse quod agere: Deo autem idem est: Unde non per aliud habet ut sit secundum essentiam, & sit principium agendi, &c.*

quaternitatem, quæ aliunde veniret. Conclusionem enim istam, scilicet quaternitas datur in divinis, condemnat universaliter, licet hanc ex materia, quam ibi tractat, Abbatis Joachim specialiter tunc resultari ostendat. Quis modo nesciat, quaternitatem divinarum personarum dari, si plures sint processiones duabus? Tertio vides: quomodo &c.

QUÆSTIO VIGESIMA OCTAVA.

De relationibus divinis,

In quatuor articulos divisa.

DEINDE considerandum est de relationibus divinis: & circa hoc queruntur quatuor.

Primo, utrum in Deo sint aliquæ relationes reales.

Secundo, utrum illæ relationes sint ipsa essentia divina, vel sint extrinsecus affixæ.

Tertio, utrum possint esse in Deo plures relationes realiter distinctæ ab invicem.

Quarto de numero harum relationum.

A R T I C U L U S I. 165

Utrum in Deo sint aliquæ relationes reales.

I. *diss. xxvi. quest. ii. art. 1. & diss. xxxiii. art. 1. in corp. & IV. cont. cap. xiv. & pot. quest. ii. art. 6. corp. & quest. viii. art. 1. & opusc. ii. cap. lll.*

AD primum sic proceditur. Videtur quod in Deo non sint aliquæ relationes reales. Dicit enim Boetius in Libro de Trinit. (in med.) quod *cum quis predicatione in divinam veritatem predicationem, cuncta mutantur in substantiam, que predicari possunt; ad aliquid vero oratione non potest predicari.* Sed quidquid est realiter in Deo, de ipso predicari potest. Ergo relatio non est realiter in Deo.

2. Præterea. Dicit Boetius in eod. Libr. (circa finem) quod *similis est relatio in Tri-*

nitate Patris ad Filium, & utriusque ad Spiritum sanctum, ut ejus quod est idem ad id quod est idem (1). Sed hujusmodi relatio est rationis tantum, quia omnis relatio realis exigit duo extrema realiter. Ergo relationes quæ ponuntur in divinis, non sunt reales relationes, sed rationis tantum.

3. Præterea. Relatio paternitatis est relatio principiū. Sed cum dicitur, Deus est principium creaturarum, non importatur aliqua relatio realis, sed rationis tantum. Ergo nec paternitas in divinis est relatio realis, & eadem ratione nec aliae relationes quæ ponuntur ibi.

4. Præterea. Generatio in divinis est secundum intelligibilis verbi processionem. Sed relationes, quæ consequuntur operationem intellectus, sunt relations rationis. Ergo paternitas, & filiatio, quæ dicuntur in divinis secundum generationem, sunt relations rationis tantum.

Sed contra est quod pater non dicitur nisi a paternitate, & filius a filiatione. Si igitur paternitas, & filiatio non sunt in Deo realiter, sequitur quod Deus non sit realiter pater, aut filius, sed secundum rationem intelligentiæ tantum: quod est heresis Sabelliana (2).

Respondeo dicendum, quod relationes quædam sunt in divinis realiter.

Ad cuius evidentiam considerandum est, quod solum in his quæ dicuntur ad aliquid, inveniuntur aliqua secundum rationem tantum, & non secundum rem: quod non est in aliis generibus: quia alia genera, ut quantitas, & qualitas, secundum propriam rationem significant aliquid alicui inherens. Ea vero quæ dicuntur ad aliquid, significant secundum propriam rationem solum respectum ad aliud. Qui quidem respectus aliquando est in ipsa natura rerum, utpote quando aliqua res secundum suam naturam ad invicem ordinata sunt, & invicem inclinationem habent: & hujusmodi relations oportet esse reales; sicut in corpore gravi est inclinatio, & ordo ad locum medium: unde respectus qui-

(1) Ut videre est lib. i. sub finem: Superior autem appendix paulo alter circa medium ejus libri habetur: Nempe quod eum sint decem Prædicamenta, pars eorum in predicatione reliquarum rerum substantiarum est, pars in accidentium numero est: At bsc cum quis in divinam veritatem predicationem, cuncta mutantur qua predicari possunt; ad aliquid vero omnino non potest predicari: Nam substantia in illo non est vera substantia, &c.

(2) Quæ scilicet secundum off Patrem, Filium &

Spiritum Sanctum asserebat; ut notat Augustinus lib. de hereticis, heresi 41. ubi sicut *Sabellianos a Sabellio dictos referit, sic & Noesianos a Noete quem sequutus est Sabellius: itemque *Præteanos etiam a Prætea, & Hermogenianos ab Hermogenie;* quorum uterque illum errorem amplexus est: Sed celebrius a Sabellio ut a familiore nominatos fuisse addit: Imo & *Patripassianos* quod Patrem passum esse non minus quam Filium ex consequenti affirmarent, quatenus eum non distinguebant a Filio,*

quidam est in ipso gravi respectu loci medii : & similiter est de aliis hujusmodi . Aliquando vero respectus significatus per ea quæ dicuntur ad aliquid , est tantum in ipsa apprehensione rationis conferentis unum alteri ; & tunc est relatio rationis tantum ; sicut cum comparat ratio hominem animali ut speciem ad genus .

Cum autem aliquid procedit a principio ejusdem naturæ , necesse est quod ambo , scilicet procedens , & id a quo procedit , in eodem ordine convenient ; & sic oportet quod habeant reales respectus ad invicem . Cum igitur processiones in divinis sint in identitate (1) naturæ , ut ostensum est (quæst. præced. art. 2. & 4.) necesse est quod relationes quæ secundum processiones divinas accipiuntur , sint relationes reales .

Ad primum ergo dicendum , quod *ad aliquid* dicitur omnino non prædicari in Deo secundum propriam rationem ejus quod dicitur ad aliquid , in quantum scilicet propria ratio ejus quod ad aliquid dicitur , non accipitur per comparisonem ad illud cui inest relatio , sed per respectum ad alterum (2) . Non autem per hoc excludere voluit quod relatio non esset in Deo , sed quod non prædicaretur per modum inhærentis secundum propriam relationis rationem , sed magis per modum ad aliud se habentis .

Ad secundum dicendum , quod relatio quæ importatur per hoc nomen *idem* , est relatio rationis tantum , si accipiatur simpliciter idem : quia hujusmodi relatio non potest consistere nisi in quodam ordine , quem ratio adinvenit alicujus ad se ipsum secundum aliquas ejus duas considerationes . Secus autem est , cum dicuntur aliqua eadem esse non in numero , sed in natura generis , sive speciei . Boetius igitur relationes quæ sunt in divinis , assimilat relationi identitatis , non quantum ad omnia , sed quantum ad hoc solum quod per hujusmodi relationes non diversificatur substantia , sicut nec per relationem identitatis .

Ad tertium dicendum , quod cum creatura

procedat a Deo in diversitate naturæ , (3) Deus est extra ordinem totius creaturæ , nec ex ejus natura est ejus habitudo ad creaturas : non enim producit creaturas ex necessitate suæ naturæ , sed per intellectum , & per voluntatem , ut supra dictum est (quæst. xix. art. 3. & 4. & quæst. xiv. art. 8.) (4) Et ideo in Deo non est realis relatio ad creaturas , sed in creaturæ est realis relatio ad Deum : quia creaturæ continentur sub ordine divino , & in earum natura est quod dependeant a Deo . Sed processiones divinae sunt in eadem natura . Unde non est similis ratio .

Ad quartum dicendum , quod relationes quæ consequuntur solam operationem intellectus , in ipsis rebus intellectis sunt relationes rationis tantum , quia scilicet eas ratio advenit inter duas res intellectas . Sed relationes quæ consequuntur operationem intellectus , (*) quæ sunt inter verbum intellectualiter procedens , & illud a quo procedit , non sunt relationes rationis tantum , sed rei : quia & ipse intellectus , & ratio est quædam res ; & comparatur realiter (5) ad id quod procedit intelligibiliter , sicut res corporalis ad id quod procedit corporaliter . Et sic paternitas , & filiatio sunt relationes reales in divinis .

A P P E N D I X.

Hinc habes primo : quomodo ex ratione , tamquam in radice , confundas hæresim Sabellii impie dicentis , quod una persona sunt Pater , Filius , & Spiritus sanctus , nec differunt realiter personaliter . Nam cum Pater sit paternitate Pater , Filius filiatione , Spiritus sanctus processione ; si paternitas , filiatio , processio sunt relationes reales ; patet , quod Pater , Filius , & Spiritus sanctus sunt personæ realiter distinctæ . Sicut e converso hæresis illa Sabelliana sequeretur : si negaretur articuli conclusio , idest , quod relationes ipsæ sint reales . Secundo habes : quomodo ex ratione , tamquam in radice ostendas , hæresim prædictam jure esse damnatam a symbolo Athanasii compendiosa regula fidei ,

L 1 2 . . . dei,

cessionis .

(1) *Vel in identitatem* , sicut jam supra in *similitudinem* , ut ad id processio intelligatur terminari .

(2) Id est , non secundum *esse in* (ut Scholastici loqui solent) sed secundum *esse ad* : quia *esse in* generica ratio est quæ omni accidenti convenient , adeoque relationi prout precise accidentis est ; *esse ad* autem specifica ratio quæ convenient eidem prout est speciale accidentis ab aliis distinctum quæ ceteras categoricas constituant .

(3) *Seu in diversitatem q: a: terminum ipsum pro-*

cessioneum quantum ad intellectum vel scientiam ; & quæst. 19. art. 3. quoad exclusionem necessitatis ; & art. 4. quoad modum agendi per voluntatem non per naturæ necessitatem , &c.

(*) *Al. & quæ.*

(5) Non sic autem etiam ad id quod simpliciter intelligitur , vel quod operationis intellective objectum est .

dei , supra qu. 27. art. 4. dicente : *Alia est persona Patris , alia Filiis , alia Spiritus sancti . Item a Papa Innocentio sic . Hec sancta Trinitas secundum communem essentiam individua : & secundum proprietates , idest relationes personales discrete . Hec in de summa Trin. & fid. cathol. firmiter . Item a Concilio Toletano xi. can. i. sic . In relativis personarum nominibus Pater ad Filium , Filius ad Patrem , & Spiritus sanctus ad utrosque refertur : que , cum relative tres personae dicantur , una tantum substantia creditur . Hec ibi . Item a Concilio Florentino , de processione Spiritus sancti . In divinis omnia sunt unum , ubi non obviat relationis oppositio . Hec ibi . Item ab omnibus aliis de hac re tractantibus . Terio vides : quomodo &c.*

ARTICULUS II. 166

Utrum relatio in Deo sit idem quod sua essentia .

I. dist. XXXIIII. art. 1. & IV. con. cap. XIV. & pot. quest. VIII. art. 2. & quol. VI. art. 1. & op. II. cap. III. LV. & LVII. & opusc. IX. quest. VI. & Jo. XVI. let. 4. fin.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod relatio in Deo non sit idem quod sua essentia . Dicit enim Augustinus in V. de Trin. (cap. v. in princ.) quod non omne quod dicitur in Deo , dicitur secundum substantiam : dicitur enim ad aliquid , sicut pater ad filium . Sed hæc non secundum substantiam dicuntur. Ergo relatio non est divina essentia .

2. Præterea . Augustinus dicit VII. de Trinit. (cap. 1. a med.) *Omnis res que relativa dicitur , est etiam aliquid excepto relativo (1) ; sicut homo dominus , & homo servus . Si igitur relationes aliquæ sunt in Deo , oportet esse in Deo aliiquid aliud præter relationes . Sed hoc aliud non potest esse nisi essentia . Ergo essentia est aliud a relationibus .*

3. Præterea . Esse relativi est ad aliud se

habere , ut dicitur in Prædicamentis (2) (in cap. ad aliquid). Si igitur relatio sit ipsa divina essentia , sequitur quod esse divina essentia sit ad aliud se habere ; quod repugnat perfectioni divini esse , quod est maxime absolutum , & per se subsistens , ut supra ostensum est (quest. IIII. art. 4. (3) & quest. IV. art. 2.) Non igitur relatio est ipsa essentia divina .

Sed contra . Omnis res quæ non est divina essentia , est creatura . Sed relatio realiter competit Deo . Si ergo non est divina essentia , erit creatura ; & ita ei non erit adoratio latræ exhibenda , contra quod in Præfatione (4) cantatur : *Ut in personis proprietas , & in essentia unitas , & in maiestate adoretur equalitas .*

Respondeo dicendum , quod circa hoc dicitur Gilbertus Porretanus errasse , sed errorem suum postmodum in Rhemensi Concilio (5) revocasse . Dixit enim , quod relations in divinis sunt assilentes , sive extrinsecus affixæ .

Ad cujus evidentiam considerandum est , quod in quolibet novem generum accidentis est duo considerare . Quorum unum est esse , quod competit unicuique ipsorum , secundum quod est accidens ; & hoc communiter in omnibus est inesse subiecto , accidentis enim esse est inesse . Aliud quod potest considerari in unoquoque , est propria ratio uniuscujusque illorum generum . Et in aliis quidem generibus a relatione , utpote quantitate , & qualitate , etiam propria ratio generis accipitur secundum comparationem ad subiectum : nam quantitas dicitur mensura substantiaz , qualitas vero dispositio substantiaz . Sed ratio propria relationis non accipitur secundum comparationem ad illud in quo est , sed secundum comparationem ad aliquid extra .

Si igitur consideremus etiam in rebus creatis relations secundum id quod relations sunt , sic inveniuntur esse assilentes , non intrinsecus affixæ , quasi significantes respectum quodammodo contingentem ipsam rem relatam , prout ab ea tendit in alterum . Si vero con-

(1) Hoc est , habet aliquod esse præter ipsam relationem , vel præter esse relativum .

(2) Ubi etiam aliosius esse dicitur cap. de ad aliquid .

(3) Ubi ab essentia non distinguuntur probatur ; quod quest. 4. art. 2. refutatur .

(4) Neque de Trinit. inter novem Præfationes a Pelagio Papa II. recentias , quas longa retro versus (inquit) in Ecclesia Romana obseruavit ; Dist. 1. de consecrat. in Decretis cap. Invenimus .

(5) Sub Eugenio III. personaliter præsidente , ut

testatur Gauffredus Abbas qui cum sancto Bernardo acerrime contra Gilbertum ipsum disceptante adiuit : Sic enim tandem loquuntur esse Gilbertum refert : *Si vos ita creditis , ita credo : Si vos ita dicitis , ita dico : Si vos ita scribitis ; ita scribo :* Fuit autem Gilbertus Episcopus Pictaviensis & a duobus Archidiaconis Ecclesiaz suis propter suos errores accusatus , quorum hic unus fuit , relationes non esse personas ; ut videre est tom. 3. Concil. parte 2. dict. 2. & hoc ipsum est relationes accidentales ac extrinsecus officiales esse , ut hic .

ro consideretur relatio , secundum quod est accidentis , sic est inhærens subjecto , & habens esse accidentale in ipso .

Sed Gilbertus Porretanus consideravit relationem primo modo tantum .

Quidquid autem in rebus creatis habet esse accidentale , secundum quod transfertur in Deum , habet esse substantiale : nihil enim est in Deo ut accidens in subjecto ; sed quidquid est in Deo , est ejus essentia . Sic igitur ex ea parte qua relatio in rebus creatis habet esse accidentale in subjecto , relatio realiter existens in Deo habet esse essentiaz divinæ , idem omnino ei existens . In hoc vero quod ad aliud dicitur , non significatur aliqua habitudo ad essentiam , sed magis ad suum oppositum (1) . Et sic manifestum est quod relatio realiter existens in Deo est idem essentiaz secundum rem , & non differt nisi secundum intelligentiaz rationem , prout in relatione importatur respectus ad suum oppositum , qui non importatur in nomine essentiaz . Patet ergo quod in Deo non est aliud esse relationis , & esseptiaz , sed unum & idem .

Ad primum ergo dicendum , quod verba illa Augustini (2) non pertinent ad hoc quod paternitas , vel alia relatio , quæ est in Deo secundum esse suum , non sit idem quod divina essentia ; sed quod non prædicatur secundum modum substantiaz , ut existens in eo de quo dicitur , sed ut ad alterum se habens . Et propter hoc dicuntur duo tantum esse prædicamenta in divinis : quia alia prædicamenta important habitudinem ad id de quo dicuntur , tam secundum suum esse , quam secundum proprii generis rationem . Nihil autem quod est in Deo , potest habere habitudinem ad id in quo est , vel de quo dicitur , nisi habitudinem identitatis propter summam Dei simplicitatem .

Ad secundum dicendum , quod sicut in rebus creatis , in illo quod dicitur relative , non solum est invenire respectum ad alterum , sed etiam aliud absolutum : ita & in Deo ; sed tamen aliter , & aliter . Nam id quod invenitur in creatura præter id quod contine-

tur sub significatione nominis relativi , est alia res ; in Deo autem non est alia res , sed una & eadem : quæ non perfecte exprimitur relationis nomine quasi sub significatione talis nominis comprehensa . Dicatum est enim supra (quæst . xiiii . per totam , & art . 2. præcipue) cum de divinis nominibus agebatur , quod plus continetur in perfectione divinæ essentiaz quam aliquo nomine significari possit . Unde non sequitur quod in Deo præter relationem sit aliud aliud secundum rem , sed solum considerata nominum ratione (3) .

Ad tertium dicendum , quod si in perfectione divina nihil plus contineretur quam quod significat nomen relativum , sequeretur quod esse ejus esset imperfectum , utpote ad aliud aliud se habens ; sicut si non contineretur ibi plus quam quod nomine sapientiaz significatur , non esset aliud subsistens . Sed quia divina essentiaz perfectio est major quam quod significatione alicujus nominis comprehendendi possit ; non sequitur , si nomen relativum , vel quocumque aliud nomen dictum de Deo non significat aliud perfectum (4) , quod divina essentia habeat esse imperfectum : quia divina essentia comprehendit in se omnium generum perfectionem , ut supra dictum est (quæst . iv . art . 2.)

A P P E N D I X .

Hinc habes primo : quomodo ex ratione convincas hæresim *Gilberti cognomento Porretani* natione Galli , ab eo tamen revocatam , dicentem : Relationes in divinis esse tantum assistentes , sive extrinsecus affixas . Unde secundum ejus dictum relationes realiter in Deo existentes non erant idem secundum rem , quod ipsa essentia . Secundo habes : quomodo ex eadem ratione ostendas , hanc juste damnatam fuisse a Concilio *Rhenensi* definitæ , quod relationes realiter in Deo existentes sunt idem secundum rem cum ipsa essentia . Item virtualiter a Concilio *Florentino* approbante illud Theologorum : quod scilicet in divinis omnia sunt unum , ubi

(1) Non ad oppositum essentiaz , quod nullum esse potest ; sed ad oppositum relationis .

(2) Quæ sic pleniū habent ; In Deo n̄t̄l quidem secundum accidens dicitur , nec tamen omne quod dicitur secundum substantiam dicitur : Dicitur enim ad aliud sicut Pater ad Filium ; & Filius ad Patrem , quod non est accidens , quia & ille semper Pater , & iſſe semper Filius , &c. Et interius : Quamobrem quamvis diversum sit Patrem esse & Filium esse , non est tamen diverse substantia ; quia

hec non secundum substantiam dicuntur , sed secundum relativum ; quod tamen relativum non est accidens , quia non est mutabile .

(3) Sive aliud secundum solam considerationem qua nomina inter se distinguuntur ; quia nomen relationis dicit aliud secundum se quod essentia nomine non continetur .

(4) Quantum ad modum ipsum significandi ex propria nominis ratione .

ubi non obviat relationis oppositio. Cum igitur relatio non opponatur essentia divina (ut patet) sequitur, quod Concilium Florentinum per hoc illam hæresim damnavit. Sequentes igitur propositiones differunt in veritate, & falsitate. Videlicet, hæc propo-
sitio: Paternitas non est filatio, est vera,
hæc autem: essentia non est filatio, est fal-
sa. Item ista: Paternitas opponitur filiationi, est vera, & ista; essentia opponitur filiationi, est falsa. Oportet igitur esse ali-
quam distinctionem inter essentiam, & rela-
tiones hujusmodi: non realem, cum hoc sit
contra Ecclesiam, ergo secundum rationis in-
telligentiam, idest, secundum modum signi-
ficandi terminorum, ut in corpore articulis.
Tertio vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S III. 167

*Utrum relationes que sunt in Deo, realiter
ab invicem distinguantur.*

*Inf. quest. xxx. artic. 1. cor. & 2. cor. & pos.
quest. II. art. 5. & 6. cor.*

AD tertium sic proceditur. Videtur quod relationes que sunt in Deo, realiter ab invicem non distinguantur. Quæcumque enim uni & eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem (1). Sed omnis relatio in Deo existens est idem secundum rem cum divina essentia. Ergo relationes secundum rem ab invicem non distinguuntur.

2. Præterea. Sicut paternitas, & filatio secundum nominis rationem distinguuntur ab essentia divina, ita & bonitas, & potentia. Sed propter hujusmodi rationis distinctionem non est aliqua realis distinctio bonitatis, & potentiarum divinarum. Ergo neque paternitatis, & filiationis.

3. Præterea. In divinis non est distinctio realis, nisi secundum originem (2). Sed una relatio non videtur oriiri ex alia. Ergo relationes non distinguuntur realiter ab invicem.

Sed contra est quod dicit Boetius in Libr.

de Trinit. (non multum a fine Libr.) quod *substantia in divinis continet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem.* Si ergo relationes non distinguuntur ab invicem realiter, non erit in divinis trinitas realis, sed rationis tan-
tum: quod est Sabelliani erroris (3).

Respondeo dicendum, quod ex eo quod aliquid alicui attribuitur, oportet quod attribuantur ei omnia quæ sunt de ratione illius. Sicut cuicunque attribuitur homo, o-
portet quod attribuatur & esse rationale. De ratione autem relationis est respectus u-
nius ad alterum, secundum quem aliquid al-
teri opponitur relative. Cum igitur in Deo realiter sit relatio, ut dictum est (artic. 1.
hujus quæst.) oportet quod realiter sit ibi oppositio. Relativa autem oppositio in sui ratione includit distinctionem. Unde oportet quod in Deo sit realis distinctio, non quidem secundum rem absolutam, quæ est essen-
tia, in qua est summa unitas, & simplicitas, sed secundum rem relativam.

Ad primum ergo dicendum, quod secun-
dum Philosophum in III. Physic. (text. 21.) (4) argumentum illud tenet, quod quæcumque uni & eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem, in his quæ sunt idem re, & ratione, sicut tunica & indumentum; non autem in his quæ differunt ratione. Unde ibidem dicit, quod licet actio sit idem motus, similiter & passio; non tamen sequitur quod actio, & passio sint idem: quia in actione importatur respectus, ut a quo est motus in mobili, in passione vero, ut qui est ab alio. Et similiter licet paternitas sit idem secundum rem cum essentia divina, & similiter filatio; tamen hæc duo in suis propriis rationibus important oppositos res-
pectus. Unde distinguuntur ab invicem.

Ad secundum dicendum, quod potentia, & bonitas non important in suis rationibus aliquam oppositionem. Unde non est similis ratio.

Ad tertium dicendum, quod quamvis re-
lations, proprie loquendo, non orientur, vel procedant ab invicem, tamen accipiun-
tur

(1) Ex vulgari axiomate philosophico quod ex libro 7. Topicorum cap. 1. colligi potest, præter id quod in responsione notabitur.

(2) Vel secundum unum ab alio processionem, quia non potest idem esse procedens, & id a quo procedit, nec procedere quidquid a seipso.

(3) Nominibus dumtaxat vel secundum habitu-
nem quamdam personas distinguuntur, ut superius notatum est; ubi additum quoque juxta notationem Augustini cur error ille nomen a Sabellio haberet,

qui tamen primus author non fuit, sed Noetus quem sequutus est Sabellius.

(4) Vel cap. 3. græco lat. ubi *vestis & indumenta* (five λοτίς καὶ ϕαντίς, αμιλτός & *vestitus*) exemplum ad id insinuandum usurpat: Ut & ad ostendendum quod non tenet in his quæ ratione distinguuntur, usurpat exemplum viæ quæ non ea-
dem ab Athenis ad Thebas, & a Thebis vicissim ad Athenas quantum ad rationem, licet eadem secun-
dum rem; ut sursum infra.

*Cur per oppositum secundum processionem
alicuius ab alio.*

A P P E N D I X.

Hinc habes primo: quomodo per rationem convincas tamquam in radice hæresim Sabellianam dicentem, quod in divinis Trinitas est rationis, non realis. Si enim relationes istæ oppositæ, de quibus articulus loquitur, realiter distinguuntur, utique & Trinitas, quæ secundum Boetium multiplicatur per hujusmodi relations, distingueatur realiter hoc est, pater, & filius, & Spiritus sanctus a se invicem distinguuntur realiter. Quemadmodum e converso; si non distinguenter realiter relationes hujusmodi; sequeretur prædicta hæresis: quod scilicet Trinitas ibi non esset realis. Secundo habes: quomodo ex eadem ratione ostendas, hanc justæ fuisse damnatam a Concilio primo Niceno, & a Concilio Romano sub S. Sylvester Papæ: dum ambo ipsa damnaverunt Sabellium, ut in summa Conciliorum. Augustinus enim in de fide catholica inquit: *Quomodo poterunt capitula illa recipi, quorum (in aliqua scilicet legitima Synodo, ut patet ibi per contextum) damnantur authores?* Damnatus igitur error in authore suo intelligitur. Tercio vides: quomodo ex his vicissim firmetur conclusio.

ARTICULUS IV. 168

*Utrum in Deo sint tantum quatuor relationes reales,
scilicet paternitas, filiatio, spiratio & processio.*

Inf. qu. XXX art. 1. corp. & art. 2. corp. & ad 1.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod in Deo non sint tantum quatuor relations reales, scilicet paternitas, filiatio, spiratio, & processio. Est enim considerare in Deo relations intelligentis ad intellectum, & volentis ad volitum; quæ videntur esse relations reales, neque sùb prædictis continentur. Non ergo sunt solum qua-

tuor relations reales in Deo.

2. Præterea. Relationes reales accipiuntur in Deo secundum processionem intelligibilem verbi. Sed rationes intelligibiles multiplicantur in infinitum, ut Avicenna dicit. (1) Ergo in Deo sunt infinitæ relations reales.

3. Præterea. Ideæ sunt in Deo ab æterno, ut supra dictum est (quest. xv. art. 1.) non autem distinguuntur ab invicem, nisi secundum respectum ad res, ut supra dictum est (art. 2. eiusd. quest.) Ergo in Deo sunt multo plures relations æternæ.

4. Præterea. Equalitas, & similitudo, & identitas sunt relations quædam, & sunt in Deo ab æterno. Ergo plures relations sunt ab æterno in Deo quam quæ dictæ sunt.

5. Sed contra videtur quod sint pauciores. Quia secundum Philosophum in III. Physic. (tex. 21.) *Eadem via est de Athenis ad Thebas, & de Thebis ad Athenas.* Ergo videtur quod pari ratione eadem sit relatio de patre ad filium, quæ dicitur paternitas, & de filio ad patrem quæ dicitur filiatio; & sic non sunt quatuor relations in Deo. (2)

Respondeo dicendum, quod secundum Philosophum in V. Metaph. (text. 20.) relatio omnis fundatur vel supra quantitatem, ut duplum, & dimidium; vel supra actionem, & passionem, ut faciens, & factum, pater, & filius, dominus, & servus, & hujusmodi. Cum autem quantitas non sit in Deo: est enim sine quantitate magnus, ut dicit Augustinus (Lib. I. de Trinit. cap. 1. circa fin. & Lib. VI. cap. viii. circa princ.) (3) relinquitur quod realis relatio in Deo esse non possit, nisi super actionem fundata. Non autem super actiones secundum quas procedit aliquid extrinsecum a Deo: quia relations Dei ad creaturas non sunt realiter in ipso, ut supra dictum est (quest. xiii. ar. 7.) Unde relinquitur quod relations in Deo non possunt accipi nisi secundum actiones secundum quas est processio in Deo non extra, sed intra. Hujusmodi autem processiones sunt duas tantum, ut supra dictum est (quest.

(1) Non est ad manum ubi dicat; an in Logicam, an in Metaphysicam, an de anima vel in sexto Naturalium, quæ recenteri ab illo scripta solent: Quis autem ipse professione vel patria jam superior ad art. 4. septimæ questionis diximus ex Gesnero.

(2) Per modum argumenti dumtaxat, non per modum probationis id concludit quasi afferat: Unde

hoc argumentum solvit quinto loco, & contrarium in corpore articuli refutavit.

(3) Ubi de quantitate molis non virtutis loquitur: Alioqui quomodo magnus, nisi haec ipsa magnitudo quædam quantitas virtutis est? quæ per analogiam ad quantitatem molis vel corpoream sic vocatur.

(quæst. xvii. art. 3. præcipue :) quarum una accipitur secundum actionem intellectus, quæ est processio verbi ; alia secundum actionem voluntatis, quæ est processio amoris. Secundum quamlibet autem processionem oportet duas accipere relationes oppositas, quarum una sit procedentis a principio, & alia ipsius principii. Processio autem verbi dicitur generatio secundum propriam rationem, qua competit rebus viventibus. (1) Relatio autem principii generationis in viventibus perfectis dicitur paternitas ; relatio vero procedentis a principio dicitur filiatio. Processio vero amoris non habet nomen proprium, ut supra dictum est (quæst. xxvii. art. 4.) unde neque relationes quæ secundum ipsam accipiuntur. (2) Sed vocatur relatio principii huius processionis spiratio ; relatio autem procedentis processio : quamvis hæc duo nomina ad ipsas processiones, vel origines pertineant, & non ad relationes.

Ad primum ergo dicendum, quod in his in quibus (*) differunt intellectus, & intellectum, volens, & volitum, potest esse realis relatio & scientia rem scitam, & voluntis ad rem volitam. Sed in Deo est idem omnino intellectus, & intellectum : quia intelligendo se, intelligit omnia alia ; & eadem ratione voluntas, & volitum. Unde in Deo hujusmodi relationes non sunt reales, sicut neque relatio ejusdem ad idem. Sed tamen relatio ad verbum est realis : quia verbum intelligitur ut procedens per actionem intelligibilem, non autem ut res intellecta. Cum enim intelligimus lapidem, id quod ex re intellecta concipit intellectus, vocatur verbum.

Ad secundum dicendum, quod in nobis relationes intelligibiles in infinitum multiplicantur : quia alio actu intelligit homo lapidem, & alio actu intelligit se intelligere lapidem, & alio etiam intelligit hoc intelligere ; (3) & sic in infinitum multiplicantur actus intelligendi, & per consequens relationes intellectæ. Sed hoc in Deo non habet

locum, quia uno actu tantum omnia intellegit.

Ad tertium dicendum ; quod respectus idealis sunt intellecti a Deo. Unde ex eorum pluralitate non sequitur quod sint plures relationes in Deo, sed quod Deus cognoscat plures relationes.

Ad quartum dicendum, quod æqualitas, & similitudo in Deo non sunt relationes reales, sed rationis tantum, ut infra patet (quæst. lxii. art. 1. ad 4.)

Ad quintum dicendum, quod via est eadem ab uno termino ad alterum, & e converso ; sed tamen respectus sunt diversi. Unde ex hoc non potest concludi, quod eadem sit relatio patris ad filium, & e converso. Sed posset hoc concludi de aliquo absoluto, si esset medium inter ea.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo : quomodo per rationem tamquam in radice convincas haereticos negantes tres personas in divinis realiter inter se distinetas, quarum una, scilicet, Spiritus sanctus procedat a duobus per communem spirationem. Nam si paternitas ibi est, ergo pater : si filiatio, ergo filius : si processio, ergo Spiritus sanctus : si spiratio, ergo pater, & filius unica illa spiratione spirant Spiritum sanctum. Sed de his speciatim haereticis, & de rationibus formaliter, non tantum radicaliter eos conyincentibus, infra q. 30. art. 2. & aliis locis directe contra hos tractantibus de præmissa veritate personarum, &c. (Deo duce) videbimus. Secundo habes : quomodo per rationem radicalem ostendas, quod Concilia omnia tres personas modo supradicto catholico in divinis esse decernentia, illos haereticos juste damnant, & præsentis articuli conclusionem vicissim virtualiter, eam scilicet supponendo, confirmant,

QUE-

(1) Ut sit nimirum processio viventis a principio viæ conjunctio in similitudinem naturæ, sicut supra.

(2) Supple, habens proprium nomen, ut resumendum ex præmissis. Dicuntur autem spiratio & processio ad origines non ad relationes pertinere (ut hic additur) quoad modum significandi, quia nomen spirationis actionem vel passionem significat, indeque spiratio activa vel passiva denominatur ; ut & nomen processionis emanationem dicit : Sed quoad rem significatam & quoad usum vocis ambo nomina illæ relationes notant.

(3) Ita cod. Alcan. Editi differt.

(3) Quia nempe directo actu intelligit lapidem per propriam speciem ejus, impressam sibi & ab ipso immisam ; sed se intelligere lapidem intelligit actu reflexo tantum quasi per quamdam refultantiam primi actus quo lapidem intelligebat ut objectum proprium ac directum : Quamvis aliquo modo duo prædicti actus cognitionis vel intellectus ad eundem referri possint, si unus ut ratio alterius accipiatur (quia ubi unum propter aliud, ibi unum tantum) cum aliqui secundum se considerati sint diversi.

QUESTIO VIGESIMANONA.

*De Personis divinis,**In quatuor articulos divisa.*

PRÆMISSIS autem his quæ de præfessionibus, & relationibus præcognoscenda videbantur, necessarium est aggredi de personis.

Et primo secundum considerationem absolute, & deinde secundum comparativam considerationem. Oportet autem absolute de personis primo quidem in communi considerare, deinde de singulis personis.

Ad communem autem considerationem personarum quatuor pertinere videntur. Primo quidem significatio hujus nominis *persona*. (1) Secundo vero numerus personarum. Tertio ea quæ consequuntur numerum personarum, vel ei opponuntur, ut diversitas, & similitudo, & hujusmodi. Quarto vero ea quæ pertinent ad notitiam personarum.

Circa primum queruntur quatuor.

Primo de definitione personæ.

Secundo de comparatione personæ ad essentiam, substantiam, & hypostasim.

Tertio, utrum nomen personæ competat in divinis.

Quarto, quid ibi significet.

ARTICULUS L 169

De definitione Personæ.

III. P. quest. IL art. 2. cor. & I. dist. XXV. art. 1. & po. quest. IX. art. 1. 2. & de uni. verbi art. 1.

AD primum sic proceditur. Videtur quod incompetens sit definitio personæ quam Boetius assignat in Lib. de duabus natur. Sciam. S.Th. T. L.

(1) Prout usu theologico accipitur ad hypostasim particularem designandam: Non ut interdum qualitatem sive conditionem significat; puta cum quis personam Regis dicatur sustinere; vel cum Ambrosius lib. 2. de fide cap. 4. Filium ex persona hominis dicat esse minorem Patre.

(2) *Prima* nimur dicta, quia primo, immediate, per se, subest accidentibus, vel est existens; adeo ut ea sublate id est non existente universalis non existat nec subest: quæ proinde *secunda* nuncupatur; licet quoad essentiam prima sit, ex cap. de substantia.

(3) Puta ejus quæ dici solet *secunda intencio*, ut consequens naturas rerum prout sunt ab intellectu apprehensionis; sive importans quendam notionem na-

(a principio Lib.) quæ talis est: *Persona est rationalis nature individua substantia*. Nullum enim singulare definitur. Sed persona significat quoddam singulare. Ergo persona inconvenienter definitur.

2. Præterea. Substantia, prout ponitur in definitione personæ, aut sumitur pro substantia prima, aut pro substantia secunda. Si pro substantia prima, superflue additur *individualis*, quia substantia prima est substantia individua: (2) si vero stat pro substantia secunda, falso additur, & est oppositio in adjecto: nam secundæ substantiæ dicuntur genera, vel species. Ergo definitio est male assignata.

3. Præterea. Nomen intentionis non debet poni in definitione rei. Nam enim esset bona assignatio, si quis diceret: Homo est species animalis: homo enim est nomen rei, & species est nomen intentionis. Cum igitur persona sit nomen rei (significat enim substantiam quendam rationalis naturæ;) inconvenienter individuum, quod est nomen intentionis, in ejus definitione ponitur.

4. Præterea. *Natura est principium motus, & quietis in eo in quo est per se, & non per accidens*, ut dicitur in II. Phys. (tex. 3.) (3). Sed persona est in rebus immobilibus, sicut in Deo, & in Angelis. Non ergo in definitione personæ debuit poni *natura*, sed magis *essentia*.

5. Præterea. Anima separata est rationalis naturæ individua substantia; non autem est persona. Inconvenienter ergo persona sic definitur (*).

Respondeo dicendum, quod licet universale, & particolare inveniantur in omnibus generibus, tamen speciali quodam modo individuum invenitur in genere substantiarum. Substantia enim individuatur per se ipsam (4)); sed accidentia individuantur per subjectum, quod est substantia: dicitur enim hæc

Mm alibi

turis ipsius ratione attri butam; sicut esse *individuum*, vel *speciem*, vel *genus*, &c.

(*) Cod. Alcan. aliquæ, item edit. Rom. & Paris. omittunt argumentum. Sed contra. Habet Nicolaij, sic. Sed contra est authoritas predicta Beottii.

(4) Non per seipsum totam, sicut qu. 3. dist. 3. de non compositis dictum est quod individuantur per se, quia sunt supposita ipsa substantia; sed solummodo per partem sui, nempe per materiam individualis, ut ibidem etiam indicatur: Quod satis tamen ad institutum praesens esse potest, ut ab accidentibus distinguatur, quae nullo modo per se tota nec per aliquid sui sed per subjectum solum dividantur.

albedo, inquantum est in hoc subjecto. Unde etiam convenienter individua substantiae habent aliquod speciale nomen præ aliis: dicuntur enim hypostases, vel primæ substantiaz.

Sed adhuc quodam specialiori, & perfectiori modo invenitur particulare, & individuum in substantiis rationalibus, quæ habent dominium sui actus; & non solum aguntur, sicut alia, sed per se agunt: actiones autem in singularibus sunt. Et ideo etiam inter ceteras substantias quoddam speciale nomen habent singula rationis naturæ; & hoc nomen est persona.

Et ideo in predicta definitione personæ ponitur substantia individua, inquantum significat singulare in genere substantiaz; additur autem rationalis naturæ, inquantum significat singulare in rationalibus substantiis.

Ad primum ergo dicendum, quod licet hoc singulare, vel illud definiri non possit, tamen id quod pertinet ad communem rationem singularitatis, definiri potest: & sic Philosophus (in Lib. Prædicamen. cap. de substantia) definit substantiam primam: & hoc modo definit Boetius personam.

Ad secundum dicendum, quod secundum quosdam substantia in definitione personæ ponitur pro substantia prima, quæ est hypostasis⁽¹⁾; neque tamen superflue additur individua, quia nomine hypostasis, vel substantiaz primæ excluditur ratio universalis, & partis. Non enim dicimus, quod homo communis sit hypostasis, neque etiam manus, cum sit pars. Sed per hoc quod additur individua, excluditur a persona ratio assumptibilis⁽²⁾: humana enim natura in Christo non est persona, quia est assumpta a digniori, scilicet a Verbo Dei. Sed melius dicendum est, quod substantia accipitur communiter, prout dividitur per primam, & secundam, & per hoc quod additur individua, trahitur ad standum pro substantia prima⁽³⁾.

Ad tertium dicendum, quod quia substantiales differentiaz non sunt nobis notæ, vel

etiam nominatae non sunt, oportet interdum uti differentiis accidentalibus loco substantiarum; puta, si quis diceret: Ignis est corpus simplex, calidum, & siccum. Accidentalia enim propria sunt effectus formarum substantiarum, & manifestant eas. Et similiter nomina intentionum possunt accipi ad definiendum res, secundum quod accipiuntur pro aliquibus nominibus rerum quæ non sunt posita. Et sic hoc nomen individualium ponitur in definitione personæ ad designandum modum subsistendi qui competit substantiis particularibus.

Ad quartum dicendum, quod secundum Philosophum in V. Metaph. (tex. 5.) nomen naturæ primo impositum est ad significandam generationem viventium⁽⁴⁾, quæ dicitur nativitas. Et quia hujusmodi generatio est a principio intrinseco, extensum est hoc nomen ad significandum principium intrinscum cuiuscumque motus. Et sic definitur natura in II. Phys. (tex. 3.) Et quia hujusmodi principium est formale, vel materiale, communiter tam materia, quam forma dicitur natura. Et quia per formam compleetur essentia uniuscuiusque rei, communiter essentia uniuscuiusque rei, quam significat ejus definitio, vocatur natura. Et sic accipitur hic natura. Unde Boetius in eodem Lib (de duab. naturis a princ.) dicit, quod natura est unumquodque informans specifica differentia. Specifica enim differentia est quæ complet definitionem, & sumitur a propria forma rei⁽⁵⁾. Et ideo convenientius fuit quod in definitione personæ, quæ est singulare alicujus generis determinati, uteretur nomine naturæ quam essentiaz, quæ sumitur ab esse, quod est communissimum.

Ad quintum dicendum, quod anima est pars humanæ speciei: & ideo licet sit separata, quia tamen retinet naturam unijibilitatis, non potest dici substantia individua, quæ est hypostasis, vel substantia prima, sicut nec manus, nec quæcumque alia partium hominis: & sic non competit ei neque definitio personæ, neque nomen.

A P.

(1) Juxta usum nominis pro persona receptum, ut inferius annotandum recurret ex professo.

(2) Idest ejus quod ab alio assumi potest.

(3) Ut substantia nempe quasi loco generis in has definitione accipiatur, individualis vero quasi loco differentia significationem genericam determinantis; non obstante quod videatur esse nomen intentionis tantum, & non propriæ nomen rei; ut in adjunctis explicatur.

(4) Vel noscentium tantum ex gratio quæcumque

Sed idem est ac vivens, ut S. Thomas ibi notat lext. 5. quia nasci nonnisi viventia dicuntur; non viventia vero generari: Proindeque perperam generatorum generationem reddit vetus versio.

(5) In physicis, vel compositis tantum, de quibus nominatum dumtaxat hic agitur; quamvis personæ nomen ad simplicita quoque sive metaphysica pertineat; scilicet ad angelos; ut & ad Deum, infra.

A P P E N D I X.

Hinc habes primo : quomodo per rationem convincere possis , hypostasis naturæ rationalis , & personam esse idem , & consequenter , quomodo per eamdem rationem exsibilare valeas illos , qui ignorando propriam vocem in hanc inciderunt hæresim , quod in Christo sunt duæ hypostases , licet sit una tantum persona : hoc refert Doctor Sanctus 3. qu. 2. art. 3. & qu. decima sexta , art. 1. & 4. contra cap. 38. Secundo habes : quomodo ex eadem ratione monstres Concilium quintum Constantinopolitanum (ut ibi quæstiōne secunda adducitur) juste damnasse prædictam ipsorum ignorantiam , dum hæresim illam damnavit , eodemque suo facto præsentis art. conclusionem approbasse .

ARTICULUS II. 170

Utrum persona sit idem quod hypostasis , subsistētia , & essentia .

I. dist. XXIII. art. 1. & pot. quest. IX. art. 1.

Ad secundum sic proceditur . Videtur quod persona sit idem quod hypostasis , subsistētia , & essentia . Dicit enim Boetius in Libr. de duabus natur. (a princ.) quod Greci nature rationalis individuam subsistētiām (*) ὑποστάσιας nomine vocaverunt (1) . Sed hoc etiam apud nos significat nomen persona . Ergo persona omnino idem est quod hypostasis .

2. Præterea . Sicut in divinis dicimus tres personas , ita in divinis dicimus tres subsistētias : quod non esset , nisi persona , & subsistētia idem significarent . Ergo idem significant persona , & subsistētia .

3. Præterea . Boetius dicit in comment. Prædicamentorum , quod σώμα (2) (quod est idem quod essentia) significat compositum ex materia , & forma . Id autem quod est

compositum ex materia , & forma , est individuum substantia , quod & hypostasis , & persona dicitur . Ergo omnia prædicta nomina idem significare videntur .

4. Sed contra est quod Boetius dicit in Libr. de duab. natur. (aliquantulum a princ.) quod genera , & species subsistunt tantum ; individua vero non subsistunt tantum , verum etiam subsistunt . Sed a subsistendo dicuntur subsistētiae , sicut a substando substantiae , vel hypostases . Cum igitur esse hypostases , vel personas non conveniat generibus , vel speciebus , hypostases , vel persone non sunt idem quod subsistētiae .

5. Præterea . Boetius dicit in comment. Prædicamentorum , quod hypostasis dicitur materia , σώμα (3) autem (idest subsistētia) dicitur forma . Sed neque forma , neque materia potest dici persona . Ergo persona differt a prædictis .

Respondeo dicendum , quod secundum Philosophum in V. Metaph. (tex. 15.) substantia dicitur dupliciter . Uno modo dicitur substantia quidditas rei , quam significat definitio secundum quod dicimus , quod definitio significat substantiam rei : quam quidem substantiam Græci σώμα vocant , quod nos essentiam dicere possumus . Alio modo dicitur substantia subjectum , vel suppositum , quod subsistit in genere substantiæ . Et hoc quidem communiter accipiendo nominari potest nomine significante intentionem , & sic dicitur suppositum . Nominaatur etiam tribus nominibus significantibus rem : quæ quidem sunt res naturæ , subsistētia , & hypostasis (4) , secundum triplicem considerationem substantiæ sic dictæ . Secundum enim quod per se existit , & non in alio , vocatur subsistētia : illa enim subsistere dicimus quæ non in alio , sed in se existunt . Secundum vero quod supponitur alicui naturæ communi , sic dicitur res naturæ , sicut hic homo est res naturæ humana ; secundum vero quod supponitur accidentibus , dicitur hypostasis , vel substantia . Quod au-

M m 2 tem

(*) Omnes ba Græca voces in editis , preser Pa-
sav. Lannis litteris effervens .

(1) Significantius quam nos personam ex inopia
vocum , ut ibidem adjungit .

(2) Quod Boetius tamen ibi sub hoc nomine non
exprimit , sed substantiam vocat , lib. 1. cap. de
substantia que Philosopho est σώμα & essentia reddi
potest ; cum dicatur ab eo quod significat esse , sive
a feminino participio στα.

(3) Quod & in libro de duabus naturis Christi
substantiam interpretatur , sed & τρίαντα substantiam ;

Tametsi substantiam particularem intelligit , quia
proxime substat accidentibus ; ut in response infra
explicatur : Unde idem est quod nos vulgo subsistētiam actualem intelligimus , ut & ibi addetur
ad marginem .

(4) Ubi ergo substantia , qualis singitur , abso-
luta ? Idem sunt res naturæ , subsistētia , hypostasis :
Idem persona in substantiis rationalibus quod hypo-
stasis in ceteris : Idem proinde in natura rationali
substantia quam persona : Et persona in Deo erit
absoluta ? Bellum commentum !

tem hæc tria nomina significant communiter in toto genere substantiarum , hoc no-men *persona* significat in genere rationalium substantiarum .

Ad primum ergo dicendum , quod *hypostasis* apud Græcos ex propria significatione nominis habet quod significet quodcumque individuum substantiaz (1) ; sed ex usu loquendi habet quod sumatur pro individuo rationalis naturæ ratione suæ excellentiæ .

Ad secundum dicendum , quod sicut nos dicimus in divinis pluraliter tres personas , & tres substantias , ita Græci dicunt tres hypostases . Sed quia nomen substantiaz , quod secundum proprietatem significationis respondet hypostasi , & quia vocatur apud nos , cum quandoque significet essentiam , quandoque hypostasim ; ne possit esse erroris occasio , maluerunt pro hypostasi transferre substantiam , quam substantiam .

Ad tertium dicendum , quod essentia proprie est id quod significatur per definitiōnem . Definitio autem complectitur speciei principia , non autem principia individualia . Unde in rebus compositis ex materia , & forma essentia significat non solum formam , nec solum materiam , sed compositum ex materia , & forma communi , prout sunt principia speciei . Sed compositum ex hac materia , & ex hac forma habet rationem hypostasis , & personæ . Anima enim , & caro , & os sunt de ratione hominis ; sed hæc anima , & hæc caro , & hoc os sunt de ratione hujus hominis . Ed ideo hypostasis , & persona addunt supra rationem essentiaz principia individualia ; neque sunt idem cum essentia in compositis ex materia , & forma , ut supra dictum est (quæst . 111. art . 3.) cum de simplicitate divina ageretur (2) .

Ad quartum dicendum , quod Boetius dicit , genera , & species subsistere , inquantum individui aliquibus competit subsistere ex eo quod sunt sub generibus , & speciebus in prædicamento substantiaz comprehensis ; non quod ipsæ species , vel genera subsistant , nisi

secundum opinionem Platonis , qui posuit species rerum separatis subsistere a singulis . Substare vero competit eisdem individuis in ordine ad accidentia , quæ sunt præter rationem generum , & specierum .

Ad quintum dicendum , quod individuum compositum ex materia , & forma habet quod substet accidenti ex proprietate materialiæ . Unde & Boetius dicit in Lib . de Trinit . (ante med .) *Forma simplex subjectum esse non potest* . Sed quod per se subsistat , habet ex proprietate suæ formæ , quæ non advenit rei subsistenti , sed dat esse actuale materialiæ , ut sic individuum subsistere possit . Propter hoc ergo hypostasim attribuit materialiæ & *subiectum* , sive subsistentiam , formæ , quia materia est principium substendi , & forma est principium subsistendi .

A P P E N D I X .

EX artic . habes primo : quomodo per rationem convincas ignorantiam ponentium hypostasim , & subsistentiam in natura intellectuali non esse idem cum persona , & quomodo per eamdem rationem irridere valeas ponentes hanc hæresim quod in Christo sunt duæ substantiaz . Vide supra artic . primo , & te ipsum rege secundum illam appendicem in videndo D . Thom . recitantem hanc ipsam , sicut & illam cum ejus damnatione . Secundo , quoad secundam partem conclusionis habes : quomodo per rationem tamquam in radice rejicias ponentes , vel quod in Christo est una natura , sicuti una persona , vel quod in Christo sunt duæ personæ , sicuti duæ naturæ . Videntur enim hæreses hæ processisse eis , ultra alia falsa motiva , ex ignorantia hac , quod scilicet noluerunt intelligere , quod persona , & natura , sive essentia diffèrent realiter , ut hinc habetur . Tertio : quomodo ex iisdem rationibus radicaliter demonstres , has hæreses jure damnatas a Conciliis , de quibus speciatim in suis locis dicetur . Quarto videre datur : quomodo his Conciliis tamquam acceptantibus , & quod per-

(1) Quia scilicet a substantio ex græco ὕποτασση denominatur : Quodlibet autem individuum substantia habet ut substet : Usu porro loquendi sumi a Gracis ut hic , Boetius iterum notat ubi supra : *Quæ de irrationalibus hypostasi Graci non dicunt* (inquit) *hæc ratio est* , quoniam hoc nomen molisib[us] applicarum est ut id quod est , excellentius , etiam hypostasis vel substantia vocabulis distingueatur , &c.

(2) Ubi explicatum est ad marginem qua ratione quantum ad hoc a simplicibus composita different .

(3) An non etiam dici possint radicaliter & in actu signato subsistere , quasi ratio cur substantia individua ? & propterea subsistentia σύνεσις a Boet . appelletur quasi consequens essentiam (σώμα) quod ad substantiam radicalem pertinet ? Noa substantia autem actu quod substantiam exercitam quæ constituit individuum ; &c.

persona est idem cum subsistencia in natura intellectuali, & quod persona non est idem cum subsistencia in natura intellectuali; & quod persona non est idem cum essentia: item quomodo ex hæresibus illis damnatis, tamquam ex oppositis, firmetur vicissim tota Angelica conclusio.

ARTICULUS III. 171

Utrum nomen personæ sit ponendum in divinis.

I. disq. XXIII. art. 2. & pot. quæst. IX. art. 3.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod nomen personæ non sit ponendum in divinis. Dicit enim Dionysius in princ. de div. Nom. (cap. 1. lect. 1.) *Universaliter non est audendum aliquid dicere, nec cogitare de supersubstantiali occulta Divinitate, preter ea quæ divinitus nobis ex sanctis eloquii sunt expressa* (1). Sed nomen personæ non exprimitur nobis in sacra Scriptura novi, vel veteris testamenti. Ergo non est nomine persona utendum in divinis.

2. Præterea. Boetius dicit in Lib. de duab. nat. (aliquantulum a princ.) *Nomen personæ videretur traductum ex his personis quæ in comediis, tragædiisque homines repræsentabant. Persona enim dicta est a personando, quia concavitate ipsa major necesse est ut volvatur sonus. Greci vero has personas πρόσωπα vocant* (2) *ab eo quod ponantur in facie, atque ante oculos obtegant vultum. Sed hoc non potest competere in divinis, nisi forte secundum metaphoram. Ergo nomen personæ non dicitur de Deo nisi metaphorice.*

3. Præterea. Omnis persona est hypostasis. Sed nomen hypostasis non videtur Deo competere, cum secundum Boetium (ibidem) significet id quod subjicitur accidentibus, quæ in Deo non sunt. Hieronymus etiam dicit in ep. ad Damas. in med.) (3) quod *in hoc nomine hypostasis venenum latet sub melle.*

Ergo hoc nomen persona non est dicendum de Deo.

4. Præterea. A quocumque removetur definitio, & definitum. Sed definitio personæ supra posita (argum. I. art. 1. hujus quæst.) non videtur Deo competere: tum quia ratio importat discursivam cognitionem, quæ non competit Deo, ut supra ostensum est (quæst. XIV. art. 12.) & sic Deus non potest dici (4) rationalis naturæ: tum etiam quia Deus dici non potest individua substantia, cum principium individuationis sit materia; Deus autem immaterialis est; neque etiam accidentibus substat, ut substantia dici possit. Nomen ergo personæ Deo attribui non debet.

Sed contra est quod dicitur in symbolo Athanasii: *Alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti.*

Respondeo dicendum, quod *persona* significat id quod est perfectissimum in tota natura, scilicet subsistens in rationali natura. Unde cum omne illud quod est perfectionis, Deo sit attribuendum, eo quod ejus essentia continet in se omnem perfectionem, conveniens est ut hoc nomen *persona* de Deo dicatur; non tamen eodem modo quo dicitur de creaturis, sed excellenti modo, sicut & alia nomina, quæ creaturis a nobis imposita, Deo attribuuntur, sicut supra ostensum est (quæst. XI. art. 3.) cum de divinis nominibus ageretur.

Ad primum ergo dicendum, quod licet nomen personæ in Scriptura veteris, vel novi testamenti non inveniatur dictum de Deo; tamen id quod nomen significat, multipliciter in sacra Scriptura invenitur assertum de Deo, scilicet quod est maxime per se ens, & perfectissime intelligens. Si autem oporteret de Deo dici solum illa secundum vocem quæ sacra Scriptura de Deo tradit, sequeretur quod numquam in alia lingua possit aliquis loqui de Deo, nisi in illa in qua primo tradita est Scriptura veteris, vel novi testamenti. Ad inveniendum autem no-

v.3

(1) *Vel iuxta græcum ἀτεφαμίνα enunciata, patet facta, manifestata, declarata, ut in modernis §. 2. videre est; sive cap. 1. post principium.*

(2) *Quasi τρόπος ἄτα quod oculos vel aspectum ponantur: ωψ enim græce aspectus est: Et huc aludit Boetius propter πρόσωπον græcum.*

(3) *Ubi plenus: Nescio quid venenū in syllabis latet: Et paulo infra: Tota scularum litterarum scolis nihil aliud hypostasin nisi usum novis: Eo quis, rogo, etiæ sacrilego tres substantias predicentibus? Et iterum postea: Quisquis tres hypostases (ideo utras) dicit, sub nomine pietatis res naturas con-*

sue offerere: Si ita est cur ab Arris patetibus separavimus perfidia copulatis? Absit hoc a Romana fide: Savilegium tantum religiosa populorum corda non baurians: Sufficiat nobis dicere, unam substantiam, tres personas subsistentes, perfectas: Taceamus tres hypostases, & una teneatur: Non bona suspicionis est cum in eadem sensu verba diffinentur: Aut si rectum patet tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus: Sed mihi credere, venenum sub melle latet, &c.

(4) *Ita edit. Rom. & Pator. Nicolai rationalis natura.*

va nomina antiquam fidem de Deo significantia coegerit necessitas disputandi cum hæreticis (1). Nec hæc novitas vitanda est, cum non sit profana, utpote a Scripturam sensu non discordans. Docet autem Apostolus profanas vocum novitates vitare L ad Timoth. ult.

Ad secundum dicendum, quod quamvis hoc nomen *persona* non convenient Deo quantum ad id a quo impositum est nomen; tamen quantum ad id ad quod significandum imponitur, maxime Deo convenient. Quia enim in comedii, & tragœdiis representabantur aliqui homines famosi, impositum est hoc nomen *persona* ad significandum aliquos dignitatem habentes. Unde consueverunt dici personæ in Ecclesiis, quæ habent aliquam dignitatem (2). Propter quod quidam definivit personam dicentes, quod *persona* est *hypostasis* proprietate distincta ad dignitatem pertinente. Et quia magna dignitatis est in rationali natura subsistere, ideo omne individuum rationalis naturæ dicitur persona, ut dictum est (art. i. hujus quest.) Sed dignitas divinæ naturæ excedit omnem dignitatem: & secundum hoc maxime competit Deo nomen personæ.

Ad tertium dicendum, quod nomen *hypostasis* non competit Deo quantum ad id a quo est impositum nomen, cum non substat accidentibus; competit autem quantum ad id ad quod significandum est impositum: est enim impositum ad significandum rem subsistentem. Hieronymus autem (in epist. sup. cit. ad Damas.) dicit, *sub hoc nomine venenum latere*, quia antequam significatio hujus nominis esset plene nota apud Latinos, hæretici per hoc nomen simplices decipiebant, ut confiterentur plures essentias, sicut constitutur plures hypostases (3), propter hoc quod nomen substantia, cui respondeat in græco nomen *ὑπόστασις*, communiter accipitur apud nos pro essentia.

Ad quartum dicendum, quod Deus potest dici rationalis naturæ, secundum quod ratio non importat discursum, sed commun-

ter intelligibilem naturam (4). Individuum autem Deo competere non potest quantum ad hoc quod individuationis principium est materia, sed solum secundum quod importat incommunicabilitatem. Substantia vero convenit Deo, secundum quod significat existere per se. Quidam tamen dicunt, quod definitio superiorius (art. i. hujus quest. arg. i.) a Boetio data, non est definitio personæ, secundum quod personas in Deo dicimus. Propter quod Richardus de sancto Victore (Lib. IV. de Trinit. cap. xvii. & xxiii.) corrigeret volens hanc definitionem, dixit, quod *persona*, secundum quod de Deo dicitur, est *divine nature incommunicabilis existentia*.

A P P E N D I X.

Hinc habes primo: quomodo ex ratione confutes hæresim *Deistarum*, quatenus videntur horruisse nomen personæ in divinis, dum dixerunt: Personas non esse in divinis, et si tres sunt, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Ex eadem quoque ratione arguere potes temeritatem Laurentii Valle, qui lib. 6. *eleganserum*, cap. 34. negat, si credimus R. P. D. Bannes, in Deo esse personam, falsa ista imaginatione deceptus, quod ly *persona* solum qualitatem significet. Secundo habes: quomodo per eamdem rationem ostendas, jure totam sanctam Ecclesiam, atque Concilia omnia de sanctissima Trinitate loquentia uti nomine personæ in divinis, puta, dum tres ibi assertunt esse personas. Item ex responsione ad primum habes: quomodo per rationem illam pulcherrimam, atque efficacissimam ly sequeretur, quod numquam &c. rejicias hæresim *Biblistarum* dicentium: scripturæ sacræ textum nudum solam recipiendum sine ulla expositione. Similiter & Erasmi in epistola nuncupatoria operum D. Hilarii (ut refert Melchior Cano de locis Tbe. li. 3. c. 1.) dicentis, *Nihil ultra, quam sacris proditum, esse definiendum*. Cetera omnia esse problemata in illud rejicenda tempus,

cum

(1) Sicut contra hæresim Ariapan nomen *consubstantiale* (vel *ōὐσιον*) & contra sacramentariam nomen *transubstantiationis*, de cuius instituto, usu, & notione suo loco plenius cum de Eucharistia sacramento agetur.

(2) Sic enim extra de prebendis & dignitatibus cap. Ad hæc, ubi Alex. oder III. omni rationi contrarium affirmit ut unus Clericus in una vel diversis Ecclesiis plures dignitates vel personatus absint: Et cap. De multis, ubi similiter decernit Innocen-

tius III. ut in eadem Ecclesia nullus plures dignitates, vel personatus habere presumatur, &c.

(3) Donec protestati sunt Græci se hypostasim pro persona non pro essentia sumere; apud Nazianzenum orat. 21. qui Basilium inde laudat.

(4) Vel prout est simplex mentis aspectus & ratiocinatione distinctus velut ab inquisitione quadam, ut August. lib. de quantitate animarum cap. 27. distinguui notat.

cum sublato speculo vidobimus Deum de facie .
Habes quoque inde consequenter : quomodo ex eadem ratione ostendas hanc illorum am-
borum iuste fuisse damnatam factu ipso in
Conciliis , dum nomen personæ posuerunt
in Divinis , non quia hoc expresse ad littera-
ram in sacris scripturis haberetur , sed quia sic
littera illarum interpretanda erat . Tertio
vides quomodo ex his omnibus vicius firmetur &c.

ARTICULUS IV . 172

Utrum hoc nomen persona significet relationem .

I. dist. xxiii . art. 3 . Et dist. xxvi . quest. 1 .
art. 1 . Et post. quest. ix . art. 3 .

AD quartum sic proceditur . Videretur quod hoc nomen *persona* non significet relationem , sed substantiam in divinis . Dicit enim Augustinus in VII . de Trinit . (cap . vi . circa princ .) Cum dicimus *personam Patris* , non aliud dicimus quam substantiam Patris , ad se quippe dicitur *persona* , non ad Filium &c .

2 . Præterea . Quid querit de essentia . Sed , sicut dicit Augustinus in eodem loco (cap . rv . & seq . & Lib . V . de Trin . cap . ix . in fin .) cum dicitur (1) : Tres sunt qui testimonium dant in cœlo , Pater , Verbum , & Spiritus sanctus , & queritur : Quid tres ? responderetur . Tres personæ . Ergo hoc nomen *persona* significat essentiam .

3 . Præterea . Secundum Philosophum IV . Metaph . (text . xxviii .) id quod significatur per nomen , est ejus definitio . Sed definitio personæ est rationalis naturæ individua substantia , ut dictum est (art . 1 . hujus quest .) Ergo hoc nomen *persona* significat substantiam .

4 . Præterea . Persona in hominibus , & Angelis non significat relationem , sed aliquid absolutum . Si igitur in Deo significaret relationem , diceretur a quo de Deo , & hominibus , & Angelis .

Sed contra est quod dicit Boetius , in Lib . de Trinit . (post med .) (2) quod omne nomen ad personas pertinens relationem significat . Sed nullum nomen magis pertinet ad personam quam hoc nomen *persona* . Ergo hoc nomen *persona* relationem significat .

Respondeo dicendum , quod circa significationem hujus nominis *persona* in divinis difficultatem ingerit quod pluraliter de tribus prædicatur præter naturam essentialium nominum ; neque etiam ad aliquid dicitur , sicut nomina quæ relationem significant .

Unde quibusdam visum est quod hoc nomen *persona* simpliciter ex virtute vocabuli essentiam significet in divinis , sicut hoc nomen *Deus* , & hoc nomen *sapiens* (3) . Sed propter instantiam hæreticorum est accommodatum ex ordinatione Concilii ut possit ponni pro relativis , & præcipue in plurali , vel cum nomine partitivo ; ut cum dicimus *tres personas* , vel *Alia est persona Patris* , *alii Filii* . In singulari vero potest sumi pro ab soluto , & pro relativo . Sed hæc non vide tur sufficiens ratio : quia si hoc nomen *persona* ex vi sua significationis non habet quod significet nisi essentiam in divinis , ex hoc quod dictum est , *tres personas* , non fuisset hæreticorum quietata calunnia , sed majoris calumniæ data esset eis occasio .

Et ideo alii dixerunt , quod hoc nomen *persona* in divinis significat simul essentiam , & relationem . Quorum quidam dixerunt , quod significat essentiam in recto , & relationem in obliquo : quia persona dicitur , qua si per se una ; unitas autem pertinet ad es-
sen-

(1) Ut videre est 1 . Joan . 5 . vers . 7 . non in latini tantum sed in græcis exemplaribus quæ modo extant ; quamvis in quibusdam antiquis defuerit ; fraudulentia sine dubio Ariana , ne per hoc tam apparente testimonium impietas illius & hæresis convinci posset , ut alibi plenius infra .

(2) Äquivalenter ibi ac implicite ut supra notatum est , dicit quod *relatio multiplicat Trinitatem* ; Sed expressius lib . 2 . etiam verius fine , cum ait : *Vocabulum quod ex personis originem capite ad substantiam non pertinere necesse est : Quo sit ut neque Pater neque Filius neque Spiritus sanctus de Deo substantialiter predicetur , sed ad aliquid , &c.*

(3) Ita visum Hugoni de S . Victore in Eruditioribus Theologicis Tract . 1 . Summa Sententiarum cap . 9 . juxta illud quod Augustinus insinuat lib . 7 .

de Trin . cap . 4 . & deinceps : Ut & Magistro Sententiistarum lib . 1 . dist . 23 . & 25 . Sed quod ex ordinatione Concilii nomen *persona* ad significandam relationem accommodatum sit nec Hugo nec Magister exprimunt iis locis ; & multo minus Augustinus qui nullum ea de re Concilium xiderat : Sed nec posteriora Concilia de nomine *persona* tale quidquam constituisse dici possunt , cum nomen illud semper pro supposito acceptum sit , & eo sensu ab auctore vetustissimo sub nomine Tertulliani lib . de Trin . cap . 21 . Filius appelletur , secunda post Patrem *persona* : Etsi quantum ad nomen *hypostasis* hoc intelligi potest indicatum in Concilii illis quæ post Græcorum explicationem *tres hypostases* in essentia una definire coepunt ; ut in V . Synodo nominatum .

sentiam ; quod autem dicitur per se , impli-
cat relationem oblique. Intelligitur enim Pa-
ter per se esse , quasi relatione distinctus a
Filio . Quidam vero dixerunt e converso ,
quod significat relationem in recto , & essen-
tiā in obliquō : quia in definitione personā
natura ponitur in obliquō : & isti propinquius
ad veritatem accederunt.

Ad evidentiam igitur hujus questionis con-
siderandum est , quod aliquid est de signifi-
catione minus communis , quod tamen non
est de significatione magis communis : ratio-
nale enim includitur in significazione homi-
nis , quod tamen non est de significatione
animalis . Unde aliud est querere de si-
gnificatione animalis , & aliud est querere
de significatione animalis quod est homo . Si-
militer aliud est querere de significatione hu-
jus nominis *persona* in communi , & aliud
de significatione personā divinā . Persona
enim in communi significat substantiam in-
dividuam rationalis naturae , ut dictum est
(art. 1. hujus quest.) Individuum autem
est quod est in se indistinctum , ab aliis ve-
ro distinctum . Persona igitur in quacumque
natura significat id quod est distinctum in
natura illa ; sicut in humana natura signifi-
cat has carnes , haec ossa , & hanc animam ,
quaे sunt principia individuantia hominem :
quaे quidem , licet non sint de significatione
personā , sunt tamen de significatione perso-
nae humanae . Distinctio autem in divinis
non sit nisi per relationes originis , ut di-
ctum est supra (quest. xxvi, art. 2. & 3.) Relatio autem in divinis non sit sicut acci-
dens inhaerens subiecto , sed est ipsa divina
essentia : unde est subsistens , sicut essentia
divina subsistit (1) . Sicut ergo Deitas est
Deus , ita paternitas divina est Deus Pater ,
qui est persona divina . Persona igitur divina
significat relationem ut subsistentem .

Et hoc est significare relationem per mo-
dum substantiæ , quaे est hypostasis subsistens
in natura divina , licet subsistens in natura
divina non sit aliud quam natura divina .

Et secundum hoc verum est quod hoc no-
men *persona* significat relationem in recto ,
& essentiā in obliquō ; non tamen rela-
tionem , inquantum est relatio , sed inquantum
significatur per modum hypostasis . Similiter
etiam significat essentiā in recto , & rela-
tionem in obliquō , inquantum essentiā idem
est quod hypostasis . Hypostasis autem signi-
ficatur in divinis ut relatione distincta . Et
similiter relatio per modum relationis signi-
ficata cadit in ratione personā in obliquō .
Et secundum hoc etiam dici potest , quod
haec significatio hujus nominis *persona* no-
rat percepta ante hereticorum calumniam .
Unde non erat in usu hoc nomen *persona*
nisi sicut unum aliorum absolutorum ; sed
postmodum accommodatum est hoc nomen
persona ad standum pro relativō ex con-
gruentia suę significacionis , ut scilicet hoc
quod stat pro relativō , non solum habeat
ex usu , ut prima opinio dicebat , sed etiam
ex significacione sua ,

Ad primum ergo dicendum , quod hoc
nomen *persona* dicitur ad se , non ad alterū
: quia significat relationem non per
modum relationis , sed per modum substan-
tiæ , quaे est hypostasis . Et secundum hoc
Augustinus dicit , quod significat essentiā ,
prout in Deo essentia est idem cum hypostasi :
quia in Deo non differt quod est , & quo est .

Ad secundum dicendum , quod *quid* quan-
doque querit de natura , quam significat de-
finitio , ut cum queritur , quid est homo ?
& respondetur , animal rationale mortale .
Quandoque vero querit suppositum , ut cum
queritur quid natat in mari ? & responde-
tur , pisces . Et sic querentibus , *quid* *tres* ,
responsum est , *tres persona* (2) .

Ad tertium dicendum , quod in intellectu
substantiæ individuæ , id est distinctæ , vel in-
communicabilis , intelligitur in divinis rela-
tio , ut dictum est (in corp. art.)

Ad quartum dicendum , quod diversa ra-
tio minus communium non facit æquivoca-
tionem in magis communi . Licet enim sit
alii

(1) Tum radicali subsistens per seipsum imme-
diata , quia personæ nempe habent ab illa ut sub-
sistant , cum non subsistant nisi quia divina , hinc
propter esse in : Tum actuali subsistens non per
seipsum immediate prout abstraction sumptam , sed
personis mediatis per quas incomunicabilis redi-
ditur in singulis ; Nec minus tamen per se subsistens
dici potest etiam actu : quia individualis idem est cum
personis per quas redditur sic subsistens ; & sicut di-

ci solet , fons fons suo supposito fine quibus omni-
no esse non potest ; quod in substantiis creatis non
contingit : Hinc intelligent qui absolutam subsisten-
tiā fingunt : Sed plenius explicabuntur in Selectis .

(2) Sic Zacharim vers. 9. *Quid fons isti , &c.*
deinde vers. 10. *Isti fons quis misericordia Dominus , &c.*
Unde illud *quid non essentiam querit ibi sed suppo-
situm .*

ARTICULUS I. 173

Utrum sit ponere plures personas in divinis.

I. *diss. II. art. 4. & 5. & IV. con. cap. v. & xxv. & po. quæst. IX. art. 5. & op. II. cap. I. & quæst. VII. quæst. III. art. I.*

AD primum sic proceditur. Viderur quod non sit ponere plures personas in divinis. *Persona enim est rationalis naturæ individua substantia.* Si ergo sunt plures personæ in divinis, sequitur quod sint plures substantiae: quod videtur hereticum.

2. Præterea. Pluralitas proprietatum absolutarum non facit distinctionem personarum neque in Deo, neque in nobis. Multo igitur minus pluralitas relationum. Sed in Deo non est alia pluralitas nisi relationum, ut supra dictum est (quæst. xxvii. art. 3.) Ergo non potest dici, quod in Deo sint plures personæ.

3. Præterea. Boetius (in Lib. de Trin. ante med.) (2) dicit de Deo loquens, quod *hoc vere unum est in quo nullus est numerus.* Sed pluralitas importat numerum. Ergo non sunt plures personæ in divinis.

4. Præterea. Ubicumque est numerus, ibi est totum, & pars. Si igitur in Deo sit numerus personarum, erit in Deo ponere totum, & partem: quod simplicitati divinæ repugnat.

Sed contra est quod dicit Athanasius (in suo symbolo fidei:) *Alia est persona Patris, alia Filiæ, alia Spiritus sancti.* Ergo Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt plures personæ.

Respondeo dicendum, quod plures esse personas in divinis sequitur ex præmissis. Ostensum est enim supra (art. 4. quæst. præc.) quod hoc nomen *persona* significat in divinis relationem ut rem subsistentem in natura divina. Supra autem habitum est (quæst. xxvii. art. 1. 3. & 4.) quod sunt plures relationes reales in divinis: unde sequitur quod sint plures res subsistentes in divina natura. Et hoc est esse plures personas in divinis.

Ad primum ergo dicendum, quod substantialia non ponitur in definitione personæ,

Nn se-

Summ. S.Th. T.I.

(1) Cum de divinis nominibus expresse ageretur, & ex professo.

(2) Ubi sit, Deus a nullo differt nec vel accidentibus vel substantialibus differentiis in subiecto

positis diffat; Ubi vero nulla differentia, nulla ideo omnino pluralitas: Quare nec numerus: igitur unitas tantum; &c. Nam quod tertio repetitur Deus, tres unitates non faciunt pluralitatem, &c.

secundum quod significat essentiam, sed secundum quod significat suppositum (1): quod patet ex hoc quod additur *individus*. Ad significandum autem substantiam sic dictam habent Graeci nomen hypostasis. Unde sicut nos dicimus tres personas, ita ipsi dicunt tres hypostases. Nos autem non consuevimus dicere tres substantias, ne intelligerentur tres essentia propter nominis equivocationem.

Ad secundum dicendum, quod proprietates absolutae in divinis, ut bonitas, & sapientia, non opponuntur ad invicem, unde neque realiter distinguuntur. Quamvis ergo eis conveniat subsistere, non tamen sunt plures res subsistentes, quod est esse plures personas (2). Proprietates autem absolutae in rebus creatis non subsistunt, licet realiter ab invicem distinguantur, ut albedo, & dulcedo; sed proprietates relativae in Deo & subsistunt, & realiter ab invicem distinguuntur, ut supra dictum est (quest. xxviii. art. 3.) Unde pluralitas talium proprietatum sufficit ad pluralitatem personarum in divinis.

Ad tertium dicendum, quod a Deo propter summam unitatem, & simplicitatem excluditur omnis pluralitas absolute dictorum, non autem pluralitas relationum, quæ relationes prædicantur de aliquo ut ad alterum. Et sic compositionem in ipso, de quo dicuntur, non important, ut Boetius in eodem Libro docet (3).

Ad quartum dicendum, quod numerus est duplex; scilicet numerus simplex, vel absolutus, ut duo, & tria, & quatuor; & est numerus qui est in rebus numeratis, ut duo homines, & duo equi. Si igitur in divinis accipiatur numerus absolute, sive abstracte, nihil prohibet in eo esse totum, & partem; & sic non est nisi in acceptione intellectus nostri: non enim numerus absolutus a rebus numeratis est nisi in intellectu. Si autem accipiamus numerum, prout est in rebus numeratis, sic in rebus quidem creatis unus est pars duorum, & duo trium,

ut unus homo duorum, & duo trium; & sic non est in Deo, quia tantus est Pater, quanta tota Trinitas, ut infra patebit (quest. xlii. art. 1. & 4.)

A P P E N D I X .

EX art. habes primo: quomodo per rationem retundas hæresim *Declararum* dicentium, personas non esse in divinis, quamvis tres sint, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; & hæresim *Noeti*, atque *Sabellie* assertantium: In divinis personam unam tantum esse diversis nominibus nominatam, & hæresim *Serveti* cum *Judæis* in hoc adversus Dominum convenientis blaterando, Deum, ut unum, ita in eo unicum esse personam. (vide Prætolum titulo *Judeorum hæresis*) & hæresim *Angelitarum*, & *Contobarditarum* (Nicephorus lib. decimo octavo capit. quadragesimo nono, *Histor. Eccl.*) blasphemantium, quod una subsistens sit Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Secundo habes: quomodo per rationem demonstres, has fuisse merito damnatas Genesis primo. *Faciamus hominem a imaginem, & similitudinem nostram*. Ibi enim loquitur persona Patris ad personam Filii & personam Spiritus sancti secundum expositionem sanctorum Doctorum. Item a catholicæ fidei confessione B. Hieronymi ad Damasum Papam, sic. *Impietatem Sabellii declinantes, tres personas expressas sub proprietate distinguimus, non ipsum sibi Patrem, ipsum sibi Filium, ipsum sibi Spiritum sanctum esse dicentes, sed aliam Patrem, aliam Filii, aliam Spiritus sancti esse personam*. Non enim nomina tantum, sed etiam minimum proprietates, idest personas, & subsistentias confitemur. Nec Pater Filius, aut Spiritus sancti personam, nec rursus Filius, aut Spiritus sanctus Patris nomen personamque aliquando recipit, sed Pater semper Pater est, Filius semper Filius est, Spiritus sanctus semper Spiritus sanctus est; itaque subsstantia unum sunt, Personis, ac nominibus distinguuntur. Hac ille: vide questionem quadragesimam secundam, articulo secundo, & questionem vigesimam octavam, articulo

tunc-

(1) Prout *integra & specifica significatione* accipitur, seu cum adjuncto illo *individus*, ut mox: Alioqui præcise *substantia* secundum genericam & incompletam notionem accepta, in eadem persona definitione ponitur ut abstrahens a substantia particulari (sive a supposito) & a communione subiecti suppositum: sicut supra indicatum est art. 1. ad 2.

(2) Idem ergo est rem *subsistens* esse ac *personam*: An *essentia* vero *abstracta* sumpta persona

est, ut *res per se subsistens* dici possit abstractum a personis vel a subsistentiis relativis, quasi persona quedam absoluta? Et hoc utique velle putetur S. Thomas. Apage!

(3) Sic enim ibi versus finet: *Quoniam nulla relatio ad seipsum referri posset, facta quidem est Trinitatis numerositas in eo quod est predicationis relationis; servata vero unitas in eo quod est indifferenter substantia vel operationis, &c.*

tculo tertio, & questionem trigesimam articulo quarto, & secundo, & questionem trigesimam nonam articulo primo. Item merito &c. supra. Item merito damnatas Genesis 19. Pluit Dominus super Sodomam, & Gomorram ignem, & sulphur a Domino. Pluit enim Dominus Filius a Domino Patre secundum venerabiles expositiones Patrum. Item a Joann. octavo. Solus non sum, sed ego, & qui misit me, Pater. Nam, si Filius esset persona una (ut haereses quzdam supradicta blasphemant) Filius tunc esset solus, etiam quod cum eo esset Pater, quod sub exemplo patet. Tullium enim solum ad filium Marcum Rhetoricam scripsisse dicimus, etiam si Ciceronem illam eamdem scripsisse sciamus, quia Tullius, & Cicero persona est una, licet varia sint nomina. Cum ergo dicat Filius Patrem esse secum, ita ut ex hoc non sit solus, patentissime per hoc demonstrat, quod Pater, & Filius sunt non tantum distincta nomina, sed etiam distinctae personæ. Item merito damnatas ab omnibus Conciliis, atque scripturis de hac re tractantibus, & sensu catholicico intellegatis, ut est illud Joann. decimo: *Ego, & Pater unum sumus*. Si enim realiter Filius, & Pater esset una persona, dixisset, ut patet. *Ego, & Pater unum sum, non autem unum sumus*. Item damnatas merito a Leone primo Pontifice maximo sancto simul, & docto. Hic in epistola septuagesima prima, alias nonagesima tertia ad Asturensem Episcopum Priscillianistarum errores explodens inquit: *Primo itaque capitulo demonstratur, quam impio sentiant de Trinitate divina, qui & Patris, & Filii, & Spiritus sancti unam afferunt esse Personam, tamquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus sanctus nominetur, nec aliis sit, qui genitor, aliis, qui genitus est, aliis qui de utroque processit, sed singularis unitas in tribus quidem vocabulis, non inscribus sic accipienda personis. Quod blasphemie genus de Sabellii opinione sumptur, cuius discipuli etiam Patrifassiani merito nuncupantur, quia, si ipso est Filius, qui & Pater, Crux Filii Patris est passio, & quidquid in forma servi Filius, Patri obediendo, sustinuit, totum in se Pater ipse suscepit. Quod catholicæ fidei sine ambiguitate contrarium est, que Trinitatem unitatis sic operior confitetur, ut Patrem, &*

Filium, & Spiritum sanctum sine confusione indivisos, sine tempore sempiternos, sine differentia credas æquales. Hæc ibi. Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. 174

Utrum in Deo sint plures personæ quam tres.

Inf. quest. xxxi. art. 1. & quest. xlii. art. 6. & I. dist. x. art. 5. & IV. cont. cap. xiii. & xxvi. & pot. quest. ix. art. 9. opusc. II. cap. lvi. & lx.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod in Deo sint plures personæ quam tres. Pluralitas enim personarum in divinis est secundum pluralitatem proprietatum relativarum, ut dictum est (art. præc.) Sed quatuor sunt relations in divinis, ut supradictum est (quest. xxviii. art. 4.) scilicet paternitas, filiatio, communis spiratio, & processio. Ergo quatuor personæ sunt in divinis.

2. Præterea. Non plus differt natura a voluntate in Deo quam natura ab intellectu. Sed in divinis est alia persona quæ procedit per modum voluntatis, ut amor (1), & alia quæ procedit per modum naturæ, ut Filius. Ergo est etiam alia quæ procedit per modum intellectus, ut verbum, & alia quæ procedit per modum naturæ, ut Filius: & sic iterum sequitur quod non sunt tantum tres personæ in divinis.

3. Præterea. In rebus creatis quod excellenter est, plures habet operationes intrinsecas (2); sicut homo supra alia animalia habet intelligere, & velle. Sed Deus in infinitum excedit omnem creaturam. Ergo non solum est ibi persona procedens per modum voluntatis, & per modum intellectus, sed infinitis aliis modis. Ergo sunt infinitæ personæ in divinis.

4. Præterea. Ex infinita bonitate Patris est quod infinite se ipsum communicet producendo personam divinam. Sed etiam in Spiritu sancto est infinita bonitas. Ergo Spiritus sanctus producit divinam personam, & illa aliam, & sic in infinitum.

5. Præterea. Omne quod continetur sub

N n 2 determin-

(1) Nempe Spiritus sanctus qui personali significacione sic appellatur; ut ex professo, cum de nominibus propriis agetur infra, explicandum recurret.

(2) Tamquam operationes magis proprie illum a ceteris animalibus distinguentes: Nam quod etiam

loquutione distinguuntur & propria in spiritum loquuntur factus dicitur a quibusdam; ubi Vulgata legit in animam vivensem, extrasecum est & ab intellectione derivatum.

determinato numero , est mensuratum : numerus enim mensura quedam est . Sed personæ divinæ sunt immensæ , ut patet per Athanasium (in suo symbolo fidei .) *Immensus Pater , immensus Filius , immensus Spiritus sanctus* . Non ergo sub numero tertio continentur .

Sed contra est quod dicitur I. Joan. ult. 7. (1) . *Tres sunt qui testimonium dant in celo , Pater , Verbum , & Spiritus sanctus* . Quærentibus autem , quid tres ? respondetur . tres personæ , ut Augustinus dicit VII. de Trinit. (cap. iv. & seq.) Sunt igitur tres personæ tantum in divinis .

Respondeo dicendum , quod secundum præmissa (artic. præc. & artic. 4. quæst. xxix.) necesse est ponere tantum tres personas in divinis . Ostensum est enim (artic. præc.) quod plures personæ sunt plures relationes subsistentes ab invicem realiter distinctæ . Realis autem distinctio inter relationes divinas non est nisi ratione oppositionis relativæ . Ergo oportet duas relationes oppositas ad duas personas pertinere . Si quæ autem relationes oppositæ non sunt , ad eamdem personam necesse est eas pertinere . Paternitas ergo , & filiatio , cum sint oppositæ relationes , ad duas personas ex necessitate pertinent . Paternitas igitur subsistens est persona Patris , & filiatio subsistens est persona Filii . Aliæ autem duæ relationes ad neutram harum oppositionem habent , sed sibi invicem opponuntur . Impossibile est igitur quod ambæ uni personæ conveniant . Oportet ergo quod vel una earum conveniat utrique dictarum personarum , aut quod una uni , & alia alii . Non autem potest esse quod processio conveniat Patri , & Filio , vel alteri eorum : quia sic sequeretur quod processio intellectus (quæ est generatio in divinis , secundum quam accipitur

paternitas , & filiatio) prodiret ex processione amoris , secundum quam accipitur spiratio , & processio , (*) si persona generans , & genita procederent a spirante ; quod est contra præmissa (quæst. xxvii. art. 3. & 4.) Relinquitur ergo quod spiratio conveniat & personæ Patris , & personæ Filii , utpote nullam habens oppositionem relativam nec ad paternitatem , nec ad filiationem : & per consequens oportet quod conveniat processio alteri personæ , quæ dicitur persona Spiritus sancti , quæ per modum amoris procedit , ut supra habitum est (loc. nunc cit.) Relinquitur ergo tantum tres personas esse in divinis , scilicet Patrem , & Filium , & Spiritum sanctum .

Ad primum ergo dicendum , quod licet sint quatuor relationes in divinis , tamen una earum , scilicet spiratio , non separatur a persona Patris , & Filii , sed convenit utriusque : & sic licet sit relatio , non tamen dicitur proprietas , quia non convenit utri tantum personæ ; neque relatio personalis , id est constitutus personam . Sed hæc tres relationes , paternitas , filiatio , & processio , dicuntur proprietates personales , quasi personas constituentes : nam paternitas est persona Patris , filiatio persona Filii , processio persona Spiritus sancti procedentis .

Ad secundum dicendum , quod id quod procedit per modum intellectus , ut verbum , procedit secundum rationem similitudinis , sicut etiam id quod procedit per modum naturæ : & ideo supra dictum est (quæst. xxvii. artic. 3.) quod processio Verbi divini est ipsa generatio per modum naturæ . Amor autem , in quantum hujusmodi , non procedit ut similitudo illius a quo procedit , licet ut divinus amor sit coessentialis , in quantum est divinus : & ideo processio amoris non dicitur generatio in divinis .

Ad

(1) Prout in Ecclesia Catholica legi consuevit , & in veteri ac vulgata Latina Editione habetur , adeoque omnino retinendum est ac legendum , ut alia omnia quæ sunt similis note ; juxta solemnem Tridentini Concilii Decretum sess. 4. Nec in latinis tantum peretus habetur , sed in græcis etiam , ut & modo : Etsi vel oculorum excursione & ut contingere possim experimentar) vel , quod verius , fraudulenta corruptione iam superius indicata in aliquibus deest . Sic porro Ecclesia in Officio Trinitatis usurpat , ut cuiuslibet pervium est ; Sic & Innocentius III. ab Abbatore Joachim usurpatum recenset nec rejicit , ut cap. *Demonstramus* videtur est ex Concilio Lateranensi : Præter Higinum Papam epist. 1. tom. 1. Concil. parte 1. & Joannem II. epistol. etiam 1.

tom. 2. Concil. parte 2. Sic & Athanasius lib. de *esse dicitur Trinitatis* , & Cyprianus lib. de unitate Ecclesie , & Fulgentius contra objectiones Arianorum prope finem : *Quamvis nec Augustinus lib. 3. contra Maximinum Arianorum Episcopum cap. 22. usurpat , cum aliam adjunctam partem in eum sensum usurparet ; nec Cyrilus Alexandrinus cum pro divinitate Christi vel Trinitatis unitate undiqueque testimonio colligeret ; quis utique forte in depravata exemplaria incidenterat ; vel ne occasionem hereticis traxi daret , quod non extaret in quibusdam .*

(*) Ita Rom. & Patav. ediq. Niccolaus & persona generans &c.

Ad tertium dicendum , quod homo , cum sit perfectior aliis animalibus , habet plures operationes intrinsecas quam alia animalia , quia ejus perfectio est per modum compositionis . Unde in Angelis , qui sunt perfectiores , & simpliciores , sunt pauciores operationes intrinsecæ quam in homine : quia in eis non est imaginari , sentire , & hujusmodi . Sed in Deo secundum rem non est nisi una operatio , quæ est sua essentia (1) . Sed quomodo sint duas processiones , supra ostensum est (quest. xxvii. art. 1. & 4.)

Ad quartum dicendum , quod ratio illa procederet , si Spiritus sanctus haberet aliam numero bonitatem à bonitate Patris : oportet enim quod sicut Pater per suam bonitatem producit personam divinam , ita & Spiritus sanctus . Sed una & eadem bonitas Patris est , & Spiritus sancti . Neque etiam est distinctio nisi per relationes personarum . Unde bonitas convenit Spiritui sancto , quasi habita ab alio ; Patri autem , sicut a quo communicatur alteri . Oppositio autem relationis non permittit ut cum relatione Spiritus sancti sit relatio principii respectu divinæ personæ : quia ipse procedit ab aliis personis , quæ in divinis esse possunt .

Ad quintum dicendum , quod numerus determinatus (si accipiatur numerus simplex , qui est tantum in acceptione intellectus) per unum mensuratur . Si vero accipiatur numerus rerum in divinis personis , sic non competit ibi ratio mensurati : quia eadem est magnitudo trium personarum , ut infra patet (quest. xlxi. art. 1. & 4.) Idem autem non mensuratur per idem .

A P P E N D I X .

HInc habes primo : quomodo ex ratione exploras hæresim *Judeorum* impie dicentium , personas non esse tres , & hæresim *Valentini* (Prat. *Antiluterani*) dicentis , quod personas tres in una Dei essentia statuentes errant , & novellum errorem (ut recitat Vigilius Papa , & martyr in cap. 2. Epistolæ suæ ad Eutherium) designantem quodammodo per subductionem unius syllabe conjunctivæ , unam esse personam Filii , ac Spiritus sancti , & consequenter duas tan-

tum esse personas divinas , scilicet Patrem , & aliam , quæ sit Filius , ac Spiritus sanctus . Hæresis enim omnino est duas tantum ibi esse personas , & ex consequenti error maximus est , subducendo unam syllabam conjunctivam , dicere Gloria Patri , & Filio Spiritui sancto . Secundo habes has jure esse damnatas (ultra dicta art. 1. in appendice , quæ possunt ad hunc locum pertinere) ab eodem Vigilio inibi sic scribentes : Illud autem novelli esse judicamus erroris , quod , cum in fine Psalmorum ab omnibus catholicis ex more dicatur : Gloria Patri , & Filio , & Spiritui sancto , aliqui (sicut indicas) subducta una syllaba conjunctiva perfectionem conanunt minuere vocabulum Trinitatis dicendo : Gloria Patri , & Filio Spiritui sancto . Quamvis ergo ipsa nos ratio evidenter edoceat , quia subducta una syllaba , Personam Filii , & Spiritus sancti unam quodammodo esse designant , tamen ad errorem talium convincendum sufficit : quod Dominus Jesus Christus designans , in invocatione Trinitatis credentium debere baptismum celebrari , dixit : Ite , docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris , & Filii , & Spiritus sancti . Ergo , cum non dixerit : In nomine Patris , & Filii Spiritus sancti , sed aequalibus distinctionibus Patrem , & Filium , & Spiritum sanctum jussiter nominari , constat , illos omnino a doctrina dominica deviare , qui huic voluntate confessioni derogare . Qui , si in errore permanescerint , socii nobis esse non possunt . Hec Vigilius : Non ergo pauciores sunt persone divinæ , quam tres . Item merito esse damnatas a Papa Innocentio in Concilio generali extra ordinem . Trin. & fid. cath. firmiter creditur , &c. quod unus solus est Deus , Pater , & Filius , & Spiritus sanctus . Non ergo sunt plures , quam tres , elariusque id ipsum videtur , si ibi in principio capitulum *Damnum* , ubi Concilium audiens non potest nonen quaternitas in divinis . Esset autem quaternitas utique ibi , si quatuor essent persone . Tertia videt : quomodo &c.

A.R.

(1) Non formaliter sed identico sensu dici quid à pertius ? ut jam antea per aliam occasionem notatum est , cum intellectuē speciatim quæ intellectus operatio est , essentiam diceret as de' volutione quidem hoc ipsum affirmaret . Unde otiosum est ex

hujusmodi loquutionibus eruere formalem rationem constitutivam delatis , aut eam in intellectuē reponere , sicut aliqui fingunt ; cum perinde in operatione qualicunque reponi eam oportet ; ut in Sectione ostendemus .

*Utrum termini numerales ponant aliquid
in divinis.*

*L. dist. xxiv. quest. i. art. 3. & po. quest. ix.
art. 7. & quol. x. quest. i. art. 1.*

AD tertium sic proceditur. Videtur quod termini numerales ponant aliquid in divinis. Unitas enim divina est ejus essentia. Sed omnis numerus est unitas repetita. Ergo omnis terminus numeralis in divinis significat essentiam: ergo ponit aliquid in Deo.

2. Præterea. Quidquid dicitur de Deo, & creaturis, eminentius convenit Deo, quam creaturis (1). Sed termini numerales in creaturis aliquid ponunt. Ergo multo magis in Deo.

3. Præterea. Si termini numerales non ponunt aliquid in divinis, sed inducuntur ad removendum tantum, ut per pluralitatem removeatur unitas, & per unitatem pluralitas; sequitur quod sit circulatio in ratione, confundens intellectum, & nihil certificans: quod est inconveniens. Relinquitur ergo quod termini numerales aliquid ponant in divinis.

Sed contra est quod Hilarius dicit in IV. de Trin. (ante med.) (1) *Sustulit singularitatis, ac solitudinis intelligentiam professio confortii*, quod est professio pluralitatis: & Ambrosius dicit in Lib. I. de Fid. (cap. 11. ant. med. æquiv.) *Cum unum Deum dicimus, unitas pluralitatem excludit deorum, non quantitatem in Deo* (*) ponit. Ex quibus videtur quod hujusmodi nomina sunt inducta in divinis ad removendum, non ad ponendum aliquid.

Respondeo dicendum, quod Magister in sententiis (I. dist. xxiv.) ponit, quod ter-

mini numerales non ponunt aliquid in divinis, sed removent tantum. Alii vero dicunt contrarium.

Ad evidentiam igitur hujus considerandum est, quod omnis pluralitas consequitur aliquam divisionem. Est autem duplex divisione. Una materialis, quæ fit secundum divisionem continuæ: & hanc consequitur numerus, qui est species quantitatis. Unde talis numerus non est nisi in rebus materialibus habentibus quantitatem. Alia est divisione formalis, quæ fit per oppositas, vel diversas formas: & hanc divisionem sequitur multitudo, quæ non est in aliquo genere sed est de transcendentibus, secundum quod ens dividitur per unum, & multa. Et talem multitudinem solam contingit esse in rebus immaterialibus.

Quidam igitur non considerantes nisi (**) multitudinem quæ est species quantitatis discretæ (quia videbant quod quantitas discreta non habet locum in divinis) posuerunt, quod termini numerales non ponunt aliquid in Deo, sed removent tantum.

Alii vero eamdem multitudinem considerantes dixerunt, quod sicut scientia ponitur in Deo secundum rationem propriam scientiarum, non autem secundum rationem sui generis (quia in Deo nulla est qualitas;) ita numerus in Deo ponitur secundum propriam rationem numeri, non autem secundum rationem sui generis, quod est quantitas.

Nos autem dicimus, quod termini numerales, secundum quod veniunt in prædicationem divinam, non sumuntur a numero qui est species quantitatis: quia sic de Deo non dicerentur, nisi metaphorice, sicut & alia proprietates corporalium, sicut latitudo, longitudo, & similia: sed sumuntur a multitudine, secundum quod est transcendentia. Mul-

(1) Id est, excellentius; et si de Deo quoque formaliter dicatur, sicut bonus, sapiens, &c. non eminenter tantum, sicut ea quæ creaturis convenienter præcise ut sic, & imperfectionem involvunt; adeoque in Deo non sunt ut in subiecto sed in causa.

(2) Sic Magister Sententiarum loco mox indicando refert, ut & sequentem ex Ambroſio appendicem. Hilarius autem sic: *Sustulit singularis intelligentiam professio confortii*; nempe Deus cum dicit *Faciamus hominem* &c. ut præmittitur ibi: Ambroſius item sic: *Pater & Filius in divinitate unus sunt*, ubi nec substantia nec voluntatis illa est differentia: *Nam noster quomodo unum Deum dicimus?* Diversitas plures facit: *Unitas potestatis excludit numeri quantitatem*; quia unitas numerus non est: Et inferius: *Utique cum legimus, Deus ex Deo, non duos Deos dicimus: Denique habet in Psal. 44.*

quod & Deum Patrem dixit Propheta, & Deum Filium declaravit, dicens: *Unus se Deus, Deus tuus: Deus est qui unius, & Deus qui secundum carnem anguitus Dei filius &c.* Us autem una deitas Pater & Filius atque una dominatio probavatur prædens Apollonius quid sequi deberemus, ostendit dicens (I. ad Corin. 8.) *Unus Deus Pater ex quo omnia, & nos in ipso.* Unus Dominus Jesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum: *Dicendo unum Dominum Iesum Christum, & unum Deum Patrem*, non divinitatis pluralitatem, sed unitatem potestatis ostendit &c.

(*) Ita Nicolajus: al. ponimus. Ambroſius: Dicendo... unum Deum Patrem, non divinitatis pluralitatem, sed unitatem potestatis ostendit.

(**) Edis. Rom. multitudinem solam quæ &c.

Multitudo autem sic accepta hoc modo se habet ad multa, de quibus prædicatur, sicut unum quod convertitur cum ente, ad ens. Hujusmodi autem unum, sicut supra dictum est (quæst. xi. art. 1.) (1) cum de Dei unitate ageretur, non addit aliiquid supra ens, nisi negationem divisionis tam-tum: unum enim significat ens indivisum. Et ideo de quocumque dicatur unum, significatur illa res indivisa; sicut unum dictum de homine significat naturam, vel substantiam hominis non divisam. Et eadem ratione cum dicuntur res multæ, multitudo sic accepta significat res illas cum indivisione circa unamquamque earum. Numerus autem qui est species quantitatis, ponit quoddam accidens additum supra ens, & similiter unum quod est principium numeri. Terminii ergo numerales significant in divinis illa de quibus dicuntur, & super hoc nihil addunt nisi negationem, ut dictum est (loc. cit.) & quantum ad hoc veritatem dixit Magister in sent. (loc. cit.) (2) ut cum dicimus, *Essentia* est una, unum significat essentiam indivisam; cum dicimus, *Persona* est una, significat personam indivisam: cum dicimus, Personæ sunt plures, significantur illæ personæ, & indivisio circa unamquamque earum: quia de ratione multitudinis est quod ex unitatibus constet.

Ad primum ergo dicendum, quod unum, cum sit de transcendentibus, est communius quam substantia, & quam relatio, & similiiter multitudo. Unde potest stare in divinis & pro substantia, & pro relatione, secundum quod competit his quibus adiungitur. Et tamen per hujusmodi nomina supra essentiam, vel relationem, additur ex eorum significatione propria negatio quædam divisionis, ut dictum est (in corp. art. & loc. ibi cit.)

Ad secundum dicendum, quod multitudo quæ ponit aliiquid in rebus creatis, est species quantitatis, quæ non transsumitur in divinam prædicationem, sed tantum multi-

tudo transcendens, quæ non addit supra ea de quibus dicitur, nisi indisionem circa singula. Et talis multitudo dicitur de Deo (3).

Ad tertium dicendum, quod unum non est remotivum multitudinis, sed divisionis, quæ est prior secundum rationem quam unum, vel multitudo. Multitudo autem non removet unitatem, sed removet divisionem circa unumquodque eorum ex quibus constat multitudo. Et hæc supra exposita sunt (quæst. xi. art. 2.) cum de divina unitate ageretur.

Sciendum tamen est, quod authoritates in oppositum inductæ (4) non probant sufficienter propositum. Licet enim pluralitate excludatur solitudo, & unitate deorum pluralitas; non tamen sequitur quod his nominibus hoc solum significetur. Albedine enim excluditur nigredo; non tamen nomine albedinis significatur sola nigredinis exclusio.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas (facit etiam hoc pro art. 3. qu. 28.) Concilium Toletanum undecimum in pronunciatione fidei catholice, recte dixisse sic: *In relatione personarum numerus cernitur, in divinitatis vero substantia, quid numeratum sit, non comprehenditur. Ergo hoc solo numerum insinuant, quod adiuvicem sunt, & in hoc numero carent, quod in se sunt.* Hæc ibi, verbi gratia. Ex Concilio ergo isto vides, quod termini numerales significant ea, de quibus dicuntur, numerus relationes, unum essentiam. Ceterum audi ex Concilio 6. Constantinopolitano, quod hi termini addunt solam negationem. *Sancta Trinitas numerabilis personalibus est subsistentiis, & sancta unitas extra omnem numerum est, & hec quidem indivisibiliter habet divisionem, & inconfusam gerit conjunctionem.* Hæc ibi. Secundo vides: quomodo Concilia ista per articuli rationem contra protertos defendantur, & quomodo articuli conclusionem Angelicam vicissim &c.

A R-

(1) Tum in corp. art. tam ad 1. & ad 3. per oppositum ad illud *unum* quod est principium numeri, & ibidem aliiquid enti superaddere dicitur ad genus quantitatis pertinens; puta discretæ, ut hic etiam explicatur.

(2) Nempe cum dixit loco jam supra indicato quod *unus*, *duo*, & *tres*, vel *minus* & *trinitas* & alia id genus magis introducta videntur esse, ratione removendi ac excludendi a simplicitate dictasis quæ ibi non sunt quam pondandi aliqua: Nam cum dicitur, *minus Deus*, multitudo deorum excluditur:

Et cum dicimus quog; *plures personæ*, singularitatem atque solitudinem excludimus; non diversitatem nec multiplicitatem ponimus &c.

(3) Ut colligitur ex Boetio ubi supra, qui eam quam a Deo removet vel excludit multitudinem, *numerosem diversitatem* vocat: aliam autem quam in Deo adiuvit, *repositionem unitatum*.

(4) Ex Hilario & Ambrosio, argum. *Sed certe*: quod proinde non tamquam certam probationem proposuit, at nec alibi semper.

*Utrum hoc nomen persona possit esse commune
tribus personis.*

I. dist. XXV. art. 3. & pot. quest. VIII. art. 3.
ad 11. & quest. IX. art. 4. ad 4.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod hoc nomen *persona* non possit esse commune tribus personis. Nihil enim est commune tribus personis nisi essentia. Sed hoc nomen *persona* non significat essentiam in recto. Ergo non est commune tribus.

2. Præterea. Commune opponitur incommunicabili. Sed de ratione personæ est quod sit incommunicabilis, ut patet ex definitione Richardi de Sancto Victore supra posita (quest. XXIX. art. 3. ad 4.) (1) Ergo hoc nomen *persona* non est commune tribus.

3. Præterea. Si est commune tribus, aut ista communitas attenditur secundum rem, aut secundum rationem. Sed non secundum rem, quia sic tres personæ essent una persona; nec iterum secundum rationem tantum, quia sic persona esset universale. In divinis autem non est universale, nec etiam particolare, neque genus, neque species, ut supra ostensum est (quest. IIII. art. 5.) Non ergo hoc nomen *persona* est commune tribus.

Sed contra est quod dicit Augustinus VII. de Trin. (cap. IV. & seqq. & Lib. V. cap. IX. in fin.) (2) quod cum quereretur, quid tres, responsum est, tres personæ, quia commune est eis id quod est persona.

Respondeo dicendum, quod ipse modus loquendi ostendit, hoc nomen *persona* tribus esse commune, cum dicimus tres personas; sicut cum dicimus tres homines, ostendimus, hominem esse communæ tribus.

Manifestum est autem quod non est communis rei, sicut una essentia communis est tribus: quia sic sequeretur unam esse personam trium, sicut essentia est una.

Qualis autem sic communitas, investigantes diversimode locuti sunt. Quidam enim dixerunt, quod est communitas negationis, propter hoc quod in definitione personæ ponitur *incommunicabile* (3). Quidam autem dixerunt, quod est communitas intentionis, eo quod in definitione personæ ponitur *individuum*: sicut si dicatur, quod esse speciem est commune equo, & bovi. (*) Sed utrumque horum excluditur per hoc quod nomen personæ non est nomen negationis, neque intentionis, sed est nomen rei.

Et ideo dicendum est, quod etiam in rebus humanis hoc nomen *persona* est communis communitate rationis, non sicut genus, vel species, sed sicut individuum vagum (4). Nomina enim generum, vel specierum, ut homo, vel animal, sunt imposita ad significandum ipsas naturas communes, non autem intentiones naturarum communium, quæ significantur his nominibus *genus*, vel *species*. Sed individuum vagum, ut *aliquis homo*, significat naturam communem cum determinato modo (**) existendi, qui competit singularibus, ut scilicet sit per se subsistens distinctum ab aliis. Sed in nomine singularis designati significatur determinatum distinguens, sicut in nomine Socratis *haec caro*, & *hoc os*. Hoc tamen interest quod *aliquis homo* significat naturam, vel individuum ex parte naturæ cum modo existendi, qui competit singularibus; hoc autem nomen *persona* non est impositum ad significandum individuum ex parte naturæ, sed ad significandum rem subsistentem in tali natura. Hoc autem est commune secundum rationem.

(1) Ex Tractatu de Trinitate cap. 18. ubi ex eo probat omnem in Deo proprietatem personalem omnino esse incommunicabilem: quia persona ibi nihil aliud est quam *incommunicabilis existentia*; incommunicabilis autem existentia ex proprietate personas constituit.

(2) Inquisitive tamen ibi non assertive sic loquitur: *Si tres personæ, (inquit) communæ est eis id quod persona;* Et paulo infra: *Si præterea dicimus tres personas, cur non tres Deos?* Et inferius adhuc *tres personas*, velut ex quadam inopia humana & loquendi necessitate dici concludit ut jam antea lib. 5. cap. 9. indicarat.

(3) Ut ex Richardo jam notatum; & idem plane videri potest quod ponitur *individua substantia*, sicut Richardus ipse (cap. 23.) insinuat; quia in-

dividuum ipsum est incommunicabile.

(*) Ita Niccolajus. Al. Et utrumque.

(4) Ita dictum, quod etiam si rem singularem significet, non tamen certam, determinatam, definitam (puta Joannem, sive Petrum) sed qualcumque indefinite sumptam (puta vel Petrum vel Joannem) ut cum dicitur, *quidam homo*, *aliquis homo*, &c. Et sic *persona* significat aliquid singulare, sed non præcise Patrem, non præcise Filium, non præcise Spiritum sanctum; quin potius tres illos indistincte; quamvis prout a se invicem singulatim distinguitur; Quia personas non sunt nisi prout singulæ a singulis per oppositas relationes distinguuntur.

(**) Ita Alcan. aliquæ verisimili codd. quibus continet Niccolajus. Edisi plurimi essendi.

tionem omnibus personis divinis ut unaque que earum subsistat in natura divina distincta ab aliis. Et sic hoc nomen *persona* secundum rationem est commune tribus personis divinis.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de communitate rei.

Ad secundum dicendum, quod licet persona sit incommunicabilis, tamen ipse modus existendi incommunicabiliter potest esse pluribus communis.

Ad tertium dicendum, quod licet sit communitas rationis, & non rei; tamen non sequitur quod in divinis sit universale, vel particulare, vel genus, vel species: tum quia neque in rebus humanis communitas personæ est communitas generis, vel speciei: tum quia personæ divinæ habent unum esse; genus autem, & species, & quodlibet universale prædicatur de pluribus secundum esse differentibus.

A P P E N D I X.

Hinc habes primo: quomodo per rationem rejicias hæreses predictas super articulum primum, & secundum, pro quanto negant ly personam esse communem in divinis, & specialiter hæresim Sabellianorum (Directorium Inquisitor. 2. par. quest. 6.) ipsam Trinitatem in officiorum nominibus, non in personis ponentium, atque ideo dicentium, Patrem Deum dici filium, in quantum carnem ex Virgine assumpsit, eumdemque dici Spiritum sanctum, in quantum rationalem creaturam sanctificat. Quis non videat, hos negare sic asserendo, quod non personæ sit commune tribus personis? Unam enim revera tantum ibi statuant ista dogmata personam. Secundo habes: quomodo ostendas ex ratione, prædictam hæresim esse damnatam merito per Ecclesiam in Decreto 24. q.c. Quidam, in cuius fine, recensita inter alias hæresi Sabellianorum dicitur sic: *He sunt hæreses adversus catholicam fidem exortæ, & ab Apostolis, & a sanctis Patribus, vel Conciliis damnatae, que, licet in se divise multis erroribus invicem sibi dissentiant, communi tamen nomine adversus Ecclesiam Dei conspirant.* Tertio vides: quomodo &c.

Summ. S.Th. T. I.

(1) Puta sub hoc nomine, *Trinitatis*, cum non dicatur alicujus trinitas &c. Licet tres ipsa per hoc nomen significata referatur, scilicet unaqueque per-

Q U E S T I O T R I G E S I M A P R I M A.

De his que ad unitatem, vel pluralitatem pertinent in divinis,

In quatuor articulos divisa.

Post hæc considerandum est de his que ad unitatem, vel pluralitatem pertinent in divinis: & circa hoc queruntur quatuor.

Primo de ipso nomine Trinitatis.

Secundo, utrum possit dici: Filius est alius a Patre.

Tertio, utrum dictio exclusiva, quæ videtur alietatem excludere, possit adjungi nomini essentiali in divinis.

Quarto, utrum possit adjungi termino personali.

A R T I C U L U S I. 177

Utrum sit Trinitas in divinis.

I. *diss. xxiv. quest. ii. art. 2. & II. diss. ii. quest. i. art. 5. cor. & opusc. iii. cap. i. li. iii.*

Ad primum sic proceditur. Videtur quod non sit Trinitas in divinis. Omne enim nomen in divinis vel significat substantiam, vel relationem. Sed hoc nomen *Trinitas* non significat substantiam, prædicaretur enim de singulis personis; neque significat relationem, quia non dicitur secundum nomen ad aliud. Ergo nomine Trinitatis non est utendum in divinis.

2. Præterea. *Hoc nomen Trinitas* videtur esse nomen collectivum, cum significet multitudinem (1). Tale autem nomen non convenit in divinis, cum unitas importata per nomen collectivum sit minima unitas: in divinis autem est maxima unitas. Ergo hoc nomen *Trinitas* non convenit in divinis.

3. Præterea. Omne trinum est triplices. Sed in Deo non est triplicitas, cum triplicitas sit species inæqualitatis. Ergo nec Trinitas.

4. Præterea. Quidquid est in Deo, est in unitate essentiæ divinæ, quia Deus est sua essentia. Si igitur Trinitas est in Deo, erit

Oo in

sona respective, ut Pater ad Filium, & Filius ad Patrem &c.

in unitate essentiaz divinaz , & sic in Deo erunt tres essentiales unitates , quod est ha-
xeticum (1).

5. Præterea . In omnibus quæ dicuntur de Deo , concretum prædicatur de abstracto : Deitas enim est Deus , & paternitas est Pa-
ter . Sed Trinitas non potest dici trina : quia sic essent novem res in divinis , quod est er-
roncum . Ergo nomine Trinitatis non est utendum in divinis .

Sed contra est quod Athanasius (in sym-
bolo fidei) dicit , quod *Unitas in Trinitate* ,
& Trinitas in Unitate veneranda sit (2) .

Respondeo dicendum , quod nomen Trini-
tatis in divinis significat determinatum nu-
merum personarum . Sicut igitur ponitur plu-
ralitas personarum in divinis , ita utendum est
nomine Trinitatis : quia hoc idem quod si-
gnificat pluralitas indeterminate , significat
hoc nomen Trinitas determinatae .

Ad primum ergo dicendum , quod hoc
nomen *Trinitas* (3) secundum etymologiam
vocabuli videtur significare unam essentiam
trium personarum , secundum quod dicitur
Trinitas , quasi trium unitas ; sed secundum
proprietatem vocabuli significat magis num-
erum personarum unius essentiaz : & propter
hoc non possumus dicere , quod Pater sit
Trinitas , quia non est tres personæ . Non
autem significat ipsas relationes personarum ;
sed magis numerum personarum ad invicem
relatarum : & inde est quod secundum no-
men ad aliud non refertur .

Ad secundum dicendum , quod nomen col-
lectivum duo importat , scilicet pluralitatem
suppositorum , & unitatem quamdam , scili-
cet ordinis alicujus . Populus enim est multi-
tudo hominum sub aliquo ordine compre-
hensorum . Quantum ergo ad primum , hoc
nomen *Trinitas* convenit cum nominibus col-
lectivis : sed quantum ad secundum differt :
quia in divina Trinitate non solum est uni-

tas ordinis , sed cum hoc est etiam unitas
essentiaz .

Ad tertium dicendum , quod Trinitas ab-
solute dicitur : significat enim numerum ter-
narium personarum (4) . Sed triplicitas fi-
guratur proportionem inæqualitatis : est enim
species proportionis inæqualis , sicut patet
per Boetium in Arithmetica (Lib . I . cap.
xxiv .) Et ideo non est in Deo triplicitas ,
sed Trinitas .

Ad quartum dicendum , quod in Trinita-
te divina intelligitur & numerus , & perso-
nae numeratae . Cum ergo dicimus *Trinitas*
in Unitate , non ponimus numerum in
unitate essentiaz , quasi sit ter una , sed per-
sonas numeratas ponimus in unitate naturæ ;
sicut supposita alicujus naturæ dicuntur esse
in natura illa . E converso autem dicimus
Unitatem in Trinitate , sicut natura dicitur
esse in suis suppositis .

Ad quintum dicendum , quod cum dici-
mus , Trinitas est trina , ratione numeri im-
portati significatur multiplicatio ejusdem nu-
meri in se ipsum ; cum hoc quod dico tri-
num , importet distinctionem in suppositis
illis de quo dicitur . Et ideo non potest
dici , quod Trinitas sit trina : quia seque-
retur , si Trinitas esset trina , quod tria essent
supposita Trinitatis ; sicut cum dicitur , Deus
est trinus , sequitur quod sunt tria supposita
Deitatis .

A P P E N D I X .

H Inc habes primo : quomodo ex ratione
(juncto ad hoc art .) . & qu . 3. si opus
fuerit) confundens hæresim Jacobitanam di-
centium , Trinitatem sanctam non esse , sed
solum unitatem , & dementissimam blasphemiam
hæreticalem quorumdam in Bohemia
(Prat . Paulus Samosatenus) infernali furia
dicentium , Trinitatem esse cerberum trici-
pitem ,

(1) Ad hæresim scilicet Arianam pertineas quæ natu-
ras in Deo multiplicat ; & sicut tres essentias ponit .

(2) Idem etiam in epist . ad Serapionem , *Tota
Trinitas unus Deus* : Et similiter August . 11. de
civit . Dei cap . 10. ut & alibi passim : Et in profes-
sione fidei Tolentana Synodus 11.

(3) Sic Magister Sent . lib . 1. dist . 24. velut ex
Idoro refert ; sed Idorus tantum habet lib . 7.
Etymologicum seu Originum cap . 4. quod sit Tri-
nitas triunitas : Vel sic : *Trinitas appellatur quod
sunt totum unum ex quibusdam vibus quasi triuni-
tas* : *Pater igitur & Filius & Spiritus sanctus tri-
nitas & unitas* : *Idem ensim unum* : *Idem & tria* :

*Unum propter maiestatis communitionem . Trias propter
personarum proprietatem &c.*

(4) Hinc August . lib . 6. de Trin . cap . 7. Non
triplex putandus est (inquit) aliquis minor est Pe-
ter solus quam Pater & Filius . Ac multo minus
triplex deitas dici potest , et si tria deitas in Officio
Ecclesiæ dicitur ; quia tria ex usu saltem supra nu-
merum personarum cadit quibus deitas communis
est ; triplices autem supra perfectionem inæquales .
Dicitur tamen a Gregorio Nazianzeno τριτη δύοτε in
Carm . 3. sed explicari debet tria , quamvis aliqui
nolint .

item, & irrisio nem hæreticam *Luce Sternberger* Trinitatem deridendo, utrum mas, vel femina sit, impudentissime mentientis, Trinitatem quamdam feminam esse, quæ tres habeat maritos; & hæresim *Trinitariorum* (Prat. *Antiluterani*) qui Trinitatem ore blasphemæ violarunt, & hæreticam *Calvini* temeritatem non recipientis testimonia, quæ de Trinitate sunt ex *Genesi*, & Athanasii symbolo deducta, imo Trinitatis vocem adeo abhorrentis, ut Concilium *Nicenum*, ac symbolum Athanasii eam confitentia non receperit. Vide Prætolum titulo *Trinitarii*; ubi describit Calvinum numquam fateri voluisse, quod Trinitas sit. Secundo habes: quomodo ex ratione demonstres, has omnes merito damnatas a Conciliis per hoc, quod sanctam Trinitatem in divinis posuerunt, a Pontificibus summis, a sacris litteris. Cœlestia sunt *Nicenum primum*, *Constantinopolitanum primum*, *Ephesium primum*, *Chalcedonense*, *Toletanum undecimum* in symbolis suis, seu declarationibus catholicæ fidei, & breviter ab omnibus, quæ de hac re tractarunt. Immo ab ipsis Apostolis, dum in symbolo fidei dixerunt. *Unum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum*. Pontifices maximi sunt *Alexander primus* in Epistola ad omnes orthodoxos, ubi de fide sanctæ Trinitatis tradit multa, congestis testimoniosis pluribus veteris testamenti, & *Sixtus primus* in Epistola ad universos Christi fidèles, & *Vigilius* in Epistola ad Eutherum cap. 6. *Sacra litteræ* sunt *Matt. ult.* In nomine *Patri*, & *Fili*, & *Spiritus sancti*, & frequenter in Evangelio, ubicumque de *Patre*, *Filio*, *Spiritu sancto*, seu *Paraceto* fit mentio. Item habes: quomodo ex ratione demonstres, quod *Olipius* Trinitatem blasphemando severe punitus merito est. Dum enim hic *Olipius* Arianus Carthaginensis Episcopus in balneis sanctam Trinitatem blasphemias afficeret, tribus igneis fulminibus ab Angelo utiliter missis miserabiliter decidit, ut resert *Jacobus Philippi ordinis Eremitarum lib. 9. supplementi Chronico-*

nun. Tertio videre datur: quomodo ex his vicissim Angelica firmetur conclusio.

ARTICULUS II. 178

Utrum Filius sit alius a Patre.

I. dist. ix. quest. i. art. i. & dist. xxiv.
quest. ii. art. i.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod Filius non sit alius a Patre. *Alius* enim est relativum diversitatis substantiæ. Si igitur Filius est alius a Patre, videtur quod sit a Patre diversus: quod est contra Augustinum VII. de Trin. (cap. ult.) ubi dicit (1), quod cum dicimus tres personas, non diversitatem intelligere vokamus.

2. Præterea. Quicumque sunt alii ab invicem, aliquo modo ab invicem differunt. Si igitur Filius est alius a Patre, (*) sequitur quod sit differens a Patre: quod est contra Ambrosum in I. de Fide (ad Gratianum cap. 11. ante med.) ubi ait (2): *Pater, & Filius Deitate unum sunt; nec est ibi substantie differentia, neque ulla diversitas.*

3. Præterea. Alienum ab alio dicitur. Sed Pater non est alienus a Filio: dicit enim Hilarius in VII. de Trin. (non longe a fin.) quod in divinis Personis nihil est diversum, nihil alienum, nihil separabile. Ergo Filius non est alius a Patre.

4. Præterea. *Alius*, & *aliud* idem significant, sed sola generis significazione differunt. Si ergo Filius est alius a Patre, videatur sequi quod Filius sit aliud a Patre.

Sed contra est quod Augustinus (Fulgentius) dicit in Lib. de Fide ad Petrum (cap. 1.) *Una est enim essentia Patri, & Fili, & Spiritus sancti, in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus; quamvis personaliter sit aliis Pater, aliis Filius, aliis Spiritus sanctus.*

Respondeo dicendum, quod quia ex verbis inordinate prolati incurritur hæresis, ut Hieronymus dicit (citatur autem IV. Sen. a Magist. dist. xiii. in fin. (3) ideo

Oo 2 cum

debet, ex quo in Officio Trinitatis haec usurpantur, ut alibi plenus annotatum.

(3) Sed apud Hieronymum nullibi sic expresse occurrit: Nec in Osee 5 vel 8. & 9. Nec in Amos 3. Nec ad Titum 3. ut varie notari solet: Quamvis ex illis locis aliquid hue pertinens colligi potest: Et praesertim Osee 9 ubi de hæreticis ait quod *infamiam in domo Domini finierunt, haec est in Ecclesiæ vel in Scripturis sanctis, perverse illas transpresantes, &c.*

(1) Äquivalenter non expresse, ut cap. ult. videtur est, partim post initium, partim etiam versus finem.

(2) Cod. Alcan. sequetur.

(2) Sub his verbis æquivalenter circa medium: *Divinitate unum sunt* (inquit) *ubi nec substantia nec voluntatis ulla est differentia: Numquid aliter quomodo unum Deum dicemus? Diversitas plures facit: Unitas potestatis excludit quantitatem numeri &c.* Pro Augustino autem infra Fulgentius reponi

cum de Trinitate loquimur, cum cautela, & modestia est agendum: quia, ut Augustinus dicit in I. de Trin. (capit. 111. in princ.) nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosus aliquid queritur, nec fructuosus aliquid invenitur. Oportet autem in his quæ de Trinitate loquimur, duos errores oppositos cavere, temperate inter utrumque procedentes, scilicet errorem Arii, qui posuit cum Trinitate personarum Trinitatem substantiarum, & errorem Sabellii, qui posuit cum unitate essentiæ unitatem personæ.

Ad evitandum igitur errorem Arii, vitare debemus in divinis nomen diversitatis, & differentiæ, ne tollatur unitas essentiæ. Possimus autem uti nomine distinctionis propter oppositionem relativam. Unde sicut ibi in aliqua Scriptura authentica diversitas, vel differentia personarum invenitur, sumitur diversitas, vel differentia pro distinctione. Ne autem tollatur simplicitas divinæ essentiæ, vitandum est nomen separationis, & divisionis, quæ est totius in partes. Ne autem tollatur æqualitas, vitandum est nomen disparitatis. Ne vero tollatur similitudo, vitandum est nomen alieni, & discrepantis. Dicit enim Ambrosius in Lib. I. de Fid. (cap. 11. ante med.) quod *in Patre, & Filio non est discrepans, sed una Divinitas* (1). Et secundum Hilarium, ut dictum est (loc. cit. in arg. 3.) *in divinis nihil est separabile*.

Ad vitandum vero errorem Sabellii vitare debemus singularitatem, ne tollatur communicabilitas essentiæ divinæ. Unde Hilarius dicit VII. de Trinit. (non multum a fin.) *Patrem, & Filium singularem Deum predicare sacrilegum est*. Debemus etiam vitare nomen *unici*, ne tollatur numerus personarum. Unde Hilarius in eod. Lib. dicit, quod *a Deo excluditur singularitas, atque unicæ intelligentia* (2). Dicimus tamen unicum Filium, quia non sunt plures filii in divi-

nis. Neque tamen dicimus unicum Deum, quia pluribus Deitas est communis. Vitamus etiam nomen *confusi*, ne tollatur ordo naturæ a personis. Unde Ambrosius dicit I. de Fide (loco ante cit.) (3). *Negue confusum est quod unum est, neque multiplex est potest quod indifferens est*. Vitandum est etiam nomen *solitarii*, ne tollatur consortium trium personarum: dicit enim Hilarius IV. de Trin. (ante med.) *Nobis neque solitarius, neque diversus Deus est confundendus*.

Hoc autem nomen *alius* masculine sumptum non importat nisi distinctionem suppositi. Unde convenienter dicere possimus, quod *Filius est aliud a Patre*, quia scilicet est aliud suppositum divinæ naturæ, sicut est alia persona, & alia hypostasis.

Ad primum ergo dicendum, quod *alius*, quia est sicut quoddam particulare nomen, tenet se ex parte suppositi; unde ejus rationem sufficit distinctio substantiæ, quæ est hypostasis, vel persona. Sed diversitas requirit distinctionem substantiæ, quæ est essentia. Et ideo non possimus dicere, quod *Filius sit diversus a Patre*, licet sit *alius*.

Ad secundum dicendum, quod differentia importat distinctionem formæ. Est autem tantum una forma in divinis, ut patet per id quod dicitur Philipp. 11. 6. (4) *Qui cum in forma Dei esset*. Et ideo nomen differentiæ non proprie competit in divinis, ut patet per authoritatem inductam (in 2. arg.) Utitur tamen Damascenus (Lib. III. orth. Fid. cap. v.) (5) nomine *differentiæ* in divinis personis, secundum quod proprietas relativa significatur per modum formæ. Unde dicit, quod non differunt ab invicem hypostases secundum substantiam, sed secundum determinatas proprietates. Sed differentia sumitur pro distinctione, ut dictum est (in corp. art.)

Ad tertium dicendum, quod alienum est quod est extraneum, & dissimile. Sed hoc non

(1) Ut ibi plenius videre est his verbis: *Est plenitudo divinitatis in Patre: Est plenitudo divinitatis in Filio: Non discrepans sed una divinitas*.

(2) Idef notio vel conceptus quo Deus ut unus intelligitur.

(3) Ubi supra immediate post predicta, sic tantum: *Nec confusum, quod unum est; nec multiplex, quod differens*: Quamvis æquivalenter intelligitur quod *multiplex esse non potest*, ut hic proinde refert S. Thomas. Dicitur autem *indifferens* quasi differentia carens quæ proprie non potest esse in divinis; quamvis extensiore sensu potest; ut paulo infra notat ad 2. & nos plenius ad marginem.

(4) Ubi & græce μόνοι quod proprie forma est.

(5) Ubi ait quod *in divinitate differentiam hypostaseon* (διαφοράς) *in solis tribus proprietatibus agnoscamus* & *infectis quod est impossibile unam hypostasim dicere, ne hypostasum differentiam* (διαφοράς) *abolitionem inducamus*: Non autem 6. vel 7. cap. ut prius notabatur; cum in altero tantum dicat *creatas hypostases differre*: in altero *Deum bonum a Deo Patre qua homo est, & à nobis differentem Deus est*. Sic & in Prosa de Trinitate, *personæ differentes a se differentia*, prout etiam S. Thomas tempore cantabatur, & *Vetus Rituale Prædicorum* habet anno 1254.

non importatur , cum dicitur *alius* : & ideo dicimus Filium aliud a Patre , licet non dicamus alienum.

Ad quartum dicendum , quod neutrum genus est informe , masculinum autem est formatum , & distinctum , & similiter femininum . Et ideo convenienter per neutrum genus significatur essentia communis ; per masculinum autem , & femininum aliquod suppositum determinatum in communi natura . Unde etiam in rebus humanis si queratur . Quis est iste ? respondeatur , Socrates , quod nomen est suppositi . Si autem queratur , Quid est iste ? respondeatur , animal rationale , & mortale . Et ideo quia in divinis distinctio est secundum personas , non autem secundum essentiam , dicimus , quod Pater est alias a Filio , sed non aliud ; & e converso dicimus , quod sunt unum , sed non unus .

A P P E N D I X .

EX art. habes primo : quomodo per rationem rejicias haeresim Pauli Samosatensis dicentem : Filium non substantivum , ac personalem , ac sempiternum esse cum Patre , sed prolativum tantum , idest quasi aerem quemdam esse , non autem personam vivam , & sempiternam cum sempiterno Patre credendam . Si enim non est persona secundum hunc impium , utique non est alias ab ipso Patre , tamquam persona a persona ; quod si est sic alias , utique per hunc articulo confunditur impius . Similiter habes ; quomodo per rationem rejicias haeresim Suenefeldii dicentem , quod Filius Dei est energia illa , qua est in Verbo Dei prædicato . Vide ergo , quod negat , Filium Dei esse personam , & consubstantiale Patri . Item quomodo haeticum commentum Agarenorum cum *Judeis* , Cerdoneque conspirantium atque dicentium ; quod Deus non potest habere filium , cum uxorem non habeat : si enim (inquit) haberet filium , omnia jam essent in periculo , tamquam futura sit inde sedatio , & necessario inter eos schisma oborsurum . Ridiculum hoc , ac impiissimum figuramentum est contra omnes articulos supra hic , & infra

tractantes aliquid de Filio Dei , & consequenter per rationem singulorum ipsorum articulorum deridere juste potes istorum insaniam ; increatas personas passionibus creatis affici posse creditum . Phantasticum hoc Agarenorum delirium , atque scelus congrue supra q. 27. art. 2. ratione dicta exsibilare potes . Secundo habes : quomodo ex ratione ostendas , has omnes merito intelligi damnatas extra de sum . Trin. & fide cath. c. *Damnamus* . Ibi enim circa medium capituli *Innocentius* Papa in Concilio generali dicit sic : *Liceat igitur alias sit Pater , alias Filius , alias Spiritus sanctus , non tamen aliud : sed id , quod est Pater , est Filius , & Spiritus sanctus idem omnino , ut secundum orthodoxam , & catholicam fidem consubstantiales esse credantur* . Hæc ibi . Qui Papa supra ibi præmisserat sic : *Pater , Filius , & Spiritus sanctus tres simul persone &c. sed est Pater , qui generat , Filius qui gignitur , Spiritus sanctus , qui procedit , ut distinctiones sint in Personis , & unitas in natura* . Hæc ibi . Tertio vides : quomodo &c.

A R T I C U L U S III. 179

Utrum dictio exclusiva solus sit addenda termino essentiali in divinis.

I. *diss. XXI. quest. I. artic. I.*

AD tertium sic proceditur . Videtur quod dictio exclusiva *solutus* non sit addenda termino essentiali in divinis . Quia secundum Philosophum in II. Elench. (cap. III. a med.) *solutus est qui cum alio non est* (1) . Sed Deus est cum Angelis , & sanctis animabus . Ergo non possumus dicere Deum solum .

2. Præterea Quidquid adjungitur termino essentiali in divinis , potest prædicari de quilibet persona per se , & de omnibus simul : quia enim convenienter dicitur sapiens Deus , possumus dicere , Pater est sapiens Deus , & Trinitas est sapiens Deus . Sed Augustinus in VI. de Trin. (cap. ix. in princ.) (2) dicit : *Consideranda est illa scientia , qua dicitur non esse Patrem verum Deum solu-n.* Ergo

(1) Sive paulo aliter : *Solum non significat quid neque quantum neque quale , sed ad aliquid , id est non cum alio : ex cap. 3. post medium .*

• (2) Quod ut finis octavi propriæ seriem indiget ac præpostoram in quibusdam exemplaribus indi-

Ergo non potest dici solus Deus.

3. Præterea. Si hæc dictio *solus* adiungitur termino essentiali, aut hoc erit respectu predicati personalis, aut respectu predicati essentialis. Sed non respectu predicati personalis, quia hæc est falsa, Solus Deus est pater, cum etiam homo, sit pater: neque etiam respectu predicati essentialis, quia si hæc esset vera, Solus Deus creat, videtur sequi quod hæc esset vera, Solus Pater creat: quia quidquid dicitur de Deo, potest dici de Patre. Hæc autem est falsa, quia etiam Filius est creator. Non ergo hæc dictio *solus* potest in divinis adjungi termino essentiali.

Sed contra est quod dicitur I. ad Timoth. 1. 17. *Regi seculorum immortali, invisibili, soli Deo* (1).

Respondeo dicendum, quod hæc dictio *solus* potest accipi ut categorematica, vel syncategorematica. Dicitur autem dictio categorematica quæ absolute ponit rem significatam circa aliquod suppositum, ut *albus* circa hominem, cum dicitur *homo albus*. Si ergo sic accipiat hæc dictio *solus*, nullo modo potest adjungi alicui termino in divinis, quia poneret solitudinem circa terminus cui adjungeretur; & sic sequeretur Deum esse solitarium: quod est contra prædicta (art. præc.) Dictio vero syncategorematica dicitur quæ importat ordinem prædicati ad subjectum, sicut hæc dictio *omnis*, vel *nullus*; & similiter hæc dictio *solus*, quia excludit omne aliud suppositum a consortio prædicari (2). Sicut cum dicitur, Solus Socrates scribit, non datur intelligi quod Socrates sit solitarius, sed quod nullus sit ei consors in scribendo, quamvis cum eo multis existentibus. Et per hunc modum nihil prohibet, hanc dictionem *solus* adjungere alicui essentiali termino in divinis, in-

quantum excluduntur omnia alia a Deo a consortio prædicati; ut si dicamus, Solus Deus est æternus, quia nihil præter Deum est æternum.

Ad primum ergo dicendum, quod licet Angeli, & animæ sanctæ semper sint cura Deo; tamen si non esset pluralitas personarum in divinis, sequeretur quod Deus esset solus, vel solitarius. Non enim tollitur solitudo per associationem alicujus quod est extraneæ naturæ (3): dicitur enim aliquis solus esse in horto, quamvis sint ibi multæ plantæ, & animalia. Et similiter diceretur Deus esse solus, vel solitarius, Angelis, & hominibus cum eo existentibus, si non essent in divinis personæ plures. Consociatio igitur Angelorum, & animarum non excludit solitudinem absolutam a divinis, multo minus solitudinem respectivam, & per comparationem ad aliquod prædicatum.

Ad secundum dicendum, quod hæc dictio *solus* proprie loquendo, non ponitur ex parte prædicati, quod sumitur formaliter: respicit enim suppositum, in quantum excludit aliud suppositum ab eo cui adjungitur. Sed hoc adverbium *tantum*, cum sit exclusivum, potest ponи ex parte subjecti, & ex parte prædicati. Possumus enim dicere, tantum Socrates currit, idest nullus aliis: & Socrates currit tantum, idest nihil aliud facit. Unde non proprie dici potest, Pater est solus Deus, vel Trinitas est solus Deus, nisi forte ex parte prædicati intelligatur aliqua implicatio, ut dicitur, Trinitas est Deus, qui est solus Deus. Et secundum hoc etiam posset esse vera ista, Pater est Deus, qui est solus Deus; si relatum referret prædicatum, & non suppositum (4). Augustinus autem cum dicit, Patrem non esse solum Deum, sed Trinitatem esse solum Deum, loquitur expositive, ac si diceret, cum dicitur, *Regi seculorum invisibili,*

(1) Præter alia passim, Deut. 6. vers. 13. Deut. 10. vers. 20. Et 4. Reg. 19. vers. 15. & vers. 19. Tob. 8. vers. etiam 19. Psal. 85. vers. 10. Ecclesiast. 18. vers. 1. Iſai. 2. vers. 11. & Iſai. 37. vers. 16. Daniel. 3. vers. 45. Et 2. Machab. 7. vers. 37. Matth. 4. vers. 10. Luc. 4. vers. 8. Joan. 17. vers. 3. Ad Rom. 16. vers. 7. ubi significatur *solus Deus*, vel *ei soli serviendum*; vel similia.

(2) Sic autem appellatur ex greco συντόνωση, quia non nisi cum alio coniuncto significacionem aliquam habet, nec simpliciter enuntiari potest: juxta vim verbi κατηγορίας quod significat *enuntiatio*, ac particula ὡν quæ significat conjunctionem cum alio.

(3) Huc pertinere per oppositum potest quod

Joan. 8. vers. 16. dicit Christus, *Judicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego & qui misse me Pater:* Quasi se supponeret folium quamvis cum Apostolis esset, nisi & secum esset Pater: Unde ibidem addit. vers. 29. *Qui me misse, mecum est, & non religavit me folium &c.* Sed inuito magis dicitur *solus* ad extraneos deos excludendos; ut Basilicus lib. 4. aduersus Eunomium & epist. 141. notat; Et similiter Athanasius orat. 4. contra Arianos, præter alios passim.

(4) Idem, si pronomen illud *qui* referatur ad nomen Deus quod prædicati locum tenet, non autem referatur ad nomen Patris quod locum tenet suppositi, hoc est subjecti: nempe dicendo quod *qui Deus est solus Deus*; non *qui Pater est solus Deus*:

bili, sicut Deus, non esse exponendum de persona Patris, sed de sola Trinitate.

Ad tertium dicendum, quod utroque modo potest hæc dictio *solis* adjungi termino essentiali. Hæc enim propositio, Solus Deus est pater, est duplex: quia ly Pater potest prædicare personam Patris; & sic est vera, non enim homo est illa persona: vel potest prædicare relationem tantum; & sic est falsa, quia relatio paternitatis etiam in aliis inventur, licet non univoce (1). Similiter hæc est vera, Solus Deus creat: nec tamen sequitur, Ergo solus Pater: quia, ut Sophisti dicunt, dictio exclusiva immobilitatem terminum cui adjungitur, ut non possit fieri sub eo descensus pro aliquo suppositorum. Non enim sequitur: Solus homo est animal rationale mortale: ergo solus Socrates.

APPENDIX.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte dici ab Apostolo 1. Tim. i. *Regi seculorum invisibili soli Deo honor & gloria:* ubi dictiōnem exclusivam *solus* adjungit termino essentiali Deus. Item & *Paternum* in Conc. extra de sum. Trinitate & fide catholica firmiter, recte dicere. *Unus solus est verus Deus:* ubi eamdem exclusivam termino essentiali jungit. Secundo habes: quomodo per rationem hæc illorum dicta in sensu catholico, non Sabelliano, intelligas. Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS IV. 180

Urum dictio exclusiva possit adjungi termino personali.

I. *diss. xxxi. quest. 1. art. 2. & IV. cont. cap. xxv. & pot. quest. x. art. 4. ad 12.*

AD quartum sic proceditur. Videtur quod dictio exclusiva possit adjungi termino personali, etiam si prædicatum sit commune. Dicit enim Dominus ad Patrem loquens Joann. xvii. 3. *Ut cognoscant te solum Deum verum.* Ergo solus Pater est Deus verus.

2. Præterea. Matth. xi. 27. Dicitur: *Nemo novit Filium nisi Pater:* quod idem significat ac si diceretur, Solus Pater novit Filium. Sed nosse Filium est commune (2). Ergo idem quod prius.

3. Præterea. Dictio exclusiva non excludit illud quod est de intellectu termini cui adjungitur. Unde non excludit partem, neque universale: non enim sequitur: Solus Socrates est albus, ergo manus ejus non est alba; vel ergo homo non est albus. Sed una persona est in intellectu alterius, sicut Pater in intellectu Filii, & e converso (3). Non ergo per hoc quod dicitur solus Pater est Deus, excluditur Filius, vel Spiritus sanctus: & sic videtur hæc locutio esse vera.

4. Præterea. Ab Ecclesia cantatur (4): *Tu solus altissimus Iesu Christe.*

Sed contra. Hæc locutio, Solus Pater est Deus, habet duas expositivas, scilicet Pater est Deus, & nullus alius a Patre est Deus. Sed hæc secunda est falsa, quia Filius alius est a Patre, qui est Deus. Ergo hæc est falsa, solus Pater est Deus; & sic de similibus.

Respondeo dicendum, quod cum dicimus, Solus Pater est Deus, hæc propositio potest habere multiplicem intellectum. Si enim *solus* ponat solitudinem circa Patrem, sic est falsa,

(1) Per comparationem ad divinam, ex qua nihilominus derivantur aliquo modo paternitatem omnes; ut explicari solet illud ad Eph. 3. *Ex quo omnis paternitas in cœlo &c.*

(2) Patri nimirum & Filio, vel Trinitati toti; secundum illud Hædori lib. 1. de summo bono (five Sententiarum) cap. 3. *Trinitas sibi soli nota est;* adeoque Filius ei notus.

(3) Passim sensu quia unus non potest intelligi sine alio.

(4) Nempe in hymno illo qui *angelicas dicas dicas* sollet, quia prima illius verba concentus Angelorum ad celebrandum Christi missivitatem primus edidit,

nempe *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis:* Reliqua vero Apostoli subinde addiderunt, ut in Constitutionibus Apostolicis lib. 17. cap. 48. apud Clementem videre est: *Vel Telesphorus Papa, ut Rabanus de institutione Clericorum lib. 1. cap. 3. & Innocentius III. lib. 2. de mysteriis Missæ cap. 20. testatur:* Etsi alii putant a Telesphoro solum institutum fuisse ut in Missa Sacrificio cantaretur; & epistola ejus prima hoc insinuat: *Ab Hilario tamen completum esse Alcuinus uela lib. de divinis Officiis cap. de celebratione Missæ:* Sed et ejus autoritatem parum refert.

falsa , secundum quod sumitur categorematica ; secundum vero quod sumitur syncategorematica , sic iterum potest intelligi multipliciter : quia si excludat a forma subjecti , sic est vera ; ut sit sensus , Solus Pater est Deus , idest ille cum quo nullus aliis est Pater , est Deus . Et hoc modo exponit Augustinus in VI. de Trinit. (cap. vii. in fin.) cum dicit : *Solum Patrem dicimus , non quia separatur a Filio , vel Spiritu sancto , sed hoc dicentes significamus , quod illi simul cum eo non sunt Pater .* Sed hic sensus non habetur ex consueto modo loquendi , nisi intellecta alia implicatione , ut si dicitur : Ille qui solus dicitur Pater , est Deus . Secundum vero proprium sensum excludit a consortio praedicati . Et sic haec propositio est falsa , si excludit aliud masculine ; est autem vera , si excludit aliud neutraliter tantum : quia Filius est aliis a Patre , non tamen aliud ; similiter & Spiritus sanctus .

Sed quia haec dictio *solas* respicit proprie subjectum , ut dictum est (art. præc.) magis se habet ad excludendum aliud quam aliud . Unde non est extendenda talis locutio , sed pie exponenda , sicuti inveniuntur in authenticâ Scriptura (1).

Ad primum ergo dicendum , quod cum dicimus , *Te solum Deum verum* , non intelligitur (*) de persona Patris , sed (**) de tota Trinitate , ut Augustinus exponit (Lib. VI. de Trinit. cap. ix. circ. med.) Vel si intelligatur de persona Patris , non excluduntur aliae personæ propter essentia unitatem , prout ly *salus* excludit tantum aliud , ut dictum est (in corp. art.) .

Et similiter dicendum est ad secundum . Cum enim aliquid essentiale dicitur de Patre , non excluditur Filius , vel Spiritus sanctus propter essentia unitatem . Tamen secundum est , quod in autoritate praedicta haec dictio *nemo* non idem est quod nullus homo , quod videtur significare vocabulum : non enim posset excipi persona Patris : sed sumitur secundum usum loquendi distributiye pro quacumque rationali natura .

Ad tertium dicendum , quod dictio exclusiva non excludit illa quæ sunt de intellectu termini cui adjungitur , si non differunt secundum suppositum , ut pars , & universale . Sed Filius differt supposito a Patre ; & ideo non est similis ratio .

Ad quartum dicendum , quod non dicimus absolute , quod solus Filius sit altissimus , sed quod solus sit altissimus cum Spiritu sancto in gloria Dei Patris (2) .

A P P E N D I X .

EX art. habes primo : quomodo per rationem ostendas , Christum bene fecisse addendo dictiōnem exclusivam termino personali Joann. 17. *Ut cognoscant te solum verum Deum* , & Matth. 11. *Nemo novit Filium , nisi Pater* : cum tamen & aliaz divinæ personæ sint verus Deus , & noscant Filium . Secundo igitur habes : quomodo per rationem sensum catholicum in his evangelicis dictiōs , & similibus investiges ab errore declinando : ipsamque catholicum defendas . Tertio videre licet : quomodo &c.

Q U Ä S T I O TRIGESIMASECUNDA .

De divinarum Personarum cognitione ,

In quatuor articulos divisæ .

Consequenter inquirendum est de cognitione divinarum personarum : & circa hoc queruntur quatuor .

Primo , utrum per rationem naturalem possint cognosci divinae personæ .

Secundo , utrum sint aliquæ notiones divinis personis attribuendæ .

Tertio , de numero notionum .

Quarto , utrum liceat diversimode circa notiones opinari .

AR-

(1) Non canonica tantum sed que alicuius auctoritatis esse mereantur ; ex græco ἀυτορικὴν quasi per se auctoritatem habens . Hinc *authenticæ leges , authenticæ decretæ , authenticæ scripture* , que cum auctoritate sunt ; in Syntagmate juris lib. 48. cap. 14. §. 2. Usurpat & Cicero Attico scribens epist. 17. libri 9. *authenticæ legi* (vel auctoritatis) ex auctoritate nimis fide digno : Sic ergo scripta Patrum pro authenticis esse possunt ; sed *canonicæ* potissimum

Scripturæ vel Concioilia &c.

(*) Ita codd. & edit. plurimi . Al. de sola persona Patris .

(**) Ita Nicolajus . Al. de sola Trinitate .

(2) Quid si addamus quoque quod *solus aeternus* dicitur comparative ad homines ratione humanitatis ad divinam unionem assumptæ conformiter ad illud quod præcessit ibidem , *Domine Deus agnus Dei , qui tollis peccata mundi* &c.

ARTICULUS I. 181

Utrum Trinitas divinarum Personarum possit per naturalem rationem cognosci.

I. P. quest. XXXIX. art. 7. cor. & I. dist. III. quest. I. art. 4. & I. cont. cap. XIV. & verit. quest. X. art. 13. & po. qu. IX. art. 5. co. & Boet. Tri. quest. I. art. 4. & Ro. I. lect. 6. in fin.

AD primum sic proceditur. Videtur quod Trinitas divinarum personarum possit per naturalem rationem cognosci. Philosophi enim non devenerunt in Dei cognitionem nisi per rationem naturalem. Inveniuntur autem a Philosophis multa dicta de Trinitate personarum. Dicit enim Aristoteles in I. de cœlo & mundo (tex. 2.) *Per hunc numerum, scilicet ternarium, adhibuimus nosipsoſ magnificare Deum unum, eminentem proprietatis eorum que sunt creata.* Augustinus etiam dicit VII. Confess. (cap. ix. parum a prin.) *Ibi legi, scilicet in libris Platonico-rum, non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis, & multiplicibus suaderi rationibus, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum,* & hujusmodi quæ ibi sequuntur. In quibus verbis distinctio divinarum personarum traditur. Dicitur etiam in Glosa Rom. I. & Exod. VIII. (1) quod magi Pharaonis defecerunt in tertio signo, id est in notitia tertiae personæ scilicet Spiritus sancti, & sic ad minus duas cognoverunt. Trismegistus etiam dixit (in Lib. qui dicitur *Pimander*, dialog. 4.) *Monas genuit monadem, & in se suum reflexit ardorem.* Per quod videtur generatio Filii, & Spiritus sancti processio intimari. Cognitio ergo divinarum personarum potest per rationem naturalem haberi.

2 Præterea. Richardus de Sancto Vict. dicit in Lib. I. de Trinit. (cap. IV. circa princ.) *Credo sine dubio, quod ad quamcumque*

Summ. S.Th. T.I.

(1) Non Exod. 7. sicut prius: Hoc autem ibi vetus & manucripta glossa tantum non moderna expresse habet, quamvis & insinuat; sed ad Rom. I. ex utraque colligi potest: Porro ut ex Haymone prænotatur super Exodum, & ex ejus Commentario in epistolas Pauli defumpta est.

(2) Sive *sine socio*, ut Seneca loquitur epist. 6. unde hoc defumptum est, eti nomine Boetii apud quem non occurrit, citat id S. Thomas in quest. disput. de pot. qu. 9. art. 5. argu. 23. & 2. Sent. dist. 3. qu. 3. art. 4. & iterum I. 2. quest. 4. art. 7.

(3) *Ali. cognosci potest.*

que explanationem veritatis non modo probabilitia, immo etiam necessaria argumenta non defint. Unde etiam ad probandum Trinitatem personarum aliqui induxerunt rationem ex infinite bonitatis divinitate, quæ se ipsam infinite communicat in processione divinarum personarum: quidam vero per hoc quod nullius boni sine confortio (2) potest esse jucunda possesso, . Augustinus vero (Lib. X. de Trin. cap. XI. & XII. & Lib. IX. cap. IV. & seqq.) procedit ad manifestandum Trinitatem personarum ex processione verbi, & amoris in mente nostra: quam viam supra secuti sumus (quest. XXVII. art. 1. & 3.) Ergo per rationem naturalem potest cognosci Trinitas personarum.

3. Præterea. Superfluum videtur homini tradere quod humana ratione (*) cognoscere non potest. Sed non est dicendum, quod traditione divina de cognitione Trinitatis sit superflua. Ergo Trinitas personarum rationes humana cognosci potest.

Sed contra est quod Hilarius dicit in Lib. I. de Trinitate (parum a princ.) *Non potest homo sua intelligentia generationis sacramentum posse consequi.* Ambrosius etiam (Lib. II. de fide ad Gratianum cap. V. ante med.) dicit: *Impossibile est generationis scire secretum. Mens deficit, vox filiet (3).* Sed per originem generationis, & processionis distinguitur Trinitas in personis divinis, ut ex supra dictis patet (quest. XXX. art. 2.) Cum ergo illud homo non possit scire, & intelligentia consequi ad quod ratio necessaria haberi non potest, sequitur quod Trinitas personarum per rationem cognosci non possit.

Respondeo dicendum, quod impossibile est per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis divinarum personarum pervenire (4). Ostensum est enim supra (quest. XII. art. 4. & 12.) quod homo per rationem naturalem in cognitionem Dei pervenire non potest nisi ex creaturis. Creaturæ autem ducent in Dei cognitionem sicut effectus in

Pp cau-

(3) Ubi addit, *Non mea tanssem: sed & Angelorum: Ac deinde mos: Tu quoque manus ori admove: Scrutari non licet superna mysteria &c*

(4) Hinc merito explopta delicia Raymundi Lulli qui Trinitatem demonstrare hoc ridiculo argumento præsumpsit; quia ubi est posse infinitum, ibi possibilia sunt infinita, & possibilia infinitum; ac propter hunc nugacem errorum aliosque similes a Gregorio XI. ad instantiam inquisitoris Aymerici Avignonie damnatus est; quidquid ad eum defendendum inauspicati Apologisti scribant, ut alias discussi; sed hic plura brevior charta non patitur.

causam . Hoc igitur solum ratione naturali de Deo cognosci potest quod competere ei necesse est , secundum quod est omnium entium principium : & hoc fundamento usi sumus supra (quæst. xii. art. 12.) in consideratione Dei . Virtus autem creativa Dei est communis toti Trinitati : unde pertinet ad unitatem essentiaz , non ad distinctionem personarum . Per rationem igitur naturalem cognosci possunt de Deo ea quæ pertinent ad unitatem essentiaz , non autem ea quæ pertinent ad distinctionem personarum .

Qui autem probare nititur Trinitatem personarum naturali ratione , fidei dupliciter derogat . Primo quidem quantum ad dignitatem ipsius fidei , quæ est ut sit de rebus invisibilibus , quæ rationem humanam excedunt : unde Apostolus dicit ad Hebr. xi. 1. quod *fides est de non apparentibus* : & idem Apostolus dicit I. Cor. ii. 6. *Sapientiam loquimur inter perfectos : sapientiam vero non hujus seculi , neque principium hujus seculi ; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio , quæ abscondita est* . Secundo quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem . Cum enim aliquis ad probandum fidem inducit rationes quæ non sunt cogentes (1) , cedit in irrationem infidelium . Credunt enim quod hujusmodi rationibus innitamus , & propter eas credamus .

Quæ igitur fidei sunt , non sunt tentanda (*) probare , nisi per authoritates his qui authoritates suscipiunt : apud alias vero sufficit defendere non esse impossibile quod predicat fides . Unde Dionysius dicit ii. cap. de divin. Nom. (non multum remote a princ. lecit. i.) *Si aliquis est qui totaliter eloquias reficit , longe erit a nostra philosophia ; si autem ad veritatem eloquiorum , scilicet sarcorum , respicit , hoc & nos canone uitimus (2)* .

Ad primum ergo dicendum , quod Philosophi non cognoverunt mysterium Trinitatis divinarum personarum per propria , quæ sunt

paternitas , filiatio , & processio , secundum illud Apostoli I. Cor. ii. 6. *Loquimur Dei sapientiam , quam nemo principum hujus seculi cognovis , idest Philosophorum (3) secundum Glosam (Hier. in dict. locum.) Cognoverunt tamen quzdam essentialia attributa , quæ appropriantur personis , sicut potentia Patris , sapientia Filio , bonitas Spiritui sancto , ut infra mox patebit . Quod ergo Aristoteles dicit per *bunc numerum adibutum nosipso* &c. non est sic intelligendum , quod ipie poneret ternarium numerum in divinis . Sed vult dicere , quod antiqui utebantur ternario numero in sacrificiis , & orationibus propter quamdam ternarii numeri perfectionem . In Libris etiam Platonicon invenitur (4) *In principio erat Verbum , non secundum quod verbum significat personam genitam in divinis ; sed secundum quod per verbum intelligitur ratio idealis , per quam Deus omnia condidit , quæ Filio appropriatur . Et licet appropriata tribus personis cognoscerent , dicuntur tamen in tertio signo defecisse , idest in cognitione tertiaz personæ : quia a bonitate , quæ Spiritui sancto appropriatur , deviaverunt , dum cognoscentes Deum , non sicut Deum glorificaverunt , ut dicitur Rom. i. Vel quia ponebant Platonici unum primum ens , quod etiam dicebant esse patrem totius universitatis rerum , consequenter ponebant aliam substantiam sub eo , quam vocabant mentem , vel paternum intellectum : in qua erant rationes omnium rerum , sicut Macrobius (Lib. I. non multum procul a med.) recitat super somnium Scipionis . Non autem ponebant aliquam substantiam tertiam separatam , quæ videretur Spiritui sancto respondere . Sic autem nos non ponimus Patrem , & Filium secundum substantiam differentes ; sed fuit error Origenis (tom. ii. super illud Joan. i. *Et Deus erat Verbum* : & idem refert Hieronymus in epist. ad Pamm. & Oceanum , quæ incip. *Schedulas* quæ , cap. i. cir. fin.) & (5) Arii sequentium Plat-**

(1) Id est non satis efficaces ad convincendum intellectum : Sicut & ipse usurpavit coactionis nomen lib. 2. Sent. dist. 25. quæst. 1. art. 1. & explicavit ; Ubi notavimus quam fraudulenter illo novi Errones abutantur .

(*) *Nicolajus probari* .

(2) *Vel hac regula five norma ex greco . καταύ.*

(3) Nec tantum , sed etiam dæmonum & Doctorum in lege : Reges autem terrenos addit ibidem S. Thomas : Ut & argutus disputationes interpretatur ex Augustino Beda .

(4) Non sic expresse tamen & sub iisdem verbis , ut superius in argumento notatum est & Augustinus ipse habet , sed quodammodo aequivalente sensu , quem ex ipso Joannis Evangelio Platonici posteriores desumperunt : Hinc unus ex eorum numero verba illa in quibuslibet editissimis locis unde conspici & ab omnibus legi possent , aureis est characteribus describenda dicebat , ut Augustinus quoque refert .

(5) Ubi vult solum Patrem esse cum articulo Deum (τὸν θεόν) quia solus est per se Deus & διάφορος) Filium autem sine articulo Deum esse

tómicos . Quod vero Trismegistus dicit , *Mōmas monadem genuit , & in se suum reflexit ardorem* , non est referendum ad generationem Filii , vel processionem Spiritus sancti , sed ad productionem mundi . Nam unus Deus produxit unum mundum propter sui ipsius amorem .

Ad secundum dicendum , quod ad aliquam rem dupliciter inducitur ratio . Uno modo ad probandum sufficenter aliquam radicem : sicut in scientia naturali inducitur ratio sufficiens ad probandum quod motus cœli semper sit uniformis velocitatis . Alio modo inducitur ratio , non quæ sufficenter probet radicem ; sed quæ radici jam posite ostendat congruere consequentes effectus ; sicut in Astrologia ponitur ratio excentricorum , & epicyclorum , ex hoc quod hac positione facta , possunt salvari apparentia sensibilia circa motus cœlestes : non tamen ratio hæc est sufficenter probans , quia etiam forte alia positione facta salvari possent . Primo ergo modo potest induci ratio ad probandum Deum esse unum , & similia . Sed secundo modo se habet ratio quæ inducitur ad manifestationem Trinitatis , quia scilicet Trinitate posita , congruunt hujusmodi rationes ; non tamen ita quod per has rationes sufficenter probetur Trinitas personarum . Et hoc patet per singula : bonitas enim infinita Dei manifestatur etiam in productione creaturæ , quia infinita virtutis est ex nihilo producere . Non enim oportet , si infinita bonitate se communicat , quod aliquid infinitum a Deo procedat , sed quod secundum modum suum recipiat divinam bonitatem . Similiter etiam quod dicitur , quod sine consortio (1) non potest esse jucunda possessio alicujus boni , locum habet quando in una persona non invenitur perfecta bonitas . Unde indiget ad plenam jucunditatis bonitatem (2) bono alicujus alterius consociati sibi . Similitudo autem intellectus nostri non sufficenter probat aliquid de Deo , propter hoc quod intellectus non univoce invenitur in Deo , & in nobis .

Et inde est quod Augustinus super Joan . (tract . xxvii . circ . med .) (3) dicit , quod per fidem venitur ad cognitionem , & non e converso .

Ad tertium dicendum , quod cognitio dinarum personarum fuit necessaria nobis dupliciter . Uno modo ad recte sentiendum de creatione rerum . Per hoc enim quod dicimus , Deum omnia fecisse verbo suo , excluditur error ponentium Deum produxisse res ex necessitate naturæ . Per hoc autem quod ponimus in eo processionem amoris , ostenditur , quod Deus non propter aliquam indigentiam creaturas produxit , neque propter aliquam aliam causam extrinsecam , sed propter amorem sive bonitatis . Unde & Moses , postquam dixerat (Gen . i . i .) *In principio creavimus Deum cœlum , & terram :* subdit : *Dixit Deus , Fiat lux , ad manifestationem divini verbi :* & postea dixit : *Vidit Deus lucem , quod esset bona , ad ostendendum probationem divini amoris .* Et similiter in aliis operibus . Alio modo , & principalius , ad recte sentiendum de salute generis humani , quæ perficitur per Filium incarnatum , & per donum Spiritus sancti .

A P P E N D I X .

EX art . habes primo : quomodo per rationem confundas hæresim præsumptuissimam Raymundi Lulli , Direct . Inquis . 2 . par . qu . 9 . dicentis , quod omnes artic . fidei possunt probari , & probantur per rationes necessarias , demonstrativas , & evidentes . Si enim omnes artic . &c . ergo secundum eum , & Trinitas personarum . Secundo habes , quomodo per rationem ostendas , hanc iuste esse prædamnatam ab Apostolo Hb . 11 . *fides est substantia , &c . non apparentia , & a Papa Gregorio II . etiam de consilio fratrum , de hoc vide sup . quest . 1 . ar . 2 . & ab omnibus Conciliis de hac re tractantibus : immo & a Christo Matth . 11 . Nemo novit Filium , nisi Pater , neque Patrem quis novit , nisi Filius ,*

P p . 2 lius ,

(2) *Annon forte ad plenam bondatis jurundis-
tatem ? idest , ad plenam delectatio-
m de b . no &c .*

(3) *Ad illa nempe verba . Sed sunt quicam in
vobis qui non credunt , ubi pleniū ait : Non dixis ,
Sunt quidam in vobis qui non intelligunt , sed cetera
dam dixis quare non intelligant : Sunt enim quidam
in vobis qui non credunt , & ideo non intelligant
quia non credunt : Propheta enim dixit : Nisi credide-
ris , non intelligeris ; Isaie 7 . vers . 9 . Juxta 70 .
ubi Vulgata legit , non permanebitis &c .*

(1) *Sive ut supra notatum est ac e Seneca resti-
tutum , sine socio .*

Ius, & cui voluerit Filius revelare, &c. 16.
Beatus es Simon Bar-jona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Ecce ibi loquitur de cognitione Trinitatis, cum respondeat Petro confitenti. Tu es Christus filius Dei vivi: & dicit, quod caro, & sanguis hoc non revelat, sed Pater, idest, quod cognitionem hanc nemo potest viribus naturalis rationis consequi, sed tantum per donum revelationis a Deo. Speciatim autem ex responsione ad tertium habes: quomodo per rationem rejicias hæresim *Luce Sternberger* somniantis: Nomen Trinitatis supervacaneum, & inane esse, quod in sacris litteris numquam sit expressum, contra illud Matthæi ultimo: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Sufficit enim haec expressio, licet verbaliter non dicatur *ly Trinitatis*, aut *ly in nomine Trinitatis*. Vide universalem regulam de contentis in sacra scriptura, quest. 29. art. 3. ad primum & hic art. 1. ad primum. Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. 182

Utrum sint ponendæ notiones in divinis.

Inf. quest. xl. art. 1. cor. & I. dist. xxvi. quest. 11. art. 3. & dist. xxxiii. art. 2. cor.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod non sint ponendæ notiones in divinis. Dicit enim Dionysius in 1. cap. de div. Nom. (parum a princ.) quod non est audendum dicere aliquid de Deo præter ea quæ nobis ex sacris eloquii sunt expressa (1). Sed de notionibus nulla fit mentio in eloquii sacræ Scripturæ. Ergo non sunt ponendæ notiones in divinis.

2. Præterea. Quidquid ponitur in divinis, aut pertinet ad unitatem essentiaæ, aut ad Trinitatem personarum. Sed notiones non pertinent ad unitatem essentiaæ, nec ad Trinitatem personarum; de notionibus enim neque prædicantur ea quæ sunt essentiaæ: non enim dicimus, quod paternitas sit sapiens,

vel creet: neque etiam ea quæ sunt personalia: non enim dicimus, quod paternitas generet, & filiatio generetur. Ergo non sunt ponendæ notiones in divinis. (2)

3. Præterea. In simplicibus non sunt ponenda aliqua abstracta, quæ sunt principia cognoscendi, quia cognoscuntur se ipsis. Sed divinae personæ sunt simplicissimæ. Ergo non sunt ponendæ in divinis personis notiones.

Sed contra est quod dicit Joannes Damascenus (Lib. III. orthod. F. d. cap. v. circa princ.) (3) *Differentiam hypostaseon*, idest personarum, in tribus proprietatibus, idest paternali, & filiali & processionali recognoscimus. Sunt ergo ponendæ proprietates, & notiones in divinis.

Respondeo dicendum, quod Præpositivus attendens simplicitatem personarum dixit, non esse ponendas proprietates, & notiones in divinis: & sicubi inveniantur, exponit abstractum pro concreto. Sicut enim consuevimus dicere, Rogo benignitatem tuam, idest te benignum; ita cum dicitur in divinis paternitas, intelligitur Deus Pater.

Sed, sicut ostensum est supra (quest. IIII. art. 3. ad 1. præcipue, & quæst. XI. art. 1.) divine simplicitati non præjudicat quod in divinis utamur nominibus concretis, & abstractis: quia secundum quod intelligimus, sic nominamus. Intellectus autem noster non potest pertingere ad ipsam simplicitatem divinam, secundum quod in se est consideranda: & ideo secundum modum suum divina apprehendit, & nominat, idest secundum quod invenitur in rebus sensibiliibus, a quibus cognitionem accipit: in quibus ad significandum simplices formas nominibus abstractis utimur, ad significandum vero res subsistentes utimur nominibus concretis. Unde & divina, sicut, supra dictum est (locis nunc proxime citatis) ratione simplicitatis per nomina abstracta significamus, ratione vero subsistentia, & complementi per nomina concreta. Oportet autem non solum nomina essentialia in abstracto, & in concreto significare (ut cum dicimus Deitatem, & Deum, vel

(1) Vel juxta græcum ἀκτιφανεῖα, παρεῖα, manifestata, enunciata, declarata; ut superius pro personæ nomine quest. 29. art. 3. notatum est.

(2) Id est aliquæ formæ in abstracto significante, ut paternitas, & similes.

(3) Ubi etiam paternalem proprietatem simul appellat αὐτοῖς, quasi quæ non habeat causam seu principium; filialem appellat αὐταρχῶ, velut a causa seu principio existentem; sicut & processivam

(ἀκτιφανῆ) similiter appellat αἰτιαρχῶ quia & ipsa causam seu principium habet; quæviscaus latine in divinis non usurpamus, quia relativa est ad effectum; nihil autem est in divinis quo l possit appellari effectus: Nec eamdem relationem græcum αὐτοῖς vel αἴτια importat: Unde potest non incommodè usurpari, ut infra quoque annotandum recurret, quest. 33. art. 1.

Vel sapientiam , & sapientem ;) sed etiam personalia , ut dicamus paternitatem , & patrem .

Ad quod duo præcipue nos cogunt . Primo quidem hæretorum instantia . Cum enim confiteamur Patrem , & Filium , & Spiritum sanctum esse unum Deum , & tres personas , (1) querentibus , quo sunt unus Deus , & quo sunt tres , sicut responderetur , quod sunt essentia , vel Deitate unum ; ita oportuit esse aliqua nomina abstracta , quibus responderi possit personas distinguiri : & hujusmodi sunt proprietates , vel notiones in abstracto significantes , ut paternitas , & filiatio . Et ideo essentia significatur in divinis ut *quid* , persona vero ut *quis* , proprietas autem ut *quo* .

Secundo quia una persona invenitur in divinis referri ad duas personas , scilicet persona Patris ad personam Filii , & personam Spiritus sancti . Non autem una relatione , quia sic sequeretur quod etiam Filius , & Spiritus sanctus una & eadem relatione referrentur ad Patrem . Et sic cum sola relatio in divinis multiplicet Trinitatem , sequeretur quod Filius , & Spiritus sanctus non essent duas personæ .

Neque tamen potest dici , ut Præpositivus dicebat , quod sicut Deus uno modo se habet ad creaturas , cum tamen creature diversimode se habeant ad ipsum ; sic Pater una relatione referatur ad Filium , & ad Spiritum sanctum , cum tamen illi duo duabus relationibus referantur ad Patrem . Quia cum ratio specifica relativi consistat in hoc quod ad aliud se habet , necesse est dicere , quod duas relationes non sunt diversæ secundum speciem , si ex opposito una relatio eis correspondeat . Oportet enim aliam speciem relationis esse domini , & patris secundum dji-

versitatem filiationis , & servitutis . Omnes autem creature sub una specie relationis referuntur ad Deum , ut sunt creature ipsius . Filius autem , & Spiritus sanctus non secundum relationes unius rationis referuntur ad Patrem . Unde non est simile .

Et iterum in Deo non requiritur relatio realis ad creaturam , ut supra dictum est (quæst . xxviii . art . 1 . ad 3 .) Relationes autem rationis in Deo multiplicare non est inconveniens . Sed in Patre oportet esse relationem realem , qua refertur ad Filium , & Spiritum sanctum . Unde secundum duas relationes Filii , & Spiritus sancti , quibus referuntur ad Patrem , oportet intelligi duas relationes in Patre , quibus refertur ad Filium , & Spiritum sanctum . Unde cum non sit nisi una Patris persona , necesse fuit secundum significari relationes in abstracto , quæ dicuntur proprietates , & notiones .

Ad primum ergo dicendum , quod licet de notionibus non fiat mentio in Sacra Scriptura , fit tamen mentio de personis . (2) in quibus intelliguntur notiones , sicut abstractum in concreto .

Ad secundum dicendum , quod notiones significantur in divinis non ut res , sed ut (*) rationes quædam , quibus cognoscuntur personæ , licet ipsæ notiones , vel relationes (3) realiter sint in Deo , ut supra dictum est (quæst . xxviii . art . 1 .) Et ideo ea quæ habent ordinem aliquem ad actum aliquem essentialiem , vel personalem , non possunt dici de notionibus , quia hoc repugnat modo significandi ipsarum . Unde non possumus dicere , quod paternitas (**) generet , vel crearet , sit sapiens , vel intelligens . Essentialia vero quæ non habent ordinem ad aliquem actum , sed removent conditiones creature a Deo , pos-

(1) Sic in quinta Synodo Collat . B . can . 1 . Si quis non confiteretur unam deitatem in tribus subsistentiis seu personis adorandam anathema sit : Sic in sexta Synodo ex Agathonis Papæ confessione quæ veluti *Spiritus sancti suggestio per os illius declarata unanimiter ab omnibus Patribus recepta est* act . B . Confitemur trium subsistentiarum substantiam unam ; non ut inepit quidam legunt subsistentiam unam ; cum sit sensus quod personarum trium essentiam unam (τριῶν ὑποστάτων οὐκανέαν) confitatur , ut expendimus in Selectis expresse : Sic in Lateranensi Concilio sub Innocentio III . Can . 1 . Firmiter credimus & simpli- citer confitemur quod unus est solus verus Deus Pa- ter & Filius & Spiritus sanctus ; tres quidem perso- nae , sed una essentia , substantia seu natura omni- no simplex , ut cap . Firmiter Extra de summa Tri- nitate & fide Catholica referuntur : Prater alia passim .

(2) Non sub nomine personarum sed Patris , &

Filiī , & Spiritus sancti .

(*) *Ils edid . Rom & Patav . Nicolajus relationes :*

(3) A majori parte denominando ; cum aliqui notiones dicantur quinque , relationes autem quatuor tantum : Quamvis & innascibilitas quæ in relationum numero non ponitur sed notionum , possit aliquo modo ut relatio computari ; non positive , sed negative , prout nō ab alio : Nec tamen eo sensu loquitur modo S . Thomæ , ut expressus articulo sequenti videre est ; sed sic in Sententiis .

(**) *Ita codd . Alcan . & Tarrac . Edis . Rom . & Patav . an . 1698 . generet , vel crearet , sit sapien- tia , vel intellectus . Essentialia &c . Nicolajus : ge- neret , vel crearet , neque quod sit sapiens , vel intel- ligens . Patav . in 12 . an 1712 . generet , vel crearet , sicut sapientia , vel intellectus sit sapiens , vel in- telligens .*

possunt praedicari de notionibus : possumus enim dicere, quod paternitas est æterna, vel immensa, vel quodcumque hujusmodi. Et similiter propter identitatem rei possunt (*) substantiva personalia, & essentialia praedicari de notionibus : possumus enim dicere, quod paternitas est Deus, (**) & Deitas est Pater.

Ad tertium dicendum, quod licet personæ sint simplices, tamen absque præjudicio simplicitatis possunt propriæ rationes personarum in abstracto significari, ut dictum est (in corp.)

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo : quomodo per rationem ostendas *Præpositivum* proportionaliter cum *Gilberto Gallo* cognomine *Porretano* errasse, sicut enim *Gilbertus* erravit nolens admittere essentiales terminos in abstracto dici proprie de Deo, exponebat enim scripturæ testimonia dicentia, quod Deus est veritas, vita, vel hujusmodi ita, ut abstractum sumeretur pro concreto, idest, Deus est veris vivens, &c. sic etiam erravit *Præpositivus* nolens admittere nomina personalia in abstracto, hæc sunt notiones, dici proprie de Deo. Radix etiam utriusque erroris fuit eadem. Movebatur enim uteque illorum ex hoc, quia putabant divinæ simplicitati repugnare, quod aliquid significaretur, ut forma, qua vel Deus, vel personæ divinæ agnoscerentur. Radix autem ita, quam falsa sit, abundanter ostenditur a S. Doct. in *presenti artic.* & consequenter, quam utraque illorum opinio sit erronea, commonistratur. Secundo habes : quomodo per rationem ostendas, opinionem *Præpositivi* fuisse merito in suo simili damnatam a *Concilio Rhemensi*; dum ab eodem damnatus fuit error *Gilberti*. Si enim radix utriusque fuit eadem, si opinio utriusque fuit in errando similis; eadem ratione potuisset specialiter damnari error *Præpositivi*, si ad Ecclesiæ judicium delatus fuisse. Taceo, quod *Theologorum* opinio communis contra *Præpositivum* sentit; quod Pater absque compositione aliqua constitutur paternitate. Scholasticorum autem *Theologo-*

rum communi sententia in re gravi refragari velle temerarium est, immo omnium *Theologorum* scholæ concordi de fide, aut moribus contradicere, si heresis non est, heresi proximum est : has duas positiones probare conatur *Melchior Cano de locis Theologicis lib. 8. c. 4. Tertio* vides : quomodo &c.

A R T I C U L U S III. 183

Utrum sint quinque notiones.

I. *dist. XXVI. quest. II. art. 3.* & *dist. XXVII. quest. I. art. I. cor.* & *dist. XXVIII. quest. I. art. 2.* & *pot. quest. IX. art. 9. ad 21.* & 27. & *quest. X. art. 5. ad 12.* & *opusc. II. cap. LVIII. lxx. IX. & lxi.*

AD tertium sic proceditur. Videtur quod non sint quinque notiones. Propriæ enim notiones personalium sunt relationes quibus distinguntur. Sed relationes in divinis non sunt nisi quatuor, ut supra dictum est (quest. xxviii. art. 4.) Ergo & notiones sunt tantum quatuor.

2. Præterea. Propter hoc quod in divinis est una essentia, dicitur Deus unus; propter hoc autem quod sunt tres personæ, dicitur Deus trinus. Si ergo in divinis sunt quinque notiones, dicetur quinus : quod est inconveniens.

3. Præterea. Si tribus personis existentiibus in divinis sunt quinque notiones, oportet quod in aliqua personalium sint (***) notiones duæ, vel plures, sicut in persona Patris ponitur innascibilitas, & paternitas, & communis spiratio (1). Aut igitur istæ tres notiones differunt re, aut non. Si differunt re, sequitur quod persona Patris sit composta ex pluribus rebus. Si autem differunt ratione tantum, sequitur quod una earum possit de alia praedicari, ut dicamus, quod sicut bonitas divina est ejus sapientia propter indifferentiam rei, ita communis spiratio sit paternitas: quod non conceditur. Igitur non sunt quinque notiones.

4. Sed contra videtur quod sint plures. (2) Quia sicut Pater a nullo est, & secundum hoc accipitur notio quæ dicitur innascibilitas.

sicut unico principio a quo procedit Spiritus sanctus; ut a passiva distinguitur, quæ soli Spiritui sancto propria est.

(3) Et Scoto quidem id omnino videtur propter inspirabilitatem hic indicata, sive quia Spiritus sanctus

(*) *Al. substantialia.*

(**) *Pavav. edit. 1698. & paternitas est Pater.*

(***) *Iota Nicolaj. Edit. Rom. & Pavav. ambae aliquæ notiones duæ.*

(1) Id est activa quæ communis est Patri & Filio

bilitas; ita a Spiritu sancto non est alia persona. Et secundum hos oportebit accipere sex notiones.

5. Præterea. Sicut Patri, & Filio commune est quod ab eis procedat Spiritus sanctus, ita commune est Filio, & Spiritui sancto quod procedant a Patre. Ergo sicut una notio ponitur communis Patri, & Filio; ita debet poni una notio communis Filio, & Spiritui sancto.

Respondeo dicendum, quod notio dicitur id quod est propria ratio cognoscendi divinam personam (1). Divinae autem personæ multiplicantur secundum originem. Ad originem autem pertinet *a quo aliis*, & *qui ab alio*: & secundum hos duos modos potest innescere persona. Igitur persona Patris non potest innescere per hoc quod sit ab alio, sed per hoc quod a nullo est: & sic ex hac parte ejus notio est *innascibilitas*. Sed in quantum aliquis est ab eo, innescit duplíciter: quia in quantum Filius est ab eo, innescit notio *paternitatis*; in quantum autem Spiritus sanctus est ab eo, innescit notio *communis spiratio*. Filius autem potest innescere per hoc quod est ab alio nascendo, & sic innescit per *filiationem*; & per hoc quod est alius ab eo, scilicet Spiritus sanctus, & per hoc innescit eodem modo sicut & Pater, scilicet *communis spiratio*. Spiritus sanctus autem innescere potest per hoc quod est ab alio, vel ab aliis, & sic innescit *processione*; non autem per hoc quod alius sit ab eo, quia nulla divina persona procedit ab eo.

Sunt igitur quinque notiones in divinis, scilicet *innascibilitas*, *paternitas*, *filiatio*, *communis spiratio*, & *processio*. Harum autem tantum quatuor sunt relationes. Nam *innascibilitas* non est relatio, nisi per reductio-

nem, ut infra dicetur (quest. xxxii. art. 4. ad 3.) Quatuor autem tantum proprietates sunt. Nam *communis spiratio* non est proprietas, quia convenit duabus personis. Tres autem sunt notiones personales, id est constituentes personas, scilicet *paternitas*, *filiatio*, & *processio*. Nam *communis spiratio*, & *innascibilitas* dicuntur notiones personarum, non autem personales, ut infra magis patet (quest. xl. art. 1. ad 1.)

Ad primum ergo dicendum, quod præter quatuor relations oportet ponere aliam notiōnem, ut dictum est (in corp. art.)

Ad secundum dicendum, quod essentia in divinis significatur ut res quædam, & similiter personæ significantur ut res quædam; sed notiones significantur ut rationes notificantes personas. Et ideo licet dicatur Deus unus propter unitatem essentie, & trinus propter Trinitatem personarum; non tamen dicitur quinus propter quinque notiones.

Ad tertium dicendum, quod cum sola oppositio relativa faciat pluralitatem realem in divinis (2), plures proprietates unius personæ, cum non opponantur ad invicem relative, non differunt realiter. Nec tamen de se invicem prædicantur, quia significantur ut diversæ rationes personarum; sicut etiam non dicimus, quod attributum potentie sit attributum scientie, licet dicamus, quod scientia sit potentia.

Ad quartum dicendum, quod cum persona importet dignitatem, ut supra dictum est (quest. xxix. art. 3.) non potest accipi notio aliqua Spiritus sancti ex hoc quod nulla persona est ab ipso. Hoc enim non pertinet ad dignitatem ipsius, sicut pertinet ad authoritatem Patris quod sit a nullo.

Ad quintum dicendum, quod Filius, & Spiritus sanctus non convenient in uno speciali

Etus nullam personam spirat vel producit: Sed ex sua illa ut inutilis & fictitia propter veram ac legitimam rationem quam in hujus ipsius argumenti solutione inferius assignat S. Thomas.

(1) Sic scholastice sumi solet appropriata sensu qui etiam ex Augustino sumptus videri potest lib. 5. de Trinit. cap. 5. ubi ait aliam esse notiōnem qua intelligitur *genitor* & aliam qua *ingenitus*: licet ibi notio sumi possit pro notitia vel conceptu; sicut *generis notiōnem* dicimus ut conceptum illius exprimamus; Et sic etiam Graci *eritio* usurpant, quibus nostra latine notiones respondent, cum conceptum important: Secundum quam significacionem est notiones erant *conceptus*, qui de divinis attributis formari possunt. Sed scholastico usu quinque tantum rationabiliter assignantur sicut hic, ve-

lut proprii characteres quibus personæ dignoscantur. A Gracis vero *γνωσιματα*, ut apud Basiliū lib. 2. contra Eunomium, seu *γνωσικαι ιδιότητες* id est *notificatives proprietates*, apud eundem epist. 43. vel *γνωσικαι σηματα*, id est *notificativa signa* ibidem &c.

(2) Juxta vulgare axiomata Theologorum quod ex Anselmo defunditum est; scilicet in *divinis dianis unius esse ubi non obviis relationis oppositio*: Sic enim lib. de processione Spiritus sancti cap. 2. *Unitas non amittit suam consequentiam ubi non obviis aliquis relationis oppositio*: Quamvis Vasquez in 1. part. disp. 147. cap. 4. affirmare non dubitat quod in Anselmi autoritate fundamentum axioma hoc non haberet. Quo excurrent oculi ut non legerit vel animus ut non intellexerit?

ciali modo existendi a Pater ; sicut Pater , & Filius conveniunt in uno speciali modo producendi Spiritum sanctum . Id autem quod est principium innescandi , oportet esse aliquid speciale : & ideo non est simile .

A P P E N D I X .

EX art. habes primo : quomodo per rationes rejicias temeritatem illorum , si qui forte invenirentur , qui notiones plures , vel pauciores ponerent , quam quinque : temerarii enim dicendi essent hi (si Melchiori Cano creditimus) cu.n schola communis Theologorum quinque tantum notiones esse dicat . Vide sententiam ipsius Melchioris Cano supra in fine appendicis articuli secundi . Secundo habes : quomodo ostendas recte fuisse etiam in proposito notionum , quamvis tunc speciatim pro alia materia loqueretur , a Concilio Constantinopolitano 6. generali actione 12. dictum sic . Non solum secundum sensum sequenda sunt sanctorum Patrum dogmata , sed & eisdem vocibus utendum cum illis , nihilque penitus innovandum . Temerarium ergo esse videtur etiam secundum Concilium discedere absque evidenti ratione in re gravissima a communi sententia Patrum , & Theologorum . Patres modo , & Theologi illas notiones quinque solum asseruerunt , cum tamen propter haereticorum instantias folliciti vehementer fuerint ad investigandas notiones , quibus divinas personas exprimerent , & distinguuerent . Vide de hoc follicitydinem Aug. 1. de Trin. c. 8. & l. 5. de Tr. cap. 6. Dionysium primo de div. nominib. notando tamen , quod hic vocat nominationem , quod D. August. notionem : vide & Hilarium in lib. de syn. Tertio igitur vides : quomodo ex his vicissim stabiliatur conclusio .

ARTICULUS IV. 184

Utrum licet contrarie opinari de notionibus .

I. dist. xxxiii. art. 5.

AD quartum sic proceditur . Videlur quod non licet contrarie opinari de notionibus . Dicit enim Augustinus in I. de Trin . (cap. 111. in princ.) quod non erratur alibi periculosus quam in materia Trinitatis , ad quam certum est notiones pertinere (1) . Sed contrariae opiniones non possunt esse absque errore . Ergo contrarie opinari circa notiones non licet .

2. Præterea . Per notiones cognoscuntur personæ , ut dictum est (art. præced.) Sed circa personas non licet contrarie opinari . Ergo nec circa notiones .

Sed contra . Articuli fidei non sunt de notionibus (2) . Ergo circa notiones licet sic , vel aliter opinari .

Respondeo dicendum , quod ad fidem pertinet aliquid dupliciter . Uno modo directe , sicut ea quæ nobis sunt principaliter divinitus tradita , ut Deum esse trinum , & unum , Filium Dei esse incarnatum , & hujusmodi : & circa hæc opinari falsum hoc ipso inducit hæresim , maxime si pertinacia adjungatur . Indirecte vero ad fidem pertinet ea ex quibus negatis consequitur aliquid contrarium fidei ; sicut si quis diceret , Samuelem non fuisse filium Helcanæ : ex hoc enim sequitur Scripturam divinam esse falsam . Circa hujusmodi ergo absque periculo hæresis aliquis falsum potest opinari , antequam consideretur , vel determinatum sit quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei , & maxime si non pertinaciter adhæreat (3) ; sed postquam manifestum est , & præcipue si sit per Ecclesiam determinatum , quod ex hoc sequitur aliquid contrarium fidei , in hoc errare non esset absque hæresi . Et propter hoc multa nunc reputantur haeretica quæ prius non reputabantur , propter hoc

(1) Ut iam plenius notatum est qu. 31. art. 2. ex cap. 3. libri primi de Trinit. paulo aliis verbis .

(2) Quoad numerum saltem quo assignari solent ; Alioqui ad fidem quinque illæ pertinent quas ponimus : quædam rem ipsam , puta quod a nullo sit Pater : quod ipse sit genitor ; quod Filius genitus : quod uterque spirator ; & quod Spiritus sanctus ab utroque procedat : Sed an ita dici debeant notiones nec assignari plures possint , nihil ad fidem .

(3) Quia semper tandem haeretica propositio se-

cundum se sit prout materialiter considerata , hæreticum nihilominus nullum facere potest ; nisi consideretur ut hæresica , & non obstante illa consideratione pertinaciter defendatur ; vel nisi hæretica per Ecclesiam iudicium declarata sit , sive aliquid contrarium fidei contineat : Hinc August. epist. 162. Unde refertur in Decretis causa 24. qu. 3. &c. Si qui sensantes suam quatuor falsam atque perversem nulla pertinaci animositate defendunt &c. neque auctor suus inter haereses depunandi ; Ut 2. 2. plegius .

oc quod nunc est magis manifestum quid
x eis sequatur.

Sic igitur dicendum est, quod circa notio-
es aliqui absque periculo heresis contrarie-
int opinati, non intendentem sustinere ali-
uid contrarium fidei. Sed si quis falsum
pinaretur circa notiones, considerans quod
x hoc sequatur aliquid contrarium fidei, in
heresim laberetur.

Et per hoc patet responsio ad objecta.

A P P E N D I X .

X artic. habes primo : quomodo per ra-
tionem ostendas, aliquem, & aliquem
se, vel non esse hereticum. Item quomo-
do reijicias heresim Joannis Westphali, hanc,
scilicet, Ecclesiam universalem non habere
uthoritatem exponendi verba Christi. Item
alvini, ut refert Melchior Cano de locis
eol. lib. 2. cap. 6. perniciosem illam, di-
cuntis, vanissimum commentum est, penes
ecclasiam potestatem esse judicandæ sacrae
cripturaræ, quasi ab ejus nutu Scripturaræ cer-
tudo pendeat. Item Lutheri in lib. de ca-
ritate Babylonica, ut ait Melchior, ubi
pra, cap. 7. illam, scilicet Ecclesiam, po-
tatem habere discernendi quidem verbi
ei, sed non proinde judicem esse. Item
Elariorum dicentium, Ecclesiæ constitutio-
nes, ac cærenonias non acceptandas. Item
annis IVes. Albanensem, atque Lutheri di-
cuntum. Ecclesiæ prælatos non habere a
christo authoritatem condendi canones, five
ges. Item Armenorum dicentum Ecclesiæ
tholicam, & veram non esse apud latinos.
em Hieronymi Pragensis dicentis, Ecclesiæ
omanam non esse caput omnium Ecclesiæ
m: ipsamque longe esse a traditionibus
postolorum. Item Joannis Westphali di-
cuntis, Ecclesiæ errare posse, & aliquando
ræsse, nec tantam esse Ecclesiæ certitudi-
m in definiendo, ut errare non possit. I-
m heresim Joannis Huss (Concilium Con-
stantiense sess. 15.) Ecclesiastica observantia
obedientia secundum adiunctionem Sa-
rdotum Ecclesiæ præter authoritatem ex-
cessam sacrae Scripturaræ. Si enim determi-
ri potest per Ecclesiæ aliquid esse contra-
rem, & si huic determinationi standum est
i, ut contrarium habeatur pro heresi, &
sentiens contrarium sit hereticus, ut di-
articulus, profectio ex hac præsenti An-
nica doctrina omnes hereses præmissæ pro-
gantur, tenendo etiam firmiter, quod san-
ctus hic per Ecclesiæ intelligit latinam, &
Summ. S. I. b. T. I.

Romanam, cuius correctioni moriens totam
suam doctrinam supposuit. Secundo habes:
quomodo demonstres hanc ipsam doctrinam
esse conformem Conciliis, & aliis damnan-
tibus prædictos errores, videlicet Concilio
Constantiensi sess. 15. damnantem præmissum dog-
ma Joan. Huss, & Papæ Lucio primo in ep-
istola prima ad Episcopos Gallæ, & Hispaniæ
dicenti. Romana Ecclesia est apostolica ma-
ter omnium Ecclesiarum, que a tramite aposto-
licæ traditionis numquam errasse probatur, nec
hereticis novitatibus distractata succubuit secun-
dum ipsius Domini Salvatoris divinam pollici-
cationem, qui principi discipulorum dixit. Pe-
tro: ecce satanas &c. Ego autem rogavi pro
te, ut non deficiat fides tua. Hec ibi: & Pa-
pæ Innoc. III. extra de baptismi. & ejus ef-
fect. dicenti. Majores Ecclesiæ causas presertim
articulos fidei contingentes ad Petri fidem refe-
rendas intelligit, qui eum querenti Domino,
quem discipuli dicerent ipsum esse, respondisse
nosavit, Tu es Christus filius Dei vivi, & pro
eo Dominum exorasse, ne deficiat fides. Hæc
ibi. Item libro decretorum 17. d. Huic soli
Sedi. Item 24. q. i. quoties, & cap. Puden-
da: ubi ex B. August. Papa Liberius in fine
dicit. Restat, ut, quoniam Ecclesia nulla esse
non potest, ea sit, quam in sedis Apostolica
per successores Episcoporum radice constituta ho-
minum nullorum malitia ullo modo valeat extin-
guere, & Matth. 16. Christo de Ecclesia sua
Petro commissa dicenti. Portæ inferi non pre-
valebunt adversus eam. Et Felici primo Papæ
in epistola ad Benignum Episcopum dicenti:
Hæc Apostolica Ecclesia mater omnium Ecclesiarum
per Dei omnipotentis gratiam, ut in exor-
dio normam fidei Christianæ ab Apostolorum
Christi principibus perceperit, illibata manet. Hæc
ibi. Recta ergo fide, & Inquisitoribus heret-
icæ pravitatis, ex quorum sententia Joannes
Westphalus supradictus damnatus est Mo-
guntiaz propter errores præmissos, ac libri
ejus propter multas hereses inibi repertas
exusti, & Concilio Viennensi sub Papa Cle-
mente quinto, a quo damnatur error dicens,
illos, qui sunt in statu perfectionis, esse in
spiritu libertatis, non esse humanæ subjectos
obedientiaz, Clemens de heret. cap. ad no-
strum, & Concilio Constantiensi in sess. 8. er-
rorum hunc, scilicet Decretales epistolæ sunt
apocryphæ, & seducunt a Christi fide, &
Clerici sunt fulti, qui studierunt eis, lata sen-
tentia condemnati. Item a Christo authorita-
te Ecclesiæ damnati in hæc verba: Quo-
cumque ligaveritis super terram, erunt ligata
& in celo, & ubi sunt duo, vel tres congre-
gati. Qq

gati in nomine meo , in medio eorum sum . Matth. 18. In quibus verbis promittit Ecclesiae assistentiam suam divinam , qua scilicet condere bonas leges possit , atque in fide , ac moribus non possit errare . Item ab hac ratione efficacissima (ut interim taceamus de cunctis summorum Pontificum , atque Conciliorum de hoc , quoniam haeretici istos , atque ista non recipiunt , praesertim cum suos ipsorum haereticorum e diametro damnant errores , quae portas omnes has inferorum , velint , nolint , apertissime convincit .) Percontemur ergo a supradictis , similibusque haereticis , utrum sit modus aliquis certus ; quo in fide errans doceri possit , ita scilicet ut revocatus ab errore certam teneat fidei regulam . Respondeant ipsi , ut gladius eorum extret in corda ipsorum , & arcus eorum confringatur , ut impleurat facies eorum ignominia ; si quando in se reversi querant nomen tuum , Domine . Si enim respondendo dicant : nullum modum talem , quamquam quæsivimus , esse certum : dico , & quidem maxima sequuntur inconvenientia . Primum , quod non recte , & sufficienter Ecclesiaz sua Deus præviderit , id , quod etiam somniare blasphemia grandis est , quandoquidem nec natura creata secundum philosophum deficit in necessariis : secundum , quod nemo , quantumcumque in fide erret , per hoc revera peccabit , quoniam invincibili , seu irremediabili laborat ignorantia . Nam impium est asserere , quod Deus aliquem obligaverit ad illud , quod sibi homini impossibile est . Unde , si nulla est huic via certa , per quam ab errore suo revocari possit , erit huic impossibile pariter certam tenere fidei regulam . Ergo , cum fide iste caruerit , non erit ex hoc peccati reus . Sin autem istud inconveniens magnum duplex vitare cupientes adversarii respondendo dicant , aliquem esse modum talem , quamquam quæsivimus , quo videlicet homo doceri possit , ut relicto errore suo ad rectam fidem redeat , percontandum adhuc erit ab eis , utrum doctrina haec futura sit alicujus hominis particularis , nec ne . Quod non particularis , utique respondebunt , si sapiant , quoniam quilibet homo particularis , ut sic , etiam Papa (non tamen unquam , ut Papa) errare potest in fide . Restat igitur solum , quod præmissa doctrina sit hominis universalis , idest Papæ , ut Papæ , seu Concilii generalis per Papam legitime congregati , atque confirmati 17. per multa capitula , quod quidem Concilium totam sanctam Ecclesiam repræsentat , utpote Papali (ut sic) auctoritate fultum . Com-

cludendum itaque erit quod via certa non errandi , immo & ab erroribus emergendi est Romani Pontificis , ut sic , vel Concilii generalis rite facti definitio . Ecce modus . Quod si ista via non sit certa , idest , si possit errare in fide , adhuc essemus dubii de itinere nostræ salutis , & consequenter inconvenientia duo blasphema , quae supra dicta sunt , revertentur . Quo facto , etiam semper habentes essemus , ac , quod tamen Jacobus Apostolus detestatur maxime , similes fluctui maris , qui a vento mouetur , & circumfertur . Quomodo tunc obtemperare possemus Apostolo Paulo nos commónenti , ut non simus parvuli fluctuantes , & circumferamus omni ventre doctrine in astutia hominum ad circumventiōnem erroris ? Aut quomodo tunc ejusdem præceptum servare poterimus clamantis ad nos : doctrinis variis & peregrinis nolite abduciri , optimum est enim gratia stabilire cor ? Quæ via tunc nobis stabilendi cor , si nullus rex sit inter nos , sed unusquisque faciat , & credat , quod sibi ipsi rectum videtur ? Quomodo tunc secundum Apostoli mandatum dicemus omnes idipsum , & non erunt in nobis schismata ? Quomodo dicentibus : Ecce hic Christus , ecce illic , ecce in deserto , ecce in penetralibus , respondebimus , & inter tanta discrimina nos taliter alloquentium securi evademos , cum tamen Christus ipse tamquam nostrorum temporum verus , ac proprius propheta nobis edicat , surgent pseudopropheœ , & pseudoChristi (portæ scilicet inferorum) & dicent . Ecce hic Christus , ecce illic , ecce in deserto , ecce in penetralibus , nolite exire , nolite credere . Nolite (inquit) exire . Unde ? A via recta . Nolite credere . Quibus ? Talibus vos a via recta extrahere astutia serpentina tentantibus . Ergo via recta , regula certa , modus tutus reperiiri necesse est ex præmissis tum Apostolicis , tum Christi metropolis verbis , qua via , qua regula , quo modo servatis , & inclamantes hostes (ut supra) affatim deridere , & semitam vitez eternæ tuto apprehendere valeamus . Ceterum , his auditis , inquit Lutherus , & sui viam certam immo certissimam pro fide sanæ amplexanda , & erroribus evitandis , tanquam a prædictorum veritate coacti concedimus , atque viam hanc esse scrutinium Scripturarum firmiter asseveramus , & penes has judicium omne ad contentiones de fide submovendas stare decernimus , quia Christus dixit scrutamini Scripturas , quoniam ille testimonium perhibent de me . O bellum hominem , atque furioso similem , qui suo se transfodit

gl-

gladio, quasi alterum invadere volens. Numquid non bene de talibus furiosis prophetavit David (ut supra attulimus) dicens. *Gladius eorum intres in corda ipsorum?* Audi. Ex illa autoritate habetur solum , quod Scripturæ tenent locum testimoniū , & non iudicis , quia Christus ibi non dixit , *scrutamini Scripturas* , quoniam *ille iudicium ferunt de me* , sed dixit : *Scrutamini Scripturas* , quoniam *ille testimonium perhibent de me* . Si ergo scrutatus fuisset Lutherus hanc autoritatem , quam ipse adducit , eamdem hanc ipse contra se , non contra nos ; pro nobis , non pro se stare vidisset , & consequenter hanc pro se , tamquam de ignorantia certissima ad litteram ipsam convincendus adducere erubuisse , si tamen voluisse intelligere , ut bene ageret . Si enim Scripturæ testes (dicente Christo) Scripturæ ipsæ ob hoc judicem alium a se volunt , quoniam testes ex eo quod testes , iudicem , qui secundum ipsorum testimonium sententiam ferat , exceptant . Testium siquidem non est sententiam ferre , sed tantum testimonium dicere , ad iudicem vero spectat audire dicta testimoniū , atque servatis hisque diligenter & auditis , & consideratis juxta illorum testimonium sententiam definitivam proferre . Quocirca fatendum utique juxta Scripturarum sacram testimonium sententiam esse dicendam , verum opus fore iudice aliquo , qui testimonia dicta audiat , inquirat , scrutetur . Hoc enim iudice sublatu , nec etiam ex sacrarum litterarum testimonio fidei certitudo potest haberi , quoniam ipsum eudem Scripturæ locum pro suo quisque arbitratu interpretabitur . Numquid non Brentius id pessime docuit dicens : *Unumquemque Scripturam sacram pro suo arbitratu posse interpretari?* Numquid non & temeritas Babylonica *Sectiorum* fuit , quod Scripturam sacram , ac verbum Dei tractare liceat laicis , etiam mulieribus æque , ac sacerdotibus ? Arrius certe iuultos Scripturarum locos pro sui erroris confirmatione afferebat . Sabellius item &c. Nestorius , si Gennadio in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum credimus , sexaginta Scripturæ testimoniis suam hæresim stabilire conabatur . Et quis hæreticus errorem suum non conatus est Scripturæ authoritatibus probare , illumque nobis pro veritate summa venditare ? Nec mirum , quoniam hæreticorum omnium caput , & magister diabolus hoc ipsum discipulos suos docuit , dum in sensu extorto Scripturam , *Angelis suis Deus mandavit de te &c.* attulit impudenter , ut Catholicorum organum

patrem , atque pastorem Christum in errorem præcipitem daret Matth. 4. vide ibi expositiōnē S. Tho. continuā super Evangelium B. Matthæi . Unde , si quæpiam hæreticum nova cudentem interroges , quomodo probas , quod Catholicæ Ecclesiæ anti- quam hanc fidem dimittere debeant ? statim is mille testimonia , mille exempla , mille assert authoritates de Lege , de Psalmis , de Prophetis , de Apostolis , quibus malo sensu depravatis suum pestiferum dogma stabiliat . Quomodo igitur Scriptura tunc poterit esse iudex , cum ea pro libito hæreticus juxta , atque Catholicus utatur ? Arrius , & Athanasius inter se de consubstantialitate Filii , Patris que divini contendunt . Arrius pro se assert illud Christi dictum : *Pater maior me est . Athanasius suam* , & Catholicam fidem confirmat per id a Christo dictum : *Ego , & Pater unus sumus .* Uterque se scrusatum fuisse Scripturas affirmat , & quod illæ testimonium perhibent de sua doctrina . Non ergo sufficiens est , & certa via scrutinium Scripturarum , quoniam eas pro suo quisque arbitratu interpretatur . Opus itaque iudice summo est , qui sententiam de illarum Scripturarum interpretatione dicat , quisnam illarum sensus verus sit , quisque falsus . Is autem iudex , ut nos certos de sua sententia reddat , talis necessario esse debet , ut & falli non possit , & ei omnes , nullo dempto , in hoc obedire teneantur . Particularis ergo homo non erit , quoniam quicunque is sit , ut particularis est , falli potest . Erit ergo de necessitate homo universalis , idest omnibus hominibus prælatus , idest Romanus Pontifex , qui , ut sic , errans in fide non potest , dicente Christo *Ego regavi pro te Petre :* Per hunc intelliguntur omnes Romani Pontifices , ut ex Conc. Flor. habetur *seff. ult. ut non deficiat fides tua* , vide in 24. qu. art. I. Hec est , dicitur , *sancta Romana Ecclesia , que semper immaculata permanxit ; Domino providente , & B. Apóstolo Petro operante , in futuro manebit , sine ulla hæreticorum insuflatione (prævalente) , atque firma , & immobilis omni tempore persisteret .* Hæc ibi . Vide omnia in Veritatis Aureas super legem veterem , Deuteronom. 17. conclus. 7. 8. 9.

Per Romanum vero Pontificem , quem dicebamus , intellige etiam Concilium generale ipsi capiti connexum . Talis ergo iudex necessarius est , in terris falli in fide non potest , & omnes ei credere teneantur , ut habetur ex Deuteronomii capis. 17. Hinc merito a Constantiensi Concilio *seff. 8. damnatur Joannis Wickeſſ hæres illæ . Non est de no-*

Q q 2 cessi-

cessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesiæ, & ab eodem *sef. 15.* damnatur *Joannis Huss* hæresis illa. Petrus non fuit, neque est caput Ecclesiæ sanctæ catholicæ, & illa ejusdem ab eodem ibidem, scilicet. Non est scintilla apparentia, quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa militante Ecclesia convergetur, & conservetur: & illa ejusdem ab eodem ibidem, scilicet obedientia Ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem Sacerdotum Ecclesiæ præter expressam authoritatem Scripturæ. O solers Scripturarum indagator! Quid igitur sibi vult Christus, *Luc. 10.* dicens. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit me spernit?* Numquid ad solos Apostolos loquebatur, qui usque ad consumationem seculi futuri personaliter non erant, an ad omnes Apostolorum, discipulorumque successores, qui in Apostolis, discipulisque repræsentabantur? Audi Christum ipsum hoc quæsitum decadentem. *Quod vobis, inquit, dico, omnibus dico.* Præterea, numquid pro Sacerdotum legalium obedientia zelare magis dicendus est Christus, quam pro suorum Sacerdotum, eorum dignitatem infinito intervallo superexcedentium? Et tamen de obedientia erga eos servanda, quia prelati sunt, omnibus dicit. *Quaecumque vobis dixerint, servate, & facite:* quia vero discoli sunt: Secundum operæ, inquit, *sororum nolite facere.* Plena sunt omnia Scripturæ fanætæ volumina: quæ nobis obedientiam Ecclesiasticam inculcant ita, ut de tanza *Huss* vel ignorantia, vel impudentia, vel utraque simul valde mirandum sit. Ceterum una tantum, scilicet *Deuteronomii 17.* quam supra innuimus, autoritatem adducamus in medium, quæ si, ut decet, ad præmissa applicaveris, obmutescere faciet Hussitarum *et loquentium iniqua.* Si difficile, inquit, *& ambiguum apud te judicium esse perspiceris inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & non lepram, & Judicum intra portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quaresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quodcumque dixerat, qui presumis loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum nec declinabis ad dexterum, neque ad sinistrum.* Qui autem superbierit nolens obediere Sacerdotis imperio, qui eo tempore mini-

strat domino Deo tuo, ex Decretis judicis matrietur homo ille, & auferes malum de Israel, cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. Hæc ibi. Judicem hunc Papa Bonifacius Octavus in extravagans. Unum sanctum intellexit esse Romanum Pontificem. Ibi enim condemnans istam hæresim, scilicet, Pontifici Romano non omnes fideles esse subjectos, declarat omnem humanam creaturam Pontifici Romano subesse, esse de necessitate salutis. Hoc & definit Concilium Flor. infra. Quid tandem Apostolus ad pedes Gamalielis edocet, qui aliquando persequebatur Ecclesiam, qui ad tertium Cœlum evectus secreta magna audivit, quid de Ecclesia tantopere ab ipso olim afficta scribit? In illa, quæ est ad Timotheum prima epistola, capitulo tertio sic habet: *ut scias, quomodo te oporteat in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis.* Si Ecclesia Dei vivi (hæc committitur Petro *Matb. 16.* quam Ecclesiam suam inibi vocat filius Dei vivi) si, inquam, Ecclesia hæc columna est, & firmamentum veritatis, convincitur utique ex Apostolo, quod ipsa errore aliquo fidei involvi non potest. Impossibile namque est, ut id, quod est columnæ, & firmamentum veritatis, erret. Alioquin, si admittatur error in eo, jam implicatur contradic̄tio, idest, jam non est columnæ, & firmamentum veritatis. Pro tali veritate Scripturarum zelo Dei accensus *Sixtus Quartus* post divinam, gravemque examinationem damnavit *Peri Oxoniensis* hæresim hanc, scilicet, Ecclesia urbis Romæ errare potest, & ipsem Petrus, tunc hæresim prædictam, secundâ formam Canonum, abjuravit. Vide *summarium Conciliorum in vita Sixti Quarti.* Talem in veritate stabilitatem designatam habuisti, & in Deuteronomio supra, ubi dicit, *standam fore sententie judicis, qui in loco electo a Domino pro tempore presidet, nec declinandum ab ejus obedientia neque ad dexterum, neque ad sinistrum.* Et hoc sub poena mortis publicæ ex decreto ejusdem Sacerdotis judicis infligenda. Et nota, quod, licet faciat mentionem de aliis Sacerdotibus, tamen totum negotium judicii finaliter reducendum docet ad unum solum Sacerdotem, cuius imperio ab omnibus obediendum est. Quid est hoc, nisi quod Romanus Pontifex est supremus iudex in fide, cuius autoritate omnia firmantur in terris, & sine quo etiam Concilia generalia nihil sunt? *Dilectio 17.* Romam enim esse locum illum a Deo electum pro sede Petri,

ac successorum , habes apertissime 24. q. i. Rogamus . Habes & hoc in præfatione Nicenæ Concilii , ubi dicitur . Romana Ecclesia nullis synodis decreter prelata est ceteris Ecclesiis : sed Evangelica voce Domini , & Salvatoris nostri primatum obtinuit , ubi dixit Beato Petrus Apostolo . Tu es Petrus &c. Adhibita est etiam societas in eadem Romana urbe beatissimi Apostoli : qui uno die , unoque tempore gloriose morte cum Petro sub Neroni agonizans coronatus est . Et ambo pariter Ecclesiam Romanam Christo Domino consecravit , aliisque omnibus urbibus in universo mundo eam sua præsencia , atque venerando triumpho prætulerunt . Hæc ibi . Nicenæ huic synodo 318. Patrum vide concordes Constantinopolitanam primam 150. Patrum , cano. quinto , Ephefinam primam 200. Patrum , cano. 6. Chalcedonensem 630. Patrum , actione secunda , & tertia , ubi & confirmari propria decreta petit a Leone Pontifice Romano . Vide etiam (si vis) ultra ista quatuor Concilia principalia , singula quæque legitime facta . Demum ad solemnissimum illud Edictum Constantini vere Magni , quod in primo volumine Conciliorum asservatur , oculos intende , & ab Imperatore primo in Græcia residente , quid de reliquis Ecclesiis respectu Romanæ leniat , quid de successoribus imperii erga S. R. Ecclesiam , quanta pollet potestate , custodiendum semper pro debita reverentia præcipiendo præcipiat , ibi tu clare videbis , vidensque miraberis , qua fronte , quoive supercilie , tamquam alicui fundamento subnixi Ecclesiam suam præferre , aut saltem æquare Romanæ Ecclesiæ Græci contendant . Si Imperator eorum Constantinus Romanam , si eodem Augusto præsente Concilium Nicenum Romanam , si sub Gratiano , & Theodosio Imperatoribus Constantinopolitanum primum non seipsum æquavit , sed Romanum prætulit , si Evaristus , Thelephorus , Higinus , Eleutherius , Antherus , Sixtus secundus , Eusebius Romani Pontifices undecim ab anno Domini 101. usque ad 740. ex Græcis assumpti (scilicet Anacletus , Zosimus , Joannes sextus , Zacharias) hanc ipsam Romanam pro prima cognoscunt , & prædican ; si Concilium Florentinum una cum Græcis , eorum Patriarcha , Imperatore , aliisque suis præsulibus sess. ult. solemnissima publice uno ore conclamat sanctam Apostolicam sedem , Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum , Romanum Pontificem esse successorem beati Petri principis Apostolorum , verum Christi vicarium , totius Ec-

clesiæ caput , omnium Christianorum patrem , ac doctorem , Romano Pontifici in B. Petropascendi , regendi , & gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse , quemadmodum etiam in gestis cœcumenicorum Conciliorum , & in sacris canonibus continetur ; si omnia hæc , inquam , Græcis regionibus cognata veritatem carni , & sanguini præfrentes Romanæ sedis primatum reverenter honorant , quæ tanta cæcitas , & superbia Luciferina in filiis , ut transgredi ausint terminos patrum suorum , tanquam plus nimio innixi prudentiæ sua ? Saltem suis ipsorum Doctoribus aurem accommodarent , ut vescic insipientes minus haberentur , & essent . Audi . Joannes Chrysostomus sanctus , & Doct. Græcus , Episcopusque Constantinopolitanus , homil 55. super Mattheum , & 87. super Ioan . & de laud. Pauli Petrum vocat omnium Apostolorum os , caput , verticem , principem totius consortii , Ecclesiæ caput , pastorem , totius orbis magistrum , & eum , cui promissa sunt , quæ solius Dei sunt . Eusebius item Græcus , & Episcopus , lib. 2. Ecclesiastice histor. cap. 14. Petrum vocat omnium Apostolorum probatissimum , maximum , primorum principem , Duxem , & magistrum militiae Dei , scientem divina prælia gerere , virtutum castra ductare . Cyrillus & ipse sanctus Doctor Episcopus Hierosolymitanus apud Ephesiam synodum tam magnus : Petrus (inquit) ut caput , princepsque ceterorum Apostolorum exclamavit . Tu es Christus Filius Dei vivi . Dionysius Areopagita sanctus , Doctor celeberrimus , Episcopus Atheniensis , & postea Parisiensis , martyrumque gloriosum Petrum summum præceteris vocat , quandoque verticalem Petrum . Hic in epistola ad Timotheum de Martirio Apostolorum Petri , & Pauli tractans in ipso discessu eorum ab invicem Paulum Petro salutem dixisse , hoc modo ait : Pax tibi fundamentum Ecclesiæ , Pastor ovium , & agnorum Christi . Petrus autem Paulum non fundamentum Ecclesiæ , alioquin magnum coapostolum resalutando vocavit . Vade , inquit , in pace predicator bonorum morum , mediator , & via salutis justorum . Basilius ille Magnus lib. 2. adversus Eunomium , Petrus , inquit , Ecclesia in seipso edificationem suscepit . Sanctus Athanasius , Doctor & ipse Græcus , Episcopus Alexandrinus Liberio Romano Pontifici scribens , in ejus , & singulorum Romanorum pontificum persona ait . Vobis universalis a Christo Iesu commissa est Ecclesiæ .

sia. Sunt alii Doctores Græci eam ipsam veritatem profitentes, atque docentes, sed prout nunc ista sufficient. Vide veritates aureas super legem veterem, *Levitic. 21. conc. 2.* per totum. Dilucidum est itaque tot Scripturarum, tot Conciliorum, tot Doctorum etiam Græcorum calculis Romanam Ecclesiam, qui Petri successor pro tempore præficitur, esse illam veram Ecclesiam, cujus iudicio in causa fidei sub pena heresis (ut in praesenti articulo determinat Divus Thomas) firmiter standum est. *Tertio* denique vides &c.

QUÆSTIO TRIGESIMATERTIA.

De persona Patris,

In quatuor articulos divisa.

Consequenter considerandum est de persona in speciali: & primo circa personam Patris: circa quam queruntur quatuor.

Primo, utrum Patri competit esse principium.

Secundo, utrum persona Patris proprie significetur hoc nomine *Pater*.

Tertio, utrum per prius dicatur in divinis Pater, secundum quod sumitur personaliter, quam secundum quod sumitur essentialiter.

Quarto, utrum sit proprium Patri esse ingenitum.

A R T I C U L U S I. 185

Utrum competit Patri esse principium.

Inf. quest. xxxvi. art. 4. & I. dift. xxix. art. 2. & opusc. I. cap. II. & p. quest. X. art. I. ad 8. & 10.

AD primum sic proceditur. Videtur quod Pater non possit dici principium Filii, vel Spiritus sancti. Principium enim, & causa idem sunt, secundum Philosophum

(ex Lib. IV. Metaph. tex. III.) Sed non dicimus Patrem esse causam Filii. Ergo non debet dici, quod sit ejus principium.

2. Præterea. Principium dicitur respectu principiati. Si igitur Pater est principium Filii, sequitur, Filium esse principiatum, & per consequens esse creatum: quod videtur esse erroneum.

3. Præterea. Nomen principii a prioritate sumitur. Sed in divinis non est prius, & posterius, ut Athanasius dicit (in suo symb. fid.) (1). Ergo in divinis non debemus uti nomine principii.

Sed contra est quod dicit Augustinus IV. de Trinit. (cap. xx. declinando ad fin.) *Pater est principium rotius Deitatis.*

Respondeo dicendum, quod hoc nomen principium nihil aliud significat quam id a quo aliquid procedit. Omne enim a quo aliquid procedit quocumque modo, dicimus esse principium, & e converso. Cum ergo Pater sit a quo procedit aliis, sequitur quod Pater est principium.

Ad primum ergo dicendum, quod Græci utuntur in divinis indifferenter nomine causæ, sicut & nomine principii (2); sed Latini Doctores non utuntur nomine causæ, sed solum nomine principii. Cujus ratio est, quia principium communius est quam causa, sicut causa communius quam elementum. Primus enim terminus, vel etiam prima pars rei dicitur principium, sed non causa. Quanto autem aliquid nomen est communius, tanto convenientius assumitur in divinis, ut supra dictum est (quest. xiii. art. 11.) quia nomina quanto magis specialia sunt, tanto magis determinant modum convenientem creaturæ. Unde hoc nomen causa videtur importare diversitatem substantiarum & dependentiam alicujus ab altero, quam non importat nomen principii. In omnibus enim causæ generibus semper invenitur distinctia inter causam, & id cuius est causa, secundum aliquam perfectionem, aut virtutem. Sed nomine principii utimur etiam in his quæ nullam hujusmodi differentiam habent,

(1) In Symbolo toties indicato; præter alia quæ addentur qu. 42. art. 2. & 3. Appendix autem Aug. ex libro 4. de Trin. paulo plenius cap. 20. habetur versus finem, ubi ait ideo Christum de Spiritu sancto non dixisse: *Quem misser Pater a me*, sed *quem missem vobis a Patre*; ut ostenderet quod rotius divina lucis vel si melius dicitur deitatis principium est Pater.

(2) Jam superioris indicatum est ex Damasceno lib. 3. fidei orthodoxæ cap. 5. ubi personam Patris in-

causatem vocabat (ἀριτός) causas vero duas alias (αἰνεῖταις) quamvis cap. 4. præmisset Filium ipsum in accusativo (αἰνεῖταις) produci quasi proprie quidem causas non sit, quia non factus: aliquo tamen modo dici causatus possit, quia productus. Vocat & Basilius Patrem causam Filii (seu αἴτη) contra Eunomium, ac de ceteris Græcis Eugenii Decretum in Concilio Florentino testatur, nec improbat eorum sensum.

bent, sed solum secundum quemdam ordinem; sicut cum dicimus, punctum esse principium linea, vel etiam cum dicimus, (*) frontem linea esse principium linea.

Ad secundum dicendum, quod apud Graecos invenitur de Filio, vel Spiritu sancto dici, quod principientur. Sed hoc non est in usu Doctorum nostrorum: quia licet attribuamus Patri aliquid autoritatis ratione principii; nihil tamen ad subjectionem, vel minorationem quocumque modo pertinens attribuimus Filio, vel Spiritui sancto, ut vitetur omnis erroris occasio. Secundum quem modum Hilarius dicit IX. de Trin. (inter med. & fin.) (1). *Donantis autoritate Pater major est; sed minor non est Filius, cui unum esse donatur.*

Ad tertium dicendum, quod licet hoc nomen principium, quantum ad id a quo imponitur ad significandum, videatur a prioritate sumptum, non tamen significat prioritatem, sed originem. Non enim idem est quod significat nomen, & a quo nomen imponitur, ut supra dictum est (quest. XIII. art. 8.)

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem rejicias haeresim Agarenorum cum Judaeis in hoc, & Cerdone conspirantium, dicentium, quod Deus non potest habere filium; simul haeresim Dosithae dicentis, Spiritum Dei non esse, & haeticam fatuitatem Eustathii dicentis, Spiritum sanctum, neque Deum, neque creaturam esse. Si enim Deus Pater principium est Filii, utique Filium habet, si Spiritus sancti, utique Spiritus sanctius est aliquid, & est unum ex duobus, scilicet, aut Deus, aut creatura, aliquin si veræ (quod numquam erit) illæ haereses, simul essent, Pater utique nullius in divinis esset principium. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas scripturam, Joannis I. dicentem. *In principio erat Verbum, rite vocare Patrem principium, & consequenter per hoc damnare haereses illas, quas & recte damnatas eadem ratione ostendas a Concilio primo Ephesino, c. 13. sic:*

Ait magna, & sancta Synodus Filium ex Deo naturaliter natum, & ab omni fidei symbolo sic, & in Unigenitum ejus Filium, & a Concilio Tolentino primo de regulis fidei catholicæ c. 21. Credimus, &c. Patrem habere Filium, qui Pater non sit, sed de Patris natura, Spiritum quoque paracletum, qui sit a Patre filioque procedens. Hæc ibi, & extra de sum. Tri. & fid. cath. firmiser, & Damnamus, & omnibus Conciliis de Sanctissima Trinitate tractantibus, dum vel dicunt verbaliter, Pater principium est, vel dicunt virtualiter, idest in sensu, Pater est, a qua persona divina aliqua procedit. Tercio vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S II. 186

Utrum hoc nomen Pater sit nomen propriæ divinæ personæ.

Inf. quest. xl. art. 2. corp. & III. Part. quest. ix. art. 7. ad 2. & IV. dist. IIII. art. 2. quest. 1. ad 5.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod hoc nomen *Pater* non sit proprio nomine divinæ personæ. Hoc enim nomen *Pater* significat relationem. Persona autem est substantia individua. Non ergo hoc nomen *Pater* est proprio nomine significativum personæ.

2. Præterea. Generans communius est quam Pater: nam omnis pater est generans, sed non e converso. Sed nomen communius magis propriæ dicitur in divinis, ut dictum est (quest. XIII. art. 11.) (2). Ergo magis proprium nomen est personæ divinæ generans, & genitor, quam Pater.

3. Præterea. Nihil quod secundum metaphoram dicitur, potest esse nomen proprium alicujus. Sed verbum metaphorice apud nos dicitur genitum, vel ptoles; & per consequens ille cuius est verbum, metaphorice dicitur pater. Non ergo principium verbi in divinis potest proprie dici Pater.

4. Præterea. Omne quod dicitur in divinis, per prius dicitur de Deo quam de creaturis (3). Sed generatio per prius videtur dici

(*) Nicolojus primam partem linea.

(1) Non sic porro latine passim, tum propter duas hic indicatas rationes & Opusculo contra Graecos; tum quia causa relative se habet ad effectum; ut sup. qu. 31. art. 2. Quamvis & Aug. lib. 83. quest. qu. 16. causam sapientie sua Deum vocat; & Hilarius lib. 11. de Trinit. causam nativitatis Filij.

(2) Cum de divinis nominibus expresse ageretur, ubi prouinde nomina *Qui est* affiguntur velut proprium nomen Dei, quia communissimam significationem haberet.

(3) Si formaliter faltem ut de subiecto, non si dumtaxat eminenter dicitur ut de causa: Dicitur autem formaliter *generatio*.

dici de creaturis quam de Deo : verior enim ibi videtur esse generatio , ubi aliquid procedit ab alio distinctum , non secundum relationem tantum , sed etiam secundum essentiam . Ergo nomen Patris , quod a generatione sumitur , non videtur esse proprium alicujus divinæ personæ .

Sed contra est quod dicitur in Psal. (lxxxviii. 27.) (1). *Ipse invocabit me , Pater meus es tu.*

Respondeo dicendum , quod nomen proprium cuiuslibet personæ significat id per quod illa persona distinguitur ab omnibus aliis . Sicut enim de ratione hominis est anima , & corpus ; ita de intellectu hujus hominis est hæc anima , & hoc corpus , ut dicitur in VII. Metaph. (tex. 34. & 35.) his autem hic homo ab omnibus aliis distinguatur . Id autem per quod distinguitur persona Patris ab omnibus aliis , est paternitas . Unde proprium nomen personæ Patris est hoc nomen *Pater* , quod significat paternitatem .

Ad primum ergo dicendum , quod apud nos relatio non est subsistens persona . Et ideo hoc nomen *Pater* apud nos non significat personam , sed relationem personæ . Non autem est ita in divinis , ut quidam falso opinati sunt : nam relatio , quam significat hoc nomen *Pater* , est subsistens persona . Unde supra dictum est (quest. xxix. art. 4.) quod hoc nomen *Persona* in divinis significat relationem ut subsistentem in divina natura .

Ad secundum dicendum , quod secundum Philosophum in II. de Anima (tex. 49.) denominatio rei maxime debet fieri a perfectione , & fine (2) . Generatio autem significat ut in fieri , sed paternitas significat complementum generationis ; & ideo potius est nomen divinæ persona *Pater* , quam generans , vel genitor .

Ad tertium dicendum , quod verbum non est quid subsistens in natura humana : unde

non proprio potest dici genitum , vel filius . Sed Verbum divinum est aliquid subsistens in natura divina : unde proprio , & non metaphorice dicitur filius , & ejus principium Pater .

Ad quartum dicendum , quod nomen generationis , & paternitatis , sicut & alia nomina , quæ proprio dicuntur in divinis , per prius dicuntur de Deo quam de creaturis quantum ad rem significatam , licet non quantum ad modum significandi . Unde & Apostolus dicit ad Ephes. IIII. 14. *Flecto genua mea ad Patrem Domini mei Jesu Christi , ex quo omnis paternitas in cœlo , & in terra nominatur* (3) . Quod sic appareat . Manifestum est enim quod generatio accipit speciem a termino , qui est forma generati : & quanto hic fuerit propinquior formæ generantis , tanto verior , & perfectior est generatio ; sicut generatio univoca est perfectior quam non univoca : nam de ratione generantis est quod generet sibi simile secundum formam . Unde hoc ipsum quod in generatione divina est eadem numero forma generantis , & geniti , in rebus autem creatis non est eadem numero , sed specie tantum , ostendit quod generatio , & per consequens paternitas per prius sit in Deo quam in creaturis . Unde hoc ipsum quod in divinis est distinctio geniti a generante secundum relationem tantum , ad veritatem divinæ generationis , & paternitatis pertinet .

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per rationem intelligas in sensu catholico psal. 88. *Ipse invocabit me , Pater meus es tu , & Eph. 3. Flecto genua ad Patrem Domini nostri Jesu Christi , ex quo omnis paternitas in cœlo , & in terra nominatur* ; & ubicumque de Patre in divinis respectu filii mentio fit , sive in sacris litteris , sive in sanctis Conciliis .

(1) De Davide dictum est ad litteram , ut ex contextu patet vers. 27. Sed in persona Christi cui etiam Ecclesia in Officio Nativitatis accommodat : & litterali sensu per figuram intento potest ad eum pertinere . Sic Augustinus quoque Conc. I. super eumdem Psalmum , *Davidem Christum interpretatur quia & David oriundum* : Ut & Theodoretus non alteri quam Christo convenire contendit , quia nullius nisi Christi tempore nec in ullius nisi Christi persona impletum est id omne quod exprimitur ibi .

(2) Sic enim ibi cap. 4. *A fine appellare omnia iustum est* (sive denominare) , (προσεγγιστι) Finis autem est perfectione rei : Unde τίλθε dicitur

græce finis ; indeque τελείωσις vel τελείωτης perfectione , & τέλειον perfectum : Hinc non mirum quod S. Thomas utrumque jungat , sive perfectionem adjungat fini , tametq; finem solum exprimat Philosophus .

(3) Ubi Theodoretus . Proprie pater & vere pater (inquit) Non enim primum fuis filius , desidera pater (sicut homines primo filii sunt antequam patres fiant) sed semper Pater est & secundum natus raro pater &c. Præter illa quæ ad eundem locum explicandum qu. 13. art. 6. tum ex eodem Theodoretu tum ex aliis allata sunt ; ut ad calcem ibi videris est .

liis. Hinc enim habes : quomodo accipiatur tunc *ly Pater*, & quomodo probes sic accipi debere. Secundo ex his, tamquam aliquid speciale de Patre respectu Filii Dei, & respectu creaturarum dicentibus (ut *ly Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum*. Joan. 20.) Tertio vides &c.

ARTICULUS III. 187

Uerum hoc nomen Pater dicatur in divinis per prius, secundum quod personaliter sumitur.

I. dist. II.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod hoc nomen *Pater* non dicatur in divinis per prius, secundum quod personaliter sumitur. Commune enim secundum intellectum est prius proprio. Sed hoc nomen *Pater* secundum quod personaliter sumitur, est proprium personæ Patris ; secundum vero quod sumitur essentialiter, est commune toti Trinitati (1) : nam toti Trinitati dicimus, *Pater noster*. Ergo per prius dicitur *Pater* essentialiter sumptum, quam personaliter.

2. Præterea. In his quæ sunt ejusdem rationis, non est prædicatio per prius, & posterius. Sed paternitas, & filiatio secundum unam rationem videntur dici, secundum quod persona divina est *Pater Fili*, & secundum quod tota Trinitas est *Pater noster*, vel creaturæ ; cum secundum Basiliūm (in hom. de fide, quæ est xv. cir. med.) accipere sit commune creaturæ, & Filio. Ergo non per prius dicitur *Pater* in divinis, secundum quod sumitur essentialiter, quam secundum quod sumitur personaliter.

3. Præterea. Inter ea quæ non dicuntur secundum rationem unam, non potest esse comparatio. Sed Filius comparatur creaturæ

Summ. S.Th. T.I.

in ratione filiationis, vel generationis, secundum illud Coloss. 1. 15. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creature.* Ergo non per prius dicitur in divinis paternitas personaliter sumpta quam essentialiter, sed secundum rationem eamdem.

Sed contra est quod æternum prius est temporalis. Ab æterno autem Deus est Pater Filii, ex tempore autem Pater est creaturæ. Ergo per prius dicitur paternitas in Deo respectu Filii quam respectu creaturæ.

Respondeo dicendum, quod per prius dicitur nomen de illo in quo salvatur tota ratio nominis perfecte, quam de illo in quo salvatur secundum aliquid : de hoc enim dicitur quasi per similitudinem ad id in quo perfecte salvatur, quia omnia imperfecta lumentur a perfectis (2). Et inde est quod hoc nomen *leo* per prius dicitur de animali, in quo tota ratio leonis salvatur, quod proprie dicitur leo, quam de aliquo homine, in quo invenitur aliiquid de ratione leonis, ut pura audacia, vel fortitudo, vel aliiquid hujusmodi : de hoc enim per similitudinem dicitur (3). Manifestum est autem ex præmissis (quæst. xxvii. art. 2. & quæst. xxviii. art. 4.) quod perfecta ratio paternitatis, & filiationis invenitur in Deo Patre, & Deo Filio : quia Patris, & Filii una est natura, & gloria. Sed in creatura filiatio invenitur respectu Dei, non secundum perfectam rationem, cum non sit una natura creatoris, & creaturæ ; sed secundum aliquam similitudinem, quæ quanto perfectior fuerit, tanto propinquius acceditur ad veram filiationis rationem. Dicitur enim Deus alicujus creaturæ Pater propter similitudinem vestigii tantum, utpote irrationalium creaturarum, secundum illud Job. xxxvi. i. 28. *Quis est pluvia Pater? aut quis genuit stillas roris* (4)? Alicujus vero creaturæ, scilicet rationalis, secundum similitudinem imaginis, secundum illud

R.T.

illud

(1) Quoad effectus quos producit in creaturis, ut explicatur infra: Quamvis & essentialiter patrem Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 1. & essentialiter genitorem (ἀνθεῖον γενέτορα). Cyrilus vocat dialogo 2. ut est Filii Pater, quia non accidentario pater est, sed natura ; ut & supra Theodoreetus appellabat, alio sensu quam hic supponit S. Thomas : Appendix autem Basiliūm paulo post colligitur ex homilia ejus 15. quæ inscribitur de fide : ubi paulo aliis verbis ait quod accipere communio quidpiam est ad creaturam (τρόπος τὸν κτιστὸν) idest cum creatura (pro quo male creationem novus Interpres vertit) *babero aures ex natura proprium est genitum.*

(2) Colligitur ex Boetio de consolatione Philosophiae lib. 3 Prosa 10. ubi perfecti diminuzione omnes imperfectum denominari ait.

(3) Ut de Juda filio Jacob. Genes. 49. vers. 9. Requiescentes accubuisse us. leo &c. De Juda Machabæo 1. Machab. 3. vers. 4. *Sibi sit factus est leonis in operibus suis* &c. De Christo ut exorto ex tribu Juda filii Jacob Apocal. 5. vers. 5. *Vocis leo de tribu Iudei* &c.

(4) Vel secundum 70. *Quis parentis?* (ex greco οὐ πεποιηκε) Quasi pluvia pater & roris mater allusione quadam indicetur: Neque quia pluvia caelo tribui solet; unde potius habet patrem: Ros autem

Illud Deuter. xxii. 6. Nonne ipse est Pater natus, qui possedit, & fecit, & creavit te? Aliorum vero est Pater secundum similitudinem gratiae, qui etiam dicuntur filii adoptivi, secundum quod ordinantur ad hereditatem æternæ gloriae per munus gratiae acceptum, secundum illud Rom. viii. 16. Ipso spiritu reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus filii Dei: si autem filii, & heredes. Aliorum vero secundum similitudinem gratiae, prout jam gratiae hereditatem possident, secundum illud Rom. v. 2. Gloriamur in spe glorie filiorum Dei. Sic igitur patet quod per prius paternitas dicitur in divinis, secundum quod importatur respectus personæ ad personam, quam secundum quod importatur respectus Dei ad creaturam.

Ad primum ergo dicendum, quod communia absolute dicta secundum ordinem intellectus nostri sunt priora quam propria, quia includuntur in intellectu proprietatum, sed non e converso. In intellectu enim personæ Patris intelligitur Deus, sed non convertitur. Sed communia quæ important respectum ad creaturam, per posterius dicuntur quam propria quæ important respectus personales: quia persona procedens in divinis procedit ut principium productionis creaturarum. Sicut enim verbum conceptum in mente artificis per prius intelligitur procedere ab artifice quam artificiatum, quod producitur ad similitudinem verbi concepti in mente; ita per prius procedit Filius a Patre quam creatura (1), de qua nomen filiationis dicitur, secundum quod aliquid participat de similitudine Filii, vel Patris, ut patet per illud quod dicitur Rom. viii. 29. Quos preseveravit, & predelinavit fieri conformes imaginis Filii sui.

Ad secundum dicendum, quod accipere dicitur esse commune creaturæ, & Filio, non secundum univocationem, sed secundum similitudinem quamdam remotam, ratione cùjus dicitur primogenitus creaturæ. Unde in auctoritate inducta subditur: Ut sit ipse

Primogenitus in multis fratribus, postquam dixerat, conformes fieri aliquos imagini Filii Dei. Sed Filius Dei () naturaliter habet quoddam singulare præ aliis, scilicet habere per naturam id quod accipit, ut idem Basilius dicit (loc. cit. in arg.) & secundum hoc dicitur unigenitus, ut patet Joan. i. 18. Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse nobis enarravit.*

Et per hoc patet solutio ad tertium.

A P P E N D I X.

Ex art. habes primo: quomodo per rationem rejicias hæresim *Menatis Ariani* dicentis: Pater non semper Deus erat, sed erat, cum Deus Pater non erat. Vidiisti enim hic, quod Deus ab æternō est Pater Filii, & quod ex hoc pendet, quod Pater dicatur prius personaliter, quam essentialiter. Ergo esse Patrem prius personaliter, quam essentialiter confutat illud impium dogma Arianum. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hæresim hanc jure damnatam esse a symbolo Athanasii, quod est compendiola regula fidei (secundum Concilium Florent. decreto super unione Jacobinorum, & Armenorum) dicente: *Æternus Pater, æternus Filius;* & a synodo Romana, quæ presidente Papa Julio I. damnavit Arium cum suis dogmatibus confirmando decreta in synodo Nicæna, & a synodo ipsa Nicæna, quæ Arium damnavit, atque suos errores. Quomodo enim (inquit Aug. de fide catholica.) poterunt capitula illa recipi, quorum damnantur auctores? Et breviter damnatam juste ab omnibus scripturis, Pontificibus summis, Conciliis dicentibus, Patrem esse æternum. Nam (ut totigimus) in iherusalem redit Deum esse Patrem ab æterno Filii, temporalemque creaturæ, & dici per prius ly Pater personaliter, quam essentialiter. Tercio yides: quomodo, &c.

A.R.

attribuitur aurora five nocti: Unde potius habet matrem: Indeque *eris tam auram* Seneca in Hypolito pro amora usurpat; & *eris tam noctem* vel *eris tam Lunam* alii vocant: Nec aliud Vulgata significat necessario cum ait quod *genitio*: Nam significat quoque mater: Et si nihil ad institutum hujus loci ubi monisti de nomine patris agitur.

(1) Sive indefinita sumpta, ut si, junta communione actionem que jam indicata est, & ex cap-

1. ad Coloss. vers. 15. colligi potest, ubi dicitur Christus *primogenitus omnis creature* (πρωτότοκος) quasi & creatura ipso suo modo genita, ideoque filia supponatur: Sive specialiter sumpta prout humana creaturam accommodato sensu propter excellentiam significat; & præcipue illam quæ confessi Dei per gloriam dicitur iuxta illud quod subiungitur.

(*) *Nicænus omisit naturaliter: in naturalis.*

A R T I C U L U S IV . 188

Utrum esse ingenitum sit Patri proprium .

I. dist. XIII . art. 4 . & dist. XXVIII . quest. 1 .
art. 1 . & opusc. 1 . cap. VIII

AD quartum sic proceditur . Videtur quod esse ingenitum non sit Patri proprium . Omnis enim proprietas ponit aliquid in eo cuius est proprietas . Sed ingenitus nihil ponit in Pater , sed removet tantum . Ergo non significat proprietatem Patris .

2. Præterea . Ingenitum aut dicitur privative , aut negative (1) . Si negative , tunc quidquid non est genitum , potest dici ingenitum . Sed Spiritus sanctus non est genitus , neque etiam essentia divina . Ergo ingenitum etiam eis convenit : & sic non est proprium Patri . Si autem privative sumatur , cum orans privatio significet imperfectionem in privato , sequitur quod persona Patris sit imperfecta : quod est impossibile .

3. Præterea . Ingenitus in divinis non significat relationem , quia non dicitur relative . Significat ergo substantiam . Ingenitus igitur , & genitus secundum substantiam differunt . Filius autem , qui est genitus , non differt a Patre secundum substantiam . Pater ergo non debet dici ingenitus .

4. Præterea . Proprium est quod uni soli convenit . Sed cum sint plures ab alio procedentes in divinis , nihil videtur prohibere quin etiam sint plures ab alio non existentes . Non igitur est proprium Patri esse ingenitum .

5. Præterea . Sicut Pater est principium personæ genitæ , ita & personæ procedentis . Si ergo propter oppositionem quam habet ad personam genitam , proprium Patris ponitur esse quod sit ingenitus , etiam proprium ejus .

debet ponit quod sit improcessibilis .

Sed contra est quod dicit Hilarius IV . de Trinit . (non multum remote a fin .) (2) . Est unus ab uno , scilicet ab ingenito genitus , proprietate videlicet in unoquoque & innascibilitatis , & originis .

Respondeo dicendum , quod sicut in creaturis invenitur principium primum , & principium secundum ; ita in personis divinis , in quibus non est prius , & posterius , inveniatur principium non de principio , quod est Pater , & principium a principio , quod est Filius . In rebus autem creatis aliquod principium primum innotescit dupliciter . Uno quidem modo inquantum est principium primum per hoc quod habet relationem ad ea quæ ab ipso sunt . Alio modo inquantum est primum principium per hoc quod non est ab alio . Sic igitur & Pater innotescit quidem paternitate , & communis spiratione per respectum ad personas ab eo procedentes . Inquantum autem est principium non de principio , innotescit per hoc quod non est ab alio : quod pertinet ad proprietatem innascibilitatis , quam significat hoc nomen ingenitus (3) .

Ad primum ergo dicendum , quod quidam dicant , quod innascibilitas , quam significat hoc nomen ingenitus , secundum quod est proprietas Patris , non dicitur tantum negativa , sed importat vel utrumque simul , scilicet quod Pater a nullo est , & quod est principium aliorum ; vel importat universalem autoritatem , vel etiam fontalem plenitudinem . Sed hoc non videtur verum : quia sic innascibilitas non esset alia proprietas a paternitate , & spiratione ; sed includeret eas , sicut includitur proprium in communione . Nam fontalitas , & autoritas nihil aliud significant in divinis quam principium originis .

Et ideo dicendum est secundum Augustinum .

(1) Prout in proposito iusta materia subiectum accipitur , quatenus particula in removet significacionem vocis cui adjungitur ; Non prout significat quod acceptum est a natura : Sic enim *ingenitum* idem est quod *indivit naturaliter* vel cum natura per generationem traductum : Sicut in Machab . 6 vers . 23 . Considerans Bleazarus *ingenitus nobilitatis eminentiam dignam* &c . Quis porro credat quod ex ore inauspicati clamatoris in concione de S . Joseph praesens ipse audiui usurpata hanc verba ut probaret quod *ingenitus* quoque notionem communicat hominibus Deus ?

(2) Vel sic pleniū , & Confessorem nomen unigeniti non admisit ; sicut non recipit innascibilitis participem : Effi ergo unus ab uno : Neque præter inde

scibiles Deum Deus innascibilis alius est : Neque præter unigenitum Deus unigenitus Deus quisquam est : Ut ergo unus & solus est ; proprietate videlicet in unoquoque & innascibilitatis & originis .

(3) Prout respondet aërantes & per generationem improductum propriæ significat : Nec propterea Spiritus sanctus aque ac Pater innascibilis vel *ingenitus* dici potest , quamvis dicatur in Symbolo Athanasii , non factus nec genitus , quia licet non generetur , generationem tamen ejus a quo & de Patre procedit , præsupponit : Innascibilis autem vel *ingenitus* nihil præsupponere debet , proprio sensu sumptum , ut mox .

num V. de Trinit. (cap. vii. versus fin.) quod *ingenitus* negationem generationis privative importat. Dicit enim , quod tantum valet quod dicitur *ingenitus* , quantum valet quod dicitur non filius . Nec propter hoc sequitur quod *ingenitus* non debet poni propria notio Patris : quia prima , & simplicia per negationes notificantur , sicut dicimus , punctum esse cuius pars non est .

Ad secundum dicendum , quod *ingenitum* quandoque sumitur negative tantum : & secundum hoc Hieronymus dicit (innuitur Lib. I. Didymi de Spiritu sancto , quem Hieronymus latine reddidit , & est inter ejus opera :) (1) Spiritum sanctum esse *ingenitum* , id est non genitum . Alio modo potest dici *ingenitum* aliquo modo privative ; non tamen aliquam imperfectionem importat . Multipliciter enim dicitur privatio . Uno modo quando aliquid non habet quod natum est haberi ab alio , etiam si ipsum non sit natum habere illud ; sicut si lapis dicatur res mortua , quia caret vita , quam quedam res naturae sunt habere . Alio modo dicitur privatio , quando aliquid non habet quod natum est haberi ab aliquo sui generis ; sicut si talpa dicatur caca . Tertio modo quando ipsum non habet quod natum est habere ; & hoc modo privatio imperfecti- nem importat . Sic autem *ingenitum* non dicitur privative de Patre , sed secundo modo , prout scilicet aliquod suppositum divinae naturae non est genitum , cuius tamen naturae aliquod suppositum est genitum . Secundum hanc rationem etiam de Spiritu sancto potest dici *ingenitum* . Unde ad hoc quod sit proprium soli Patri , oportet ulterius in nomine ingeniti intelligere quod conveniat ali- cui persona divinae quae sit principium alterius personae ; ut sic intelligatur importare negationem in genere principii personaliter dicti in divinis : velut intelligatur in nomine ingeniti , quod omnino non sit ab alio , & non solum quod non sit ab alio per generationem . Sic enim nec Spiritui sancto

convenit esse ingenitum , qui est ab alio per processionem , ut persona subsistens : nec etiam divinae essentiae , de qua potest dici , quod est in Filio , vel in Spiritu sancto ab alio , scilicet a Patre .

Ad tertium dicendum , quod secundum Damascenum (Lib. II. de Fid. orth. cap. ix. circa med.) *ingenitum* uno modo significat idem quod increatum ; & sic secundum substantiam dicitur , per hoc enim differt substantia creata ab increata . Alio modo significat id quod non est genitum ; & sic relativae dicitur , eo modo quo negatio reducitur ad genus affirmationis ; sicut non homo ad genus substantiarum , & non album ad genus qualitatis . Unde cum genitum in divinis relationem importet , ingenitum etiam ad relationem pertinet . Et sic non sequitur quod Pater ingenitus distinguatur a Filio genito secundum substantiam , sed solum secundum relationem , in quantum scilicet relatio Filii negatur de Patre .

Ad quartum dicendum , quod sicut in quolibet genere oportet ponere unum pri- mum , ita in divina natura oportet ponere unum principium , quod non sit ab alio , quod *ingenitum* dicitur . Ponere igitur duos innascibilis est ponere duos Deos , & duas naturas divinas . Unde Hilarius dicit in Lib. de Synodis (advers. Arians post medium , & est explicatio canonis xxvi.) (2) *Cum unus Deus sit , duo innascibilis esse non possunt* . Et hoc praecipue , quia si essent duo innascibilis , unus eorum non esset ab alio ; & sic non distinguerentur oppositione relativa . Oporteret igitur quod distinguerentur diversitate naturae .

Ad quintum dicendum , quod proprietas Patris , prout non est ab alio , potius significatur per remotionem nativitatis Filii , quam per remotionem processionis Spiritus sancti : tum quia processio Spiritus sancti non habet nomen speciale , ut supra dictum est (quest. xxvii. art. 4. ad 3.) tum quia etiam ordine naturae presupponit generationem

(1) Refertur libro 2. Sent. dist. 13. §. 6. seu lit. F , ut ex regulis definitionum Hieronymi : Sed nullum talum librum nec sententiam ipsam apud illum extare notavimus ibidem ad marginem ; extare tamen tantum lib. 2. Didymi de Spiritu sancto quem latice reddidit Hieronymus , ut in illius operibus habetur quod sit Spiritus sanctus *intraetus & infactus* : Nempe Didymus *dyēnter* scriperat , quod idem est ac *intraetus* , sed *ingenitum* vetus interpres vertit , ut in Aristotele contigisse jam suprius ad art. 4. qu. 25. notatum est ; & sic pro versione

Hieronymi adeoque pro Hieronymo ipso substitui potuit . Quiddam etiam tale Athanasius habet in Dialogis de Trinit. Dialogo 2. versus finem , ubi & *dyēnter* vocat quasi *non factum* ; non *dyēnter* per duplex , vel quasi *non generatum* : Et ad eundem sensum spectat explicatio Damasceni quae ad 3. sub- junxitur .

(2) Ubi dicitur : *Si quis innascibilem & sine ini- stio dicas Filium , tamquam duo sine principio & duo innascibilia & duo innata dicens , duos facias Deos , anathema sit .*

nem Filii. Unde, remoto a Patre, quod non sit genitus, cum tamen sit principium generationis, sequitur consequenter quod non sit procedens processione Spiritus sancti: quia Spiritus sanctus non est generationis principium, sed a genito procedens.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem demonstres, rite etiam a Concilio Toletano Undectmo in principio suisse determinatum sic: *Patrem quidem non genitum, non creatum sed ingenitum profitemur.* Item in de processione Spiritus sancti sic: *Hic etiam Spiritus filius nec ingenitus, nec genitus creditur, ne aut si ingenitum dixerimus, duos patres dicamus, aut si genitum, duos filios praedicare monstremur.* Item quod a Papa Damaso in suo symbolo fidei, quod ponitur inter opera D. Hieronymi tom. 4. merito definitum est expresse, quod Pater tantum est ingenitus. Item, quod a Concilio Niceno iuste id ipsum est decisum, secundum quod D. Athanasius in epist. ad Serapionem dicit his verbis: *Spiritus sanctus non est ingenitus, quia imprimcipiatum esse, & ingenitum soli Deo Patri catholica Ecclesia congregata apud Nicream recte, & fideliter attribuit; & de solo Patre hoc esse credendum, & praedicandum toti mundo sub anathemate mandavit.* Hæc ibi. Item, quod ab Ecclesia iure in officio sanctissime Trinitatis canitur: *Te Deum Patrem ingenitum &c. tibi corde, & ore confitemur.* Item a Papa Sisto I. in prima epistol. ad universos Christi fideles rite suisse ostensum secundum fidem, Patrem esse Deum, & ingenitum; Filium vero (in quo Pater visus est) esse genitum, unumque cum Patre Deum, non alium Deum esse Patrem, alium Filium. Secundo vides: quomodo &c.

QUÆSTIO TRIGESIMAQUARTA.

De persona Fili,

In tres articulos divisa.

Deinde considerandum est de persona Filii. Attribuuntur autem tria nomina Filio, scilicet *Filius, Verbum, & Imago.* Sed ratio Filii ex ratione Patris consideratur (1). Unde restat considerandum de Verbo, & Imagine.

Circa Verbum queruntur tria.

Primo, utrum Verbum dicatur essentialiter in divinis, vel personaliter. Secundo, utrum sit proprium nomen Filii. Tertio, utrum in nomine Verbi importetur respectus ad creaturas.

ARTICULUS I. 189

Utrum Verbum in divinis sit nomen personale.

1. 2. quest. XCIII. art. 1. ad 2. & ver. quest.
IV. art. 2. & 6. & opus. 1. cap. XII.

Aud primum sic proceditur. Videtur quod Verbum in divinis non sit nomen personale. Nomina enim personalia proprie dicuntur in divinis, ut Pater, & Filius. Sed Verbum metaphorice dicitur in divinis, ut Origenes dicit super Joan. (cap. 1. sup. illud *In principio erat Verbum.*) Ergo Verbum non est personale in divinis.

2. Præterea. Secundum Augustinum in Lib. IX. de Trinit. (cap. x. circa fin.) *Verbum est notitia cum amore:* & secundum Anselmum in Monol. (cap. lx. circa med.) (2) dicere summo spiritui nihil aliud est quam cogitando intueri. Sed notitia, & cognitio, & intuitus in divinis essentialiter dicuntur. Ergo Verbum non dicitur personaliter in divinis.

3. Præterea. De ratione Verbi est quod dicatur. Sed secundum Anselmum ibidem (colligitur ex cap. lxx.) (3) sicut Pater est intelligens, & Filius est intelligens; & Spiritus sanctus

(1) Et propterea non est opus in speciali considerare de Filio, ut hic subintelligi debet.

(2) Non sicut prius cap. 32. 33. 34. unde dumtaxat implicite colligi potest; sed cap. 60. expressissime sub his verbis.

(3) In eodem ut superius Monologio partim cap. 39. ubi dicitur nullus trium alio indigere aut ad intelligendum, aut ad amandum; partim (& ex-

pressius) cap. 60. ut supra; ubi dicitur unusquisque non minus in aliis quam in seipso; ut cum invicem se dicunt; sic videatur idem ipse qui dicitur genere verbum sursum, sicut cum a seipso dicitur &c. Et inferius: Cum sciens non sit aliud quam dicens, neceesse ut quemadmodum singulus est sciens & intelligens, ita singulus quisque sit dicens &c.

Etus est intelligens ; ita Pater est dicens , Filius est dicens , & Spiritus est dicens : & similiter quilibet eorum dicitur . Ergo nomen Verbi essentialiter dicitur in divinis , & non personaliter .

4. Præterea . Nulla persona divina est facta . Sed Verbum Dei est aliquid factum . Dicitur enim in Psalm . cxxviii . 8. *Ignis , grando , nix , glacies , spiritus procellarum , que faciunt verbum ejus .* Ergo Verbum non est nomen personale in divinis .

Sed contra est quod dicit Augustinus in VII . de Trinit . (cap . 11 . in princ .) *Sicut Filius referunt ad Patrem , ita & Verbum ad id cuius est Verbum .* Sed Filius est nomen personale , quia relative dicitur . Ergo & Verbum .

Respondeo dicendum , quod nomen Verbi in divinis , si proprie suinatur , est nomen personale , & nullo modo essentialie .

Ad cuius evidentiam sciendum est , quod verbum tripliciter quidem in nobis proprie dicitur ; quarto autem modo dicitur impolie , sive figurative . Manifestius autem , & communius in nobis dicitur verbum , quod voce profertur , quod quidem ab interiori procedit , quantum ad duo quæ in verbo exteriori inveniuntur , scilicet vox ipsa , & significatio vocis . Vox enim significat intellectus conceptum , secundum Philosophum in Lib . I . Perih . (in princ .) (1) & iterum vox ex significatione , vel imaginatione procedit , ut in Lib . II . de Anima dicitur (tex . 90 .) Vox autem quæ non est significativa , verbum dici non potest . Ex hoc ergo dicitur verbum vox exterior , quia significat interiori mentis conceptum . Sic igitur primo & principaliter interior mentis conceptus verbum dicitur ; secundario vero ipsa vox interioris conceptus significativa , tertio vero ipsa imaginatio vocis verbum

dicitur . Et hos tres modos verbi ponit Damascenus in I . Lib . cap . xvi . (de Fide orthod . quid simile habet eod . Lib . cap . ix . circa med .) dicens , quod verbum dicitur naturalis intellectus motus ; secundum quem movetur , & intelligit , & cogitat , velut lux , & splendor , quantum ad primum . Rursus verbum est quod non verbo proferitur , sed in corde pronuntiator , quantum ad tertium . Rursus etiam verbum est Angelus , idest nuntius intelligentiae , quantum ad secundum . Dicitur autem figurative quartu modo verbum id quod verbo significatur , vel efficitur ; sicut consuevimus dicere , Hoc est verbum quod dixi tibi , vel quod mandavit Rex , demonstrato aliquo facto , quod verbo significatum est , vel simpliciter enuntiantis , vel etiam imperantis . Dicitur autem proprie verbum in Deo , secundum quod verbum significat conceptum intellectus . Unde Augustinus dicit in XV . de Trinit . (cap . x . a med .) *Quisquis potest intelligere Verbum non solum , antequam sonet , verum etiam antequam sonorum ejus imagines cogitatione involvantur , jam potest videre aliquam verbi illius similitudinem , de quo dictum est : In principio erat Verbum .* Ipse autem conceptus cordis de ratione sua habet quod ab alio procedat , scilicet a notitia concipientis .

Unde Verbum , secundum quod proprie dicitur in divinis , significat aliquid ab alio procedens , quod pertinet ad rationem nominum personalium in divinis , eo quod persona divinæ distinguuntur secundum originem , ut dictum est (quest . xxvii . art . 3 .) Unde oportet quod nomen Verbi , secundum quod proprie in divinis accipitur , non sumatur essentialiter , sed personaliter tantum .

Ad primum ergo dicendum , quod Ariani , quorum fons Origenes invenitur (2) , posse

(1) Sive de interpretatione ; ut jam non semel notatum est : Quod autem subjungitur velut ex libr . de anima indefinite , ac prius notabatur ex libro fine indice speciali , sumptum est cap . 8 . libri secundi tex . 90 . ubi proinde tuffum non esse vocem infert , sed solammodo *respirari aeris iustum* sive percussioneum (πνεύμα) ad eam partem quæ arteria nominatur : Hæc enim percussio cum sit per linguam , vox est , & proinde aliquid significat : Cum sine lingua simpliciter sit , est sonus non vox ; qualis dicitur tuffus : Hinc Boetius quunque in lib . de interpret . fuit & pulchritud . Edit . 2 . Potest (inquit) esse definitionis vox ut eam dicamus esse sonum cum quadam significacione significandi : Vox namque cum emittatur , significacionis alicuius causa preferatur : Tuffus vero cum sonus sit , nullius significacione causa surrepit &c .

(2) Quippe velut *Arii Pater* , sicut Epiphanius ilium vocat in epistola quam ad Joananem Hierosolymitanum scripsit , inter opera Hieronymi a quo latine redita est , Quam recte autem *Parem Arii* vocet , satis explicat Epiphanius ipse lib . de heresis bñr . 64 . quæ *Origenis* inscribitur ; ubi de illo refert quod Filium vocat *Dæm factum* (τὸν γενέτορα) quasi de substantia quidem Dei existentem , sed factione tamen ab eodem productum ; juxta ea quæ superius quest . 32 . ad articuli primi marginem notata sunt : Pro quo potius per duplex dicere debuisset *τὸν γενέτορα* idest *Dæm generatum* , velut eundem cum substantia generantis : Ut in Symbolo Patrum quod in Missa cantatur , proficitur *Dæm de Dæo , lumen de lumine , Dæm verbum de Dæo vero , generatus non factum , consubstantielles Pater &c .*

posuerunt Filium alium a Patre esse in diversitate substantiarum. Unde conati sunt, cum Filius Dei Verbum dicitur, astruere non esse proprium dictum, ne sub ratione Verbi procedentis cogerentur fateri Filium Dei non esse extra substantiam Patris. Nam verbum interius sic a dicente procedit quod in ipso manet. Sed necesse est, si ponitur Verbum Dei metaphorice dictum, quod ponatur Verbum Dei proprium dictum. Non enim potest aliquid metaphorice Verbum dici nisi ratione manifestationis: quia vel manifestat, sicut verbum, vel est verbo manifestatum. Si autem est manifestatum verbo, oportet ponere verbum quo manifestetur. Si autem dicitur verbum, quia exterius manifestat ea quae exterius manifestantur, non dicuntur verba, nisi in quantum significant interiorem mentis conceptum, quem aliquis etiam per exteriora signa manifestat. Et si ergo verbum aliquando dicatur metaphorice in divinis, tamen oportet ponere verbum proprium dictum, quod personaliter dicatur.

Ad secundum dicendum, quod nihil eorum quae ad intellectum pertinent, personaliter dicitur in divinis, nisi solum verbum: solum enim verbum significat aliquid ab alio emanans. Id enim quod intellectus in concepiente format, est verbum. Intellectus autem ipse, secundum quod est per speciem intelligibilem in actu, consideratur absolute: & similiter intelligere, quod ita se habet ad intellectum in actu, sicut esse ad ens in actu: non enim intelligere significat actionem ab intelligenti exequentem, sed in intelligenti manentem. Cum ergo dicitur, quod verbum est notitia, non accipitur notitia pro actu intellectus cognoscentis, vel pro aliquo ejus habitu, sed pro eo quod intellectus concipit cognoscendo. Unde & Augustinus dicit (Lib. VII. de Trin. cap. 11. non longe a princ.) quod *Verbum est sapientia genita*: quod nihil aliud est quam ipsa conceptio sapientis, quae etiam pari modo notitia genita dici potest. Et per eundem modum potest intelligi, quod dicere, Deo, sit cogitando intueri, in quantum scilicet intuitu cogitationis divinae concipitur Verbum

Dei. Cogitationis tamen nomen Dei Verbo proprie non convenit. Dicit enim Augustinus XV. de Trinit. (cap. xvi. in princ.) *Ita dicitur illud Verbum Dei, ut cogitatio non dicatur, ne aliquid esse quasi volubile credatur in Deo, quod nunc (*) accipiat formam ut verbum sit, eamque dimittere possit, atque informiter quodammodo voluntari*. Cogitatio enim proprie in inquisitione veritatis consistit, qua in Deo locum non habet (1). Cum vero intellectus jam ad formam veritatis pertingit, non cogitat, sed perfecte veritatem contemplatur. Unde Anselmus (loc. cit. in arg. 2.) improprie accipit cogitationem pro contemplatione.

Ad tertium dicendum, quod sicut proprium loquendo, Verbum dicitur personaliter in divinis, & non essentialiter, ita & dicere. Unde sicut Verbum non est commune Patri, & Filio, & Spiritui sancto; ita non est verum quod Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sint unus dicens. Unde Augustinus dicit VII. de Trinit. (cap. i. circa princ.) *Dicens illo coetero Verbo non singulus intelligitur in divinis; sed cum ipso Verbo, sine quo non est utique dicens*. Sed dici convenit cuilibet personæ: dicitur enim non solum verbum, sed res quae verbo intelligitur, vel significatur. Sic ergo uni soli personæ in divinis convenit dici eo modo quo dicitur verbum; eo vero modo quo dicitur res in verbo intellecta, cuilibet personæ convenit dici; Pater enim intelligendo se, & Filium, & Spiritum sanctum, & omnia alia, quae ejus scientia continentur, concipit Verbum, ut sic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura. Sicut intellectus hominis verbo, quod concipit intelligendo lapidem, dicit. Anselmus vero improprie accipit dicere pro intelligere; quae tamen differunt: nam intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, sed solum informatio quedam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ. In Deo autem importat omnimodam identitatem, quia in Deo est omnino idem intellectus, & intellectum, ut

(*) *Ali. non accipiat.*

(1) Quatenus nempe *cogitatio* quasi *coagitatio* quendam est, vel plurium inter se collatorum agitatio ut ex illis ad unum veniatur in quo quiescat intellectus & cognitio firma sit: Nam aliqui cogitatio, prout est notitia dumtaxat simplex vel positum Dei metaphorice significat, passim de illo

predicatur; ut Psal. 32. vers. 11. *cogitationes cordis ejus in generationem*; Ibai. 55. vers. 8. *Non enim cogitationes meæ cogitationes vestrae, sed supra vestras exaltatae*: Hierem. 18. vers. 15. *Cogito contra vos cogitationem &c.* Hierem. 29. vers. 12. *Non cognoverunt cogitationes Domini &c.*

ut supra ostensum est quæst. xiv. artic. 4 & 5.) (1). Sed dicere importat principali- ter habitudinem ad verbum conceptum : ni- hil enim est aliud dicere quam proferre ver- bum . Sed mediante verbo importat habitu- dinem ad rem intellectam , quæ in verbo prolatu manifestatur intelligenti . Et sic sola persona quæ profert verbum , est dicens in divinis , cum tamen singula personarum sit intelligens , & intellecta , & per consequens verbo dicta .

Ad quartum dicendum , quod verbum su- mitur ibi figurative , prout significatum , vel effectus verbi dicitur verbum . Sic enim crea- turæ dicuntur facere verbum Dei , inquantum exequuntur effectum aliquem , ad quem ordinantur ex verbo concepto divinæ sapien- tiaz ; sicut aliquis dicitur facere verbum Re- gis , dum facit opus ad quod ex verbo Re- gis instigatur .

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo : quomodo per rationem rejicias errorem *Rabbi Moysis* (Direct. Inquis. 2. part. qu. 4) dicentes , Verbum dici essentialiter tantum , non perso- naliter . Secundo habes : quomodo per ratio- nem eamdem ostendas , recte factum a scri- pturis , & consequenter recte damnatum prædictum errorem ab eis , dum accipiunt Ver- bum personaliter ibi 1. Joan. 5. *Tres sunt , qui testimonium dant in cælo , Pater , Ver- bum , & Spiritus sanctus , & Joan. 1. Ver- bum caro factum est , quod utique de perso- na tantum Filii catholice intelligitur . Item quomodo a Concilio Constantinopolitano 5. in expositione fidei , sic : *Unus Deus Pater Verbi viventis , sapientia subsistens , & potentie , ac characteris semiperterni , perfectius , perfecti ge- nitor , Pater Filii Unigeniti , unus Dominus , solus ex solo , Deus ex Deo , Character , imago deitatis , Verbum operativum , sapientia consi- stentie omnium comprehensiva , & virtus totius creature factiva , Filius verus veri Patris , in- visibilis , invisibilis , ineffabilis , ineffabilis , immortalis , immortalis , & semiperternus , sem- perterni . Hæc ibi . Ecce , quod accipit ver-**

bum personaliter . Idem concilium actione 1. cap. 2. si quis non confiteretur Dei Verbi duas na- tivitates &c. anathema sit , & c. 3. Si quis di- cit alium esse Deum Verbum qui miracula fecit , & alium Christum , qui passus est &c. & non unum , euandemque Dominum nostrum Jésum Christum Dei Verbum incarnatum &c. anathema sit . Hæc ibi . Nam in omnibus fere capitulois Verbum accipi personaliter , non es- sentialiter , videbis . Item : quomodo recte a Conciliis omnibus , speciatim Ephesino in suis capitulis sub anathemate positis , quæ de trinitate , vel incarnatione tractando , no- minant Verbum , quoniam ipsum pro Filii persona accipiunt . Nec mirum , quoniam scriptura sic docuit dicens . *In principio erat Verbum & Verbum erat (sicuti & est) apud Deum , & Deus erat Verbum , quemadmo- dum exponit Papa Felix in epistola ad Pe- trum Episcopum Antiochiae , quæ ponitur in Constantinopolitana synodo quinta . Scriptu- ra vero , & concilia , maxime , quæ , cum sub anathemate loquuntur , proprie loquun- tur . Tertio videre licet : quomodo &c.*

A R T I C U L U S II . 190

Utrum Verbum sit proprium nomen Filii .

I. dis. xxvii. quæst. ii. art. 2. quæst. 2. & verit. quæst. IV. art. 3. & opusc. I. cap. XII.

AD secundum sic proceditur . Videtur quod Verbum non sit proprium nomen Filii . Filius enim est persona subsistens in divinis . Sed Verbum non significat rem sub- sistentem , ut in nobis patet . Ergo Verbum non potest esse proprium nomen personæ Filii .

2. Præterea . Verbum prolatione quadam procedit a dicente . Si ergo Filius est pro- prius Verbum , non procedit a Patre nisi per modum prolationis : quod est hæresis Valen- tini , ut patet per Augustinum in Lib. de hæresibus (num. 11.) (2) .

3. Præterea . Omne nomen proprium ali- cuius personæ significat proprietatem aliquam ejus .

(1) Ubi proinde concluditur quod per seipsum Deus intelligat se , quia & intellectus & intellectum & species intelligibilis unum & idem esse suppo- nuntur : *Sicut etiam art. 4. ex eo quod ipsa- met intellectio Dei est essentia ejus & intrinseca perfectio , infertur quod idem est intellectus & in- tellectum &c.*

(2) Non cap. 12. sicut prius indicabatur ad mar- ginem sed 11. ubi nec explicito tamen sed implici- te tantum de Valentino id asserit ; cum ex fabulis ejus refert intellectum & veritatem *conas oculo pro- suis in honorem patris , indeque verbum & vitam precessisse .*

eius. Si igitur Verbum sit proprium nomen Filii, significabit aliquam proprietatem ejus; & sic erunt plures proprietates in divinis quam quæ supra enumeratae sunt.

4. Præterea. Quicumque intelligit intelligendo concipit verbum. Sed Filius intelligit. Ergo Filius est aliquid verbum; & sic non est proprium Filii esse Verbum.

5. Præterea. Hebr. i. 3. dicitur de Filio: *Portans omnia verbo virtutis sue*: ex quo Basilius (Lib. V. contra Eunom. cap. xi.) accipit, quod Spiritus sanctus sit verbum Filii (1). Non est ergo proprium Filii esse Verbum.

Sed contra est quod Augustinus dicit VI. de Trinit. (cap. ii. circa med.) *Verbum solus Filius accipitur*.

Respondeo dicendum, quod Verbum proprium dictum in divinis personaliter accipitur, & est proprium nomen personæ Filii: significat enim quamdam emanationem intellectus. Persona autem quæ procedit in divinis secundum emanationem intellectus, dicitur Filius; & hujusmodi processio dicitur generatio, ut supra ostensum est (quæst. xxvii. art. 2.) Unde relinquitur quod solus Filius proprie dicatur Verbum in divinis.

Ad primum ergo dicendum, quod in nobis non est idem esse, & intelligere. Unde illud quod habet in nobis esse intelligibile, non pertinet ad naturam nostram. Sed esse Dei est ipsum ejus intelligere. Unde Verbum Dei non est aliquid accidentis in ipso, vel aliquis effectus ejus, sed pertinet ad ipsam naturam ejus (2); & ideo oportet quod sit aliquid subsistens, quia quidquid est in natura Dei, subsistit: & ideo Damascenus (Lib. I. orth. Fid. cap. xviii. non procul a fin.) dicit, quod *Verbum Dei est substantiale, & in hypostasi ens; reliqua vero verba, scilicet nostra, virtutes sunt anime*.

Summ. S.Tb. T. I.

Ad secundum dicendum, quod non propter hoc error Valentini est damnatus, quia Filium dixit prolatione natum, ut Ariani calumniabantur, sicut Hilarius refert VI. de Trin. (non remote a prin.) (3) sed propter varium modum prolationis quem posuit, sicut patet per Augustinum in Lib. de hereticis (loco in arg. cit.)

Ad tertium dicendum, quod in nomine Verbi eadem proprietas importatur quæ in nomine Filii. Unde dicit Augustinus (VII. de Trinit. cap. ii. in princ.) *Eo dicitur Verbum quo Filius*. Ipsa enim nativitas Filii, quæ est proprietas personalis ejus, diversis nominibus significatur, quæ Filio attribuuntur ad exprimendum diversimode perfectionem ejus. Nam, ut ostendatur connaturalis Patri, dicitur Filius; ut ostendatur coæternus, dicitur splendor; ut ostendatur omnino similis, dicitur imago; ut ostendatur immaterialiter genitus, dicitur Verbum. Non autem potuit unum nomen inveniri per quod omnia ista designarentur.

Ad quartum dicendum, quod eo modo convenit Filio esse intelligentem quo convenit ei esse Deum, cum intelligere essentialiter dicatur in divinis, ut dictum est (quæst. xiv. art. 2. & 4.) Est autem Filius Deus genitus, non autem generans Deus: unde est quidem intelligens, non ut producens Verbum, sed ut Verbum procedens, prout scilicet in Deo Verbum procedens secundum rem non differt ab intellectu divino, sed ratione sola distinguitur a principio Verbi.

Ad quintum dicendum, quod cum de Filio dicitur, *Portans omnia verbo virtutis sue*, verbum figurate accipitur pro effectu verbi. Unde Glossa (interlinearis) (4) ibi dicit, quod verbum sumitur pro imperio, in quantum scilicet ex effectu virtutis Verbi est quod res conserventur in esse, sicut ex effe-

Sf tu

(1) Ubi sic ait: *Dei verbum Filius est: Filius autem verbum, Spiritus: Portans enim omnia (inquit) verbo virtutis sue: Quamvis non frusta grece loquutio diversa usurpatur: Filius enim ἀρχός dicitur ibi, quasi substantiale verbum ex Patris intellectu procedens intra ipsum: Spiritus autem πνεῦμα quasi causale verbum ipsummet Filii procedens extra ipsum in creaturas quas producit: Quod ad responsionem argumentis accuratius intelligendam juvat.*

(2) Identice, non formaliter, ut si prius dictum est; proindeque rejectum velut novum & fictitium quod actualis intellectio sit ratio propria constituens essentialiter & formaliter deitatem.

(3) Sic enim ibi aliquanto post principium: *Vnde denses heretici Filius Dei non ex Deo esse, neque*

de natura & in natura Dei, ex Deo Deum natura dixerunt, natum non putative; nec sicut Valentinus prolatione Patris natum commentatus est; ut sub specie hereticos Valentinienses nomine prolationis improbato nativitatem Dei ex Deo improbarerent. Subiungit vero quod ridicula quadam & fada commentans; post numerosas eternitatem possessores Christum prolatum afferuit; & hanc inanem prolationem, memorari se fulti authoris furvo quæstionem evangelicas fides noscit. Similia sunt quæ notat Augustinus ut supra; Idem enim est nunc ac eternitas.

(4) Tum manuscripta, tum nova interlin. expresse quidem ex Lombardo, æquivalenter autem ex Præmatio & Haymone.

Et virutis Verbi est quod res producantur in esse. Quod vero Basilius interpretatur verbum pro Spiritu sancto, improprie, & figurate locutus est, (1) prout verbum alicujus dici potest omne illud quod est manifestativum ejus, ut sic ea ratione dicatur Spiritus sanctus verbum Filii, quia manifestat Filium.

A P P E N D I X .

Ex artic. habes primo: quomodo per rationem rejicias haeresim Alogiorum (Direct. Inquis. 2. par. qu. 6.) negantium, Verbum ponendum in divinis, seu Filium non esse Dei Verbum, unde etiam dicuntur Alogii ab eo, id est, sine, & λόγος, id est, Verbum, quasi dicantur, sine Verbo. Unde propterea negant Evangelium, Apocalypsim Joannis, eademque sua phantasia ducti negarent scripturas omnes, quatenus in divinis nominant Verbum, ut ly *tres dunt testimonium in cœlo*, *Pater, Verbum, Spiritus sanctus*: si haec scripturae contra illos adducerentur. Item haereses Arianorum (Alexander Alexandriæ Episcopus in epistola ad catholicos, de Arianis) dicentes, Filium Dei non esse verum, & naturale Verbum Patris, sed abusive Verbum. Rursus, Filium Dei esse in proprio, & nativo Verbo Dei, & in Dei sapientia, in qua, & omnia, & ipsum quoque fecit Deus. Rursus Filium Dei esse Verbum peregrinum, alienum, segregatumque a substantia Patris. Rursus. Verbum non posse perfecte cernere Patrem, neque certo eum cognoscere. Rursus. Verbum Dei mutari posse, ut Diabolus mutatus est, & generationi, mutationique utpote mutabilis naturæ, obnoxium. Rursus. Verbum Dei non semper fuisse: sed ex non existentibus factum esse. Haec omnia, quoniam de Verbo Dei loquuntur, hic adduximus, intendentem tam solum, ut, pro quanto presenti articulo contraria sunt, ejusque ratione convincuntur, adducta sunt. De Verbi enim, seu Filii Dei divinitate, aequalitate in scientia &c. ad Patrem, singillatim, quæst. 39. art. 2. & 3. quæst. 43. art. &c. tractandum erit, contrarieque haereses confutandæ scorsum. Ad rem nostram modo. Haereses predictæ omnes, pro quanto de Verbo Dei vel dicunt, quod non convenit revera Filio,

A R T . II. & III.

vel negant, quod revera convenit Filio, pro tanto fatentur oppositum articuli, quod scilicet Verbum in divinis non est proprium nomen Filii, & pro tanto (ut diximus) hic adducuntur. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, merito Alogiorum illam ab Ecclesia damnatam in libro Decretorum 24. qu. 3. *Quidam*. Item Arianorum omnes ab Alexandro Alexandria Episcopo (ut ait Niccephorus 1. 2. c. 8.) sic post narrationem premissarum haeresum determinante: *Hec dicentes, atque his impudenter se venditantes Arianos, sectatoresque eorum, nos quidem cum Ägyptiis, & vicinis Lybicis certuni numero Episcopis conventu acto, anathemate jugulavimus. Tertio videre licet: quomodo &c.*

A R T I C U L U S III. 191

Utrum in nomine Verbi importetur respectus ad creaturam.

I. dist. xxvii. quæst. ii. art. 3. & ver. quæst. iv. art. 5. & quæst. iv. art. 1. ad 1.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod in nomine Verbi non importetur respectus ad creaturam. Omne enim nomen connotans effectum in creatura essentialiter in divinis dicitur. Sed Verbum non dicitur essentialiter, sed personaliter, ut dictum est (art. 1. hujus quæst.) Ergo Verbum non importat respectum ad creaturam.

2. Præterea. Quia importat respectum ad creaturas, dicuntur de Deo ex tempore, ut Dominus, & Creator. Sed Verbum dicitur de Deo ab æternio (2). Ergo non importat respectum ad creaturam.

3. Præterea. Verbum importat respectum ad id a quo procedit. Si ergo importat respectum ad creaturam, sequitur quod procedat a creatura.

4. Præterea. Ideæ sunt plures secundum diversos respectus ad creaturas. Si igitur Verbum importat respectum ad creaturas, sequitur quod in Deo non sit unum Verbum tantum, sed plura.

5. Præterea. Si Verbum importat respectum ad creaturam, hoc non est nisi inquantum

(1) Præterquam quod non λόγος appellavit eo nomine quo Filium, sed πῦρ ut i. m. sup.

(2) Sic enim Chrysostomus explicat homil. 3. in Joannem illud Joan. 1. *In principio erat verbum, per quod æternitatem significari notat; sicut & com-*

ternitatem quam eamdem cum Patre habet, per illud quod sequitur, Hoc erat in principio apud Deum: Et similiter Basilius in homilia speciali super haec verba; ut & alii quidam in Catena aurea S. Thomæ.

tum creaturæ cognoscuntur a Deo. Sed Deus non solum cognoscit entia, sed etiam non entia. Ergo in Verbo importabitur respectus ad non entia: quod videtur falsum.

Sed contra est quod dicit Augustinus in Lib. lxxxiiii. Quæstionum (quæst. Ixiii.) quod in nomine Verbi significatur non solum respectus ad Patrem, sed etiam ad illa quæ per Verbum facta sunt operativa potentia (1).

Respondeo dicendum, quod in Verbo importatur respectus ad creaturam. Deus enim cognoscendo se cognoscit omnem creaturam.

Verbum igitur in mente conceptum est representativum omnis ejus quod actu intelligitur. Unde in nobis sunt diversa verba secundum diversa quæ intelligimus. Sed quia Deus uno actu & sc., & omnia intelligit, unicum Verbum ejus est expressivum non solum Patris, sed etiam creaturarum (2).

Et sicut Dei scientia, Dei quidem est cognoscitiva tantum, creaturarum autem cognoscitiva, & factiva; ita Verbum Dei, ejus quod in Deo Patre est, expressivum tantum; creaturarum vero est expressivum, & operativum: & propter hoc dicitur in Psal. xxxii. 9. *Dixit, & facta sunt*: quia importatur in Verbo ratio factiva eorum quæ Deus facit.

Ad primum ergo dicendum, quod in nomine personæ includitur etiam natura oblique: nam persona est rationalis naturæ individua substantia. In nomine igitur personæ divinæ, quantum ad relationem personalem, non importatur respectus ad creaturam, sed importatur in eo quod pertinet ad natum. (*) Nihil tamen prohibet, inquantum includitur in significatione ejus essentia, quod importetur respectus ad creaturam. Sicut enim proprium est Filio quod sit Filius; ita proprium est ei quod sit genitus Deus,

vel genus creator: & per hunc modum importatur relatio ad creaturam in nomine Verbi.

Ad secundum dicendum, quod cum relationes consequantur actiones, quædam nomina important relationem Dei ad creaturam, quæ consequitur actionem Dei in exteriorem effectum transuntem, sicut creare, & gubernare, & talia dicuntur de Deo ex tempore (3). Quædam vero relatio est quæ consequitur actionem non transuntem in exteriorem effectum, sed manentem in gente, ut scire, & velle; & talia non dicuntur de Deo ex tempore: & hujusmodi relatio ad creaturam importatur in nomine Verbi. Nec est verum quod nomina importantia relationem Dei ad creaturas omnia dicuntur ex tempore; sed sola illa nomina quæ important relationem consequenti actionem Dei in exteriorem effectum transuntem, ex tempore dicuntur.

Ad tertium dicendum, quod creaturæ non cognoscuntur a Deo per scientiam a creaturis acceptam, sed per essentiam suam. Unde non oportet quod a creaturis procedat Verbum, licet Verbum sit expressivum creaturarum.

Ad quartum dicendum, quod nomen ideo principaliter est impositum ad significandum respectum ad creaturam; & ideo pluraliter dicitur in divinis, neque est personale. Sed nomen Verbi principaliter impositum est ad significandam relationem ad dicentem, & ex consequenti ad creaturas, inquantum Deus, intelligendo se, intelligit omnem creaturam, (4) & propter hoc in divinis est unicum tantum Verbum, & personaliter dictum.

Ad quintum dicendum, quod eo modo quo scientia Dei est non entium, & Verbum Dei est non entium: quia non est ali-

S I 2 quid

(1) Vel sic plenius: *Quod græco λόγος dicitur, latini & rationem & verbum significans; Sed hoc loco melius verbum interretamus us significetur non solum respectus ad Patrem, sed ad illa etiam quæ per Verbum facta sunt &c.*

(2) Possibilium quidem, ut earum ex quarum notitia procedit; quia est notitia necessaria, & illimet cognitioni qua essentiam suam Deus novit, annexa: Existentium autem, ut eorum potius quæ ab illo velut ab exemplari suo derivantur; quia est notitia mere libera, & ex decreto pendens, quo producendas destinavit, vel presupponens illud, adeo quod productionem ipsam verbi velut in quodam significationis præexistentem sequens.

(3) Sequens pericope usque ad voces Sicut enim:

omittitur in codd. Alcan & Camer. Habent edis. Rom. Nicoloj & Patav. amba.

(3) Quia nempe important habitudinem ad creaturam prout jam supponitur existens actu, vel ponitur in actu suo esse, quod cura tempore tantum coepit: Non enim gubernatur nisi jam est, nec etiam creaturæ nisi ut sit: Sed alia important habitudinem ad creaturam independenter ab actu existens esse, nec eam existentem supponunt; etiæ velut capacem existentiae respiciant: Nam sciti potest quod non existit &c.

(4) Ut possibilium saltem propter necessariam connectionem ejus cum essentia sua: Sed & ut actu existentem, ex consequenti & supposito jam decreto.

quid minus in Verbo Dei quam in scientia Dei , ut Augustinus dicit (Lib. XV. de Trin. cap. xiv. parum a princ.) Sed tamen Verbum est entium , ut expressivum , & factivum , non entium autem , (1) ut expressivum , & manifestativum .

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo : quomodo per rationem ostendas , quod verbum non refertur ad creaturas eo modo , quo Arianorum suspicatur hæresis (Alexandro Episcopo referente , ubi supra art. 2.) dicens . Verbum propter nos factum est , ut nos per ipsum , veluti instrumentum crearet Deus , neque id substitisset , nisi nos Deus creare voluisset . Habes enim in responsive ad tertium , quod creature non cognoscuntur a Deo per scientiam a creaturis acceptam , sed per essentiam suam , ergo S. Thomas contraponit illi , quod scilicet Verbum non substitisset , nisi nos Deus creare voluisset . Relationem hanc etiam ad creaturas intendit esse Verbi , non ut instrumenti propter nos facti , sed ut Deo Patri per omnia æqualis , & consequenter omnium creaturarum in infinitum dignissimi . Vides ergo , quod sensum contrarium habet articulus ad Arianam intelligentiam , quæ & ipsa ponebat , licet alio sensu (dictum est) Verbum ad creaturas habere respectum . Hujus hæresis damnatio manifesta erit per ea , quæ dicentur q. 42. ubi de æqualitate divinarum personarum agetur . Secundo vides : quomodo ex hac , ut ab oppositis partim & partim a fortiori (adeo enim verum est , quod conclusio dixit , ut etiam veritatis inimici , tamquam ab ipsa veritate coacti , hoc fateantur) vicissim præsens firmetur articulus .

QUÆSTIO TRIGESIMAQUINTA.

*De Imagine .**In duos articulos divisa .*

DEinde queritur de imagine : & circa hoc queruntur duo .

Primo , utrum imago in divinis dicatur personaliter .

Secundo , utrum sit proprium Filii .

ARTICULUS I. 192

Utrum imago in divinis dicatur personaliter .

Inf. quæst. CIII. artic. 5. ad 4. & I. dist. XXVIII. quæst. II. artic. 2.

AD primum sic proceditur . Videtur quod imago non dicatur personaliter in divinis . Dicit enim Augustinus (Fulgentius)⁽²⁾ in Lib. de fid. ad Petr. (cap. i. post med.) *Una est sancte Trinitatis Divinitas , & imago , ad quam factus est homo .* Igitur imago dicitur essentialiter , & personaliter .

2. Præterea . Hilarius dicit in Lib. de Syndon . (non multum remote a princ.)⁽³⁾ quod *imago est ejus rei ad quam imaginatur , species indifferens .* Sed species , sive forma in divinis dicitur essentialiter . Ergo & imago .

3. Præterea . Imago ab imitando dicitur : in quo importatur prius , & posterius . Sed in divinis personis nihil est prius , & posterior . Ergo imago non potest esse nomen personale in divinis .

Sed contra est quod dicit Augustinus (Lib. VII. de Trinit. cap. i. ante med.) *Quid est absurdius quam imaginem ad se dici ? Ergo imago in divinis relative dicitur ; & sic est nomen personale .*

Respondeo dicendum , quod de ratione imaginis est similitudo . Non tamen quæcumque similitudo sufficit ad rationem imaginis , sed similitudo quæ est in specie rei , vel faltem in aliquo signo speciei . Signum autem speciei in rebus corporeis maxime videtur

(1) Puta eorum per se quæ aliquod natura sua offe habere possunt , licet non sint : Eorum autem per aliud quæ sunt privationes tantum &c.

(2) Inter opera Augustini tom. 3. ut jam sepe .

(3) Explicando canонem primum adversus Arianos editum qui sic habet : *Si quis audions imaginem esse Filium Dei invisibilis (vel planiori con-*

structione , Filium imaginem esse Dei invisibilis , ut dicitur ad Coloss. 1.) idem dicat offe imaginem Dei quæ & Deum invisibilem , quæ non confusus vere . Filium , atavismo sit : tibi eo canone mox dicitur exclusa esse assertio volens nominitibus tantum Patrem & Filium predicare , cum nemo sibi sit imago . Id autem potissimum Sabelliani faciebant .

tur esse figura. Videmus enim quod diversorum animalium secundum speciem sunt diversæ figuræ, non autem diversi colores. Unde si depingatur color alicujus rei in pariete, non dicitur esse *imago*, nisi depingatur figura. Sed neque ipsa similitudo speciei sufficit, vel figuræ; sed requiritur ad rationem imaginis origo, quia, ut Augustinus dicit in Lib. lxxxiiii. Quæstionum (quæst. lxxiv. post init.) (1) *uuum ovum non est imago alterius, quia non est de illo expressum.* Ad hoc ergo quod vere aliquid sit *imago*, requiritur quod ex alio procedat simile ei in specie, vel saltem in signo speciei.

Ea vero quæ processionem, sive originem important in divinis, sunt personalia. Unde hoc nomen *imago* est nomen personale.

Ad primum ergo dicendum, quod *imago* proprie dicitur quod procedit ad similitudinem alterius. Illud autem ad cuius similitudinem aliquid procedit, proprie dicitur exemplar, improprie vero *imago*. Sic tamen Augustinus (Fulgentius loc. in arg. cit.) (2) utitur nomine *imaginis*, cum dicit, *Divinitatem sanctæ Trinitatis esse imaginem ad quam factus est homo.*

Ad secundum dicendum, quod species, prout ponitur ab Hilario (loc. in arg. cit.) in definitione *imaginis*, importat formam deductam in aliquo ab alio (3). Hoc enim modo *imago* dicitur esse species alicujus, sicut id quod assimilatur alicui, dicitur forma ejus, inquantum habet formam illi similem.

Ad tertium dicendum, quod imitatio in divinis personis non significat posterioritatem, sed solam assimilationem.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem ostendas recte dictum Gen. i. *hominem faciamus ad imaginem nostram*, & ibi, scilicet, *Adam genuit filium ad imaginem suam*, & hujusmodi multa in scripturis: significatur enim ibi, quod homo procedit a Deo, cui assimilatur in speciei signo, in esse sci-

licet intellectuali, & quod filius Adæ assimilabatur ei in specie. Consequenter ergo inde habetur, quod *ly imago* dicitur relative ad id, cui assimilatur, sive cuius est *imago*, & per consequens, quod *ly imago* est nomen personale in divinis. Nam relativa realia in divinis sunt personalia; cum relatio (secundum Boetium) multiplicet trinitatem. Habes igitur hinc rationem ad demonstrandum, & quod scripturæ merito utuntur nomine *imaginis*, & quid per hoc velint importare. Secundo vides quomodo &c.

A R T I C U L U S II. 193

Utrum nomen imaginis sit proprium Filio.

I. dist. xxviii. quæst. II. art. 3. & dist. xxxi.
quæst. III. art. I. corp. & Hebr. I.
lect. 2. fin.

AD secundum sic proceditur. Videlur quod nomen *imaginis* non sit proprium Filii. Quia, ut dicit Damascenus (Lib. I. orthod. Fid. cap. xviii.) *Spiritus sanctus est imago Filii*. Non est ergo proprium Filii.

2. Præterea. De ratione *imaginis* est similitudo cum expressione, ut Augustinus dicit in Lib. lxxxiiii. Quæstionum (quæst. lxxiv. in princ.) (4). Sed hoc convenit Spiritui sancto, procedit enim ab alio secundum modum similitudinis. Ergo *Spiritus sanctus est imago*; & ita non est proprium Filii quod sit *imago*.

3. Præterea. Homo etiam dicitur *imago Dei*, secundum illud I. ad Cor. xi. 7. *Vir non debet velare caput suum, quoniam imago, & gloria Dei est*. Ergo non est proprium Filii.

Sed contra est quod Augustinus dicit VII. de Trinit. (cap. ii.) quod *solutus Filius est imago Patris*.

Respondeo dicendum, quod Doctores Graecorum communiter dicunt, *Spiritum sanctum esse imaginem Patris, & Filii* (5); sed Doctores Latini soli Filio attribuunt nomen ima-

(1) Vel sic plenius: *Ubi equalitas, continuo similitudo, non continuo imago: Vetus in duobus ovis paribus quia inest equalitas, inest & similitudo; quemcumque enim adfuit uni adfuit & alteri: Imago rursum non est, quia neutrum de altero expressum est.*

(2) Propter illud quod Genesios i. dicitur, *faciamus hominem ad imaginem nostram*.

(3) *Vel similitudinem unius ab alio expressam,*

ut ibidem adjuncta significant cum addit quod *imago est res ad rem coequanda imaginata & indiscersa similitudo &c.*

(4) *Ubi proinde ait esse imaginem hominis in speculo, quia de illo expressa est; & sic expressam esse de parente similitudinem filii us rotte dicatur imago; sed negativum (etsi quo sim te) imaginem illius esse, quia expressum non est, ut jam sup.*

(5) *Sive Filius tantum immediate, sed eo ipso Patris*

imaginis. Non enim invenitur in canonica Scriptura nisi de Filio: dicitur enim Coloss. I. 15. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus creature: & ad Hebr. I. 3. Qui, cum sit splendor glorie, & figura substantia ejus.*

Hujus autem rationem assignant quidam ex hoc quod Filius convenit cum Patre non solum in natura, sed etiam in notione principii; Spiritus autem sanctus non convenit cum Filio, nec cum Patre in aliqua notione. Sed hoc non videtur sufficere: quia sicut secundum relationes non attenditur in divinis neque aequalitas, neque inaequalitas, ut Augustinus dicit (Lib. V. de Trin. cap. vi. a med.) ita neque similitudo, quæ requiritur ad rationem imaginis.

Unde alii dicunt, quod Spiritus sanctus non potest dici imago Filii, quia imaginis non est imago; neque etiam Patris, quia etiam imago refertur immediate ad id cuius est imago; Spiritus sanctus autem refertur ad Patrem per Filium: neque etiam est imago Patris, & Filii, quia sic esset una imago duorum, quod videtur impossibile. Unde relinquitur quod Spiritus sanctus nullo modo sit imago. Sed hoc nihil est: quia Pater, & Filius sunt unum principitum Spiritus sancti, ut infra dicetur (quæst. xxxvi. art. 4.) Unde nihil prohibet, sic Patris, & Filii, inquantum sunt unum, esse unam imaginem, cum etiam homo totius Trinitatis sit una imago.

Et ideo aliter dicendum est, quod sicut Spiritus sanctus, quamvis sua processione accipiat naturam Patris, sicut & Filius, non tamen dicitur natus; ita licet accipiat speciem similem Patris, non dicitur imago: quia Filius procedit ut Verbum, de cuius ratione est similitudo speciei ad id a quo procedit; non autem de ratione amoris, quamvis hoc conveniat amori, qui est Spiritus sanctus, inquantum est amor divinus.

Ad primum ergo dicendum, quod Damascenus, & alii Doctores Græcorum communiter utuntur nomine imaginis pro perfecta similitudine (1).

Ad secundum dicendum, quod licet Spiritus sanctus sit similis Patri, & Filio, non tamen sequitur quod sit imago ratione jama dicta (in corp. art.)

Ad tertium dicendum, quod imago aliquis dupliciter in aliquo invenitur. Uno modo in re ejusdem naturæ secundum speciem, ut imago Regis invenitur in Filio suo. Alio modo in re alterius naturæ, sicut imago Regis invenitur in denario. Primo autem modo Filius est imago Patris; secundo autem modo dicitur homo imago Dei: & ideo ad designandam in homine imperfectionem imaginis, homo non solum dicitur imago, sed ad imaginem, per quod motus quidam tendentis in perfectionem designatur. Sed de Filiῳ Dei non potest dici, quod sit ad imaginem, quia est perfecta Patris imago.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem ostendas, sacram scripturam iure attribuere Filio Dei, tamquam quoddam proprium (cum non attribuat Spiritui sancto) nomen imaginis, Colossem. I. 1. *transfutus in regnum filii dilectionis sue*, &c. qui est imago Dei invisibilis. Roman. 8. *Quos preservavit, & predestinavit conformes fieri imagini Filii sui*, idest, Filii sui, qui est imago sua. Secundo habes: quomodo per rationem has scripturas catholice intelligas, talemque sensum defendere scias. Tertio vides: quomodo &c.

QUE-

Patris veluti mediata, quia & Filius imago Patris: Ita enim Athanasius in epistola quam ad Serapionem scribit, *imaginem Filii Spiritum sanctum vocat ut consubstantialem ipsi Filio probet*, sicut Filius ipse consubstantialis est Patri: Et Basilius lib. 5. aduersus Eunomium: *Vera (inquit) & naturalis imago Dei Christus, Christi autem imago vera Spiritus sanctus*. Ex quo infert quod & Filio conformes sunt qui Spiritus sancti sunt participes, &c. Et Cyrilus Alexandrinus lib. 11. in Joannem *sinceram imaginem Unigeniti Spiritum sanctum ait esse*, ac intelligi ab Apostolo quando dicit *conformes imaginem Filii eos qui electi sunt*: ad Rom. 8. *Præter alia loca patim quæ in euandem sensum afferti*

possunt.

(1) Præcise sumpta ut sic & simpliciter, prout solain unius cum alio conformitatem dicit iuxta viva græca vocis εἰκόνα, quæ tantum *assimilationem* significat: Non ut unius ex alio expressioinem formaliter importat; quod omnino ad imaginem requiritur; ut ex prædictis patet. Hinc εἰκόνα cui respondet similitudo ut sic & simpliciter dicta, congruentius Græci usurpare vel tribuere Spiritui sancto potuerunt quam *imaginis* nomen Latini, quia ex vi processionis ut sic similis non est, adeoque nec formaliter dici potest expressus; quamvis perfectissime principium exprimat a quo procedit, ut Deus est &c.

QUESTIO TRIGESIMASEXTA.

De Persona Spiritus sancti,

In quatuor articulos divisa.

POst considerationem prædictam considerandum est de his quæ pertinent ad personam Spiritus sancti, qui non solum dicitur Spiritus sanctus, sed etiam amor, & donum Dei.

Circa Spiritum sanctum ergo queruntur quatuor.

Primo, utrum hoc nomen *Spiritus sanctus* sit proprium alicujus divinæ personæ.

Secundo, utrum illa persona divina quæ *Spiritus sanctus* dicitur, procedat a Patre, & Filio.

Tertio, utrum procedat a Patre per Filiū.

Quarto, utrum Pater, & Filius sint unum principium Spiritus Sancti.

ARTICULUS I. 194

Utrum hoc nomen Spiritus sanctus sit proprium nomen alicujus divinæ Personæ.

2. 2. quest. XIV. art. 1. cor. & I. dist. x. art. 4, & IV. cont. gent. cap. xix. fin. & mal. quest. III. art. 14. cor. & opus. II. cap. xlvi. & xlviij.

AD primum sic proceditur. Videtur quod hoc nomen *Spiritus sanctus* non sit proprium nomen alicujus divinæ personæ. Nullum enim nomen commune tribus personis est proprium alicujus personæ. Sed hoc nomen *Spiritus sanctus* est commune tribus personis: ostendit enim Hilarius VIII. de Trin. (circa med.) in Spiritu Dei aliquando significari Patrem, ut cum dicitur (Isa. lxi. 1.) *Spiritus Domini super me*: aliquando significari Filium, ut cum dicit Filius (Matth. xii. 28.) *In spiritu Dei ejicere demonia*

(1), naturæ suæ potestate ejicere se dæmonia demonstrans: aliquando Spiritum sanctum, ut ibi (Ioh. ii. 28.) *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem* (2). Ergo hoc nomen *Spiritus sanctus* non est proprium alicujus divinæ personæ.

2. Præterea. Nomina divinarum personarum ad aliquid dicuntur, ut Boetius dicit in Lib. de Trinit. (declinando ad fin.) Sed hoc nomen *Spiritus sanctus* non dicitur ad aliquid. Ergo hoc nomen non est proprium divinæ personæ.

3. Præterea. Quia Filius est nomen alicujus divinæ personæ, non potest dici Filius hujus, vel illius. Dicitur autem Spiritus hujus, vel illius hominis: ut enim habetur Num. xi. 17. dixit Dominus ad Moysem: (*) *De spiritu suo accipiam, tradamque eis: & IV. Reg. II. 16. Requievit spiritus Eliae super Eliseum*. Ergo Spiritus sanctus non videtur esse proprium nomen alicujus divinæ personæ.

Sed contra est quod dicitur I. Joann. ult. 7. (3) *Tres sunt qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus*. Ut autem Augustinus dicit VII. de Trinit. (cap. iv. & sequ.) *cum queritur, quid Tres? dicimus, tres Personæ*. Ergo Spiritus sanctus est nomen divinæ personæ.

Respondeo dicendum, quod cum sint duas processiones in divinis; altera earum, quæ est per modum amoris, non habet proprium nomen, ut supra dictum est (quest. xxviii. artic. 4. ad 3.). Unde & relationes quæ secundum hujusmodi processionem accipiuntur, innominatae sunt (4), ut etiam supra dictum est (quest. xxviii. art. 4.) Propter quod & nomen personæ hoc modo procedentis eademi ratione non habet proprium nomen; sed sicut sunt accommodata aliqua nomina ex usu loquentium ad significandum prædictas relationes, (**) cum nominamus eas nomine processionis, & spirationis (5), quæ secundum proprietatem significacionis ma-

(1) Ex græco δαιμόνιον ut & Luc. xi. vers. 20.

(2) Juxta editionem 70. interpretum (εἰπε πού ματός μου) Ubi Vulgata legit, *Effundam Spiritum meum*, &c. Sed act. 2. vers. 17. refert sicut hic S. Petrus, & illis verbis designari Spiritum sanctum notat qui tunc in Apostolos effusus est.

(*) *Vulgata*: Auferam de spiritu tuo:

(3) Ut jam supra notatum & probatum; nempe quod legitima & canonica verba ista sint, quamvis an aliquibus olim exemplaribus defuerint, quod Arianiani ea expundiissent.

(4) Sive, ut resumendum ex adjunctis proprium nomen per quod specialiter exprimantur, non habent.

(**) Nicolaij: unde nominamus &c. apposito signo paræthesis comprehensente sequentia usque ad verbum relationes.

(5) Pativo sensu sumptæ, prout relationem Spiritus sancti, & illius processionem accommodate significat, de qua hic speciatim agitur: scut activo sensu tum communem relationem qua Pater & Filius ad Spiritum sanctum referuntur, tum illius productionem per ejusdem accommodationem dicit.

anagis videntur significare actus notionales quam relationes ; ita ad significandum divinam personam quæ procedit per modum amoris , accommodatum est ex usu Scripturæ hoc nomen *Spiritus sanctus* . Et hujus quidem convenientiæ ratio sumi potest ex duobus . Primo quidem ex ipsa communitate ejus quod dicitur *Spiritus sanctus* . Ut enim Augustinus dicit XV. de Trin . (cap . xvii . circa fin . & Lib . V . cap . xi . a med .) quia *Spiritus sanctus communis est ambobus* , id vocatur ipse proprie quod ambo communiter . Nam & *Pater est spiritus* , & *Filius est spiritus* . & *Pater est sanctus* , & *Filius est sanctus* Secundo vero ex propria significatione . Nam nomen spiritus in rebus corporeis impulsione quendam , & motionem significare videtur : nam flumen , & ventum spiritum nominamus (1) . Est autem proprium amoris quod moveat , & impellat voluntatem amans in amatum . Sanctitas vero illis rebus attribuitur quæ in Deum ordinantur . Quia igitur persona divina procedit per modum amoris , quo Deus amatur , convenienter *Spiritus sanctus* nominatur .

Ad primum ergo dicendum , quod hoc quod dico *Spiritus sanctus* , prout sumitur in virtute diuarum dictiōnum , commune est toti Trinitati : quia nomine *Spiritus* significatur immaterialitas divina substantiæ : spiritus enim corporeus invisibilis est , & parum habet de materia unde omnibus substantiis immaterialibus , & invisibilibus hoc nomen attribuimus . Per hoc vero quod dicitur *sanc̄tus* , significatur puritas divinæ bonitatis . Si autem accipiatur hoc quod dico *Spiritus sanctus* , in vi unius dictiōnis , sic ex usu Ecclesiæ est accommodatum ad significandam unam trium personarum , (2) scilicet quæ procedit per modum amoris , ratione jam dicta (in corp . artic .)

Ad secundum dicendum , quod licet hoc quod dico *Spiritus sanctus* , relative non dicatur ; tamen pro relativio ponitur , inquantum est accommodatum ad significandam personam sola relatione ab aliis distinctam . Potest tamen intelligi in nomine aliqua relatio , si

Spiritus sanctus intelligatur quasi spiratus . Ad tertium dicendum , quod in nomine Filii intelligitur sola relatio ejus qui est a principio ad principium ; sed in nomine Patris intelligitur relatio principii ; & similiter in nomine *Spiritus* , prout importat quamdam vim motivam . Nulli autem creature competit esse principium respectu alicuius divinæ personæ , sed e conversio . Et ideo potest dici *Pater noster* , & *Spiritus noster* ; non tamen potest dici *Filius noster* .

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo : quomodo per rationem rejicias (& directius , si coniungeris articulam primum , ac tertium q. 27.) hæresim Macedonianorum (Direct . Inquisit . 2. p. q. 6.) dicentium , Spiritum sanctum creatum esse , factum esse , non esse Deum ; & hæresim Samosateni renovatam a Gulielmo Farollo (Prat . Farelliſte) dicentis , Spiritum sanctum esse motum in rebus creatum ; & hæresim Petri Abayardii (teste Divo Bernardo in Epistola ad Papam Innocentium) dicentis , Spiritum sanctum esse animam mundi : & hæresim Luca Sternberger dicentis , Spiritum sanctum nil aliud esse , quam columbam , & phrenesum Deistarum , qui Spiritum sanctum nusquam Deum nominaverunt ; & hæresim Simonis Magi plusquam impie dicentis , Meretriculam suam esse Spiritum sanctum ; & hæresim Sabellii , teste Hilario 6. de Trin . qui Spiritus sancti omnem tollebat intellectum ; & hæresim Serveti dicentis , Spiritum sanctum non esse tertiam in Trinitate personam . Contra hos enim omnes est , quod *Spiritus sanctus* sit nomen divinæ personæ ; & multo magis , quod sit proprium , & quod *Spiritus sanctus* procedat per modum amoris , tamquam tertia in Trinitate persona . Non enim secundum illos omnes , dempto forsitan ultimo , *Spiritus sanctus* est divina persona , cum secundum illos non sit Deus . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas , has omnes rite fuisse damnatas præcipue a Concilio

(1) Juxta Scripturæ usum paſſim ; ut Genef . 1. verf . 2. *Spiritus Domini ferabatur super aquas* ; quamvis mystico sensu *Spiritus sanctus* intelligatur , sicut in benedictione fontis baptismalis tomo 10. Bibliothecæ Patrum videre est : Genef . 8. verf . 1. *Ad dominum deus spiritum super terram* : Exod . 15. verf . 10. *Plavis spiritus tuus &c.* 3. Reg . 19. verf . 11. *Spiritus grandis & fortis subversens montes &c.*

(2) Quidam sensum faciliter : Alioquin quod sylla-

bas ipsas & voce tenus interdum Ecclesia separat vel transponit , ut & Scriptura , et si raro : Sic enim ad Rom . verf . 30. *Obscuri vos per caritatem sancti Spiritus* : Et 2. ad Corinth . verf . 13. *Communicatio sancti Spiritus &c.* Ut & in Officio Trinitatis Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu : Et act . etiam 9. verf . 33. *Consolatione sancti Spiritus reprobarunt* : Plusquam octogenies autem *Spiritus sanctus* .

cilio Constantinopolitano primo contra Macedonium hæreticum deitatem Spiritus sancti negantem congregato , ubi in Canon. i. dicit. *Custodiendam esse fidem 318. Patrum, qui apud Nicæam Bythiniæ convenerunt, ad anathematizandam omnem hæresim, specialiter Eunomianorum, Arianorum, Macedonianorum, Photianorum, & Apollinianorum.* Hæc ibi. Vide, quod Concilium hoc insinuat, quod Nicænum etiam condemnavit Macedonium, & Eunomium. Quando? Quando Nicænum in symbolo suæ fidei catholice dixit. *Credimus in Spiritum sanctum.* Non enim credimus in creaturam, sed tantum in Deum, cum ly indicat motum caritatis ad ultimum finem secundum Augustinum, theologosque omnes, & solus Deus sit noster ultimus finis. Ceterum ne dubitares de hoc, quod scilicet Nicænum deitatem Spiritus sancti ostendit dicendo, *in Spiritum sanctum, concilium ipsum Constantinopolitanum declarando illud symbolum Nicænum (nam omnia sequentia concilia declarant magis fidem priorum, non autem aliam tradunt) canon. 7. in suo symbolo dixit: Credimus in Spiritum sanctum Dominum, & vivificatorem, &c. cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum.* Hæc ibi. Simultanea autem cum personis divinis adoratione, & conglorificatione quis dignus esse potest, nisi alia divina persona sit verus Deus? Item ab Innocentio Papa esse rite damnatas in de summ. Trin. & fid. ca. firmiter credimus, &c. quod sunt tres personæ consubstantiales, Pater a nullo, Filius a Patre genitus, Spiritus sanctus ab utroque procedens. Hæc ibi. Ergo Papa vult Spiritum sanctum esse tertiam in Trinitate personam, cum ipsum ab utroque, idest, a prima, quæ Pater est, & a secunda, quæ Filius est, procedere fateatur. Item ab omnibus conciliis, & Pontificibus summis de hac re tractantibus rite esse damnatas, cum omnes Papæ, & concilia Nicæno, & Constantinopolitanō inhærent, tamquam de quatuor primis existentibus. De quibus dicit Decretum distinctione 15. *Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere, & venerari me fatebr, &c.* Item Summ. S.Th. T.I.

ibi cap. *Sancta Romana Ecclesia.* Utrumque cap. loquitur de conciliis Nicæno primo, Constantinopolitano primo, Ephesino primo, & Chalcedonensi, sed primum capitulum est Beati Gregorii Papæ, secundum Gelasij Papæ. Ter tio vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. 195

Utrum Spiritus sanctus procedat a Filio.

I. diff. XI. artic. I. & pot. quest. X. art. 4 & opusc. I. cap. xl ix. I. & li. & opusc. II. cap. xl ix. & IV. cont. cap. xxiv. & xxv.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod Spiritus sanctus non procedat a Filio. Quia secundum Dionysium (cap. i. de div. Nom. parum a princ. lect. 1.) non est audendum dicere aliquid de substantiali Divinitate preter ea que divinitus nobis ex sacris eloquiis sunt expressa. Sed in Scriptura sacra non exprimitur, quod Spiritus sanctus a Filio procedat, sed solum quod procedat a Patre, ut patet Joan. xv. 26. *Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Ergo Spiritus sanctus non procedit a Filio.

2. Præterea. In symbolo Constantinopolitanæ Synodi (1) primæ can. vii.) sic legitur: *Credimus in Spiritum sanctum, Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre, & Filio adorandum, & glorificandum.* Nullo igitur modo debuit addi in symbolo nostro, quod Spiritus sanctus procedat a Filio; sed videntur esse anathematis rei qui hoc addiderunt (2).

3. Præterea. Damascenus dicit (Lib. I. orth. Fid. cap. xi. non procul a fin.) *Spiritum sanctum ex Patre dicimus, & Spiritum Patris nominamus; ex Filio autem Spiritum sanctum non dicimus, Spiritum vero Filii nominamus.* Ergo Spiritus sanctus non procedit a Filio.

4. Præterea. Nihil procedit ab eo in quo quiescit. Sed Spiritus sanctus quiescit in Filio: dicitur enim in legenda B. Andreæ: *Pax vobis, & universis qui credunt in unum Deum*

T t

Deum

(1) Quæ secunda Ecumenica seu generalis, prima autem Constantinopolitana fuit, habita sub Damasi pontificatu anno 381.

(2) Quia nimirum Ephesina Synodus generalis parte 2. Art. 6. prohibuit alteram fidem vel preferre vel componere præter illam quæ cum sancto Spiritu a Patribus Nicæe congregatis definita est; & Episcopos aut Clericos qui tale quiddam præsum-

pissent, deponi jussit, laicos autem anathemati subiiciendos esse decrevit; In Symbolo autem Nicæo simpliciter dicitur, *Ex tu Spiritum sanctum (supple credo) nec additur vel unum verbum ad illius processionem spectans:* Etsi Constantinopolitanum quod hic a S. Thoma recensetur, quoddam Nicæni supplementum videtur esse, prændeque cum illo quasi unum.

Deum Patrem , & unum Filium ejus unicum Dominum nostrum Jesum Christum , & in unum Spiritum sanctum procedentem ex Patre , in Filio permanentem . Ergo Spiritus sanctus non procedit a Filio .

5. Præterea . Filius procedit ut verbum . Sed Spiritus noster in nobis non videtur procedere a verbo nostro . Ergo Spiritus sanctus non procedit a Filio .

6. Præterea . Spiritus sanctus perfecte procedit a Patre . Ergo superfluum est dicere , quod procedit a Filio .

7. Præterea . In perpetuis non differunt esse , & posse , ut dicitur in III . Phys . (text . xxxii .) & multo minus in divinis . Sed Spiritus sanctus potest distinguiri a Filio , etiam si ab eo non procedat . Dicit enim Anselmus in Libro de processione Spiritus sancti (non procul a principio , & per totum :) *Habent utique a Patre esse Filius , & Spiritus sanctus , sed diverso modo : quia alter nascendo , & alter procedendo , ut alii sint per hoc ab invicem : & postea subdit : Nam si per aliud non essent plures Filius , & Spiritus sanctus , per hoc solum essent diversi . Ergo Spiritus sanctus distinguitur a Filio ab eo non existens .* (1)

Sed contra est quod dicit Athanasius (in symbolo suo) (2) *Spiritus sanctus a Patre , & Filio : non factus , nec creatus , nec genitus , sed procedens .*

Respondeo dicendum , quod necesse est dicere , Spiritum sanctum a Filio esse . Si enim non esset ab eo , nullo modo posset ab eo personaliter distinguiri : quod ex supra dictis patet (quest . xxvii . art . 3 . & quest . xxx . art . 2 .) Non enim est possibile dicere , quod secundum aliquid absolutum divinæ personæ ab invicem distinguantur , quia sequentur quod non esset trium una essentia . Quidquid enim in divinis absolute dicitur , ad unitatem essentiaz pertinet . Relinquitur ergo quod solum relationibus divinæ personæ ab invicem distinguantur . Relationes autem

personas distinguere non possunt , nisi secundum quod sunt oppositæ . Quod ex hoc patet , quia Pater habet duas relations , quarum una refertur ad Filium , & alia ad Spiritum sanctum ; quæ tamen , quia non sunt oppositæ , non constituant duas personas , sed ad unam personam Patris tantum pertinent . ut ergo in Filio , & in Spiritu sancto non esset invenire nisi duas relations , quibus uterque refertur ad Patrem , illæ relations non essent ad invicem oppositæ , sicut neque duæ relations quibus Pater refertur ad illos . Unde sicut persona Patris est una , ita sequeretur quod persona Filii , & Spiritus sancti esset una , habens duas relations oppositas duabus relationibus Patris . Hoc autem est hereticum , cum tollat fidem Trinitatis . Oportet ergo quod Filius , & Spiritus sanctus ad invicem referantur oppositis relationibus . Non autem possunt esse in divinis aliae relations oppositæ , nisi relations originis , ut supra probatum est (quest . xxviii . art . 4 .) Oppositæ autem relations originis accipiuntur secundum principium , & secundum quod est a principio . Relinquitur ergo quod necesse est dicere , vel Filiū esse a Spiritu sancto , quod nullus dicit ; vel Spiritum sanctum esse a Filio , quod nos confitemur ; & huic quidem consonat ratio processionis utriusque .

Dictum enim est supra (quest . xxviii . art . 2 . & 4 . & quest . xxviii . art . 4 .) quod Filius procedit per modum intellectus ut verbum , Spiritus sanctus autem per modum voluntatis ut amor . Necesse est autem quod amor a verbo procedat . Non enim aliquid amamus , nisi secundum quod conceptione mentis apprehendimus . Unde & secundum hoc manifestum est quod Spiritus sanctus procedit a Filio .

Ipse etiam ordo rerum hoc docet . Nusquam enim hoc invenimus quod ab uno procedant plura absque ordine nisi in illis solum quæ materialiter differunt ; sicut unus fabes

(1) Id est , quævis ab eo non existat .

(2) Nec ut Athanasii tantum authoritas accipit debet , sed Ecclesiæ quæ hoc Symbolum ut ab Athanasio editum approbat , ac veluti regulam Christianæ fidei voluit esse , cum publice in Officio decanari præcepit . Sic etiam in Concilio Lateranensi sub Innocentio III . ut cap . Firmator , Extra de summa Trinitate & fide catholica : *Pater a nullo , Filius a Patre solo , Spiritus sanctus ab utroque : In Concilio Lugdunensi sub Gregorio X . ut cap . Fidelis sub eodem titulo initio sexti Decretalium , Fideli ac devota professione fateremur quod Spiritus sanctus a*

Patre & Filiō tamquam ex uno principio unica sibi ratione procedit : Ut & Concilio Florentino sub Eugenio IV . ubi excepto Marco Ephesino qui post prolixam super hac re contentionem , etiæ convictus & confutus , pertinaciam tamen manuit , omnes alii Graci subscripterunt . Ratio porro quam hic usurpat S . Thomas colligi potest ex libro 1 . Gregorii Nysseni contra Eunomium sub finem , ubi ait inter Filiū & Spiritum sanctum nullam esse differentiationem nisi ordinis , prout Filius est principium Spiritus sancti (κατὰ τὸν τῆς αἵρεσης λόγον) Præter Antilemum de quo infra , licet contrarius putetur a quibusdam .

faber producit multos cultellos materialiter ab invicem distinctos , nullum ordinem habentes ad invicem . Sed in rebus in quibus non est sola materialis distinctio , semper inventur in multitudine productorum aliquis ordo . Unde etiam in ordine creaturarum productarum decor divinæ sapientie manifestatur . Si ergo ab una persona Patris procedunt duas personæ , scilicet Filius , & Spiritus sanctus , oportet esse aliquem ordinem eorum ad invicem . Nec potest aliquis ordo alius assignari , nisi ordo naturæ , quo aliis est ex alio . Non est igitur possibile dicere , quod Filius , & Spiritus sanctus sic procedant a Patre , quod neuter eorum procedat ab alio , nisi quis ponenter in eis materialem distinctionem , quod est impossibile .

Unde etiam ipsi Græci processionem Spiritus sancti aliquem ordinem habere ad Filium intelligunt . Concedunt enim , Spiritum sanctum esse Spiritum Filii , & esse a Patre per Filium . Et quidam eorum dicuntur concedere , quod sit a Filio , vel profluat ab eo , non tamen quod procedat : (1) quod videtur vel ex ignorantia , vel ex protervia esse . Quia si quis recte considereret , inveniet processionis verbum inter omnia quæ ad originem qualemcumque pertinent , communissimum esse . Utimur enim eo ad designandum qualemcumque originem ; sicut quod linea procedit a puncto , radius a Sole , rivus a fonte , & similiter in quibuscumque aliis . Unde ex quocumque alio ad originem pertinente potest concludi , quod Spiritus sanctus procedit a Filio .

Ad primum ergo dicendum , quod de Deo dicere non debemus quod in sacra Scriptura non inventur vel per verba , vel per sensum . Licit autem per verba non inventatur in sacra Scriptura , quod Spiritus sanctus procedit a Filio , inventur tamen quantum ad sensum , & præcipue ubi dicit Filius , Joan.

xvi. 14. de Spiritu sancto loquens : *Illi me clarificabit , quia de meo accipiet . Regulariter etiam in sacra Scriptura tenendum est , quod id quod de Patre dicitur , oportet de Filio intelligi , etiam si dictio exclusiva addatur , nisi solum in illis in quibus Pater , & Filius secundum oppositas relationes distinguuntur . Cum enim Dominus Matth. xi. 27. dicit : Nemo novis Filiū nisi Pater , non excluditur quin Filius se ipsum cognoscat (2) . Sic igitur cum dicitur , quod Spiritus sanctus a Patre procedit , etiam si adderetur quod a solo Patre procedit , non excluderetur inde Filius : quia quantum ad hoc quod est esse principium Spiritus sancti , non opponuntur Pater , & Filius , sed solum quantum ad hoc quod hic est Pater , & ille Filius .*

Ad secundum dicendum , quod in quolibet Concilio institutum fuit symbolum aliquod propter errorem aliquem qui in Concilio damnabatur . Unde sequens Concilium non faciebat aliud symbolum quam primum , sed id quod implicite continebatur in primo symbolo , per aliqua addita explanabatur contra haereses insurgentibus . Unde in determinatione Chalcedonensis Synodi dicitur , quod *illi qui fuerunt congregati in Concilio Constantinopolitano , doctrinam de Spiritu sancto tradidiorunt , non quod minus esset in precedentibus , quod apud Nicæam congregati sunt , inferentes , sed intellectum eorum aduersus hereticos declarantes* (3) . Quia igitur in tempore antiquorum Conciliorum nondum exortus fuerat error dicentium , Spiritum sanctum non procedere a Filio , non fuit necessarium quod hoc explicite poneretur ; sed postea , insidente errore quorundam , in quodam Concilio in occidentibus partibus congregato , expressum fuit auctoritate Romani Pontificis (4) , cuius auctoritate etiam antiqua Concilia congregabantur , & confirmabantur . Continebatur tamen implicite in hoc ipso quod dicebatur

T t 2 Spi-

(1) Quia nimis propter idem est apud illos quod accipere esse ; aliud autem putant quod sit a Filio Spiritus sanctus , & quod habeat esse a Filio ; ut Marcus Ephesinus in Concilio Florentino sess. 18. contendebat , ad eludenda Grecorum Patrum testimonia qui passum dicunt Filium esse formam Spiritus sancti , & a Filio securive Spiritum sanctum vel ex Filio illum esse factus ex Patre ; quamvis & procedere interdum dicant (εκπορευεται) ne illius existentiam a Filio processionem vocent (επορευοται &c.)

(2) Sicut etiam cum adjungit , *Et nemo novis Patrem nisi Filius , nec suspicari quisquam potest quin seipsum cognoscat Pater : In uno ergo intellegatur simul alius proprie *inseparabilitatem substantiae* , ut Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 8. & ex illo etiam in Catena aurea notat S. Thomas ; nec inde separatur Spiritus , ut & ibidem addit .*

(3) Sic & Græci de hoc additamento conquerentibus responderunt Latini ad eorum querimoniam reprimendam in Concilio Florentino sess. 6.

(4) Damasi nempe , ut multi putant , in Concilio ipso Romano ad confirmandum Constantinopolitanum secundum celebrato ; quia Constantinopolitanis interesse nulli Latini potuerunt . Nec eam post expressionem Leo III. improbavit , sed quod in Missa cantare illam Galli ante Romanos incepissent .

Spiritus sanctus a Patre procedere.

Ad tertium dicendum, quod Spiritum sanctum non procedere a Filio, primo fuit a Nestorianis introductum, ut patet in quodam symbolo Nestorianorum damnato in Ephesina Synodo. Et hunc errorem sequutus fuit (*) Theodosius Nestorianus, & plures post ipsum: inter quos fuit etiam Damascenus. Unde in hoc ejus sententia non est standum. Quamvis a quibusdam dicatur, quod Damascenus sicut non confitetur Spiritum sanctum esse a Filio, ita etiam non negat ex vi illorum verborum (1).

Ad quartum dicendum, quod per hoc quod Spiritus sanctus dicitur quiescere, vel manere in Filio, non excluditur quin ab eo procedat: quia & Filius in Patre manere dicitur, cum tamen a Patre procedat. Dicitur etiam Spiritus sanctus in Filio quiescere vel sicut amor amantis quiescit in amato, vel quantum ad humanam naturam Christi, propter id quod scriptum est Joann. 1. 33. *Super quem videris Spiritum descendenter, & manenter super eum, hic est qui baptizat* (2).

Ad quintum dicendum, quod Verbum in divinis non accipitur secundum similitudinem verbi vocalis, a quo non procedit spiritus, quia sic tantum metaphorice diceretur; sed secundum similitudinem verbi mentalis, a quo amor procedit.

Ad sextum dicendum, quod per hoc quod Spiritus sanctus perfecte procedit a Patre, non solum non superfluum est dicere, quod Spiritus sanctus procedat a Filio, sed omnino necessarium: quia una virtus est Patris, & Filii; & quidquid est a Patre, necesse est esse a Filio, nisi proprietati filiationis (3) repugnet: non enim Filius est a se ipso, licet sit a Patre.

Ad septimum dicendum, quod Spiritus sanctus distinguitur personaliter a Filio in hoc quod origo unius distinguitur ab origine alterius; sed ipsa differentia originis est per hoc quod Filius est solum a Patre, Spiritus sanctus vero a Patre, & Filio: non enim aliter processiones distinguerentur, sicut supra ostensum est (in corp. art. & quæst. xxvii.)

A P P E N D I X .

Ex articulo habes primo: quomodo per rationem multiplicem confundas haereticum *Gregorum*, & *Armenorum* dicentium, quod Spiritus sanctus a Filio etiam non procedat: item haeresim *Joan. Westphali* dicentis, Spiritum sanctum a Filio procedere non haberi expresse in sacra scriptura, & haeresim *Raymundi Lulli* dicentis, Spiritum sanctum de Patre, & Filio esse conceptum. Non enim conceptus, quasi quod per modum intellectus nascatur, sed spirari dicitur, ut qui per modum voluntatis procedat. Secundo habes: quomodo per rationem demonstres, has omnes suisse damnatas a magna Synodo *Ephesina* in epist. Cyrilli ad *Nestorium*. Hic primum tenendum introduxit, quod Spiritus sanctus non procedit a Filio, concernente declaracionem totius synodi *Nicene* per singula, ubi veniens ad articulum de Spiritu sancto ait sic: *Spiritus est spiritus, non Filius, atamen alienus non est ab illo, nam Spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est*. Unde etiam ab isto similiter, sicut ex Deo Patre procedit. Hæc ibi. Ephesina hæc decisio recitat in Decreto de consecr. distinct. 5. De Spiritu dicit Dominus in Evangelio: *ille me sacrificabit*. Ibi etiam vide glossæ admirationem contra Græcorum cœcitatem. Quantæ autem authoritatis sit illa Cyrilli epistola ad *Nestorium*, conjice etiam ex hoc, quod a *Chalcedonensi*, non tantum ab *Ephesina prima* comprobatur. Nam in epistola sanctæ synodi *Ephesina* ad *Cœlestinum Archiepiscopum Romanum*, dicitur: *Lectæ sunt litteræ ad ipsum Nestorium a sanctissimo, ac Deo dilectissimo Alexandrine Ecclesiæ Archiepiscopo Cyrillo scriptæ, quas sancta Synodus tamquam recte, & inculpate scriptas approbavit, ut que nullo pacto a divinis scripturis, aut traditione, & expositione fidei olim in magna synodo a sanctis Patribus Nicæa congregatis facta discrepant, quemadmodum & sanctitas tua illas recte suo testimonio approbavit*. Hæc ibi. Et Concilium Chalced. act. 5. sufficeret quidem, &c. B. Cy- rilli

(*) *Nicolaus Theodosius*.

(1) Imo tantum vult non esse a Filio sicut a principali spiratore, sed per Filium; quod coincidit cum Latinis, ut expressum est in Concilio item Florentino, ubi proinde illis acquieverunt tandem Graeci.

(2) Adde quod Baronius in Martyrologio 30. No-

vembris ea verba quæ referuntur in argumento, nec in antiquis exemplaribus nec editis a Mombratio haberri notat, proindeque suspectam fidem redelere, quamvis illa Surius refert.

(3) Conformiter ad illud quod cap. 2. ibi ait Ascalicus & jam indicatum est supra, *omnia esse unum in Deo ubi non obviis relationis oppositio &c.*

illi Alexandrina Ecclesie presulis synodicas utique litteras ad Nestorium, & ad alios per orientem praesens nunc sancta, & magna, & universalis synodus acceptissimas habet ad convincendas Nestorii blasphemias, & ad interpretationem sinceriores salutaris symboli his, qui nos illud desiderant. Hac ibi. Nota, quod epistolæ Cyrilli ad Nestorium sunt tres, ut testatur Nicephorus histor. Ecclesiast. lib. 14. cap. 33. Ad Nestorium insuper tertiam dedit epistolam, cui multum celebrata illa duodecim capita una cum anathematismis adjunxit. Hac ibi. Insuper eadem tertia Cyrilli epistola ponitur in quinta synodo Constantinopolitana consultation. 6. post cuius collationem ad epistolam Nestorii, facta est ejusdem Nestorii & impietas manifesta, & depositio. Item in consequentibus ibi firmantur dicta Cyrilli ab eadem synodo. Item in Concilio Chalcedonensi action. 4. Eam Orthodoxam fidem colimus, & secundum eam sapimus, sicuti & 318. Patres, qui in Nicæa, & B. Athan. & qui sanctis connumeratur Cyrus exposuerunt ibi. Et circa finem actionis ejusdem: Sancti Patres Cyrus, Cælestinus Papa, & Leo epistolas interpretantes symbolum deederunt, quas veneratur omne Concilium, & consentit, & interpretationem earum tradit cupientibus edoceri. Hac ibi. Item, quomodo recte damn. a concilio Tolet. 1. cap. 21. de regulis fid. sic: credimus, &c. Spiritum esse paracletum, qui nec Pater sit, nec Filius, sed a Patre, Filioque procedens. Est ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus, sed a Patre, Filioque procedens. Item a Tol. 3. cap. 1. de confessione fidei sic: Quicumque Spiritum sanctum non credit a Patre, & Filio procedere, eumque non dixerit coeterum esse Patri, & Filio, & coessentialm, anathema sit. Item: quomodo recte damn. a conc. Later. de sumim. Trin. & fid. cath. firmiter credimus, & simpliciter confitemur: quod, &c. Pater est a nullo, Filius a Patre solo, Spiritus sanctus pariter ab utroque, absque initio, ac sine fine. Item: quomodo recte damn. a Papa Greg. 10. in conc. Lugdu. de summa Trin. & fid. cath. in 6. decretalium cap. Fideli, ac devota, &c. Nos inquit, hoc sacro approbante conc. damn. & reprobamus omnes, qui negare præsumperint, eternaliter Spiritum sanctum ex Patre, & Filio procedere. Item, quomodo recte damn. a Papa Eugenio IV. in concilio Florentin. ex plurimis tum Latinorum, tum Græcorum Patrum legitime congregato, in de processione Spiritus sancti. Approbante hac sancta synodo Florentina, definitus, ut hæc fidei veritas

ab omnibus Christianis credatur, & suscipiantur, quod Spiritus sanctus a Patre, & Filio eternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subtilens habet ex Patre simul, & Filio, declarantes, quod id, quod sancti Doct. & Patres dicunt ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tenet, ut per hoc significetur Filium quoque esse, secundum Græcos quidem causam, secundum Latinos vero principium subtilitatem Spiritus sancti, sicut & Patrem. Definimus etiam explicationem verborum illorum filioque veritatis declarande gratia & imminentे tunc necessitate, licite, ac rationabiliter symbolo fuisse apposita. Hac ibi. Et quoniam concilium hoc facit mentionem doctorum Græcorum, & Latinorum hanc veritatem de Spiritus sancti processione consitentium: ideo vide de Græcis doctissimos Patres, Divum Cyriillum, ubi supra in Epiphania synodo, & lib. 1. super Joan. c. 33. Epiphanium, Greg. Nazianzenum, Greg. Nyssenum, Theodoretum, quos omnes allegat concilium Florent. præfertim in oratione Bessarionis, cap. 5. 6. 7. 8. session. 7. Damas. tamen lib. 1. Orth. fid. cap. 11. & Theophylactus c. 3. super Joann. in partem diversam, ac per hoc in errorem supra damnatum declinare videntur. De Patribus latinis vide inter alios orationes Divum Aug. lib. 15. de Trin. cap. 26. 27. Ad Marcellinum cap. 14. super Joan. tract. 29. de fide ad Petrum, (qui est Fulgentius) ubi cap. 8. ista verba notabilia dicit: Firmissime tene, & nullatenus dubites, eundem Spiritum sanctum, qui Patris, & Filii unus spiritus est, de Pare, & Filio procedere, &c. Isa. enim dicit de Filio, percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. De quo & Apost. ait. Quem interficies Dominus Jesus spiritu oris sui. Quem etiam ipse unigenitus Dei Filius, spiritum oris sui esse significans, post resurrectionem suam insufflans in discipulos ait: Accipite Spiritum sanctum. De ore vero Domini Iesu ait Joan. in Apoc. quod gladius utraque parte acutus procedebat. Ipse autem spiritus oris ejus ipse est gladius, qui de ore ejus procedit. Et in fine alibi concludens in D. Aug. c. 41. ait. Ita est, que possumus, fidei Christianæ congruunt, ut si quis non solum omnibus, sed etiam singulis voluerit contrarie, in eo, quod singulis horum contumaciter repugnat, & his contraria docere non dubitat, hereticus, & fidei christiana inimicus, atque ex omnibus catholicis anathematizandus appareat. Hac ibi. Tertio vides.

ARTICULUS III. 196

Utrum Spiritus sanctus procedat a Patre per Filium.

I. dist. XII. art. 3. & opusc. I. cap. xl. & opusc. IX. cap. XXVII.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod Spiritus sanctus non procedat a Patre per Filium. Quod enim procedit ab aliquo per aliquem, non procedit ab eo immedia te. Si igitur Spiritus sanctus procedit a Patre per Filium, non procedit a Patre imme diate: quod videtur inconveniens.

2. Præterea. Si Spiritus sanctus procedit a Patre per Filium, non procedit a Filio nisi propter Patrem. Sed propter quod unumquod que, & illud magis (1). Ergo magis procedit a Patre quam a Filio.

3. Præterea. Filius habet esse per genera tionem. Si igitur Spiritus sanctus est a Patre per Filium, sequitur quod prius genere tur Filius, & postea procedat Spiritus sanctus; & sic processio Spiritus sancti non est æterna: quod est hæreticum.

4. Præterea. Cum aliquis dicitur per ali quem operari, potest e converso dici. Sicut enim dicimus, quod Rex operatur per ballivum; ita potest dici, quod ballivus opera tur per Regem. Sed nullo modo dicimus, quod Filius spiret Spiritum sanctum per Patrem. Ergo nullo modo potest dici, quod Pater spiret Spiritum sanctum per Filium.

Sed contra est quod Hilarius dicit in Lib. XII. de Trinit. (in fin.) (2). *Conserua banc, oro, fidei meæ religionem, ut semper ob sineam Patrem, scilicet te, & Filium tuum una tecum adorem, & Spiritum sanctum tuum, qui est ex te per Unigenitum tuum promerear.*

Respondeo dicendum, quod in omnibus locutionibus in quibus dicitur aliquis per ali quem operari, hæc præpositio per designat in

causalí aliquam causam, seu principium il lius actus. Sed cum actio sit media inter faciens, & factum, quandoque illud causalé cui adjungitur hæc præpositio *per*, est causa actionis, secundum quod exit ab agente; & tunc est causa agenti quod agat, sive sit causa finalis, sive formalis, sive effectiva, vel motiva. Finalis quidem ut si dicamus, quod artifex operatur per cupiditatem lucri. Formalis vero, ut si dicamus, quod operatur per artem suam. Motiva vero (3), si dicamus, quod operatur per imperium alterius, Quandoque vero dictio causalís, cui adjungi tur hæc præpositio *per*, est causa actionis, secundum quod (*) terminatur ad factum; ut cum dicimus, Artifex operatur per mar tellum: non enim significatur quod martel lus sit causa artifici quod agat, sed quod sit causa artificiato ut ab artifice procedat, & quod hoc ipsum habeat ab artifice. Et hoc est quod quidam dicunt, quod hæc præpositio *per* quandoque notat autoritatem in reto, ut cum dicitur, Rex operatur per bal lievum; quandoque autem in obliquo, ut cum dicitur, ballivus operatur per Regem.

Quia igitur Filius habet a Patre quod ab eo procedat Spiritus sanctus, potest dici, quod Pater per Filium spiret Spiritum sanctum, vel quod Spiritus sanctus procedat a Patre per Filium, quod idem est.

Ad primum ergo dicendum, quod in qua libet actione est duo considerare, scilicet iup posítum agens, & virtutem qua agit, sicut ignis caletacit calore. Si igitur in Patre, & Filio considereretur virtus qua spirant Spiritum sanctum, non cadit ibi aliquod me dium: quia hæc virtus est una & eadem. Si autem considererentur ipsæ persone spirantes, sic cum Spiritus sanctus communiter proce dat a Patre, & Filio, invenitur Spiritus sanctus immediate a Patre procedere, in quantum est a Filio: & sic dicitur procedere a Patre per Filium; sicut etiam Abel processit immedia te ab

(1) Ex libro I. posteriorum text. 5. vel cap. 2. versus finem; ubi proinde premissarum assensu, assensui conclusionis antefertur, quia conclusioni af fidentur propter præmissas; & exemplum affertur ejus quem quis propter alium amat, adeoque plus amat illum propter quem amat istum &c.

(2) Sive patilo plenius: *Conserva (oro) banc fid ei mea incontaminatam religionem, &c. ut quod in regenerationis meæ Symbolo (baptizatus in Patre & Filio & Spiritu sancto) professus sum, semper ob sineam, Patrem scilicet &c.* Non sicut prius trun cato sensu, Spiritum sanctum tuum qui est per uni-

genitum tuum: Quamvis impressa, & gothica, & manuscripta sic habeant.

(3) Vel effectiva, ut mox conjunctum dictum: Sed effectiva principalis intelligitur cuius est ut moveat instrumentalem, vel impulsu physico & reali, sicut in instrumentis inanimatis; vel impulsu meta phorico & morali, sicut in instrumentis animatis; quod est mouere per insperatum ut hic: Alioqui causa instrumentalis quoque, præstitione vero animata, effectiva est, licet non sit motiva, sed ab alio mo ta, per imperium sicutem &c.

(*) Ad determinatus.

te ab Adam, in quantum Adam fuit Pater ejus, & mediate, in quantum Eva fuit mater ejus, quæ processit ab Adam (1): licet hoc exemplum materialis processionis ineptum videatur ad significandam immaterialē processionem divinarum personarum.

Ad secundum dicendum, quod si Filius acciperet a Patre aliam virtutem numero ad spirandum Spiritum sanctum, sequeretur quod esset sicut causa secunda, & instrumentalis; & sic magis procederet a Patre quam a Filio. Sed una & eadem numero virtus spirativa est in Patre, & Filio; & ideo æqualliter procedit ab utroque. Licet aliquando dicitur principaliter, vel proprie procedere de Patre, propter hoc quod Filius habet hanc virtutem a Patre.

Ad tertium dicendum, quod sicut generatio Filii est coetera generanti (unde non prius fuit Pater (2), quam gigneret Filium) ita processio Spiritus sancti est coetera suo principio. Unde non fuit prius Filius genitus quam Spiritus sanctus procederet; sed utrumque æternum est.

Ad quartum dicendum, quod cum aliquis dicitur per aliquid operari, non semper recipitur conversio (3). Non enim dicimus, quod martellus operetur per fabrum; dicimus autem, quod ballivus operatur per Regem: quia ballivi est agere, cum sit dominus sui actus; martelli autem non est agere, sed solum agi: unde non designatur nisi ut instrumentum. Dicitur autem ballivus operari per Regem, quamvis haec præpositio per denotet medium: quia quanto suppositum est prius in agendo, tanto virtus ejus est immediatior effectui, quia virtus causæ primæ conjungit causam secundam suo effectui (4). Unde & prima principia dicuntur immediata in demonstrativis scientiis. Sic igitur in quantum ballivus est medius secundum ordinem suppositorum agentium, dicitur Rex operari per ballivum; secundum ordinem vero virtutum dicitur ballivus operari per Regem, quia virtus Regis facit quod actio ballivi consequatur effectum. Ordo autem non attenditur inter Patrem & Filium quantum ad vir-

tutem, sed solum quantum ad supposita; & ideo dicitur, quod Pater spirat per Filium, & non e converso.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem rejicias haereses omnes dictas ar. 2. cum in idem tandem redeant propositiones istæ duæ: *Spiritus sanctus procedit a Patre, & Filio, & Pater per Filium spirat Spiritum sanctum*, sive *Spiritus sanctus a Patre procedit per Filium*. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, recte dictum a Concilio Florentino, Spiritum a Patre procedere per Filium, & consequenter recte illas fuisse tunc damnatas, quando sic ait: *Definimus, quod Spiritus sanctus a Patre, & Filio eternaliter est, &c. declarantes, quod id, quod sancti Doctores, & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse, secundum Grecos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentie Spiritus sancti, sicut & Patrem.* Hæc illud in litteris Sanctæ unionis. Hoc etiam Concilii dictum facit ad articuli primi questionis trigesimæ tertie intelligentiam. Tertio vides: quomodo ex his bene consideratis, & applicatis vicissim firmetur, & declaretur Angelica presentis articuli doctrina.

A R T I C U L U S IV. 197

Utrum Pater, & Filius sint unum principium Spiritus sancti.

I. diff. XI. art. 2. 3. & 4. & IV. cont. cap. XXV.
fin. & opusc. IX. cap. XXV. & Jo. VIII.
lect. 3. & XV. lect. 3.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod Pater, & Filius non sint unum principium Spiritus sancti. Quia Spiritus sanctus non videtur a Patre, & Filio procedere, in quantum sunt unum, neque in natura, quia Spiritus sanctus sic etiam procederet a se ipso.

unum &que ac alterum operari dicatur per alterum, sicut adjuncta insinuant.

(4) Hoc in libro de causis Proposit. 1. dicitur causa prima vehementius in causatum secundam influere quam ipsa quoque causa secunda; quia in illo agit ante secundam, & sic est magis causa rei &c.

(1) Præfertim vero quis Eva ex Adam non processit ut principio producente; sed extraordinaria quadam via; quatenus Adæ costam assumptū Deus ut hinc Evam formaret.

(2) Non tantum quis non prius habuit relationem Patris (quod etiam in hominibus dici potest) sed quia prius esse omnino non habuit.

(3) Id est, non semper e converso se habet, ut

¹pso , qui est unum cum eis in natura ; neque etiam in quantum sunt unum in aliqua proprietate , quia una proprietas non potest esse duorum suppositorum , ut videtur. Ergo Spiritus sanctus procedit a Patre , & Filio , ut sunt plures (1). Non ergo Pater , & Filius sunt unum principium Spiritus sancti .

2. Præterea . Cum dicitur , Pater , & Filius sunt unum principium Spiritus sancti , non potest ibi designari unitas personalis , quia sic Pater , & Filius essent una persona ; neque etiam unitas proprietatis , quia si propter unam proprietatem (2) Pater , & Filius sunt unum principium Spiritus sancti , pari ratione propter duas proprietates Pater videtur esse duo principia Filii , & Spiritus sancti , quod est inconveniens . Non ergo Pater , & Filius sunt unum principium Spiritus sancti .

3. Præterea . Filius non magis convenit cum Patre quam Spiritus sanctus . Sed Spiritus sanctus , & Pater non sunt unum principium respectu alicuius divinæ personæ (3). Ergo neque Pater , & Filius .

4. Præterea . Si Pater , & Filius sunt unum principium Spiritus sancti , aut unum quod est Pater , aut unum quod non est Pater . Sed neutrum est dare : quia si unum quod est Pater , sequitur quod Filius sit Pater : si unum quod non est Pater , sequitur quod Pater non est Pater . Non ergo dicendum est , quod Pater , & Filius sunt unum principium Spiritus sancti .

5. Præterea . Si Pater , & Filius sunt unum principium Spiritus sancti , videtur e converso dicendum , quod unum principium Spiritus sancti sit Pater , & Filius . Sed hæc videatur esse falsa : quia hoc quod dico principium , oportet quod supponat vel pro persona Patris , vel pro persona Filii ; & utroque modo est falsa . Ergo etiam hæc est fal-

sa : Pater , & Filius sunt unum principium Spiritus sancti .

6. Præterea . Unum in substantia facit idem (4). Si igitur Pater , & Filius sunt unum principium Spiritus sancti , sequitur quod sint idem principium . Sed hoc a multis negatur . Ergo non est concedendum , quod Pater , & Filius sint unum principium Spiritus sancti .

7. Præterea . Pater , & Filius , & Spiritus sanctus , quia sunt unum principium creaturæ , dicuntur esse unus creator (5). Sed Pater , & Filius non sunt unus spirator , sed duo spiratores , ut a multis dicitur : quod etiam confonat dictis Hilarii , qui dicit in II. de Trin. (non remote a fin.) quod *Spiritus sanctus a Patre , & Filio auctoribus contendens est* . Ergo Pater , & Filius non sunt unum principium Spiritus sancti .

Sed contra est quod Augustinus dicit in V. de Trin. (cap. xiv. in fin.) quod Pater , & Filius non sunt duo principia , sed unum principium Spiritus sancti .

Respondeo dicendum , quod Pater , & Filius in omnibus unum sunt (6) , in quibus non distinguit inter eos relationis oppositio . Unde cum in hoc quod est esse principium Spiritus sancti , non opponantur relative , sequitur quod Pater , & Filius sunt unum principium Spiritus sancti .

Quidam tamen dicunt , hanc esse impro priam : *Pater , & Filius sunt unum principium Spiritus sancti* . Quia cum hoc nomen principium singulariter acceptum non significet personam , sed proprietatem , dicunt , quod sumitur adjective : & quia adjективum non determinatur per adjективum , non potest convenienter dici , quod Pater , & Filius sint unum principium Spiritus sancti , nisi unum intelligatur quasi adverbialiter positum , ut sit sensus : sunt unum principium , id est uno modo .

Sed

(1) Puta personæ , vel plura supposita ; ut supponitur ex præmissis .

(2) Seu propter unitatem proprietatis : quia eamdem nempe habent inseparabilem & indivisam &c.

(3) Ut divina est ; quia non possent esse nisi respectu personæ Filii , quæ a Spiritu sancto procedere non potest ratione divinitatis ; et si alio sensu sit principium eius per incarnationem &c.

(4) Colligitur ex libro 5. Metaphys. text. 16. si ve cap. 9. circa medium , ubi *eadem esse* dicuntur illa , *quorum est substantia* (vel essentia) *una* .

(5) Sic enim Ecclesiast. 1. vers. 7. *Unus est altissimus Creator omnipotens & mecum undus nimis dominans Deus* : Ubi quamvis non exprimantur tres personæ , quia Trinitas nondum publice nota erat ,

subintelligi tamen debent : Alioqui non essent unus Deus .

(6) Jam notatum est ex cap. 2. libri de professione Spiritus sancti apud Anselmum , ubi aquivocanter saltem habetur ; cum sit quod *unitas consequentiam suam non amittit nisi ubi obviat relationis oppositio* : Ac proinde non satis oculatum vel nimis officiantem fuisse illum qui axioma istud ullum habere in Anselmo fundamentum negavit ; ut etiam Spiritus sanctus a Filio non procederet , eum nihilominus personaliter distinguendum Scotica fictione inferre conaretur ; Vndeque scilicet propter oscitantiam vel hallucinationem tantam a suis quoque non immixto reprobemus .

Sed simili ratione posset dici Pater duo principia, Filii, & Spiritus sancti, id est duobus modis.

Dicendum est ergo, quod licet hoc nomen *principium* significet proprietatem, tamen significat eam per modum substantivi; sicut hoc nomen *Pater*, & *Filius* etiam in rebus creatis. Unde numerum accipit a forma significata, sicut & alia substantiva. Sicut igitur *Pater*, & *Filius* sunt unus Deus propter unitatem formae significatae per hoc nomen *Deus*; ita sunt unum principium Spiritus sancti propter unitatem proprietatis significatae in hoc nomine *principium*.

Ad primum ergo dicendum, quod si attendatur virtus spirativa, Spiritus sanctus procedit a Patre, & Filio, in quantum sunt unum in virtute spirativa, quæ quodammodo significat naturam cum proprietate, ut infra dicetur (in solut. ad 7. arg. hujus art.) (1). Neque est inconveniens unam proprietatem esse in duobus suppositis, quorum est una natura. Si vero considerentur supposita spirationis, sic Spiritus sanctus procedit a Patre, & Filio, ut sunt plures: procedit enim ab eis ut amor unitivus duorum.

Ad secundum dicendum, quod cum dicatur: *Pater*, & *Filius* sunt unum principium Spiritus sancti: designatur una proprietas, quæ est forma significata per nomen. Non tamen sequitur quod propter plures proprietates possit dici *Pater* plura principia, quia implicaretur pluralitas suppositorum.

Ad tertium dicendum, quod secundum relativas proprietates non attenditur in divinis similitudo, vel dissimilitudo, sed secundum essentiam. Unde sicut Pater non est similior sibi quam Filio; ita nec Filius est similior Patri quam Spiritus sanctus.

Ad quartum dicendum, quod hæc duo, scilicet *Pater*, & *Filius*, sunt unum principium quod est *Pater*, aut unum principium

Summ. S.Th. T.I.

quod non est *Pater*, non sunt contradictorie opposita: unde non est necesse alterum eorum dare. Cum enim dicimus, *Pater*, & *Filius* sunt unum principium, hoc quod dico *principium*, non habet determinatam suppositionem, imo confusam pro duabus personis simul. Unde in processu est fallacia figura dictiois a confusa suppositionis ad determinatam.

Ad quintum dicendum, quod hæc etiam est vera: Unum principium Spiritus sancti est *Pater*, & *Filius*: quia hoc quod dico *principium*, non supponit pro una persona tantum, sed indistincte pro duabus, ut dictum est (in solut. præced. arg.)

Ad sextum dicendum, quod convenienter potest dici, quod *Pater*, & *Filius* sunt idem principium, secundum quod ly *principium* supponit confuse, & indistincte pro duabus personis simul.

Ad septimum dicendum, quod quidam dicunt (2), quod *Pater*, & *Filius*, licet sint unum principium Spiritus sancti, sunt tamen duo spiratores propter distinctionem suppositorum, sicut etiam duo spirantes, quia actus referuntur ad supposita. Nec est eadem ratio de hoc nomine *creator*: quia Spiritus sanctus procedit a Patre, & Filio, ut sunt duæ personæ distinctæ, ut dictum est (in solut. ad 1. arg. hujus artic.) non autem creatura procedit a tribus personis, ut sunt personæ distinctæ, sed ut sunt unum in essentia. Sed videtur melius dicendum, quod quia spirans adjективum est, spirator vero substantivum, possumus dicere, quod *Pater*, & *Filius* sunt duo spirantes propter pluralitatem suppositorum, non autem duo spiratores propter unam spirationem. Nam adjektiva nomina habent numerum secundum supposita, substantiva vero a se ipsis secundum formam significatam. Quod vero Hilarius dicit (loc. cit. in arg.) quod Spiritus sanctus est a Patre, & Filio authoribus, ex-

V u po-

(1) Conformiter ad illud quod habetur in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. ut iam sup. *Fidelis ac devote professio faciemur quod Spiritus sanctus eterniter ex Patre & Filio, non tamquam ex duabus principiis sed tamquam ex uno, nec duabus spirationibus, sed una spiratione procedit.* Hoc professa est & bacchanus docuit ac predicavit *sacerdos* *Romanæ Ecclesiæ, mater omnium fidelium & magistra: Hæc habet orthodoxorum Patrum atque Doctorum (Latinorum pariter & Graecorum) incomparabilis & vera sententia: Hinc & mox eos damnat qui presumperint ausu temerario offere quod Spiritus sanctus ex Patre & Filio tamquam ex duobus prin-*

cipiis, non tamquam uno procedas &c.

(2) Et ipse quidem ita dixit in Sententiis libro I. distict. 11. art. 4. ubi ex professo inquirens an *Pater* & *Filius* sint unus spirator sic respondet: *Actus recipit numerum a suppositis: Unde verbum quod significat substantiam per modum actus, dicitur de pluribus personis pluraliter, quamvis sit essentia una;* Et ideo quis nomen verbale plus accedit ad substantiam quam participium, & plus: articulatum quam verbum, dicimus quod sint spirantes duo & spiratores, quamvis sit unus actus quo spirant: Sed hanc suam priorem sententiam, et si tacite tantum as implicare, hic revocat.

ponendum est , quod ponitur substantivum
pro adjectivo .

A P P E N D I X .

EX art. habes primo : quomodo per rationem confundas haeresim quorumdam mihi innominatorum dicentium , Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere tamquam ex duobus principiis , non tamquam ex uno . Secundo habes : quomodo ostendas recte damnari hanc in sexto decretalium de sum . Tri . & fid . cath . fidei , ac devota professione fatetur , quod Spiritus sanctus eternaliter ex Patre , & Filio , non tamquam ex duobus principiis , sed tamquam ex uno principio , non duabus spirationibus , sed unica spiratione procedit . Hoc professio est hactenus , predicitur , docuit , hoc firmiter , tenet , & prædicat , profitetur , docet sacrosancta Romana Ecclesia mater omnium fidelium , & magistra : hoc habet orthodoxorum Patrum , atque Doctorum Latinorum patiter , & Græcorum incommutabilis , & vera sententia : sed quia nonnulli propter irrefragabilis premisse veritatis ignorantiam in errores variis sunt prolapsi ; Nos bujusmodi erroribus viam præcludere cupientes hoc sacro approbante Concilio damnamus , & reprobamus omnes , qui negare præsumperint , Spiritum sanctum ex Patre & Filio eternaliter procedere , sive etiam temerario ausu afferere , quod Spiritus sanctus ex Patre , & Filio , tamquam ex duobus principiis , & non tamquam ex uno procedat . Hæc ibi Papa Gregor . X . in Concilio generali Lugdunensi . Has item duas hereses recte per rationem , juncto art . 2 . monstrare potes damnari a Papa Eugenio IV . in Conc . Florentino sit . Approbante hac sancta synodo Florentina definitus &c . quod Spiritus sanctus ex utroque eternaliter , tamquam ab uno principio , & unica spiratione procedit . Hæc ille , in littera Sanctæ unionis . Tertio vides : quomodo &c .

QUÆSTIO TRIGESIMASEPTIMA .

De nomine Spiritus sancti , quod est Amor ,

In duos articulos divisa .

DEinde queritur de nomine Amoris , & circa hoc queruntur duo .

Primo , utrum sit proprium nomen Spiritus sancti .

Secundo , utrum Pater , & Filius diligant se Spiritu sancto .

ARTICULUS I . 198

Utrum Amor sit proprium nomen Spiritus sancti .

I . dist . X . art . 4 . & dist . XXVII . quest . II . art . 2 .
quest . 2 . corp . & ver . quest . IV .
art . 2 . ad 7 .

AD primum sic proceditur . Videtur quod Amor non sit proprium nomen Spiritus sancti . Dicit enim Augustinus XV . de Trinit . (cap . xvii . ante med .) Nestor , cur , sicut sapientia dicitur & Pater , & Filius , & Spiritus sanctus , & simul omnes tres , sed una sapientia , non ita & caritas dicatur , Pater , & Filius , & Spiritus sanctus , & simul omnes una caritas . Sed nullum nomen quod de singulis personis prædicatur , & de omnibus in communi singulariter , est nomen proprium alicujus personæ . Ergo hoc nomen Amor non est proprium Spiritus sancti .

2 . Præterea . Spiritus sanctus est persona subsistens (1) . Sed Amor non significatur ut persona subsistens , sed ut actio quedam ab amante transiens in amatum . Ergo Amor non est proprium nomen Spiritus sancti .

3 . Præterea . Amor est nexus amantium : quia secundum Dionysium iv . capit . de divin . Nom . (part . II . lect . 12 .) est quædam vis unitiva (2) . Sed nexus est medium inter ea quæ connectit , non autem aliquid ab eis procedens . Cum igitur Spiritus sanctus procedat a Patre , & Filio , sicut ostendit (quest . XXXVI . art . 2 .) videtur quod non sit Amor , aut nexus Patris , & Filii .

4 . Præ-

(1) Ad maiorem expressionem , quia non potest intelligi persona quin subsistat ; prout proprio sensu nomen personæ accipitur .

(2) Ubi hoc esse verum ait in qualicunque dile-

ctione ; sive divina , sive angelica , sive humana ; sive spirituali , sive animali , sive denique naturali ; nec existimat tantum (ἐντελέχει) sed conformatum (ενεργετελέχει) appellat .

4. Præterea. Cujuslibet amantis est aliquis amor. Sed Spiritus sanctus est amans. Ergo ejus est aliquis amor. Si igitur Spiritus sanctus est Amor, erit amor amoris, & spiritus a spiritu: quod est inconveniens.

Sed contra est quod Gregorius dicit in homil. Pentecostes (xxx. in Evang. (1) circa princ.) *Ipsæ Spiritus sanctus est Amor.*

Respondeo dicendum, quod nomen Amoris in divinis sumi potest essentialiter, & personaliter: & secundum quod personaliter sumitur, est proprium nomen Spiritus sancti, sicut Verbum est proprium nomen Filii.

Ad cuius evidentiam sciendum est, quod cum in divinis, ut supra ostensum est (quæst. xxvii. art. 2. 3. 4. & 5.) sint duæ processiones, una per modum intellectus, quæ est processio Verbi, alia per modum voluntatis, quæ est processio Amoris; quia prima est nobis magis nota, ad singula significanda quæ in ea considerari possunt, sunt magis propria nomina adinventa, non autem in processione voluntatis. Unde & quibusdam circumlocutionibus utimur ad significandam personam procedentem, & relationes etiam quæ accipiuntur secundum hanc processionem, & processionis, & spirationis nominibus nominantur, ut supra dictum est (quæst. xxvii. art. 4. ad 3.) quæ tamen sunt magis nomina originis quam relationis secundum proprietatem vocabuli (2). Et tamen (*) similiter secundum utramque processionem considerari oportet. Sicut enim ex hoc quod aliquis rem aliquam intelligit, provenit quædam intellectualis conceptio rei intellectæ in intelligenti, quæ dicitur verbum; ita ex hoc quod aliquis rem aliquam amat, provenit quædam impressio (ut ita loquar) rei amataæ in affectu amantis, secundum quam amatum dicitur esse in amante, sicut & intellectum in intelligenti; ita quod cum

aliquis se ipsum intelligit, & amat, est in se ipso, non solum per identitatem rei, sed etiam ut intellectum in intelligenti, & amatum in amante (3). Sed ex parte intellectus sunt vocabula adinventa ad significantum respectum intelligentis ad rem intellectam, ut patet in hoc quod dico *intelligere*: & sunt etiam alia vocabula adinventa ad significantum processum intellectualis conceptionis, scilicet ipsum *dicere*, & *verbum*. Unde in divinis *intelligere* solum essentialiter dicitur, quia non importat habitudinem ad Verbum procedens; sed *Verbum* personaliter dicitur, quia significat id quod procedit; ipsum vero *dicere* dicitur notionaliter, quia importat habitudinem principii Verbi ad Verbum ipsum. Ex parte autem voluntatis præter *diligere*, & *amare*, quæ important habitudinem amantis ad rem amatam, non sunt aliqua vocabula imposita, quæ importent habitudinem ipsius impressionis, vel affectionis rei amatæ, quæ provenit in amante ex hoc quod amat, ad suum principium, aut e converso. Et ideo propter vocabulorum inopiam hujusmodi habitudines significamus vocabulis *amoris*, & *dilectionis*; sicut si Verbum nominaremus intelligentiam conceptam, vel sapientiam genitam. Sic igitur in quantum in amore, vel dilectione non importatur nisi habitudo amantis ad rem amatam, *Amor*, & *diligere* essentialiter dicuntur, sicut intelligentia, & intelligere; inquantum vero his vocabulis utimur ad exprimendam habitudinem ejus rei quæ procedit per modum amoris, ad suum principium, & e converso, ita quod per amorem intelligatur amor procedens, & per diligere intelligatur spirare amorem procedentem; sic *Amor* est nomen personæ, & *diligere*, vel *amare* est verbum notionale, sicut dicere, vel generare.

Ad primum ergo dicendum, quod Augustinus

(1) Quæ legitur in festo Pentecostes: Ubi ad idem refert illud 1. Joan. 4. *Deus caritas est*: Et si enim de Deo ut sic & abstractum dictum intelligatur vers. 8. & iterum vers. 16. ac proinde indehinc de singulis personis explicandum, appropriate tamen Spiritui sancto ex ipsa sua singularis processionis ratione convenit, prout essentialis caritas intelligitur, & etiam proprie prout notionalis, vel personalis de qua specialiter nunc agitur.

(2) Quia nempe aliud significare prout procedit actu vel spiratur: Sed relatio significat id quod sequitur ipsam processionem five spirationem terminatam: Vel significant eam in fieri, Relatio autem in *fatto esse*, ut explicari solet.

(3) *Nicolaus simpliciter.*

(3) Diversimode tamen juxta diversam utriusque conditionem; Nam intellectum quidem est in intelligenti secundum similitudinem essentiae suæ; quam intellectus ad se trahit: Amatum autem est in amante per aliquam impressionem qua voluntas in illud fertur; sicut adjuncta insinuant, & jam quæst. 8. art. 3. indicavimus ad marginem: Sed expressus lib. 4. contra Gentiles cap. 19; ubi sic sit versus finem: *Amoratus non est in amante secundum similitudinem species*, sicut intellectum in intelligenti, sed *ne inclinans & impollens amantem in ipsam rem amatorum*: *Impulsus autem ad spiritum personæ &c.*

stius loquitur de caritate , secundum quod essentialiter sumitur in divinis (1) , ut dictum est (in cor. art. & quæst. xxxiv. art. 2. ad 4.)

Ad secundum dicendum , quod intelligere , & velle , & amare , licet significantur per modum actionum transeuntium in objecta , sunt tamen actiones manentes in agentibus , ut supra dictum est (quæst. xiv. art. 4.) ita tamen quod in ipso agente important habitudinem quamdam ad objectum . Unde amor etiam in nobis est aliquid manens in amante , & verbum cordis manens in dicente , tamen cum habitudine ad rem verbo expressam , vel amatam . Sed in Deo , in quo nullum est accidens , plus habet : quia tam Verbum , quam Amor est subsistens . Cum ergo dicitur , quod Spiritus sanctus est Amor Patris in Filium , vel in quidquam aliud , non significatur aliquid transiens in alium , sed solum habitudo amoris ad rem amatam ; sicut & in Verbo importatur habitudo Verbi ad rem Verbo expressam .

Ad tertium dicendum , quod Spiritus sanctus dicitur esse nexus Patris , & Fili , in quantum est Amor (2) : quia cum Pater amet unica dilectione se , & Filium , & e converso ; importatur in Spiritu sancto , prout est Amor , habitudo Patris ad Filium , & e converso , ut amantis ad amatum . Sed ex hoc ipso quod Pater , & Filius se mutuo amant , oportet quod mutuus amor , qui est Spiritus sanctus , ab utroque procedat . Secundum igitur originem Spiritus sanctus non est medius , sed tertia in Trinitate persona ; secundum vero prædictam habitudinem est medius nexus duorum , ab utroque procedens .

Ad quartum dicendum , quod sicut Filio , licet intelligat , non tamen sibi competit producere verbum , quia intelligere convenit ei ut Verbo procedenti ; ita licet Spiritus sanctus amet , essentialiter accipiendo , non tamen convenit ei quod spiret amorem , quod est diligere notionaliter sumptum : quia sic diligit essentialiter ut Amor procedens , non ut a quo procedit amor .

(1) Alioqui Tract. 109. in Joannem ad illa verba , Us cognoscant se solum ex cap. 17. vers. 3. Consequenter in illis verbis (inquit) intelligitur Spiritus sanctus , quia spiritus est Patris & Fili iungimus caritas substantialis & confabstantialis amorum : Ubi caritas appellatur substantialis non ut a personali sed ab accidentalii distinguitur :

(2) Hinc rursus Augustinus de Trinit. lib. 6.

A P P E N D I X .

EX art. habes primo : quomodo per rationem confundas impiissimum dogma Novati , sive Novatiani (Præteolus Cœlestiani) dicentis Deum esse crudelegn . Si enim amor ibi est , & essentialiter , & personaliter , quomodo crudelis esse poterit ? si Pater , & Filius spirant infinitum amorem , & Spiritus sanctus est spiratus amor infinitus , quomodo vel minima crudelitas in divinis esse poterit ? Secundo habes : quomodo per rationem ostendas heresim hanc suisse merito damnatam a Concilio pariter , & Joanne Apostolo . Concilium quidem Toletanum undecimum in pronunciatione publica dogmatum fidei Catholice dicit : *Spiritus sanctus non procedit de Patre in Filium , vel de Filio procedit ad sanctificandam creaturam , sed simul ab utrisque procedere monstratur , quia caritas amorum esse agnoscitur .* Hæc ibi . Ecce , quod Concilium dicit Spiritum sanctum esse caritatem . Amor ergo secundum illud est nomen personale Spiritus sancti . Joannes autem de tota Trinitate loquens , ait 1. Jo. 4. *Deus caritas .* Ex hoc tamen , quod amor & essentialiter , & personaliter dicitur in divinis , ne credideris , Dicum esse igneum . Heres enim hæc fuit Apellitarum , quod Deus legis , & Israëlis esset igneus , quæ damnatur in decretis , 24. qu. 3. *Quidam .* In hujus enim capituli fine dicitur : *Hæ sunt hereses adversus Catholicam fidem exorte , & ab Apostolis , & a sanctis Patribus , vel Conciliis predammata , quæ dum in se multis erroribus divise invicem sibi dissentunt , communī tamen nomine adversus Ecclesiam Dei conspirant .* Hæc ibi . Deus igitur , licet sit & essentialiter , & personaliter amor , non est igneus , sed in igne , tamquam in signo amoris , vel effectus alterius , manifestatur . *Tertio &c.*

AR-

cap. 5. Sive sit unitas amorum (inquit) sive caritas & ideo unitas quia caritas , manifestum est quod non aliquis duorum est quo uterque conjungitur : Ut & Bernardus in Octava Paschæ serm. 1. *Spiritus sanctus (inquit) indissolubile vinculum Trinitatis : Et serm. 8. in Cant. Gloriæ firmum , invictus amor &c.*

ARTICULUS II. 199

*Utrum Pater, & Filius diligant se
Spiritu sancto.*

I. dist. XIV. quest. I. art. I. cor. & dist. XXXII.
quest. I. artic. I. & IV. con. cap. XXIII. in
fin. & pot. quest. II. art. 3. ad II. & quest.
IX. art. 9. ad 19.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod Pater, & Filius non diligent se Spiritu sancto. Augustinus enim in VII. de Trinit. (cap. I. in fin.) probat quod Pater non est sapiens sapientia genita. Sed sicut Filius est sapiens sapientia genita, ita Spiritus sanctus est amor procedens, ut dictum est (art. præc. & quest. XXVI. art. 3.) Ergo Pater, & Filius non diligunt se amore Procedente, qui est Spiritus sanctus.

2. Præterea. Cum dicitur, Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto, hoc verbum *diligere* aut sumitum essentialiter, aut notionaliter (1). Sed non potest esse vera, secundum quod sumitum essentialiter, quia paratione posset dici, quod Pater intelligit Filio: neque etiam secundum quod sumitum notionaliter, quia par ratione posset dici, quod Pater, & Filius spirant Spiritu sancto, vel quod Pater generat Filio. Ergo nullo modo hæc est vera: Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto.

3. Præterea. Eodem amore Pater diligit Filium, & se, & nos. Sed Pater non diligit se Spiritu sancto, quia nullus actus notionalis reflectitur super principium actus: non enim potest dici, quod Pater generat se, vel spirat se. Ergo etiam non potest di-

ci, quod diligit se Spiritu sancto, secundum quod diligit sumitur notionaliter. Item amor, quo diligit nos, non videtur esse Spiritus sanctus: quia importatur respectus ad creaturam, & ita ad essentiam pertinet. Ergo & hæc est falsa: Pater diligit Filium Spiritu sancto.

Sed contra est quod Augustinus dicit VI. de Trinitate, (cap. v. in princ.) (2) quod *Spiritus sanctus est quo genitus a generante diligitur, genitorem suum diligit.*

Respondeo dicendum, quod circa hanc questionem difficultatem affert quod cum dicitur, Pater diligit Filium Spiritu sancto, cum ablativus construatur in habitudine aliquujus causæ, videtur quod Spiritus sanctus sit principium diligendi & Patri, & Filio: quod est omnino impossibile.

Et ideo quidam dixerunt, hanc esse falsam: Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto: & dicunt hanc esse retractatam ab Augustino in suo simili, cum scilicet retractavit istam: Pater est sapiens sapientia genita. (Habetur Lib. I. Retract. cap. XXVI. aliquantulum a princ.) (3) Quidam vero dicunt, quod est propositio impropria; & est sic exponenda: Pater diligit Filium Spiritu sancto, id est amore essentiali, qui appropriatur Spiritui sancto. Quidam vero dixerunt, quod ablativus iste construitur in habitudine signi, ut sit sensus. Spiritus sanctus est signum, quod Pater diligit Filium, in quantum procedit ab eis Spiritus sanctus ut Amor. Quidam vero dixerunt, quod ablativus iste construitur in habitudine cause formalis: quia Spiritus sanctus est Amor quo formaliter Pater, & Filius se invicem diligunt. Quidam vero dixerunt, quod construitur in habitudine effectus formalis (4) & isti pro-

(1) Id est, aut sicut dicit actum essentiali qui sit communis individuum tribus personis, ut essentia ipsa communis est, aut sicut dicit actum quendam particularem alicui persona vel duabus, ut sunt particulares notiones quibus persona dignoscuntur a se invicem &c. Non quod amor vel dilectio sit notio proprie, sed per adjunctionem.

(2) Immediate post alia qua paulo supra notavimus & addidimus ad marginem: Addi etiam potest illud ex libro 13. de Trinit. cap. 19. *Si caritas quæ Pater diligit Filium, & Filius diligit Patrem, ineffabiliter communionem demonstras amborum quid convenientius quam ut ille caritas dicatur proprio qui spiritus communis est amborum?*

(3) Ubi tamen sic tantum (cum 23. questionem libri 83. questionum retractat) Dixi quod *eam ipso genitus quo sapiens dicitur, sapientiam: Sed melius*

istam questionem in libris postea de Trinitate tractavimus.

(4) Sive quasi formalis ut loquitur in Sententia libro I. dist. 32. lanti indicata, ubi sic explicandum addit, ut dicatur effectus largo modo id oratio quod a principio est, quia proprio in divinis non est efficiens & effectum; & formale dicatur quod habet actum formam in denominando: Et hunc sensum esse vult: A Patre & Filio procedit amor qui est Spiritus sanctus quo diligunt se. Hujus porro loquitionis authore ibi fecit Hugonem Victorinum; qui tamen qu. 286. in epist. ad Romanos ex opposito ait, non dici quod Pater Filium & Filius diligens Patrem Spiritu sancto, sed quod Spiritus sanctus se amor quo diligis Filium, quia Spiritus sanctus est natura divina, sed non quia persona &c.

propinquius ad veritatem acceſſerunt.

Unde ad hujus evidentiam sciendum est, quod cum res communiter denominantur a suis formis, sicut album ab albedine, & homo ab humanitate; omne illud a quo aliiquid denominatur, quantum ad hoc habet habitudinem formæ: ut si dicam, iste est induitus vestimento, iste ablatus construitur in habitudine cause formalis, quamvis non sit forma. Contingit autem aliquid denominari per id quod ab ipso procedit, non solum sicut agens actione, sed etiam sicut ipso termino actionis, qui est effectus, quando ipse effectus in intellectu actionis includitur. Dicimus enim, quod ignis est calefaciens calefactione, quamvis calefactio, non sit calor, qui est forma ignis, sed actio ab igne procedens: & dicimus, quod arbor est florrens floribus, quamvis flores non sint forma arboris, sed quidam effectus ab ipsa procedentes. Secundum hoc ergo dicendum, quod cum diligere in divinis dupliciter sumatur, essentialiter scilicet, & notionaliter; secundum quod essentialiter sumitur, sic Pater, & Filius non diligunt se Spiritu sancto, sed essentia sua. Unde Augustinus in XV. de Trinitat. (cap. vii. inter princip. & med.) *Quis audet dicere, Patrem nec se, nec Filium, nec Spiritum sanctum diligere nisi per Spiritum Sanctum?* Et secundum hoc procedunt primæ opiniones. Secundum vero quod notionaliter sumitur, sic diligere nihil est aliud quam spirare amorem; sicut dicere est producere verbum, & florere est producere flores. Sicut ergo dicitur arbor florrens floribus, ita dicitur Pater dicens Verbo, vel Filio se, & creaturam: & Pater, & Filius dicuntur diligentes Spiritu sancto, vel amore procedente, & se, & nos.

Ad primum ergo dicendum, quod esse sapientem, vel intelligentem in divinis non sumitur nisi essentialiter: & ideo non potest dici, quod Pater sit sapiens, vel intelligens

Filio (1). Sed diligere sumitur non solum essentialiter, sed etiam notionaliter: & secundum hoc possumus dicere, quod Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto, ut dictum est (in corp. art.)

Ad secundum dicendum, quod quando in intellectu aliquius actionis importatur determinatus effectus, potest denominari principium actionis ab actione, & ab effectu; sicut possumus dicere, quod arbor est florens floritione, & floribus. Sed quando in actione non includitur determinatus effectus, tunc non potest principium actionis denominari ab effectu, sed solum ab actione. Non enim dicimus, quod arbor producit florem flore, sed productione floris. In hoc igitur quod dico *spiras*, vel *generas*, importatur actus notionalis tantum. Unde non possumus dicere, quod Pater spiret Spiritu sancto, vel generet Filio. Possumus autem dicere, quod Pater dicit Verbo, tamquam persona procedente, & dicit dilectione, tamquam actu notionali: quia dicere importat determinatam personam procedentem, cum dicere sit producere verbum. Et similiter diligere, prout notionaliter sumitur, est producere amorem: & ideo potest dici, quod Pater diligit Filium Spiritu sancto tamquam persona procedente (2), & ipsa dilectione tamquam actu notionali.

Ad tertium dicendum, quod Pater non solum Filium, sed etiam se, & nos diligit Spiritu sancto: quia, ut dictum est (in isto art.) diligere, prout notionaliter sumitur, non solum importat productionem divinæ personæ, sed etiam personam productam per modum amoris, qui habet habitudinem ad rem dilectam. Unde sicut Pater dicit se, & omnem creaturam Verbo quod genuit, inquantum Verbum genitum sufficienter representat Patrem, & omnem creaturam; ita diligit se, & omnem creaturam Spiritu sancto, inquantum Spiritus sanctus procedit

ut

(1) Hinc Augustinus loco mox indicato (five lib. 15. de Trinit. cap. 7. non probat eam ratiocinationem qua Catholici quidam cum Arianis disputantes usi sunt ut controversum Patri Filium attruerent, nempe quod Apostolus 1. ad Corint. 1. Christum Dei sapientiam esse dicat (vers. 24.) Deum autem non habuisse aliquando sapientiam, dementis est dicere: Quia ista ratiocinatio ad id cogit ut dicamus Deum Patrem non esse sapientem nisi habendo sapientiam quam genuit.

(2) Etsi non probet Hugo ubi supra, cum sic pleniū addit: *Si hoc seruino, amor quo Pater diligit Filium, significatur personale idioma, non est*

*verum quod Spiritus sanctus sit amor quo Pater diligit, sicut Spiritus sanctus non est Pater. Et in Eruditioribus didascalicis (id est doctrinalibus) lib. 7. cap. 23. Sicut natura unum fons Pater & Filius & amor Patri & Filii (sive Spiritus sanctus) ita uno amore se diligunt, quia unum sunt &c. Sed Richardus in Declarationibus ad Bernardum: *Pater Spiritus sancto diligere dicitur, quia dilectionem spiritus &c.* An forte Hugo pro Richardo irrepit? An hoc ipsum Bernardus scriptus Hugo quem scripsisse ad illum ex ipsis Bernardi epist. 77. constat? eis non tale quidquam ibi.*

ut amor bonitatis primæ, secundum quam Pater amat se, & omnem creaturam. Et sic etiam patet quod respectus importatur ad creaturam & in Verbo, & in Amore procedente quasi secundario, inquantum scilicet bonitas, & veritas divina est principium intelligendi, & amandi omnem creaturam.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo Concilio Constantinopolitano sexto obediens valeas aetione 12. dicenti : quod Sanctorum Patrum dogmata non solum secundum sensum, sed etiam secundum easdem voces sequi debemus. Taceo, quod & Concilia plurima, specialiter Nicenum secundum nobis idipsum monitum sequendum factò suo mandaverunt. Vide actionem secundam, & quartam pricipue, sed & alias : indeque, quanto honore Patrum sanctorum dicta a nobis Filiis suis pro debita erga ipsos observantia prosequenda sunt mordicus, apertissime conjicies. Horum omnium Conciliorum mandato predicto obediendi viam articulus hic tibi aperit. Hinc enim patet : quomodo ex ratione demonstres ; locutiones SS. Hieronymi super Ps. 14. Augustini de Trin. l. 6. c. 5. & l. 15. c. 7. Bernardi secundum quosdam, & Richardi de S. Victore, quibus Patrem, & Filium diligere se Spiritu sancto, dicunt, esse imitandas. Secundo ultra imitationem illam, habes : quomodo per rationem defendere possis hujusmodi Patrum sententiam premissam. Tertio vides &c.

QUÆSTIO TRIGESIMAOCTAVA.

De nomine Spiritus sancti, quod est Donum,

In duos articulos divisa.

Consequenter queritur de Dono : & circa hoc queruntur duo.

Primo, utrum Donum possit esse nomen personale.

Secundo, utrum sit proprium Spiritus sancti.

ARTICULUS I. 200

Utrum Donum sit nomen personale.

I. diff. XVIII. artic. 1.

AD primum sic proceditur. Videtur quod Donum non sit nomen personale. Omne enim nomen personale importat aliquam distinctionem in divinis. Sed nomen Doni non importat aliquam distinctionem in divinis : dicit enim Augustinus XV. de Trinit. (capit. xix. a med.) (1) quod Spiritus sanctus ita datur sicut Dei Donum, ut etiam se ipsum det sicut Deus. Ergo Donum non est nomen personale.

2. Præterea. Nullum nomen personale convenit essentia divinæ. Sed essentia divina est Donum, quod Pater dat Filio, ut patet per Hilarium VIII. de Trinit. (circa med. & paulo post.) Ergo Donum non est nomen personale.

3. Præterea. Secundum Damascenum (Lib. IV. cap. xix. a med.) nihil est subjectum, aut serviens in divinis personis (2). Sed Donum importat quamdam subjectionem & ad eum cui datur, & ad eum a quo datur. Ergo donum non est nomen personale.

4. Præterea. Donum importat respectum ad creaturam ; & ita videtur de Deo dici ex tempore. Sed nomina personalia dicuntur de Deo ab æterno, ut Pater, & Filius. Ergo Donum non est nomen personale.

Sed contra est quod Augustinus dicit XV. de Trinitat. (loco cit. in arg. 1.) *Sicut corpus carnis nihil aliud est quam caro ; sic Donum Spiritus sancti nihil aliud est quam Spiritus sanctus.* Sed Spiritus sanctus est nomen personale. Ergo & Donum.

Respondeo dicendum, quod in nomine Doni importatur aptitudine ad hoc quod donetur. Quod autem donatur, habet aptitudinem,

(1) Ubi nimur inde probat quod eti datur a Patre & Filio Spiritus sanctus, non ideo minor est illis ipsis a quibus datur, quia seipsum cum illici dat.

(2) Äquivalenter & implicite, non explicite vel expresse; tum in 3. lib. de fide orthodoxa cap. 21. cum eatenus probat Christum servum vocari non debere, licet servilem vel humanam naturam assumiperit, quia subjectionis & servitutis nomen est

personæ dumtaxat, secundum quam esse subjectus non potuit, ut ex professo in 3. parte ostendetur; tum lib. 4. cap. 19. post medium, ubi etiam ait quod *nihil caro unita esset Dei Verbo, videri serva posset*; *sed propter unionem secundum hypostasim ad Deum serva non est*: Postquam premisit quod ut Deus est, non est subjectus Patri vel imperio ejus obnoxius (viceraryuinos) quod minus plene Stapulantis reddit, subordinatus.

dinem, vel habitudinem & ad id a quo datur, & ad id cui datur. Non enim daretur ab aliquo, nisi esset ejus; & ad hoc alicui datur ut ejus sit. Persona autem divina dicitur esse alicuius vel secundum originem, sicut Filius est Patris, vel in quantum ab aliquo habetur. Habere autem dicitur id quo libere possumus uti, vel frui ut volamus. Et per hunc modum divina persona non potest haberi nisi a rationali creatura Deo conjuncta. Aliæ autem creature moveri quidem possunt a divina persona, non tamen sic quod in potestate earum sit frui divina persona, & uti effectu ejus. Ad quod quandoque pertingit rationalis creatura; ut puta cum sic sit particeps divini Verbi, & procedentis Amoris, ut possit libere Deum vere cognoscere, & recte amare. Unde sola creatura rationalis potest habere divinam personam (1). Sed ad hoc quod sic eam habeat, non potest propria virtute pervenire: unde oportet quod hoc ei desuper detur: hoc enim dari nobis dicitur quod aliunde habemus. Et sic divinæ personæ competit dari, & esse Donum.

Ad primum ergo dicendum, quod nomen Doni importat distinctionem personalis, secundum quod donum dicitur esse alicuius per originem. Et tamen Spiritus sanctus dat se ipsum, in quantum est sui ipsius, ut potens se uti, vel potius frui; sicut & homo liber dicitur esse sui ipsius. Et hoc est quod Augustinus dicit super Joan. (tract. xxix. post princ.) *Quid tam tuum est quam tu?* Vel dicendum, & melius, quod donum oportet esse aliquo modo dantis. Sed hoc esse hujus dicitur multipliciter. Uno modo per modum identitatis, sicut dicit Augustinus super Joan. (ibid.) & sic donum non distinguitur a dante, sed ab eo cui datur: & sic dicitur, quod Spiritus sanctus dat se. Alio modo dicitur aliquid esse alicuius ut possessio, vel servus (2): & sic oportet quod donum essentialiter distinguiatur a dante; & sic donum Dei est aliquid creatum. Tertio modo dicitur hoc esse hujus per originem

tantum; & sic Filius est Patris, & Spiritus sanctus utriusque. In quantum ergo donum hoc modo dicitur esse dantis, sic distinguitur a dante personaliter, & est nomen personale.

Ad secundum dicendum, quod essentia dicitur esse donum Patris primo modo, quia essentia est Patris per modum identitatis.

Ad tertium dicendum, quod Donum, secundum quod est nomen personale in divinis, non importat subjectionem, sed originem tantum in comparatione ad dantem; in comparatione vero ad eum cui datur, importat liberum usum, vel fruitionem, ut dictum est in (corp. artic.)

Ad quartum dicendum, quod donum non dicitur ex eo quod actu darur, sed in quantum habet aptitudinem ut possit dari. Unde ab æterno divina persona dicitur Donum, licet ex tempore detur (3). Nec tamen per hoc quod importatur respectus ad creaturam, oportet quod sit essentiale, sed quod aliquid essentiale in suo intellectu includatur; sicut essentia includitur in intellectu personæ, ut supra dictum est (quest. xxix. art. 4. & quest. xxxiv. art. 3. ad 1.)

A P P E N D I X.

Hinc habes primq: quomodo per rationem ostendas, diversa Scripturarum dicta sic, vel sic, catholice debere intelligi; aliquando scilicet accipiendo Donum pro persona divina, aliquando pro aliquo dono creato, aliquando pro essentia divina. Ut Joan. 4. *si scires donum Dei*: Rom. 11. *sine paenitentia sunt dona Dei*. Psal. 67. *Accipisti dona in hominibus*. 2. Cor. 9. *Gratias ago Deo meo super inenarrabili dono ejus*. Joan. 10. *Pater, quod dedit mihi, magis est omnibus*. Nam Joan. 4. *ly donum sumitur personaliter secundum Albertum Magnum ibid. Rom. 11. ly dona pro donis creatis, sicut & Psal. 67. secundum communiter omnes*. 2. Cor. 9. *ly dono pro persona divina, quæ est simpliciter inenarrabilis, & etiam pro dono caritatis crea-*

(1) Utendo nempe vel fruendo, ut supponitur ex premissis ad eum sensu quo de vita beata dicit Augustinus cap. 1. eum beatum esse qui Deum habet: Alioqui habere Deum vel personam divinam per unionem hypostaticam seu per assumptionem creatura etiam irrationalis potest, ut in 3. parte notabur.

(2) Quippe servus est veluti quadam *animata possessione* (κατιθετησιν) ut appellatus libro 1.

Politicon cap. 4. ubi etiam subjungitur quod non solum *domini servus* esse dicitur, sicut ipse dominus dici solet *dominus servi* per mutuam & reciprocam relationem, sed *omnino illius* (ὁντες εἰσάγει) : quod intelligi de mancipio tantum debet, non de civili servo &c.

(3) Quia *dons* est nomen quod non consignificat tempus: *Datum* autem significat sicut verbum, ut lib. 1. Sent. dist. 18. notat.

creare , quod secundum quid est inenarrabile juxta multos Doctores : Joan. 10. ly *quod dedit* ; pro essentia divina secundum contextum . Secundo videre licet : quomodo &c.

A R T I C U L U S IX . 201

Utrum Donum sit proprium nomen Spiritus sancti.

I. disf. xviii. artic. 2. & ver. quest.
vii. artic. 3. ad 3.

AD secundum sic proceditur . Videtur quod *Donum* non sit proprium nomen *Spiritus sancti* . *Donum* enim dicitur ex eo quod datur . Sed , sicut dicitur Isa. ix. 6. *Filius datus est nobis* (1) . Ergo esse *Donum* convenit *Filio* , sicut *Spiritu sancto* .

2. Præterea . Omne nomen proprium alicuius personæ significat aliquam ejus proprietatem . Sed hoc nomen *Donum* non significat proprietatem aliquam *Spiritus sancti* . Ergo *Donum* non est proprium nomen *Spiritus sancti* .

3. Præterea . *Spiritus sanctus* potest dici *spiritus alicuius hominis* ; sed non potest dici *donum alicuius hominis* , sed solum *Donum Dei* . Ergo *Donum* non est proprium nomen *Spiritus Sancti* .

Sed contra est quod Augustinus dicit in IV. de Trinit. (cap. xx. a med) (2) *Sicut natus est Filius a Patre esse* ; ita *Spiritus sanctum Donum Dei esse est a Patre* , & *Filio procedere* . Sed *Spiritus sanctus* sortitur proprium nomen , in quantum procedit a *Patre* , & *Filio* . Ergo & *Donum* est proprium nomen *Spiritus sancti* .

Respondeo dicendum , quod *Donum* , secundum quod personaliter sumitur in divinis , est proprium nomen *Spiritus sancti* .

Ad cuius evidentiam sciendum est , quod donum proprie est ratio irreddibilis (3) , secundum Philosophum (IV. Top. cap. iv.)

Summ. S.T.b. T.I.

ideft quod non datur intentione retributio-
nis , & sic importat gratuitam donationem . Ratio autem gratuitæ donationis est amor : ideo enim damus gratis alicui aliquid , quia volumus ei bonum . Primum ergo quod da-
mus ei , est amor , quo volumus ei bonum . Unde manifestum est quod amor habet ratio-
nem primi doni , per quod omnia dona gra-
tuita donantur . Unde cum *Spiritus sanctus* proce-
dat ut amor , sicut jam dictum est
(quest. xxvii. artic. 1.) procedit in ra-
tione doni primi . Unde dicit Augustinus
XV. de Trinit. (cap. xix. ante med.) quod
per *Donum* , quod est *Spiritus sanctus* , multi-
propria *Dona dividuntur membris Christi* . (4)

Ad primum ergo dicendum , quod sicut *Filius* , quia procedit per modum verbi , quod de ratione sua habet quod sit similitudo sui principii , dicitur proprie *imago* , licet etiam *Spiritus sanctus* sit similis *Patri* ; ita etiam *Spiritus sanctus* , quia a *Patre* procedit ut amor , dicitur proprie *Donum* , licet etiam *Filius* detur . Hoc enim ipsum quod *Filius* datur , est ex *Patris amore* , secundum illud Joan. iii. 16. *Sic Deus dilexit mundum , ut Filium suum Unigenitum daret* .

Ad secundum dicendum , quod in nomine doni importatur quod sit dantis per originem : & sic importatur proprietas originis *Spiritus sancti* , qua est processio .

Ad tertium dicendum , quod *donum* , antequam detur , est tantum dantis ; sed postquam datur , est ejus cui datur . Quia igitur *donum* non importat dationem in actu , non potest dici , quod sit *donum hominis* , sed *donum Dei dantis* . Cum autem jam da-
tum est , tunc hominis est vel *spiritus* , vel
datum (5) .

A P P E N D I X .

EX art. habes primo : quomodo per ratio-
nem ostendas , hoc nomen , *Donum* , re-
XX
cte

(1) De Christo enim *Filio Dei* non de alio in-
telligi planum est ex ibidem adjunctis , & ex inter-
pretatione Patrum ac Ecclesiarum usu .

(2) Sive paulo alter : *Sicut natus est Filius
a Patre esse* , ita missi est *Filio cognoscit quod ab
ille fisi* : Et sicut *Spiritu sancto donum Dei esse est
a Patre procedere* , ita missi est cognoscit quod ab ille
procedat &c.

(3) Ux ex greco αναρροτος legendum est : Sic
enim 4. Topicorum loquitur Philo'phorus , ut cap.
2. patet : Non sicut prius , irreddibilis , quasi que-

non redeat : Cum sit potius donatio qua non redditur
necc reddenda speratur a donante vel expectatur &c.

(4) Vocat & illum Basilius in lib. de Spiritu
sancto cap 24. δεινος δεινος donum Dei : Et Chrysostomus
in lib. 72. que de Spiritu sancto inscribitur ,
& a Severiano potius videtur scripta esse ; sed ve-
rius ipseget homini. 78 in Joan. Et Cyrillus Alex-
andrinus dialogo 3. de Trinitate δεινη δεινος ; do-
num divinum : Hinc & in hymno , *Donum D.i al-
tissimi &c.*

(5) Quasi ad huminem pertinens ; licet per se so-
lum

Et attributum ab Ecclesia Spiritui sancto, tamquam nomen ei proprium. Ipsa enim Spiritum sanctum alloquens in hymno inquit:

*Qui dicens Paraclitus
Altissimi donum Dei.*

Secundo habes: quomodo per rationem & intelligas sano modo hoc ejus dictum, & a contrariis defendere scias. Tertio vides: quomodo ex his bene consideratis vicissim Angelica doctrina praesentis articuli declaretur, & confirmetur.

Q U E S T I O T R I G E S I M A N O N A .

De Personis ad Essentiam relatis,

In octo articulos divisa.

POst ea quæ de personis divinis absolute tractata sunt, considerandum restat de personis in comparatione ad essentiam, & ad proprietates, & ad actus notionales, & de comparatione ipsarum ad invicem.

Quantum igitur ad primum horum, octo queruntur.

Primo, utrum essentia in divinis sit idem quod persona.

Secundo, utrum dicendum sit, quod tres personæ sunt unius essentiaz.

Tertio, utrum nomina essentialia prædicanda sint de personis in plurali, vel in singulari.

Quarto, utrum adjectiva notionalia, aut verba, vel participia prædicari possint de nominibus essentialibus concretive acceptis.

Quinto, utrum prædicari possint de nominibus essentialibus in abstracto acceptis.

Sexto, utrum nomina personarum prædicari possint de nominibus essentialibus concretis.

Septimo, utrum essentialia attributa sint approprianda personis.

Octavo, quod attributum cuique personæ debeat appropriari.

A R T I C U L U S I . 202

Utrum in divinis Essentia sit idem quod persona.

*Supra quest. III. art. 3. & I. dist. XXXIV.
quest. I. art. 1.*

AD primum sic proceditur. Videtur quod in divinis essentia non sit idem quod persona. In quibuscumque enim essentia est idem quod persona, seu suppositum, oportet quod sit tantum unum suppositum unius naturæ, ut pater in omnibus substantiis separatis (1): eorum enim quæ sunt idem re, unum multiplicari non potest quin multiplicetur & reliquum. Sed in divinis est una essentia, & tres personæ, ut ex supradictis patet (quest. xxx. art. 2. & quest. xxviii. art. 3.) Ergo essentia non est idem quod persona.

2. Præterea. Affirmatio, & negatio simul & seipso non verificantur de eodem. Sed affirmatio, & negatio verificantur de essentia, & persona: nam persona est distincta, essentia vero non est distincta. Ergo persona, & essentia non sunt idem.

3. Præterea. Nihil subjicitur sibi ipso. Sed persona subjicitur essentiaz, unde suppositum, vel hypostasis (2) nominatur. Ergo persona non est idem quod essentia.

Sed contra est quod Augustinus dicit VII. de Trin. (cap. vi. circ. princ.) *Cum dicimus personam Patris, non aliud dicimus quam substantiam Patris.*

Respondeo dicendum, quod considerantibus divinam simplicitatem, questio ista in manifesto habet veritatem. Ostensum est enim supra (quest. III. art. 3.) quod divina simplicitas hoc requirit quod in Deo sit idem essentia, & suppositum, quod in substantiis intellectualibus nihil est aliud quam persona. Sed difficultatem videtur ingerere quod,

Ius Dei donum dei possit. Hinc rursus Augustinus de Trinit. lib. 5. cap. 14. *Cur non Filius (inquit) Spiritus sanctus, cum exeat a Patre? Nempe quis exiit non quomodo natus sed quomodo datus. Quod enim de Patre natum est ad Patrem solum referunt, etiam dicitur Filius, & ideo Filius Patris est & non noster: Quod autem datum est, & ad eum qui dedidit, referunt, & ad eos quibus dedit: Itaque Spiritus sanctus non tantum Patris & Filii qui dederunt, sed etiam noster qui accepimus &c. Unde dictum est (Luc. i. vers. 17.) Spiritus Etia scilicet Spiritus sanctus quem accepit Elias &c.,*

(1) Nimurum in Angelis qui *substantia separata* dicuntur, quia protus a materia suau immunes, & unius naturæ supposita singula esse, quia singuli suam speciem constituant, ut infra suo loco.

(2) Cur *suppositum* per se patet; quia scilicet supponitur alteri, sive ponitur sub altero: Cur *hypostasis* ex notione græca pender quia dicitur nempe ab ὑπόστασι, quod significat idem ac substatere: Unde non immenso Graci nomine ὑπόστασει vel hypostasis quod etiam pro essentia sumebatur, accommodarunt ad personam, quia persona tantum non essentia proprie substas.

quod, multiplicatis personis divinis, essentia retinet unitatem.

Et quia, ut Boetius dicit (Lib. de Trin. non procul a fin.) relatio multiplicat personarum Trinitatem, posuerunt aliqui hoc modo in divinis differre essentiam, & personam, (*) quo & relationes dicebant esse assistentes (1), considerantes in relationibus solum quod ad alterum sunt, & non quod res sunt.

Sed, sicut supra ostensum est (quæst. xxviii. art. 2.) sicut relationes in rebus creatis accidentaliter insunt, ita in Deo sunt ipsa essentia divina. Ex quo sequitur quod in Deo non sit aliud essentia quam persona secundum rem, & tamen quod personæ realiter ab invicem distinguantur. Persona enim, ut dictum est supra (quæst. xxix. art. 4.) significat relationem, prout est subsistens in natura divina (2). Relatio autem ad essentiam comparata non differt re, sed ratione tantum. Comparata autem ad oppositam relationem habet virtute oppositionis realem distinctionem. Et sic remanet una essentia, & tres personæ.

Ad primum ergo dicendum, quod in creaturis non potest esse distinctio suppositorum per relationes, sed oportet quod sit per essentia principia (3), quia relationes non sunt subsistentes in creaturis. In divinis autem relationes sunt subsistentes: ideo, secundum quod habent oppositionem ad invicem, possunt distinguere supposita; neque tamen distinguitur essentia, quia relationes ipsæ non distinguuntur ab invicem, secundum quod sunt realiter idem cum essentia.

Ad secundum dicendum, quod in quantum essentia, & persona in divinis differunt secundum intelligentia rationem, sequitur quod aliquid possit affirmari de uno quod negatur de altero; & per consequens quod supposito uno non supponatur alterum.

Ad tertium dicendum, quod rebus divinis nomina imponimus secundum modum rerum creatarum, ut supra dictum est (art. 1. & 3. quæst. xiiii.) Et quia naturæ rerum crea-

tarum individuantur per materiam, quæ subjicitur naturæ speciei, inde est quod individua dicuntur subjecta, vel supposita, vel hypostases. Et propter hoc etiam divinæ personæ supposita, vel hypostases nominantur, non quod ibi sit aliqua suppositio, vel subjectio secundum rem.

A P P E N D I X .

Ex art. habes primo: quomodo per rationem tamquam fundamentaliter convincas hæresim Arii dicentis: Patrem a Filio diversæ esse naturæ: seu (quod idem est) Οὐούσιον, idest Patris, & Filii consubstantialitatem non esse eamdem. Contra hunc enim, & similes statuit prima pars conclusionis, quæ dicit essentiam esse idem realiter, quod persona: quam partem isti sic dicentes oppugnant. Horum namque hæreses præmissæ fundantur in hoc, quod essentia (secundum eos) differt realiter a persona, sicut persona una realiter distinguitur ab alia. Hoc enim hæreticali fundamento jacto, parietem similem erigunt, quod videlicet personæ sunt diversæ naturæ inter se. Item habes: quomodo &c. hæresim Marathoni dicentis: Spiritum sanctum non Deum perfectum, & Patri consubstantiale, sed famulum, ministrum, angelicisque ordinibus paulo præstantiorem. Item Macedonii dicentis, Spiritum sanctum non esse ejusdem substancialiter cum Patre, sed Patre, & Filio minorem, meram esse creaturam. Habes item: quomodo ex ratione confundas hæreses Priscillianistarum, Patriaffianorum, Noeti, & Sabellii ponentium, Personas non differre realiter ad invicem, sed, sicut una est essentia, ita esse unam personam: vide supra, quæ 29. art. 1. & 3. item quæ 30. art. 1. & 2. & 4. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, has merito fuisse damnatas a Christo Domino Jo. 10. Ego, & Pater unum sumus. Ego, & Pater: Ecce distinctio personarum contra Priscillianistas &c. Unum sumus: Ecce consubstantialitas, & una essentia, contra Arium &c. Item

Xx 2 1.Joan.

(*) Ita Rom. edit. & Nicolajus. Patav. ambo quarum relationes.

(1) Ita Gilbertus Porretanus ut supra; ubi ejus etiam damnatio in Concilio Rhemensi eum ejusdem palindia vel erroris confessione ac revocatione nota est.

(2) Nihil ergo subsistens in natura divina nisi ratione persona dici potest; nec absoluta illa subsistens &c.

(3) Per hanc scilicet materiam, & per hanc formam; quæ sunt constitutiva principia particularis essentiae, sive individui essentiam particularem includentis; Quamvis materia signata sit principium rationale individuationis quæ constituit suppositum: Signata autem appellatur, quia potius hujus quam illius capax est quantitatis: Ad quam capacitatem per dispositiones antecedentes perducitur.

1. Joan. 5. *Hi tres, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, unum sunt. Hi tres, Pater, Verbum, Spiritus:* Ecce distinctio personarum contra *Prisa* &c. *Unum sunt:* Ecce consubstantialitas omnium contra *Arium*, *Marathonium*, & *Macedonium*. Item a Concilio Niceno in primo confessu, ubi dicitur sic: *Interea per dies singulos agitabatur conventus, neque facile, neque temere de re tanta statuebatur. Vocabatur ARIUS frequenter in Concilium, & affiduo tractatu assertiones ejus discutebantur, & quid adversum haec teneri debet, ac statui summa cum deliberatione quegebatur. Tandem post diutinum, multumque tractatum, & placuit omnibus, & velut uno cunctorum ore, cordeque decernitur, quod conscribi debere, id est eisdem cum Patre substantiae Filium confiteri: idque firmissima omnium sententia pronunciatur.* Hac ibi, in summa Conciliorum. In symbolo autem fidei suscitat idem Nicenum: *Credimus in unum Deum, Patrem &c. & in Filium &c. & in Spiritum sanctum.* Dicentes autem, erat quando non erat, aus non erat, antequam fieret, & quia ex non extantibus factus est, aus ex altera substantia, vel essentia dicentes esse, aut creatum, aut conservibilem Filium Dei: hos tales anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesia. Hac ibi. Hanc fidem in Concilio Romano primo 275. Episcoporum corroboravit Beatus Sylvester Episcopus sanctus, & Apostolicæ Sedis Praeful Urbis Romæ, dicens: *Quidquid in Nicæa Bithynie constitutum est, ad robur sanctæ matris Ecclesie catholice, a sanctis Sacerdotibus 218. nostro ore confirmamus. Omnes, qui ausi fuerint dissolvere definitionem sancti, & magni Concilii, quod apud Nicæam congregatum est, anathematizamus.* Et dixerunt omnes: *Placet.* Hac ibi, in fine Concilii Romanii. Item a Papa Damaso, in professione fidei cath. ad Paulinum, sic: *Anathematizamus omnes, qui non tota libertate proclamant, Spiritum sanctum cum Patre, & Filio unius esse potestatis, atque substantie. Anathematizamus dicentes eundem esse Patrem, quem & Filium. Anathematizamus Arium, Eunomium, Macedonianos, qui Filium, & Spiritum sanctum afferunt esse creaturas.* Hac ibi. Item a Concilio Constantinopolitano primo, contra *Macedonium* negantem Spiritum sanctum esse

Deum, dicente in Cap. 1. sic: *Custodiendum esse fidem 218. Patrum, qui apud Nicæam Bithynie convenerunt ad anathematizandum omnem heresim, specialiter Eunomianorum, Ariana, Macedonianorum, Photinianorum, & Apollinianorum.* Hac ibi. Cetera Concilia legitima, si & ubi de hac re tractant, Conciliis praedictis tamquam principalissimis consentiunt. Item a Papa in symbolo Athanasi. Neque confundentes personas (scilicet sumus, contra Sabellium) neque substantiam separantes (contra Arium). Per omnia & unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate veneranda sit, contra Marathonium, &c. ut supra. Item a Lateranensi Concilio de sum. Trinitate & fide cath. firmiter &c. *Damnamus.* De hoc supra quest. 28. art. 1. & 3. quest. 30. art. 1. & 2. & 4. Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS II. 203

Utrum sit dicendum, tres personas esse unius essentia.

2. dist. xxxiv. quest. 1. art. 2.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod non sit dicendum, tres personas esse unius essentia. Dicit enim Hilarius in Lib. de Synodis (a med.) (1) quod Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt quidem per substantiam tria, per consonantiam vero unum. Sed substantia Dei est ejus essentia. Ergo tres personæ non sunt unius essentia.

2. Præterea. Non est affirmandum aliquid de divinis quod auctoritate Scripturarum sacra non est expressum, ut patet per Dionysium 1. cap. de div. Nominib. (parum a princ.)

Sed numquam in Scriptura sacra exprimitur,

quod Pater, & Filius, & Spiritus sanctus

sunt unius essentia. Ergo hoc non est affirmendum.

3. Præterea. Natura divina est idem quod essentia. Sufficeret ergo dicere, quod tres personæ sunt unius naturæ.

4. Præterea. Non consuevit dici, quod persona sit essentia; sed magis quod essentia sit personæ. Ergo neque convenienter

vide-

(1) Exponendo Antiochenæ Synodi fidem, sive Symbolum ibi a 97. Episcopis qui adfuerunt expositionem; ubi sub finem haec eadem habentur, que hic ut Hilarii refert S. Thomas. Quod autem subjungit-

tur ex libro de divinis nominibus, iam expressus quest. 29. art. 3. ubi de nomine persona, & quæ 2a. art. 2. relatum est, ubi de nominibus notionum.

videtur dici , quod tres personæ sunt unius essentiaz.

5. Præterea . Augustinus (Lib. VII. de Trin. cap. vi. paulo post med.) dicit (1), quod non dicimus , tres personas esse ex una essentia , ne intelligatur in divinis aliud esse essentia , & persona . Sed sicut præpositiones sunt transitivæ , ita (2) & obliquæ . Ergo pari ratione non est dicendum , quod tres personæ sunt unius essentiaz .

6. Præterea . Id quod potest esse erroris occasio , non est in divinis dicendum . Sed cum dicuntur tres personæ unius essentiaz , vel substantiaz , datur erroris occasio : quia , ut Hilarius dicit in Lib. de Synod. (ad can. xxvii.) una substantia Patris , & Filiæ prædicata , aut unum , qui duas nuncupationes habet , subſſilenteſ significat , aut diſiſam unam ſubſtantiam duas imperfetas feciſſe ſubſtantias , aut tertiam priorem ſubſtantiam , qua a duobus & usurpata ſit , & aſſumpta . Non est ergo dicendum , tres personas esse unius substantiaz .

Sed contra eſt quod Augustinus dicit in Lib. III. contra Maximinum (cap. xiv. ante med.) quod hoc nomen ὁμοονιον (2) , quod in Concilio Nicæno adverſus Arianos firmatum eſt , idem ſignificat quod tres perſonas eſſe unius eſſentiaz .

Respondeo dicendum , quod , ſicut ſupra dictum eſt , (quæſt. xiii. art. i. & ii.) intellectus noſter res diuinæ nominat , non ſecundum modum earum , quia ſic eas cognoscere non potest , ſed ſecundum modum in rebus creatiis inventum . Et quia in rebus ſenſibiliſ , a quibus intellectus noſter ſcien‐ tiam capit , natura aticujus ſpeciei per ma-

teriam individuatur (3) , & ſic natura ſe habet ut forma , individuum autem ut ſuppoſitum formæ ; propter hoc etiam in divinis , quantum ad modum ſignificandi , eſſentia ſignificatur ut forma triū personarum . Dicimus autem in rebus creatiis formam quamcumque eſſe ejus cujuſ eſt forma , ſicut ſanitatem , vel pulchritudinem hominiſ alicuiuſ . Rem autem habentem formam non dicimus eſſe formæ , niſi cum adjectione alicuiuſ adjectivi , quod designat illam formam ; ut cum dicimus , Iſta mulier eſt egregiæ formæ , Iſte homo eſt perfectæ virtutis . Et ſimiliter quia in divinis , multiplicatiſ perſoniſ , non multiplicatur eſſentia (4) , dicimus , unam eſſentiam eſſe triū perſonarum , & tres perſonas unius eſſentiaz , ut intelligantur iſti genitiivi conſtrui in designatione formæ .

Ad primum ergo dicendum , quod ſubſtantia (4*) ibi ſumitur pro hypoftaſi , & non p̄d eſſentia (5) .

Ad ſecundum dicendum , quod licet tres perſonas eſſe unius eſſentiaz , non inveniatur in ſacra Scriptura per hæc verba ; inveniatur tamen quantum ad hunc ſenſum ; ſicut ibi (Joan. x. 30.) Ego , & Pater uum fu- muſ : & (ib. x. 38.) Ego in Pātre , & Pa- ter in me eſt : & per multa alia haberi po- tent idem .

Ad tertium dicendum , quod quia natura designat principium actus , eſſentia vero ab eſſendo dicitur ; poſſunt dici aliqua unius naturæ , quaꝝ conueniunt in aliquo actu , ſicut omnia calefacientia ; ſed unius eſſentiaz dici non poſſunt , niſi quorum eſt unum eſſe . Et ideo magis exprimitur unitas diuina per hoc quod dicitur , quod tres perſonas ſunt

(1) Sub his verbis paululum tranſpoliſtis : Non ſic dicimus tres perſonas vel ſubſtantias unam eſſentiam & unum Deum , tamquam ex materia tria queſtā ſubſtantia &c. Et mox : Nec tres perſonas ex eadem eſſentia dicimus , quaſi aliud ibi ſit quod eſſentia uia , aliud quod perſona ; ſicut tres flauus ex au- vo &c.

(2) Ali. & obliqui .

(2) Quaꝝ ſubſtantia identitatē ſignificat , & a Latinis per conſubſtantialem exprimitur coſtra bā- reſim Arianaſ quae ὁμοονιον tantum iudeſ ſimilem non eundem in ſubſtantia blaſphemabat .

(3) Non ſimpliſter per materiam ut ſic , ſed per materiam ſignatam quantitate ; ut paulo ante nota- tum eſt : Alioqui eſt indiſferens materia ut ſic ad hoc vel illud individuum &c.

(4) Vel tranſpolita conſtructioe : in diuinis non multiplicatur eſſentia multiplicataſ perſoniſ &c.

(4*) Ali. docebat ibi .

(5) Planum eſt ex adiunctis : Premittit enim

Hilarius ibide quod Sanctorum Synodus congregata (nempe Antiochena) volens impioſatam illam pe- gimeret que veritatem Patris & Filiæ & Spiritus sancti nōminum numero ſtudaret (ſicut Sabelliani faciebant) tres ſubſtantias eſſe dixit ; ſubſtantia per ſubſtantiam edocens , non ſubſtantiam Patris & Filiæ & Spiritus sancti diſpariſſe diſſimiſi eſſentia ſeparans . At deinde ſubjungit : Quod autem diſtum eſt , ut ſint quidem per ſubſtantiam tria , per conſonantiam vero unum , non habet co- lumniam ; quia cognominato Spiritu , iudeſ Paracleto , conſonantia poſtuſ quam eſſentia per ſimilitudinem ſubſtantie prædicari conuenit uniuersitate : Ce- ceram omnis ſuperior ſermo in nullo Patrem & Filium eſſentia ac natura diſcernit &c. Dicit au- tem cognominato Spiritu vel Paracleto conſonantia dici debere , quia in ſpiritu nomine conſonantia quædam intelligitur ; ſicut & in nomine paraclebi quod a conſolatione defunctum eſt .

sunt unius essentiaz, quam si diceretur, quod sunt unius naturaz.

Ad quartum dicendum, quod forma absolute accepta consuevit significari ut ejus cuius est forma, ut virtus Petri; e converso autem res habens formam aliquam non consuevit significari ut ejus, nisi cum volumus determinare, sive designare formam. Et tunc requiruntur duo genitivi, quorum unus significet formam, & alius determinationem formaz, ut si dicatur: Petrus est magna virtutis. Vel etiam requiritur unus genitivus habens vim duorum genitivorum; ut cum dicitur: Vir sanguinum est iste, idest effusor multi sanguinis. Quia igitur essentia divina significatur ut forma respectu personaz, convenienter essentia persona dicitur; non autem e converso, nisi aliquid addatur ad designationem essentiaz; ut si dicatur, quod Pater est persona divinaz essentiaz, vel quod tres personaz sunt unius essentiaz.

Ad quintum dicendum, quod hæc præpositio ex, vel de non designat habitudinem causæ formalis, sed magis habitudinem causæ efficientis, vel materialis. Quæ quidem cause in omnibus distinguuntur ab his quorum sunt causa. Nihil enim est sua materia, neque aliquid est suum principium actuum; aliquid tamen est sua forma, ut patet in omnibus rebus immaterialibus. Et ideo per hoc quod dicimus tres personas unius essentiaz, significando essentiam in habitudine formaz, non ostenditur aliud esse essentia quam persona, quod ostenderetur, si diceremus tres personas ex eadem essentia.

Ad sextum dicendum, quod sicut Hilarius dicit in Lib. de Synod. (ante fin. Lib.) male sanctis rebus præjudicatur, si, quia non sanctæ (1) a quibusdam habentur, esse non debant. Sic si male intelligitur oportet, quid ad me bene intelligentem? Et sup. Sit ergo una substantia ex una geniti proprietate, non sit autem ex proportione, aut ex unione, aut ex communione.

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo: quomodo per rationem confundas hæresim novorum Arianorum nuper ex secta Lutherana prodeuntium, & dicentium: unam esse naturam, seu deitatem tribus communem, sed non u-

nam essentiam (Prat. *De iste.*) Nam ob hoc dicuntur *De iste*, quia negantes personas, & essentiam, tribus communem deitatem fingunt. Item hæresis has Abbatis *Joachim*, scilicet: Nulla res est, quæ sit Pater, Filius, & Spiritus sanctus, nec essentia, nec substantia, nec natura. Item: Summam rem, quæ sit Pater, Filius, & Spiritus sanctus, assertere est, non tam Trinitatem, quam quaternitatem in Deo astruere, videlicet tres personas, & illam communem essentiam, quasi quartam. Item: Unitas hujusmodi non vera est, & propria, sed quasi collectiva, & similitudinaria, quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, & multi fideles una Ecclesia. Recitantur hæc in de sum. *Trin. & fid. cath. Damnamus.* Item hæresim *Canonitarum* cum personis distinguentium essentiam, dicendo. Substantias tres esse, seu naturas quasdam similes. Item hæresim quorundam *Innominatorum* (Prat. *Paulus Samosat.*) qui unitatem Dei negando, tres Deos affirmant. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, has omnes merito suis se damnatas a Conciliis, & alii supra articulo primo nominatis, si ea omnia bene applicare hoc noveris. Item a Concilio *Toletano tertio*, in confessione fidei, sic: *Quicumque in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, & personas non distinguit, & unius divinitatis substantiam non agnoscit; anathema sit.* Hæc ibi. Item a Concilio *Constantinopolitano quinto cap. 1.* *Si quis non confitetur Patris, & Filii, & Spiritus sancti unam esse naturam, sive essentiam, unam virtutem, & potestatem: Trinitatem consubstantialem, unam deitatem in tribus subsistenteis, sive personis adorandam; anathema sit.* Hæc ibi. Item a *Damaso* Papa supra art. 1. qui usus est isto loquendi modo, scilicet tres personæ sunt unius essentiaz dicens: *Anathematizamus omnes, qui non tota libertate proclamant Spiritum sanctum cum Patre, & Filio unius potestatis esse, atque substantię.* Hæc ille. Item a Concilio *Lateranensi extra de sum. Trin. & fid. cath. Damnamus tractatum, quem Abbas *Joachim* edidit contra magistrum *Petrum Lombardum* de unitate, seu essentia Trinitatis, &c. Ubi, recensitissim præmissis hæresibus Abbatis, Papa *Innocentius* definit sic: *Nos autem sacro approbante concilio credimus, & confitemur cum Petro, quod una quedam summa**

(1) *Vel non sancti habentur, idest non cum ea sapientia tractantur qua dignæ sunt, ut ego quidem*

legi malum.

summa res est incomprehensibilis quidem, & ineffabilis, qua veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus tres simul personae, ac singillatum qualibet eorumdem, & ideo in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas, quia quelibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura divina, que sola est universorum principium, prout quod aliud inveniri non potest, &c. Et sic eadem res est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus ab utroque procedens. Cum ergo Veritas pro fidelibus orat ad Patrem: Volo (inquietus) ut ipsi sint unum in nobis, sicut & nos unum sumus, & hoc nomen, unum, pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio caritatis in gratia, pro personis vero divinis, ut attendatur identitatis unitas in natura, quemadmodum alibi Veritas ait: Estote perfecti, sicut & Pater vester caelstis perfectus est, ac si diceret manifestius: Estote perfecti perfectione gratiae, sicut Pater vester caelstis perfectus est perfectione naturae, utraque videlicet suo modo, quia inter creatorem, & creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos major sit dissimilitudo notanda. Si quis igitur dictinam presuti Joachim in hac parte defendere, vel approbare presumperit, tamquam hereticus ab omnibus evictetur. Hec ibi. Quod ista unitas non sit collectiva, ratio etiam supra, q. 31. ar. 1. ad secundum adducta monstrabat. Tertio video: quomodo ex his vicissim firmetur doctrina praesens Angelica.

ARTICULUS III. 204

Urum nomina essentialia praedicentur singulariter de tribus personis.

I. dist. 1v. quest. 11. art. 2. ad 5. & Boot. Trin. quest. 1. art. 4.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod nomina essentialia, ut hoc nomen Deus, non praedicentur singulariter de tribus personis, sed pluraliter. Sicut enim homo significatur ut habens humanitatem, ita Deus si-

gnificatur ut habens Deitatem. Sed tres personae sunt tres habentes Deitatem. Ergo tres personae sunt tres dei.

2. Præterea. Gen. 1. ubi dicitur: *In principio creavit Deus caelum, & terram*, hebraica veritas (1) habet אלהים, quod potest interpretari dei, sive judices. Et hoc dicitur propter pluralitatem personarum. Ergo tres personae sunt plures dei, & non unus Deus.

3. Præterea, Hoc nomen res, cum absolute dicatur, videtur ad substantiam pertinere. Sed hoc nomen pluraliter praedicatur de tribus personis: dicit enim Augustinus in Lib. I. de doctr. christiana (cap. v. iu. princ.) *Res quibus frumentum est, sunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus*. Ergo & alia nomina essentialia pluraliter praedicari possunt de tribus personis.

4. Præterea. Sicut hoc nomen Deus significat habentem Deitatem, ita hoc nomen persona significat subsistentem in natura aliqua intellectuali. Sed dicimus tres personas. Ergo eadem ratione dicere possumus tres deos.

Sed contra est quod dicitur Deut. vi. 4. *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est.*

Respondeo dicendum, quod nominum essentialium (2) quædam significant essentiam substantivæ, quædam vero adjective. Ea quidem quæ substantivæ essentiam significant, praedicantur de tribus personis singulariter tantum, & non pluraliter; quæ vero adjective essentiam significant, praedicantur de tribus personis in plurali.

Cujus ratio est, quia nomina substantivæ significant aliquid per modum substantiæ, nomina vero adjective significant aliquid per modum accidentis, quod inhæret subiecto. Substantia autem sicut per se habet esse, ita per se habet unitatem, vel multitudinem: unde & singularitas, vel pluralitas nominis substantivi attenditur secundum formam significatam per nomen. Accidentia autem, sicut esse habent in subiecto, ita ex subiecto suscipiunt unitatem, vel multitudinem: & ideo in adjective attendi ut singularitas, & pluralitas secundum supposita. In creaturis autem non invenitur una forma in plur-

(1) Vel Editio Hebraica quæ dicitur hic *Hebraica veritas*, quia primitiva est sive originalis Editio ad quam alii omnes componi debent, si pura tamen, illibata, & incorrupta comprobetur, servata semper proprietate cuiusque lingue quod expressissime modum; sicut observandum hic esse indicatur in hujus argumenti solutione infra.

(2) Idest ad essentiam pertinentium prout abstractum a personis intelligitur vel intelligi potest; qualia sunt illa nomina quæ tametsi personæ plures in divinis non essent ex hypothesi impossibili data, Deo nihilominus convenient; ut esse sapientem, omnipotentem, & similia.

pluribus suppositis , nisi unitate orditis , ut forma multitudinis ordinatae (1) . Unde nomina significantia talem formam , si sint substantiva , prædicantur de pluribus in singulari , non autem si sint adjektiva : dicimus enim , quod multi homines sunt collegium , vel exercitus , aut populus ; dicimus tamen , quod plures homines sunt collegiati . In divinis autem essentia divina significatur per modum formæ , ut dictum est (art. præc. & quæst. IIII. art. 3.) (2) quæ quidem simplex est , & maxime una , ut supra ostensum est (quæst. IIII. art. 7. (3) & quæst. III. art. 4.) Unde ratione significantia divinam essentiam substantiae singulariter , & non pluraliter de tribus personis prædicantur . Hec igitur est ratio , quare Socratem , & Platonem , & Ciceronem dicimus tres homines ; Patrem autem , & Filium , & Spiritum sanctum non dicimus tres Deos , sed unum Deum : quia in tribus suppositis humanæ naturæ sunt tres humanitates ; in tribus autem personis est una divina essentia . Ea vero quæ significant essentiam adjektive , prædicantur pluraliter de tribus propter pluralitatem suppositorum . Dicimus enim tres existentes , vel tres sapientes , aut tres eternos , & increatores , & immenses , si adjektive sumantur . Si vero substantiae sumantur , dicimus unum increatum , immensem , & eternum , ut Athanasius dicit (in symbolo fid.) (4) .

Ad primum ergo dicendum , quod licet Deus significet habentem Deitatem , est tamen aliis modus significandi . Nam Deus dicitur substantiae ; sed habens Deitatem dicitur adjektive . Unde licet sint tres habentes Deitatem , non tamen sequitur quod sint tres dii .

Ad secundum dicendum , quod diversæ lingue habent diversum modum loquendi . Unde sicut propter pluralitatem suppositorum Græci dicunt tres hypostases ; ita & in Hebreo dicitur pluraliter ΤΡΙΔΥΝΑ (5) Nos autem non dicimus pluraliter neque Deos , neque substantias , ne pluralitas ad substantiam referatur .

Ad tertium dicendum , quod hoc nomen res est de transcendentibus . Unde secundum quod pertinet ad relationem , pluraliter prædicatur in divinis ; secundum vero quod pertinet ad substantiam , singulariter prædicatur . Unde Augustinus dicit ibidem (loc. cit. in arg.) quod eadem Trinitas quædam summa res est .

Ad quartum dicendum , quod forma significata per hoc nomen persona , non est essentia , vel natura , sed personalitas . Unde cum sint tres personalitates , idest tres personales proprietates in Patre , & Filio , & Spiritu sancto , non singulariter , sed pluraliter prædicatur de tribus .

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo : quomodo per rationem confundas hæresim Petri Statorii (Prat. Lucas Sternberger) dicentis , Deum non unum , sed tres esse Deos ; & Raymundi Lull. ponentis , Deum habere plures essentiales naturas &c. quoniā divina essentia (secundum istum) essentiat , natura naturalificat , & bonitas bonificat &c. Tunc enim essent plures Dii . Item : quomodo , &c. hæreses omnium ponentium Deos duos : sive dicentium (ut Gnostici) alterum illorum bonum , a quo omnia bona , alterum malum , a quo omnia mala : sive dicentium (ut Albanienses) Deum bonum vivificare , & non occidere , Deum malum vivificare , & interrimere corpora : sive dicentium (ut Albigenenses) Deum bonum , omnes animas , & malum , idest , diabolum corpora creare : sive dicentium (ut Manichei) Deum malum condidisse vetus testamentum , Deum autem bonum solum Patrem esse Domini nostri Iesu Christi , & consequenter non illum veteris testamenti esse Patrem ejus : sive dicentium (ut Albanienses) Deum malum vetus condidisse testamentum , Deum bonum vero novum : sive dicentium (ut Apelles) Deum bonum unum principium esse , a quo factus est malus Deus , & malum hunc mundum in sua malignitate creasse : sive dicentium (ut

(1) Ad illius differentiam quæ confuse continet multa , sicut est coacervatio lapidum &c.

(2) Ubi queritur utrum essentia sit idem quod natura .

(3) Ubi queritur utrum Deus sit maxime unus ; ut obique haec respective habentur .

(4) Sic enim in hoc Symbolo de quo toties mentio habita est , & habebitur in 2. a. ex professo :

Incoetus Peter &c. Et tamen non tres increari , nec tres immensi sed unus increatus &c. Et mox . Non tres eterni , sed unus eternus .

(5) Vel Hebreorum usu pluralis casus ob dignitatem pro singulari usurpatum ; ut Rabbi Aben Ezra (idest filius Ezra) in eum locum notat : Unde cum verbo singulari jungitur , quasi singulariter dumtaxat significationem includens &c.

(ut Cordon secundum Augustin. lib. de he-
ref. cap. 21.) Deum alterum esse justum,
non autem bonum , alterum vero esse bo-
num : sive dicentium (ut Cordon) Deum ,
qui a prophetis pronunciatus est , non esse
Patrem Domini nostri Jesu Christi . Pater
enim Christi (inquit) ignoratur , ille vero
pronunciatur , prædicatur a lege , atque pro-
phetis , & non ignoratur . Secundo habes :
quomodo per rationem demonstres prædictas
fuisse merito damnatas a scripturis Exo. 20.
Audi Israel , Dominus Deus tuus Deus unus
est . Et a Conc. Florent. post enumerationem
factorum librorum sic : *Anathematizamus Ma-
nichæorum insaniam qui duo principia posuerunt,
unum visibilium, aliud invisibilium, & alium
novi testamenti Deum, alium veteris esse dixer-
unt*. Hæc ibi . Et a symbolo fidei : *Credo
in unum Deum Patrem omnipotentem factorem
cæli, & terræ, visibilium omnium, & invis-
ibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum
Filium ejus unicum Dominum nostrum , &c.
Et in Spiritum sanctum Dominum* . Hæc ibi .
Ecce tres personæ dictæ a symbolo unus
Deus , & Patrem orbis etiam visibilis Crea-
torem dicit Patrem Domini nostri Jesu Chri-
sti . Item damnatas ab omnibus conciliis , ut
quæ symbolo huic Nicæno omnes adhærent .
Tenendum autem pro regula universali est ,
quod concilia , neque definiendo acceptant
propositiones , quæ in sensu proprio falsæ sunt ,
neque respuendo damnant eas , quæ in sensu
proprio veræ sunt . Item Deuteron. 26. vi-
de , quod Ego sum solus , & non sit alius
Deus præter me , & in mille locis scriptura-
rum unitatem Dei prædicatam repieres . Vide
pro hac etiam supra quest. II. artic. 3. & 4.
Item Roman. 3. unus est Deus , qui justificat
circumcisionem ex fide , & prepucium per fidem .
Ergo idem est Deus Iudæorum in Veteri
Testamento , & Ecclesiæ sanctæ gentium in
novo . Item Rom. primo . In Evangelium
Dei ; quod ante promiserat per prophetas suos in
scripturis sanctis de Filio suo , qui factus est
ei secundum carnem ex semine David . Ergo
Pater est Domini nostri Christi Salvatoris
ille Deus , qui ante in veteri testamento per
prophetas loquebatur . De quo Deo psalm. 10.
Justus Dominus, & iusticias dilexit , & psalm.
Summ. S.Tb. T.I.

91. *Rofitus Dominus noster , & non est iniqli-
tas in eo , & psalm. 118. Bonitatem fecisti ,
&c. Bonus es , tu , & in bonitate tua doce me
iustificationes tuas , & Mar. decimo . Nemo
bonus , nisi unus Deus . Et psalm. 72. Quam
bonus Israel Deus his , qui recte sunt corde ?
supradicti ergo , qui ipsum Deum vel tenuissime
malum dicunt , sunt distorti corde . Et
vere distorti , cum etiam ipsa natura clamet
Deum esse bonum , adeoque bonum , ut nisi
bonus esset , omnino Deus esse non posset .
Sed adimpta est scriptura psalm. 17. Deum
sic alloquentis , & cum perverso perverseris .
Quasi dicat : Idcirco te Deum optimum ali-
qui perversum (heu malum infandum) esse
contendent , quia hoc illis ex perversitate
propria , non ex tua , quæ nulla est , submi-
nistributur . Tertio vides : quomodo , &c.*

A R T I C U L U S IV. 205

*Urrum nomina essentialia concreta possint suppo-
nere pro persona .*

I. dist. IV. quest. I. art. I.

AD quartum sic proceditur . Videtur quod
nomina essentialia concreta non pos-
sint supponere pro persona , ita quod hæc
sit vera , Deus genuit Deum . Quia , ut so-
phistæ dicunt , terminus singularis idem signi-
ficat , & supponit (1) . Sed hoc nomen Deus
videtur esse terminus singularis , cum plura-
liter prædicari non possit , ut dictum est
(artic. præc. & quest. xiiii. art. 9.) Er-
go cum significet essentiam , videtur quod
supponat pro essentia , & non pro persona .

2. Præterea . Terminus in subjecto positus
non restringitur per terminum positum in
prædicto ratione significationis , sed solum
ratione temporis consignificati . Sed cum
dico , Deus creat , hoc nomen Deus suppo-
nit pro essentia . Ergo cum dicitur , Deus
genuit , non potest iste terminus Deus ratio-
ne prædicti notionalis supponere pro per-
sona .

3. Præterea . Si hæc est vera , Deus genuit ,
quia Pater generat , pari ratione hæc erit
vera , Deus non generat , quia Filius no-
na

Yy gene-

(1) Idest pro eodem supponit quod significat : Non sic autem communis qui supponit interdum
pro alio ; quia naturam significat , & pro suppo-
nito ponitur . Nomen autem hoc Deus esse termi-
num singularem ex articulo precedenti satis aperte

generat . Ergo est Deus generans , & Deus non generans ; & ita videtur sequi quod sint duo dñi .

4. Præterea . Si Deus genuit Deum , aut se Deum , aut alium Deum . Sed non se Deum , quia , ut Augustinus dicit in I. de Trin . (cap. 1. ante med.) nulla res generat se ipsam : neque alium Deum , quia non est nisi unus Deus . Ergo hæc est falsa , Deus genuit Deum .

5. Præterea . Si Deus genuit Deum , aut Deum qui est Deus Pater , aut Deum qui non est Deus Pater . Si Deum qui est Deus Pater ; ergo Deus Pater est genitus . Si Deum qui non est Deus Pater , ergo Deus est qui non est Deus Pater , quod est falsum . Non ergo potest dici , quod Deus genuit Deum .

Sed contra est quod in symbolo dicitur , *Deum de Deo* (1) .

Respondeo dicendum , quod quidam dixerunt , quod hos nomen *Deus* , & similia proprie secundum suam naturam supponunt pro essentia , sed ex adjuncto notionali trahuntur ad supponendum pro persona . Et hæc opinio processisse videtur ex consideratione divinæ simplicitatis , quæ requirit quod in Deo idem sit habens , & quod habetur . Et sic habens Deitatem , quod significat hoc nomen *Deus* , est idem quod Deitas .

Sed in proprietatibus locutionum non tantum attendenda est res significata , sed etiam modus significandi . Et ideo quia nomen *Deus* significat divinam essentiam ut in habente ipsum , sicut hoc nomen *homo* humanitatem significat in supposito ; alii melius dixerunt , quod hoc nomen *Deus* ex modo significandi habet ut proprie possit supponere pro persona , sicut & hoc nomen *homo* . Quandoque ergo hoc nomen *Deus* supponit pro essentia , (2) ut cum dicitur , *Deus creat* : quia hoc prædicatum competit subiecto ratione formæ significata , quæ est Deitas . Quandoque vero supponit pro persona , vel una tantum ,

ut cum dicitur *Deus generat* ; vel dubius , ut cum dicitur : *Deus spirat* ; vel tribus , ut cum dicitur , *Regi seculorum immortali , invisiibili , soli Deo honor & gloria* : I. Timoth. 1. 17.

Ad primum ergo dicendum , quod hoc nomen *Deus* licet conveniat cum terminis singularibus in hoc quod forma significata non multiplicatur ; convenit tamen cum terminis communibus in hoc quod forma significata invenitur in pluribus suppositis . Unde non oportet quod semper supponat pro essentia , quam significat .

Ad secundum dicendum , quod objectio illa procedit contra illos qui dicebant , quod hoc nomen *Deus* non habet naturalem suppositionem pro persona .

Ad tertium dicendum , quod aliter se habet hoc nomen *Deus* ad supponendum pro persona , & hoc nomen *homo* . Quia enim forma significata per hoc nomen *homo* , idest humana , realiter dividitur in diversis suppositis , per se supponit pro persona , etiam nihil addatur quod determinet ipsum ad personam , quæ est suppositum distinctum . Unitas autem , sive communitas humanæ naturæ non est secundum rem , sed solum secundum considerationem . Unde iste terminus *homo* non supponit pro natura communi , nisi propter exigentiam alicujus additi ; ut cum dicitur , *Homo est species* . Sed forma significata per hoc nomen *Deus* , scilicet essentia divina , est una , & communis secundum rem . Unde per se supponit pro natura communi (3) , sed ex adjuncto determinatur ejus suppositio ad personam . Unde cum dicitur , *Deus generat* , ratione actus notionalis supponit hoc nomen *Deus* pro persona Patris . Sed cum dicimus , *Deus non generat* , nihil additur quod determinet hoc nomen ad personam Filii : unde datur intelligi , quod generatione repugnet divinæ naturæ . Sed si addatur aliquid pertinens ad personam Filii , vera erit locutio , ut si dicatur , *Deus genitus*

(1) Sic in Symbolo Niceno contra heresim Ariannam edito , & quibusdam additamentis postmodum aucto , ut in Missa cantatur : *Nisi quod in Symbolo Niceno primitivo , quale habetur tomo 1. Conciliorum , & in Constantinopolitano deinceps vel 2. Ecumenico Deus ex Deo , verbis leviter immutatis legitur ; sed perinde est quoad sensum ; ut & ex Ss. græce , quod verbo tenus idem est ac ex Deo* .

(2) Non ut quod , quasi pro subiecto creante vel pro individuo deitaris quod per se creet ; sed ut quo tantum quasi pro principio creandi vel pro formalizatione cuius quilibet persona creat quia Deus est ;

sicut & generare pro persona supponit etiam ut quod , quia personalitas Patris est formalis ratio generandi . Unde subsistentiam absolutam hinc desumere fictitum est : Non enim essentiam abstractum a personis dicimus creatricem , sed benedictam Trinitatem ; & in Symbolo Patrem *creassemus* &c.

(3) Formaliter & secundum se sumpta prout extra individua consideratur vel cum individuis non communicans : Alioqui cum de homine prædicatur animal , videtur esse suppositio pro natura communi , sed materialiter & in individuis distributa .

tus non generat. Unde non sequitur, Est Deus generans, & Deus non generans, nisi ponatur aliquid pertinens ad personas, ut puta si dicamus, Pater est Deus generans, & Filius est Deus non generans. Et ita non sequitur quod sint plures dii: quia Pater, & Filius sunt unus Deus, ut dictum est (art. præc.) (1).

Ad quartum dicendum, quod hæc est falsa. Pater genuit se Deum, quia ly se, cum sit reciprocum, refert idem suppositum. Neque est contrarium quod Augustinus dixit (in epist. ad Maxim. paulo ante med.) quod Deus Pater genuit aeternum se: quia ly se vel est casus ablative, ut sit sensus, genuit alterum a se; vel facit relationem simplicem, & sic refert identitatem naturæ, sed est impropria, vel emphatica (2) locutio, ut sit sensus, genuit alterum simillimum sibi. Similiter & hæc est falsa, Genuit alium Deum: quia licet Filius sit alius a Patre, ut supra dictum est (quest. xxxi. art. 2.) non tamen est dicendum, quod sit alius Deus, quia intelligeretur quod hoc adjectivum alius poneret rem suam circa substantivum, quod est Deus, & sic significaretur distinctione Deitatis. Quidam tamen concedunt istam, Genuit alium Deum, ita quod ly alius sit substantivum, & ly Deus appositive construatur cum eo. Sed hic est improprius modus loquendi, & evitandus, ne detur occasio erroris.

Ad quintum dicendum, quod hæc est falsa: Deus genuit Deum; qui est Deus Pater: quia cum ly Pater appositive construatur cum ly Deus, restringit ipsum ad standum pro persona Patris; ut sit sensus: Genuit Deum, qui est ipse Pater: & sic Pater esset genitus, quod est falsum. Unde negativa est vera: Genuit Deum, qui non est Deus Pater. Si tamen intelligeretur constructio non esse apposita, sed aliquid esse interponendum, tunc e converso affirmativa esset vera, & negativa falsa, ut sit sensus: Genuit Deum, qui est Deus, qui est Pater: sed hæc est extorta expositio (3). Unde me-

lius est quod simpliciter affirmativa negetur, & negativa concedatur. Præpositus tamen dixit, quod tam negativa, quam affirmativa est falsa: quia hoc relativum qui in affirmativa potest referre suppositum, sed in negativa refert & significatum, & suppositum. Unde sensus affirmativæ est, quod esse Deum Patrem convenienter personæ Filii. Negativæ vero sensus est, quod esse Deum Patrem non tantum removeatur a persona Filii, sed etiam a Divinitate ejus. Sed hoc irrationaliter videtur, cum secundum Philosophum (Lib. II. Periher. cap. ult.) de eodem de quo est affirmatio, possit etiam esse negatio.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem confundas hæresim Calvini (Prat. Trinitarii) blasphemico cachinno dicentis, Filium non esse Deum de Deo, neque ex substantia Patris, imo a seipso semper fuisse ut esset, unde & illud symboli (*Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*) esse ridiculosam battologiam. Secundo habes quomodo per rationem demonstres, hanc merito fuisse damnatam Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi, & i. Joan. 5. ut simus in vero Filio ejus.* Hic est verus Deus, & a Concilio Niceno in symbolo fidei dicente: *& in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, natum ex Pare, hoc est ex substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero;* & a Constantinopolitano 1. in symbolo sic: *ex Patre natum ante omnia secula Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero;* & a Toletano 3. in confessione fidei canone primo sic: *Quicumque Filium Dei Dominum nostrum Jesum negaverit a paterna substantia sine initio genitum; anathema sit & a Papa Innoc. in Concilio Lateranensi extra de summ. Trin. & fid. catholica Damnamus;* sic: *Pater Filium generando ab eterno sustinuit suam ei dedit, juxta quod ipse testatur, Pater, quod dedit mihi, maior est omnibus,*

Y y 2

ac

(1) Propter unitatem nimirum essentiarum quae nec generans per se nec genita est; ut ex cap. Firmitez infra notabitur.

(2) Id est, abstrusus aliquid & fortius continens quam verba ipsa præferant, juxta vim grecæ vocis *εὐραῖς*. Estque verior hæc secunda explicatio & Augustino conformior; et si utramque lib. I. Sent. dist. 4. Magister ipse afferat: Sic enim ibi lit. D. seu § 4. Quod Deus Pater aeternus se genuit, sic

intelligi potest: id est de se alterum a se genuit: non utique alterum Deum, sed alteram personam; Vel genuit alterum se, id est genuit alterum qui hoc est quod ipse.

(3) Imo etiam involuta, confusa, & inepta, nec ullum fero sensum reddens: Non sic extorte autem & confuse interpretatur ubi supra Magister Sentiarum, sed hanc tantum concedit: *Deus Pater genuit Deum qui non est Pater &c.*

ac dici non potest quod partem substantiam sue il-
li dederit, & partem retinuerit ipse sibi, cum
substantia Patris indivisibilis sit, utpote sim-
plex omnino, sed nec dici potest, quod Pater
in Filium transfluit suam substantiam generan-
do ipsum, quasi sic dederit eam Filio, quod
non retinuerit ipsam sibi, alioquin desisteret esse
substantia. Pater ergo, quod sine ulla diminu-
zione Filius nascendo substantiam Patris accepit,
& ita Pater, & Filius habent eamdem sub-
stantiam, & sic eadē res est Pater, & Fi-
lius, & Spiritus sanctus ab utroque procedens.
Hucisque Papa. Novissime Concilium Tri-
dentinum in sess. 3. sic: *santa Synodus sim-
bolum fidei, quo sancta Romana Ecclesia ui-
tur, tamquam principium, in quo omnes qui fi-
dem Christi profidentur, necessario conveniunt,*
& fundamentum firmum, & unicum, contra
quod portae inferi nunquam prævalebunt, toti-
dem verbis, quibus in omnibus Ecclesiis legi-
batur, exprimendum esse censuit, quod ejusmodi
est: *Credo in unum Deum &c. ut in Missali*
est. Hæc ibi. Nonne in Missali, & in o-
mnibus Ecclesiis legitur, *Deum de Deo, lu-
men de lumine, Deum verum de Deo vero?*
Abeat ergo Calvinus cum sua irrisione solus
ipse ridendus. Quod enim ipse rideat Con-
cilium Nicenum, & consequenter alia, bat-
tologiam præmissam illorum vocalem fidei
confessionem nuncupando, susque deque fe-
rendum est, quandoquidem Dominus riden-
tem ipsum subsannabit, sed & jam per san-
ctissimos patres nostros hunc subsannavit.
Audi Concilium Tolosanum tertium sub Pe-
lagio secundo Papa celebratum: sic ait: *Qui-
cumque alibi fidem, & communionem catho-
licam, præterquam in Ecclesia universalis, quam*
*Niceni, & Constantinopolitanis, & primi Ephe-
sini, & Chalcedonensis Concilii decreta tenent,*
pariter, & honorant, Anathema sit: sint ergo
damnata in Celo, & in terra, quemcumque per
hanc Catholicam fidem damnantur, & sint
accepta in Celo, & in terra, quemcumque per
hanc fidem accipiuntur. Hæc ibi. Tran-
seo, quod sanctus Sylvester Papa in con-
firmationem Niceni Concilii dixit, &
Concilium Constantinopolitanum primum, quo-
niam hæc omnia superius artic. primo dicta
funt, & ibi videnda. His accedit Concilium
Epesinum primum c. 7. sic: *santa synodus*
bac decorauit, alteram fidem nemini licere pro-

ferre, aut scribere, aut componere præter eam;
qua definita est a sanctis Patribus apud Ni-
cæam urbem in Spiritu sancto congregatis. Pro-
cul ergo sit etiam hæresis Eudoxii Germani
dicentis, symbolum Nicænum esse destruen-
dum. Taceo temeritatem ejusdem Calvini
negantis symbolum Nicænum non esse syno-
di Nicene (Prat. Trinitarii). Qui hanc
Calvinisticam præsumptionem, ad litteram vi-
dere quanta sit, & retundere voluerit, videat
Epesinum primum Concilium, ubi exponere
se profitetur Nicænum symbolum, & per par-
tes exponit. Postremo, ne quo se propriant
Calvinistæ super ly Deum de Deo &c. nota
regulam dictam art. 3. bujus quest. quæ est,
quod Concilia neque in definiendo acceptant
propositiones, quæ in sensu proprio falsæ
sunt, neque respundo damnant eas, quæ in
sensu proprio veræ sunt. Regula hæc (si bene
consideres) fundatur in, & trahitur ex illo
documento vere aureo Concilii Constantiopoliti-
ani sexti, actione duodecima, ubi sic dicitur:
omnino necesse est, non solum secundum sensum
sequi sanctorum patrum dogmata, sed & ei-
dem vocibus ut: cum illis nibilque penitus in-
novari. Ex conciliis ergo hujus generalis men-
te amplius dicendum videtur, quod scilicet
propositiones acceptatae a definitionibus con-
ciliariorum sunt admodum veræ, & propriæ non
solum in sensu, sed etiam in verbis. Tertio
vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S V. 206

*Utrum nomina essentialia in abstracto significata
possint supponere pro persona.*

I. dist. v. quest. I. art. I.

A D quintum sic proceditur. Videtur quod
nomina essentialia in abstracto significata
possint supponere pro persona, ita quod
hæc sit vera: *Essentia generat essentiam.*
Dicit enim Augustinus VII. de Trinit. (cap.
1. circa fin. & cap. 11. in princip.) (1).
Pater, & Filius sunt una sapientia, quia una
essentia, & singillatim sapientia de sapientia,
sicut essentia de essentia.

2. Præterea. Generatis nobis, vel corru-
ptis, generantur, vel corrumpuntur ea quæ
in nobis sunt. Sed Filius generatur. Ergo
cum

(1) Sed cap. 2. tantum sub his verbis expresse
videre est circa medium; & etiam cap. 1. equivalen-
ter tantum; cum sub finem dicatur intelligi Fi-
lius velut sapientia de sapientia, & utrumque una

sapientia, ergo & una essentia quia hoc est ibi esse
quod sapero; atque adeo eadem ibi sapientia est que
essentia Dei.

etam essentia divina sit in Filio , videtur quod essentia divina generetur .

3. Præterea . Idem est Deus , & essentia divina , ut ex supra dictis patet (quæst . 111 . artic . 3. & 4.) Sed hæc est vera , Deus generat Deum , sicut dictum est (artic . præc .) Ergo hæc est vera . Essentia generat essentiam .

4. Præterea . De quocumque prædicatur aliiquid , potest supponere pro illo . Sed essentia divina est Pater . Ergo essentia potest supponere pro persona Patris ; & sic essentia generat .

5. Præterea . Essentia est res generans , quia est Pater , qui est generans . Si igitur essentia non sit generans , erit essentia res generans ; & non generans : quod est impossibile .

6. Præterea . Augustinus dicit in IV . de Trinit . (cap . xx . declinando ad fin .) *Pater est principium totius Deitatis* (1) . Sed non est principium nisi generando , vel spirando . Ergo Pater generat , vel spirat Deitatem .

Sed contra est quod Augustinus dicit in I . de Trin . (cap . 1 . ante med .) quod *nulla res generat se ipsam* . Sed si essentia generat essentiam , non generat nisi se ipsam , cum nihil sit in Deo quod distinguitur a divina essentia . Ergo essentia non generat essentiam .

Respondeo dicendum , quod circa hoc eravit Abbas Joachim (2) afferens , quod sicut dicitur , Deus genuit Deum ; ita potest dici , quod essentia genuit essentiam : considerans quod propter divinam simplicitatem non est aliud Deus quam divina essentia .

Sed in hoc deceptus fuit , quia ad veritatem locutionum non solum oportet considerare res significatas , sed etiam modum significandi , ut dictum est (art . præc .) Licit

autem secundum rem sit idem Deus quod Deitas ; non tamen est idem modus significandi utrobique . Nam hoc nomen *Deus* , quia significat divinam essentiam ut in habente , ex modo suz significationis naturaliter habet quod possit supponere pro persona . Et sic ea quæ sunt propria personarum , possunt prædicari de hoc nomine *Deus* ; ut dicatur , quod Deus est genitus , vel generans , sicut dictum est (art . præc .) Sed hoc nomen *essentia* non habet ex modo suz significationis quod supponat pro persona ; quia significat essentiam ut formam abstractam . Et ideo ea quæ sunt propria personarum , quibus ab invicem distinguuntur , non possunt essentiaz attribui . Significaretur enim quod esset distinctio in essentia divina , sicut est distinctio in suppositis .

Ad primum ergo dicendum , quod ad exprimendam unitatem essentiaz , & personaz , sancti doctores aliquando expressius locuti sunt quam proprietates locutionis patiatur . Unde hujusmodi locutiones non sunt exteddæ , sed exponendæ , ut scilicet nomina abstracta exponantur per concreta , vel etiam per nomina personalia ; ut cum dicitur , *Essentia de essentia* , vel *sapiencia de sapientia* , sit *sensus* , *Filius* , qui est essentia , & *sapiencia* , est de *Patre* , qui est essentia , & *sapiencia* . In his tamen nominibus abstractis est quidam ordo attendendus : quia ea quæ pertinent ad actum , magis propinque se habent ad personas , quia actus sunt suppositorum . Unde minus impropria est ista , *Natura de natura* , vel *Sapientia de sapientia* , quam *Essentia de essentia* .

Ad secundum dicendum , quod in creaturis generatum non accipit naturam eamdem numero quam generans habet , sed aliam numero , quæ incipit in eo esse per generacionem

(1) Ubi notat ideo Christum cum de Spiritu sancto loqueretur , dixisse quem missam vobis a Pater (Joan . 15 . vers . 26 .) non autem e converso , quem misset Pater a me , sed in nomine meo tradidit ; quia vocis divinisatis (vel si melius dicitur deitatis) principium est Pater &c .

(2) Non tantum propter modum loquendi quo essentiam in abstracto genitam esse vel generare dicit , sed quia non aliam in Deo unitatem sive communitatem essentiaz agnovit , nisi similitudinariam , & collectivam , sicut multi fideles una Ecclesia dicuntur ; ac propterea Petrum Lombardum appellavit & hereticum & infanum , quia dixerat quod *summa quadam res est Pater , Filius & Spiritus sanctus & illa non est generans nec genita* (quasi quaternitatem admisisset) cum ipse Joachim vellet essentiam in

Patre generare , ac in Filio generari , quasi distinctam in utroque ut colligitur ex cap . *Dominus noster* , Extra de summa Trinitate & fide catholica vel cap . 2 . Concilii Lateranensis quod sub Innocentio III . habitum est , ubi satis aperte patet eo dum taxat sensu reprobari quod essentia vel generans vel genita sit , quo velut quartum quiddam a personis abstractum accipitur . Unde nihil hæc assertio habet commune cum dogmate Græcorum Patronum qui ex proprietate lingue sua sepius pro concretis abstracta usurpantes , interdum dicunt essentiam ab essentia generari : Tamecum modus ille loquendi , prout Latini in uso est , *cakouniesfus* esse possit , & pravo sensu explicari , ut Opusculo contra errores Græcorum cap . 4 . S . Thomas indicat .

nem de novo, & definit esse per corruptionem; & ideo generatur, & corruptitur per accidens: sed Deus genitus eamdem naturam numero accipit quam generans habet; & ideo natura divina in Filio non generatur neque per se, neque per accidens.

Ad tertium dicendum, quod licet Deus, & divina essentia sint idem secundum rem; tamen ratione alterius modi significandi, oportet loqui diversimode de utroque.

Ad quartum dicendum, quod essentia divina praedicatur de Patre per modum identitatis propter divinam simplicitatem; nec tamen sequitur quod possit supponere pro Patre propter diversum modum significandi. Ratio autem procederet in illis quorum unum praedicatur de altero, sicut universale de particulari (1).

Ad quintum dicendum, quod hæc est differentia inter nomina substantiva, & adjectiva, quia nomina substantiva ferunt suum suppositum, adjectiva vero non, sed rem significatam ponunt circa substantivum. Unde sophistæ dicunt, quod nomina substantiva supponunt, adjectiva vero non supponunt; sed copulant. Nomina igitur personalia substantiva possunt de essentia praedicari propter identitatem rei. Neque sequitur quod proprietas personalis (2) distinctam determinet essentiam. Sed ponitur circa suppositum importatum per nomen substantivum. Sed notionalia, & personalia adjectiva non possunt praedicari de essentia, nisi aliquo substantivo adjuncto. Unde non possumus dicere, quod essentia est generans; possumus tamen dicere, quod essentia est res generans, vel Deus generans, si res, & Deus supponant pro persona, non autem si supponant pro essentia. Unde non est contradictionis, si dicitur, quod essentia est res generans, & res non generans: quia primo res tenetur pro persona, secundo pro essentia (2).

Ad sextum dicendum, quod Deitas, in quantum est una in pluribus suppositis, habet quandam convenientiam cum forma nominis collectivi. Unde cum dicitur, Pater est principium totius Deitatis, potest sumi

peo universitate personarum, in quantum scilicet in omnibus personis divinis ipse est principium. Nec oportet quod sit principium sui ipsius, sicut aliquis de populo dicitur rector totius populi, non tamen sui ipsius (3). Vel potest dici, quod est principium totius Deitatis, non quia eam generet, & spiraret, sed quia eam generando, & spirando communiceat.

A P P E N D I X.

EX articulo habes *primo*: quomodo per rationem conteras hæresim *Abbatis Joachimi* dicentis, quod essentia generat essentiam, est genita, & procedens. Item hæresim *Raymundi Lulli* dicentis, quod essentia essentiat, idest, ut reor, eum intelligere, essentia generat, seu facit essentiam. Huc reducitur & illa hæresis *Trinitariorum*, qui ponit quodammodo vocem propriam confondens plures essentias in divinis, sic dicens: essentia divina eadem in Patre, & Filio, & Spiritu sancto: tamen, ut hæc essentia est in ratione formæ, una est in Patre, una est in Filio, licet non una in Spiritu sancto, & in huicmodi tamen forma est idem, quod divina essentia. Hæresis hæc, in quantum intricate loquens multas essentias, seu formas ponit in divinis, contradicit aperte proportioni *secunde* conclusionis, & consequenter conclusioni pro hac parte, & consequenter per rationem illam hic adductam destrui potest, dicendo, quod in divinis nulla est distinctio essentiarum supra art. 1. & 2. Ergo & illis articulis opponitur, & consequenter per illorum etiam rationes potest interimi. Contraponitur quoque alia de causa præsenti articulo in quantum ipsa concederet essentiam posse spirari, cum non sit, secundum ipsam, una in ratione formæ in Spiritu sancto. Habes ergo hinc, quomodo per rationem eam reicias multipliciter. *Secundo* habes: quomodo per rationem demonstres, prædictas tres, licet nominaliter etiam illani *Abbatis Joachimi*, fuisse merito damnatas ab *Innocentio* Papa in Concilio *Lateranensi*, extra de summa Trinitate & fide catholica. *Damnamus ergo & reproba-*

(1) Juxta regulam anteprädicamentalem ex Philosopho sumpt: m quod *cum alterum de altero ut de subiecto praedicatur, quidquid dicitur de predicato, dicitur de subiecto*. Ubi subiectum non pro subiecto inhesionis intelligitur, ut planum est, sed pro subiecto prædicationis categoricæ, sicut inferiora subjiciuntur superioribus; puta species generibus, vel

etiam individua speciebus.

(2) Ita est. Rom. & Petav. *Nicolaus* distincta.

(2) Contradictio quippe non est nisi affirmatio & negatio ejusdem de eodem secundum idem. Non est autem hic omnino idem secundum idem.

(3) Ut sit nimirum accommoda suppositio, quæ ipsius supponentem terminum non includat.

probamus libellum, quem Abbas Joachim edit contra magistrum Petrum Lombardum de unitate, seu essentia Trinitatis &c. In hoc libello, ut ait Dominus Franciscus Pegna super direct. Inquis. scholio primo partis prime, Abbas Joachim docebat essentiam divinam generare, & generari, spirare, & spirari. Contra quem errorem, ubi supra, Innocentius subdit: Nos autem sacro approbante concilio credimus, & confitemur, quod una quedam summa res est, videlicet, substantia, essentia, seu natura divina, quae res non est generans, neque genita, nec procedens: sed est Pater, qui generat, & Filius, qui gignitur, & Spiritus sanctus qui procedit. Ex hoc Innocentii decreto intellige pariter, quod essentia non spirat, sicut non est spirata, idest, procedens. Subinfert post multa ille sic. Si quis igitur sententiam, vel doctrinam prefati Joachim in hac parte defendere, vel approbare presumperit, tamquam haereticus ab omnibus evitetur. Ex hoc Papæ dicto disce tu universaliter, quod, tamquam haereticus habendus est, qui doctrinam aliquam ab Ecclesia Romana damnatam in fide defendere, vel approbare presumit. Item esse merito damnatam a Concilio 1. Tolos. c.21. de regulis fid. catholicæ quas ex precepto Leonis Papæ emiserunt, sic: Si quis dixerit, vel crediderit Deitatem nascibilem esse, anathema sit. Per ly Nascibilem concilium eriam intelligit spirabilem. Quasi dicat: Deitas, seu divina essentia non potest nasci, seu generari, non potest spirari. A simili ergo intelligas, quod essentia divina non generat ita, quod etiam non potest generare, neque spirat ita, quod etiam non potest spirare, sicut non generatur ita, quod nec potest generari, neque spiratur ita, quod nec potest spirari. Tertio vides &c.

Utrum persone possint praedicari de nominibus essentialibus.

I. dist. xlvi. quest. ii. art. 2. ad 5.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod personæ non possint praedicari de nominibus essentialibus concretis, ut dicatur, Deus est tres personæ, vel est Trinitas. Hæc enim est falsa, Homo est omnis homo (1), quia pro nullo suppositorum verificari potest. Neque enim Socrates est omnis homo, neque Plato, neque aliquis alius. Sed similiter ista, Deus est Trinitas, pro nullo suppositorum naturæ divinæ verificari potest. Neque enim Pater est Trinitas, neque Filius, neque Spiritus sanctus. Ergo hæc est falsa, Deus est Trinitas.

2. Præterea. Inferiora non praedicantur de suis superioribus nisi accidentaliter praedicatio, ut cum dico, Animal est homo; accedit enim animali esse hominem. Sed hoc nomen Deus se habet ad tres personas sicut commune ad inferiora, ut Damascenus dicit (Lib. III. orthod. Fid. cap. iv. circa princ.) Ergo videtur quod nomina personarum non possint praedicari de hoc nomine Deus nisi accidentaliter.

Sed contra est quod Augustinus dicit (in serm. 11. in coen. Dom.) (2). *Credimus, unum Deum unam esse divini nominis Trinitatem.*

Respondeo dicendum, quod, sicut jam dictum est (art. præc.) licet nomina personalia, vel notionalia adjectiva non possint praedicari de essentia, tamen substantiva possunt propter realem identitatem essentiæ, & personæ. Essentia autem divina non solum idem est realiter cum una persona, sed cum tribus. Unde & una persona, & duæ, & tres possunt de essentia praedicari; ut si dicamus, Essentia est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Et quia hoc nomen Deus per se habet quod supponat pro essentia, ut dictum

(1) Accipiendo prout sonat, secundum istam terminorum seriem, quasi nimirum *omnis homo* enuntietur de homine: Non autem transponendo constructionem quoad sensum, quasi dicatur *omnis homo esse homo*.

(2) Qui inscribitur *de fide recta*, non *de fide ad Petrum* sicut prius; Nam neque liber iste Augustini est, sed Fulgentii, neque verba haec habet: Un-

de in Manuscripto Exemplari notatur locus ut hic: Sed in impressis passim ut ex libro de fide; quamvis ad marginem corrigitur, quod in textu corrigi oportuit. In Duacensi tamen ad marginem additur quod etiam ex eo libro similia colligi possint 2. & 3. cap. Sed quid refert, si non eadem? nec sic notavit Manuscriptum?

dictum est (artic. 4. hujus quæst. ad 3.) Ideo sicut hæc est vera , Essentia est tres personæ ; ita hæc est vera , Deus est tres personæ .

Ad primum ergo dicendum , quod , sicut supra dictum est (ibid.) hoc nomen homo per se habet supponere pro persona , sed ex adjuncto habet quod stet pro natura communis : & ideo hæc est falsa , Homo est omnis homo , quia pro nullo supposito verificari potest . Sed hoc nomen Deus per se habet quod stet pro essentia : unde licet pro nullo suppositorum divinæ naturæ hæc sit vera , Deus est Trinitas ; est tamen vera pro essentia : quod non attendens Porretanus , eam negavit (1).

Ad secundum dicendum , quod cum dicuntur , Deus , vel divina essentia est Pater , est prædicatio per identitatem , non autem sicut inferioris de superiori : quia in divinis non est universale , & singulare . Unde sicut est per se ista , Pater est Deus ; ita & ista , Deus est Pater , & nullo modo per accidens .

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo : quomodo per rationem detur hæresim Raymundi Lulli . (Directorium inquisitorum secunda par. q. 9.) dicentis , quod personæ divinæ distinguuntur majori distinctione , quæ possit esse . Si enim veræ sunt (ut sunt) Deus est tres personæ , Deus est trinitas personarum , essentia divina est Pater , est Filius , est Spiritus sanctus , & est omnes simul , patet jam , quod personæ non distinguuntur majori distinctione , quæ possit esse . Secundo habes : quomodo per rationem demonstres , concilium Tolet. undecimum in pronunciatione publica fid. cathol. merito dixisse , *Recte dici potest unus Deus est Trin. & per hoc merito damnasse dictam Raymundi hæresim* . Idem potest demonstrari de Concilio Constantinopolitano sexto , actione undecima , dicente sic : *Trinitatem in unitate credimus , & in unitate Trinitatem glorificamus* . Idem & demonstrare potes de hymno sanctæ Ecclesiæ , ibi ,

(1) De illius errore jam dictum est ad quæst. 28. art. 2. Non sic tamen Bernardus refert sibi . 80. in Canti. sed ab eo negatum esse quod Deus sit veritas , bonitas , &c.

(2) Sic refertur equidem a Magistro Sententiarum lib. 4. dist. 13. prope finem , sed apud Hieronymum nihil expresse tale , ut jam antea notatum est qu. 31. art. 2. ad marginem .

Te fons salutis , Trinitas , Collaudet omnis spiritus. Notabis tamen vigilantissime , quod licet ista sit vera : Deus est Trinitas , ista nihilominus est falsa : Deitas est Trinitas . Unde Concilium Bracarense primum sub Honorio Pa-pa 1. Canon. 2. dicit sic : *Si quis nominis introducit dicens , quod divinitas sit Trinitas , sicut Gregorii , & Priscillianus dixerunt , anathema sit*. Tertio vides : quomodo ex his vicissim Anglicæ conclusio declaretur , & confirmetur .

A R T I C U L U S VII. 208

Utrum nomina essentialia sint approprianda personis .

I. dist. xxxi. quæst. 1. art. 2.

AD septimum sic proceditur . Videtur quod nomina essentialia non sint approprianda personis . Quod enim potest vertere in errorem fidei , vitandum est in divinis : quia , ut Hieronymus dicit (refertur a Magist. Sent. Lib. IV. dist. xiiii. in fin. sed in Hieronymo nullibi occurrit :) (2) Ex verbis inordinate prolatis incurritur heresis . Sed ea quæ sunt communia tribus personis , appropriare alicui , potest vergere in errorem fidei : quia potest intelligi quod vel illi tantum personæ convenientia cui appropriantur , vel quod magis convenientia ei quam aliis . Ergo Essentialia attributa non sunt approprianda personis .

2. Præterea . Essentialia attributa in abstracto significata significant per modum formæ . Sed una persona non se habet ad aliam ut forma , cum forma ab eo cuius est forma , supposito non distinguatur (3) . Ergo essentialia attributa maxime in abstracto significata non debent appropriari personis .

3. Præterea . Proprium prius est appropriato : proprium enim est de ratione appropriati . Sed essentialia attributa secundum modum intelligendi sunt priora personis , sicut commune est prius proprio . Ergo essentialia attributa non debent esse (*) appropriata .

Sed contra est quod Apostolus dicit I. Corin-th.

(3) Vel transposita constructione , non distinguuntur supposito ab eo cuius est forma : Id est suppositalem distinctionem non habeat , cum pertinet ad idem suppositum forma & id cuius est forma : ne quis contruat ab eo supposito cuius est forma .

(*) Ita cod. Alcan. cum edit. Rom. & Parav. At MS. Camer. Theologi Levenenses & Duacens , & Nicolaius appropriata personis .

quest. i. 24. *Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.*

Respondeo dicendum, quod ad manifestacionem fidei conveniens sunt essentialia attributa personis appropriati (1). Licet enim Trinitas personarum demonstratione probari non possit, ut supra dictum est (quæst. xxxii. art. i.) convenit tamen ut per aliqua magis manifesta declaretur. Essentialia vero attributa sunt nobis magis manifesta secundum rationem quam propria personarum: quia ex creaturis, ex quibus cognitionem accipimus, possumus per certitudinem devenire in cognitionem essentialium attributorum, non autem in cognitionem personalium proprietatum, ut supra dictum est (ibidem). Sicut igitur similitudine vestigii, vel imaginis in creaturis inventa (2) utimur ad manifestationem divinarum personarum, ita & essentialibus attributis. Et hæc manifestatio personarum per essentialia attributa appropriatio nominatur.

Possunt autem manifestari personæ divinæ per essentialia attributa dupliciter. Uno modo per viam similitudinis, sicut ea quæ pertinent ad intellectum, appropriantur Filio, qui procedit per modum intellectus ut verbum (3). Alio modo per modum dissimilitudinis, sicut potentia appropriatur Patri, ut Augustinus dicit, quia apud nos patres solent esse propter senectutem infirmi, ne tale aliquid suspicemur in Deo.

Ad primum ergo dicendum, quod essentialia attributa non sic appropriantur personis ut eis esse propria afferantur, sed ad manifestandum personas per viam similitudinis, vel dissimilitudinis, ut dictum est (in corp. art.) Unde nullus error fidei sequitur, sed magis manifestatio veritatis.

Ad secundum, dicendum, quod si sic appropriarentur essentialia attributa personis quod essent eis propria, sequeretur quod una persona se haberet ad aliam in habitudine forma: quod excludit Augustinus in VI. de Trinit. (cap. ii.) ostendens, quod Pater non est sapientia quam genuit, quasi solus

Summ. S.Th. T.I.

(1) Sive ita singulariter applicari ac si propria essent, propter quamdam conformitatem cum propriis; prout accipiuntur ut in Deo; sed per dissimilitudinem, prout accipiuntur ut communia creaturis.

(2) Vestigii quoad irrationales creaturas: vel imaginis quoad rationales, ut infra suo loco.

(3) Non tantum, sed bonitas Spiritui sancto qui procedit per modum voluntatis ut amor; & potentia Patri, qui a nullo procedit, & est a quo aliis

Filius sit sapientia; ut sic Pater, & Filius simul tantum possint dici sapientia, non autem Pater sine Filio. Sed Filius dicitur sapientia Patris, quia est sapientia de Patre sapientia. Uterque enim per se est sapientia, & simul ambo una sapientia. Unde Pater non est sapiens sapientia quam genuit, sed sapientia quæ est sua essentia.

Ad tertium dicendum, quod licet essentialie attributum secundum rationem propriam sit prius quam persona secundum modum intelligendi; tamen, in quantum habet rationem appropriati, nihil prohibet proprium personæ esse prius quam appropriatum: sicut color posterior est corpore, in quantum est corpus; prius tamen est naturaliter corpore albo, in quantum est album.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte factum ab Apostolo, dum i. Cor. i. *Christum* vocat *Dei virtutem, & Dei sapientiam*, essentialia attributa (scilicet virtutem divinam, & sapientiam) appropriando filio. Quod autem dico de Apostolo, extendas tu ad alia loca scripturarum (quod semper debes observare) si qua sunt similia. Secundo habes: quomodo per rationem id Apostoli dictum, atque hujusmodi catholice intelligas, atque defendas. Tertio vides: quomodo ex his vicissim Anglicana conclusio declaretur, & confirmetur.

A R T I C U L U S VIII. 209

Utrum convenienter a sacris doctoribus sine essentialia personis attributa.

- I. dist. ii. quest. unic. artic. 3. & dist. iii.
quest. iii. artic. i. & dist. xxxiv.
quest. ii. art. unico.

AD octavum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter a sacris doctoribus sint essentialia personis attributa. Dicit enim Hilarius

Zz

larius

duo procedunt, ut principium deiatis: Nec potestia tantum Patri per dissimilitudinem appropriatur quia patres apud nos infirmi sunt; sed sapientia Filio, quia filii ob etatem sapientia carent; & bonitas etiam Spiritui sancto, quia nomen spiritus vehementiam quamdam dicit, ut bi omnes defectus a personis divinis excludantur; sicut Magister notat lib. 1. dist. 34. & art. sequenti patet.

larius in *ff.* de Trinit. (paulo post princ.) *Aeternitas est in Patre , species in imagine , usus in munere . In quibus verbis ponit tria nomina propria personarum , scilicet nomen *Patris* , & nomen *imaginis* , quod est proprium Filio , ut supra dictum est (quest. xxxv. art. 2.) (1) & nomen *muneris* , sive donum , quod est proprium Spiritus sancti , ut supra habitum est (quest. xxxviii. art. 2.) Ponit etiam tria appropriata . Nam *aeternitatem appropriat Patri , speciem Filio , usum Spiritui sancto* . Et videtur quod irrationaliter . Nam *aeternitas importat durationem essendi , species vero est essendi principium , usus vero ad operationem pertinere videtur* . Sed *essentia , & operatio nulli personae appropriari inveniuntur* . Ergo inconvenienter videntur ista appropriata personis .*

2. Præterea . Augustinus in I. de doctr. christ. (cap. v. in fin.) sic dicit : *In Patre unitas , in Filio aequalitas , in Spiritu sancto aequalitatis , unitatisque concordia* . Et videtur quod inconvenienter . Quia una persona non denominatur formaliter per id quod appropriatur alteri : non enim est sapiens Pater sapientia genita , ut dictum est (art. præc. ad 2. & quest. xxxviii. art. 2. arg. 1.) (2) . Sed , sicut ibidem subditur , *Tria haec omniū unum sunt propter Patrem , aequalia omnia propter Filium , connexa omnia propter Spiritum sanctum* . Non ergo convenienter appropriantur personis .

3. Item . Secundum Augustinum Patri attribuitur *potentia* , *Filio sapientia* , *Spiritu sancto bonitas* . Et videtur hoc esse inconveniens . Nam virtus ad potentiam pertinet . Virtus autem invenitur appropriari Filio , secundum illud I. ad Corinth. 7. 24. *Christum Dei virtutem* : & etiam Spiritui sancto , secundum illud Luc. vi. 19. (3) . *Virtus de illo exhibet , & sanabat omnes* . Non ergo potentia Patri est approprianda .

4. Item Augustinus in Lib. VI. de Trinit. (cap. x. in fine) dicit : *Non confuse accipiendum est , quod ait Apostolus : Ex ipso , & per ipsum , & in ipso . Ex ipso dicunt , propter Patrem . Per ipsum , propter Filium . In ipso , propter Spiritum sanctum* . Sed videatur quod inconvenienter . Quia per hoc quod dicit *in ipso* , videtur importari habitudo causæ finalis , quæ est prima causarum . Ergo ista habitudo causæ deberet appropriari Patri , qui est principium non de principio .

5. Item . Invenitur *veritas* appropriari Filio secundum illud Joagn. xiv. 6. *Ego sum via , veritas , & vita* : & similiter liber vite , secundum illud Psalm. xxxix. 9. *In capite libri scriptum est me* : Glossa (ordinat.) , idest apud Patrem , qui est caput „ meum : “ (4) & similiter hoc quod dico , qui est : quia super illud Isa. lxx. 1. *Ecce ego ad gentes* , dicit Glossa (interl.) , *Filius loquitur , qui dixit Moysi : Ego sum qui sum* . “ Sed videtur quod propria sint Filii , & non appropriata . Nam *veritas* secundum Augustinum in Lib. de vera religione (cap. xxxvi. circa med.) est *summa similitudo principii absque omni dissimilitudine* . Et sic videtur quod proprie conveniat Filio , qui habet principium . *Liber* etiam *vite* videtur proprium aliquid esse , quia significat ens ab alio : omnis enim liber ab aliquo scribitur . Hoc etiam ipsum qui est videtur esse proprium Filio : quia si cum Moysi dicitur , *Ego sum qui sum* , loquitur Trinitas : ergo Moyses poterat dicere : Ille qui est Pater , & Filius , & Spiritus sanctus , misit me ad vos . Ergo & ulterius dicere poterat : Ille qui est Pater , & Filius , & Spiritus sanctus , misit me ad vos , demonstrando certam personam . Hoc autem est falsum , quia nulla persona est Pater , & Filius , & Spiritus sanctus (5) . Non ergo potest esse commune Trinitati , sed est proprium Filii . Re-

(1) Ubi notatum quoque eur latine *imago de alio quam de Filio dici non posse in divinis , tametsi esse eius* Spiritui sancto tribuatur ; quia expressio nem ex alio non significat sed assimilationem solam ; cum imago ab imitando dicta expressionem significet .

(2) Ex Augustini verbis lib. 7. de Trinit. cap. 1.

(3) Quidni potius Luc. 1. *Ei virtus altissimi obumbrabit eibi ? cum procedat , Spiritus sanctus supervenient in te ; ac deinde mor , Et virtus &c.* Nam illa plene virtus que de Christo exhibat quid ad Spiritum sanctum ? Nisi languores in spiritu Dei sic sanasse intelligatur , sicut & ejicere daemonia dicitur in spiritu Dei , Luc. 12. & Matth. 12. Vel ad illud etiam alludatur quod Luc. 4. de se dicit ; *Spi-*

ritus Domini super me ; propter quod annis me , & misit me sanare &c.

(4) Colligitur ex Beda in hunc locum ; ubi ad hoc referri notat quod *epus Christi Deus* 1. ad Corinth 15. vers. 3. Proxime autem sequens glossa colligitur ex Hieronymo in Isaiam id ad Christi adventum referente .

(5) Collecte loquendo ; vel tres illos accipiendo unum & conjunctum ; ita ut nempe Pater & Filius & Spiritus sanctus in eamdem personam convenire intelligentur , qui Sabellii error fuit , solam omnium inter illos distinctionem agnoscentes , non personalem & realam ; ut iam notatum suo loco .

Respondeo dicendum, quod intellectus noster, qui ex creaturis in Dei cognitionem manuducitur (1), oportet quod Deum consideret secundum modum quem ex creaturis assumit. In consideratione autem alicujus creaturæ quatuor per ordinem nobis occurserunt. Nam primo consideratur res ipsa absolute, in quantum est ens quoddam. Secunda autem consideratio rei est, in quantum est una. Tertia consideratio rei est, secundum quod inest ei virtus ad operandum, & ad causandum. Quarta autem consideratio est secundum habitudinem quam habet ad causata. Unde hæc etiam quadruplex consideratio circa Deum nobis occurrit.

Secundum igitur primam considerationem, quia consideratur absolute Deus secundum esse suum, sic sumitur appropriatio Hilarii, secundum quam *eternitas* appropriatur Patri, *species* Filio, *usus* Spiritui sancto. *Eternitas* enim, in quantum significat esse non principiatum, similitudinem habet cum proprio Patris, qui est principium non de principio; *species* autem, sive pulchritudo habet similitudinem cum propriis Filii. Nam ad pulchritudinem tria requiruntur. Primo quidem *integritas* (2), sive *perfectio*, quæ enim diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt; & debita proportio, sive consonantia; & iterum claritas, unde quæ habent colorem nitidum, pulchra esse dicuntur.

Quantum igitur ad primum, similitudinem habet cum proprio Filii, in quantum est Filius habens in se vere & perfecte naturam Patris. Unde ad hoc innuendum Augustinus in sua expositione (Lib. VI. de Trinit. cap. x. paulo a princ.) dicit: *Ubi scilicet in Filio, summa, & perfecta vita est* Or.

Quantum vero ad secundum, convenit cum proprio Filii, in quantum est *imago expressa* Patris. Unde videmus quod aliqua *imago* dicitur esse pulchra, si perfecte representat rem, quamvis turpem. Et hoc

tetigit Augustinus (loco nunc proxime cit.) cum dicit: *Ubi est tanta convenientia, & prima equalitas* &c.

Quantum vero ad tertium, convenit cum proprio Filii, in quantum est Verbum, quod quidem *lux* est, & *splendor intellectus*, ut Damascenus dicit (Lib. I. cap. xviii. param ant. med.) Et hoc tangit Augustinus (loc. nunc proxime dicto) cum dicit: *Tamquam verbum perfectum, cui non deficit aliquid, & ars quedam omnipotentis Dei* &c.

Ufus autem habet similitudinem cum propriis Spiritus sancti, largo modo accipiendo usum, secundum quod *uri* comprehendit sub se etiam *frui*, prout *uri* est assumere aliquid in facultatem voluntatis, & *frui* est cum gaudio uti, ut Augustinus X. de Trinit. (cap. xi. ante med.) dicit (3). *Ufus ergo quo Pater, & Filius se invicem fruuntur, convenient cum proprio Spiritus sancti, in quantum est amor.* Et hoc est quod Augustinus dicit (Lib. VI. de Trinit. cap. x. in med.) (4) *Illa dilectio, delectatio, felicitas, vel beatitudo, usus ab illo appellatus est.* *Ufus vero, (5) quo nos fruimur Deo, similitudinem habet cum proprio Spiritus sancti, in quantum est donum:* & hoc ostendit Augustinus (ibid.) cum dicit *Est in Trinitate Spiritus sanctus genitoris, genitique suavitatis, ingenti largitate, atque ubertate nos, vel creaturas perfundens.* (5) *Et sic pater quare eternitas, species, & usus personis attribuantur, vel approprientur, non autem essentia, vel operatio: quia in ratione horum, propter sui communitatem, non invenitur aliquid similitudinem habens cum propriis personarum.*

Secunda vero consideratio Dei est, in quantum consideratur ut unus: & sic Augustinus (Lib. I. de doctrin. chr. cap. v. in fin.) Patri appropriat unitatem, Filio *equalitatem*, Spiritui Sancto *concordiam*, sive *connexione*. Quæ quidem tria unitatem importare manifestum est, sed differenter. Nam *unitas* dici-

Z z 2 tuc

(1) Hinc Augustinus lib. 6. de Tria. versus finem; *Oportet (inquit) ut creatorum per ea que facta sunt intellectum consipientes, Trinitatem intelligamus, cujus in creatura quando dignum est, apparet vestigium: Etsi hoc vestigium interpretatur tantum quia omnia unitatem quendam, speciem, & ordinem offendunt.*

(2) Loco integratatis ponit magnitudinem S. Thomas lib. I. Sent. dist. 31. qu. 3. art. X. ex Eth. 4. cap. 7. vel 8. Sed ad magnitudinem referri potest integratitas, quæ vera non est & perfecta nisi sit proportionata magnitudo: Cetera autem duo Dionysius insinuat in libro de div. nom. cap. 4. cum ait Deum

esse causam cuiuslibet pulchritudinis in quantum est omnis confoantia, (sive proportionis) & claritatis causa.

(3) *Ubi & de gaudio rei non de gaudio spes hoc explicat.*

(4) *Ita codd Alcan. & Camer. edib omittunt Deo.*

(5) Nempe ab Hilario cuius verba expresse ibi explicare se profitetur.

(6) *Vel sic tantum, ingenti largitate atque ubertate perfundens omnes creaturas pro capitu eorum, ut ordinem suum tenent, & suis locis aquietescant.* Sed hoc maxime ad nos præ ceteris pertinet.

tur absolute , non præsupponens aliquid aliud : & ideo appropriatur Patri , qui non præsupponit aliquam personam , cum sit principium non de principio . *Aequalitas* autem importat unitatem in respectu ad alterum : (1) nam æquale est quod habet unam quantitatem cum alio : & ideo æqualitas appropriatur Filio , qui est principium de principio . *Connexio* autem importat unitatem aliquorum duorum : unde appropriatur Spiritui sancto , in quantum est a duobus : ex quo sensu etiam intelligi potest quod dicit Augustinus (loc. nunc proxime cit.) *Tria esse unum propter Patrem , equalia propter Filium , connexa propter Spiritum sanctum* . Manifestum est enim quod illi attribuitur unumquodque in quo primo invenitur ; sicut omnia inferiora dicuntur vivere propter animam vegetabilem , in qua primo invenitur ratio vitæ in istis inferioribus . *Unitas* autem statim invenitur in persona Patris , etiam per impossibile remotis aliis personis (2) . Et ideo aliae personæ a Patre habent unitatem ; sed remotis aliis personis , non invenitur æqualitas in Patre ; sed statim posito Filio inventur æqualitas . Et ideo dicuntur omnia æqualia propter Filium , non quod Filius sit principium æqualitatis Patris , sed quia , nisi esset Patri æqualis Filius , Pater æqualis non posset dici : æqualitas enim ejus primo consideratur ad Filium . Hoc enim ipsum quod Spiritus sanctus Patri æqualis est , a Filio habet (3) . Similiter , excluso Spiritu sancto , qui est duorum nexus , non posset intelligi unitas *connexionis* inter Patrem & Filium : & ideo dicuntur omnia esse *connexa* propter Spiritum sanctum : quia posito Spiritu sancto , invenitur ratio *connexionis* in divinis personis , (*) unde Pater , & Filius possint dici *connexi* .

Secundum vero tertiam considerationem ,

qua in Deo sufficiens virtus consideratur ad causandum , dicitur sumi *tertia* appropriatio , scilicet *potentia* , *sapientia* , & *bonitas* . Quæ quidem appropriatio fit & secundum rationem similitudinis , si consideretur quod in divinis personis est ; (4) & secundum rationem dissimilitudinis , si consideretur quod in creaturis est . *Potentia* enim habet rationem principi , unde habet similitudinem cum Patre cœlesti , qui est principium totius Divinitatis . Deficit autem interdum patri terreno propter senectutem . *Sapientia* vero similitudinem habet cum Filio cœlesti , in quantum est verbum , quod nihil aliud est quam conceptus sapientie . Deficit autem interdum filio terreno propter temporis paucitatem . *Bonitas* autem , cum sit ratio , & objectum amoris , habet similitudinem cum Spiritu divino , qui est amor ; sed repugnantiam habere videtur ad spiritum terrenum , secundum quod importat violentiam quamdam , & impulsionem , prout dicitur Isa . xxv . 4 . *Spiritus robustorum quasi turbo impellens parietem* . *Virtus* autem appropriatur Filio & Spiritui sancto , non secundum quod virtus dicitur ipsa potentia rei , sed secundum quod interdum virtus , dicitur id quod a potentia rei procedit , prout dicimus aliquod virtuosum factum , (5) esse virtutem alicujus agentis .

Secundum vero quartam considerationem prout consideratur Deus in habitudine ad suos effectus , sumitur illa appropriatio , *ex quo , per quem , & in quo* . Hæc enim præpositio *ex* importat habitudinem quamdam cause materialis , quæ locum non habet in divinis : aliquando vero habitudinem cause efficientis , quæ quidem competit Deo ratione sua potentie activæ : unde & appropriatur Patri , sicut & potentia . Hæc vero præpositio *per* designat quidem quandoque causam medium , (6) sicut dicimus , quod faber opera-

(1) Quia scilicet est duorum a se invicem distinctorum *tres* differentium una quantitas : *Molis* quidem in corporibus , ubi proprie appellatur : *Virtus* autem vel dignitas in spiritualibus naturis , ubi metaphorice usurpatur .

(2) Ideo etiam per hypothesis impossibilem nullæ aliae in divinis personæ dari supponeruntur &c.

(3) Sive , quia procedit a Filio sicut a Patre , nec esset plane nisi ab illo procederet : Sive , quia cognitioni ex qua Filius ipse procedit , commensuratur amor ex quo procedit Spiritus sanctus .

(*) *Isa codd. citasi , aliisque . In editis premisso puncto . Unde Pater , & Filius possunt dici connexi .*

(4) Vel si considerentur attributa quæ convenire Deo proprie possunt , nec transiunguntur a creaturis

ut illius naturam symbolice *tres* metaphoris significant ; ut quod *sapiens* appellatur , quod *bonus* &c. Per oppositum ad alia quæ propria sunt creaturatum & quæ a Deo removentur propter imperfectionem quam important .

(5) Pro fortis facinore acceptum prout *virus* physique usurpat & potentiam significat ; *Quamvis* & *virtuosum* dici *foles* morali senti probum aliquod opus & honestum ; Sed neutro modo satis latina phras .

(6) Nempe causam quæ inter agens principale seu primarium , & inter ejus effectum intercedit ; quasi principialis agentis actionem , efficaciam , & virtutem deferens ad effectum .

operatur per mattellum . Et sic ly per quandoque non est appropriatum , sed proprium Filii , secundum illud Joan . 1. 3. *Omnia per ipsum facta sunt* , non quia Filius sit instrumentum , sed quia ipse est principium de principio . Quandoque vero designat habitudinem formæ , per quam agens operatur , sicut dicimus , quod artifex operatur per artem : unde sicut sapientia , & ars appropriantur Filio , ita & ly per quem . Hæc vero præpositum in denotat proprie habitudinem continentis . Continet autem Deus res duplice . Uno modo secundum suas similitudines , (1) prout scilicet res dicuntur esse in Deo , in quantum sunt in ejus scientia : & sic hoc quod dico in ipso , esset appropriatum Filio . Alio vero modo continentur res a Deo , in quantum Deus sua bonitate eas conservat , & gubernat , ad finem convenientem adducendo . Et sic ly in quo appropriatur Spiritui sancto , sicut & bonitas . Nec oportet quod habitudo causæ finalis , quamvis sit prima causarum , approprietur Patri , qui est principium non de principio : quia persona divinæ , quarum Pater est principium , non procedunt ut ad finem , cum quilibet illarum sit ultimus finis ; (2) sed naturali processione , quæ magis ad rationem naturalis potentiarum pertinere videtur .

Ad illud vero quod de aliis quæritur , dicendum , quod cum veritas pertineat ad intellectum , ut supra dictum est (quæst . xvi . art . 1.) appropriatur Filio , non tamen est proprium ejus . Quia veritas , ut supra dictum est (ibid .) considerari potest prout est in intellectu , vel prout est in re . Sicut igitur intellectus , & res essentialiter sumpta sunt essentialia , & non personalia , ita & veritas . Definitio autem Augustini inducta datur de veritate , secundum quod appropriatur Filio . Liber autem virtus in recto quidem importat notitiam , sed in obliquo vitam . Est enim , ut

supra dictum est (quæst . xxiv . art . 1.) notitia Dei de his qui habituri sunt vitam æternam . Unde appropriatur Filio , licet vita approprietur Spiritui sancto , (3) in quantum importat quemdam interiore motum ; & sic convenit cum proprio Spiritus sancti , in quantum est amor . Etiam autem scriptum ab alio non est de ratione libri , in quantum est liber , sed in quantum est quoddam artificialium . Unde non importat originem , neque est persona , sed appropriatur personæ . Ipsum autem nomen qui est appropriatur personæ Filii , non secundum propriam rationem , sed ratione adjuncti , in quantum scilicet in locutione Dei ad Moysen præfigurabatur liberatio humani generis , quæ facta est per Filiū (4) . Sed tamen , secundum quod ly qui sumitur relative , posset referri interdum ad personam Filii ; & sic sumeretur personaliter ; ut puta si dicatur , Filius est genitus , qui est ; sicut & Deus genitus personale est , sed infinite sumptum est essentiale . Et licet hoc pronomen iste grammaticè loquendo , ad aliquam certam personam videatur pertinere : tamen qualibet res demonstrabilis , grammaticè loquendo , persona dici potest , licet secundum rei naturam non sit persona : dicimus enim , Iste lapis , & Iste asinus . Unde & grammaticè loquendo , essentia divina , secundum quod significatur , & supponitur per hoc nomen Deus , potest demonstrari hoc pronomine iste , secundum illud Exod . xv . 2. *Iste Deus meus , & glorificabo eum .*

A P P E N D I X .

EX art . habes primo : quomodo per rationem interimas hæretum Petri Abylardi (S. Ber. in epistola ad Innocentium secundum Papam , & in ordine epistolarum suarum 199.) blaterantis , quod potentia Patri , sa-

pien-

(1) Objective non formaliter : Nec enim Deus per ipsas rerum similitudines intelligere illas dicitur , sed solummodo per essentialiam suam : licet in illas objective feratur .

(2) Eo modo scilicet quo quilibet est Deus : Ita ut non præcise quatenus perforce sunt , ultimus finis dici possint (quia sic effert plures ultimi fines juxta pluralitatem personarum) sed quatenus in effectu una divinitatis convenient ; adeoque sunt unus finis .

(3) Inde spiritus vita dictus Ezech . 1. vers . 20. Sic enim ibi spiritum visa qui dicitur in rotis esse atque impetu quodam eas rapete , symbolice interpretatur Hieronymus & ad Spiritum sanctum refert ,

spirituales mentes pro arbitrio quocumque vult mouentes &c.

(4) Sic enim Gregorius lib . 28. Moral . cap . 2. post medium expendens verba illa ; Moysen (inquit) per successum rubrum alloquens quid aliud ostendis nisi quod ex illo populo exires qui in igne destratis cornis nostra dolores quasi rubi spinas susciperet , & inconsuptione humanitatis nostra subflammam etiam in ipsa divinitatis flamma seruares ? Ut & non diffinili sensu Ambrosius lib . de Filii divinitate cap . 8. *Dei filius* (inquit) *Moysi in rubo in flamma ignis apparuit , ut Ioseph credensibus , & incredulis judicium demonstraret : quia Chrysostomus credensibus fatus est , non credensibus paucus &c.*

plentia Filio, bonitas, seu benignitas Spiritus sancto non sunt appropriata, sed propria. **A** simili videtur dici posse de aliis appropriatis in *prima*, *secunda*, & *quarta*, conclusionibus, quod scilicet, secundum eum erant propria, non appropriata, & argumenta textus faciunt pro parte haeresis hujus (sicut etiam argumenta aliorum articulorum heresi alicui oppositorum) solutiones autem illis abunde respondentibus stant pro parte Catholica. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, & Doctores illa merito vocasse appropriata, & haeresim illam merito fuisse damnatam a sacra scriptura in multis locis. Dum enim illa prædicata esse communia omnibus personis divinis monstrat, profecto nihil horum esse alicui proprium designat, quoniam proprium illud est, quod uni soli convenit. Damnat ergo scriptura sancta illos, qui dicunt potentiam esse proprium Patri, ubi de Filio ait Joan. primo: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil;* & Hebr. i. *Qui cum sit splendor, & figura substancialis Patris, portansque omnia verbo virtutis sue;* (idest imperio suo, secundum glos.) & Joan. 5. *quaecumque Pater fecerit, hec & Filius similiter* (idest eadem potentia secundum glos.) facit: *sicut Pater suscitat mortuos, & vivificat, sic & Filius, quod vult vivificat:* & Sapientia decimo octavo omnipotens sermo tuus Domine a regalibus sedibus venit: Ecce, quod & potentia, & omnipotentia convenit sermoni Dei, verbo Dei, seu Filio Dei. Spiritui sancto item potentia tribuitur a psalm. 32. *Verbo Domini celi firmati sunt, & spiritu oris ejus* (idest Spiritu sancto, secundum August. (*Fulgentium*) a simili in lib. de fid. ad Petrum, cap. 8.) *omnis virtus eorum.* Ad creationem enim, de qua ibi, & Gen. i. *spiritus Domini cerebatur super aquas,* requiritur potentia infinita, cum sit ex nihilo. Nonne 1/a. 11. *Spiritus sanctus dicitur Spiritus fortitudinis, & sapientiae?* Nonne Rom. 16. Deus pater sapiens dicitur sic: *Cogniti soli sapienti Deo per Jesum Christum?* Nec potentia igitur Patri, nec sapientia Filio est propria. Sed nec benignitas est propria Spiritui sancto, quoniam & Pater Domini nostri Jesu, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis 1. Cor. 1. dicitur & ad Titum 3. legis: *apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei.* Multis ex locis aliis habetur, quod hujusmodi non sunt alicui propria, sed sufficit (ut semper intendimus) pro necessitate tantum loqui, ac alios per hoc excitare ad largius

operandum in vinea Domini. Non tacebo tamen alias adductum semper in tali materia memorandum axioma in Concilio Florent. sancitum, quod *in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Quis autem nesciat, quod inter potentiam, sapientiam, bonitatem, aliaque omnia per conclusiones supra dictas, non adest relationis oppositio? Ergo sicut omnes tres personæ sunt omnipotentes (ut habes ext. de summ. Trin. & fid. carib. firmiter) ita omnes tres sunt consapientes, & conbenignæ. **T**ertio videre potes: quomodo &c.

Q U E S T I O X L .

De Personis in comparatione ad relationes, sive proprietates,

In quatuor articulos divisa.

DEinde queritur de personis in comparatione ad relationes, sive proprietates: & queruntur quatuor.

Primo, utrum relatio sit idem quod persona.

Secundo, utrum relationes distinguant, & constituant personas.

Tertio, utrum abstractis per intellectum relationibus a personis, remaneant hypostases distinctæ.

Quarto, utrum relationes secundum intellectum presupponant actus personarum, vel e converso.

A R T I C U L U S I . 210

Utrum relatio sit idem quod persona.

q. dist. xxvi. quest. ii. artic. 1. & dist. xxxiii. art. 2. & op. ii. cap. lxviii. lxvi. & lxviii.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod in divinis non sit idem relatio quod persona. Quicumque enim sunt idem, multiplicato uno eorum, multiplicatur & aliud. Sed contingit in una persona esse plures relationes, sicut in persona Patris & paternitas, & communis spiratio; & iterum unam relationem in duabus personis esse sicut communis spiratio est in Patre, & Filio. Ergo relatio non est idem quod persona.

2. Præterea. Nihil est in se ipso secundum Philosophum in IV. Physic. (tex. 24. & folio

*S*ubseq.) (1) Sed relatio est in persona : nec potest dici, quod ratione identitatis, quia sic esset etiam in essentia. Ergo relatio, sive proprietas, & persona non sunt idem in divinis.

3. Præterea. Quæcumque sunt idem, ita se habent, quod quidquid prædicatur de uno, prædicatur & de alio. Non autem quidquid prædicatur de persona, prædicatur de proprietate: dicimus enim, quod Pater generat, sed non dicimus, quod paternitas sit generans. Ergo proprietas non est idem quod persona in divinis.

Sed contra. In divinis non differunt quod est, & quo est, ut habetur a Boetio in Lib. de hebdom. (post med.) (2) Sed Pater paternitas est Pater. Ergo Pater idem est quod paternitas, & eadem ratione alias proprietates idem sunt cum personis.

Respondeo dicendum, quod circa hoc aliqui diversimode opinati sunt. Quidam enim dixerunt, proprietates neque esse personas, neque in personis. Qui fuerunt morti ex modo significandi relationum, quæ quidem non significant ut in aliquo, sed magis ut ad aliiquid. Unde dixerunt, relationes esse assistentes, sicut supra expositum est (quæst. xxvii. art. 2.) Sed quia relatio, secundum quod est quadam res in divinis, (*) est ipsa divina essentia, essentia autem idem est quod persona, ut ex dictis paret (quæst. præc. art. 1.) oportet quod (**) relatio sit idem quod persona.

Hanc igitur identitatem alii considerantes dixerunt, proprietates quidem esse personas, non autem in personis; quia non ponebant proprietates in divinis nisi secundum modum locupendi, ut supra dictum est (quæst. xxxi. art. 2.) Necesse est autem ponere proprietates in divinis, ut supra ostendimus (ibid.)

quæ quidem significatur in abstracto ut quædam formæ personarum. Unde cum de ratione formæ sit quod sit in eo cuius est forma, oportet dicere, proprietates esse in personis, & eas tamen esse personas; sicut essentiam esse in Deo dicimus, quæ tamen est Deus.

Ad primum ergo dicendum, quod persona, & proprietas sunt idem re, differunt tamen secundum rationem. Unde non oportet quod multiplicato uno multiplicetur reliquum. Considerandum tamen est, quod propter divinam simplicitatem consideratur duplex realis identitas in divinis eorum quæ differunt in rebus creatis. Quia enim divina simplicitas excludit compositionem formæ, & materiæ, sequitur quod in divinis idem est abstractum, & concretum, ut Deitas, & Deus. Quia vero divina simplicitas excludit compositionem subjecti & accidentis, sequitur quod quidquid attribuitur Deo, est ejus essentia: & propter hoc sapientia, & virtus idem sunt in Deo, quia ambo sunt in divina essentia. Et secundum hanc duplē rationem identitatis proprietas in divinis est idem cum persona. Nam proprietates personales sunt idem cum personis ea ratione quæ abstractum est idem cum concreto: sunt enim ipsæ personæ subsistentes, ut paternitas est ipse Pater, & filiatio Filius, & processio Spiritus sanctus. Proprietates autem non personales sunt idem cum personis secundum aliam rationem identitatis, quia ratione illud quod attributum Deo, est ejus essentia. Sic igitur communis spiratio est idem cum persona Patris, & cum persona Filii, non quod sit una persona per se subsistens; sed sicut una essentia est in duabus personis, ita & una proprietas (3), ut supra dictum est (quæst. xxx. art. 2.)

(1) Ubi nemp̄ dicitur text. 24. *Dubitabitis aliusquis, utrum quidpiam in seipso contingat esse aut non sit.* Et subiungitur quod secundum se saltem non possit esse in seipso sicut vinum in vino.

(2) Sive libet, *An omne quod est, bonum sit;* cuius initium est, Postulas ut ex hebdomadiis nostris &c. Äquivalenter autem tantum non expressa habetur sub his verbis quod inde refert S Thomas: Nam primo quidem proposit. 2. Diversum est esse (inquit) & id quod est: ipsum enim esse nondum est. Et mox, proposit. 3. Quod est participare aliquo potest: *Sed ipsum esse nullo modo aliquo participans:* Et proposit. 4. id quod est, habere aliquid praesupponit quod ipsum est, potest: ipsum vero esse nihil aliud præter se habet admixtum: Et proposit. 5. Omne quod est, participans eo quod est esse ut sit: alio vero partici-

pas, ut aliquid sit: Ac per hoc id quod est, participans eo quoq; est esse ut sit &c. Et proposit. 7. Omnis simplex esse suum & id quod est: unum habet: Denique proposit. 8. Omnis compositio aliud est esse aliud ipsum quod est: Quasi hoc ipso significet id quod est non differre ab eo quod est in divinis; quia non est ens compositum ibi nec ens participatum, sed esse per se simplex &c.

(3) Ita M^{gr}. Alcan. & Camer. quibus adhuc Niclaus. Esti plenaria est ipsa essentia.

(*) Ali. tunc relatio.

(3) Subintellige quod sicut spiratio communis non est alia essentia in Patre, alia in Filio, sic nec alia proprietas in uno, alia in altero; ut quæ 3r hic indicata explicatur art. 2.

Ad secundum dicendum, quod proprietates dicuntur esse in essentia per modum identitatis tantum, in personis autem dicuntur esse per modum identitatis, non quidem secundum rem tantum, sed quantum ad modum significandi, sicut forma in supposito. Et ideo proprietates determinant, & distinguunt personas, non autem essentiam.

Ad tertium dicendum, quod participia, & verba notionalia significant actus notionales. Actus autem suppositorum sunt. Proprietates autem non significant ut supposita, sed ut formae suppositorum: & ideo modus significandi repugnat ut participia, & verba notionalia de proprietatibus praedicentur.

A P P E N D I X .

EX articulo habes *primo*: quomodo per rationem rejicias errorem *Gilberti Galli* cognomento *Porretani* dicentis, proprietates non inesse personis, sed a foris existere. Item *Gregorii* cuiusdam, id est *dist. 26. quest. unica*, dicentis, relationes, seu proprietates personales non reperiiri in divinis personis. **Secundo** habes: quomodo per rationem ostendas, has merito ab Ecclesia reprobari in prefatione sanctissimæ Trinitatis sic: *Ut in essentia unitas, & in personis proprietas, & in maiestate adoretur aequalitas*. Nec valet quorumdam inscrita, ne dicam temeraria responsio ad hoc, quod scilicet illa Ecclesia locutio est impropria, quoniam (ut interim taceamus eorum irreverentiam in tali responso) contextus proprietatem ipsam aperit. Non enim negari potest, quod proprie dicatur unitas in essentia, & aequalitas in maiestate, ergo & proprie dicitur, quod proprietas est in personis. Ulterius per rationem hujus articuli ostenditur esse proprie dictum, ut patet consideranti. Præt. ex Magistro sententiæ cum communi schola id habetur, qui in lib. 1. dist. 33. dicit, quod proprietates esse in divinis personis nullus incisi audet. Quam periculorum vero sit a communi schola discedere, ostendit Melchior Cano de locis Theolog. lib. 8. cap. 4. dum ibi probare conatur: itas duas propositiones, videlicet, quod scholasticorum omnium communi sententiaz in re gravi refragari velle temerarium est, & quod ieholæ omniam Theologorum concordi de fide, aut moribus contradicere, si

haeresis non est, haeresi proximum est. Documentum est Concilium *Rhenense*, cui definitient in contrarium supra dictæ opinionis sui consensit *Gilbertus*, & palinodiam cecinit. Alibi autem, quest. 39. artic. 4. appen. monimus, quod propositiones a definitibus Conciliis approbatæ, vel reprobatae in sensu proprio veræ, vel falsæ intelliguntur, quoniam non decet nos Ecclesiam Philosophis gravibus, qui formaliter locuti sunt improprietatem abhorrentes, inferiorem facere, vel sentire. Quam vero differentiam habuerint *Gilbertus*, & *Gregorius* quoad negativam illam, scilicet, proprietates personales, seu relationes non insunt personis divinis, non video, imo iisdem etiam verbis uti utrosque (ni fallor) compertum est. Ceterum *Gregorius* forsan non adverterat recantationem *Gilberti* in Concilio illo ab *Eugenio* Papa congregato, & Beati Bern. prætentia bidua, atque disputatione contra Gilbert. illustrato. Vnde q. 28. art. 2. q. 32. art. 2. & q. 39. & quest. hac articulo sequenti. *Tertio* conspicere licet: quomodo ex his vicissim firmetur conclusio.

A R T I C U L U S II. 211

Utrum Personæ distinguantur per relationes.

I. *dist. xxvi quest. ii. art. 2. & po. quest. viii. art. 3. & quest. ix. art. 5. ad 18.*

AD secundum sic proceditur. Videtur quod personæ non distinguantur per relationes. Simplicia enim se ipsis distinguuntur. Sed personæ sunt maxime simplices. Ergo distinguuntur se ipsis, & non relationibus.

2. Præterea. Nulla forma distinguuntur nisi secundum suum genus. Non enim album a nigro distinguuntur nisi secundum qualitatem. Sed hypostasis significat individuum in genere substantiaz (1). Non ergo relationibus hypostases distinguui possunt.

3. Præterea. Absolutum est prius quam relativum. Sed prima distinctio est distinctio divinarum personarum. Ergo divinas personas non distinguuntur relationibus.

4. Præterea. Id quod presupponit distinctionem, non potest esse primum distinctionis principium. Sed relatio presupponit distinctionem, cum in ejus definitione ponatur: esse enim relativi est ad aliud se habere. Ergo

(1) Juxta significatum quo nunc a nobis passim, usurpat, & post graecorum explicationem usurpari

jam olim cepit, cum prius communiter pro essentia sumeretur, ut jam notatum supra qu. 29. art. 2.

Ergo primum principium distinctivum in divinis non potest esse relatio.

Sed contra est quod Boetius dicit in Lib. de Trin. (non procul a fine) (1) quod sola relatio multiplicat Trinitatem divinarum personarum.

Respondeo dicendum, quod in quibuscumque pluribus invenitur aliquid commune, oportet querere aliquid distinctivum. Unde cum tres personæ convenient secundum essentia unitatem, necesse est querere aliquid quo distinguantur, ad hoc quod plures sint. Inveniuntur autem in divinis personis duo, secundum quæ differunt, scilicet origo, & relatio. Quæ quidem quamvis re non differant, differunt tamen secundum modum significandi: nam origo significatur per modum actus, ut generatio; relatio vero per modum formæ, ut paternitas.

Quidam igitur attendentes, quod relatio consequitur actum, dixerunt, quod hypostases in divinis (2) distinguuntur per originem, ut dicamus, quod Pater distinguitur a Filio, in quantum ille generat, & hic est genitus. Relationes autem, sive proprietates manifestant consequenter hypostatum, sive personarum distinctiones; sicut & in creaturis proprietates manifestant distinctiones individuorum, quæ fiunt per materialia principia.

Sed hoc non potest stare propter duo. Primo quidem quia ad hoc quod aliqua duo (2) distincta intelligantur, necesse est eorum distinctionem intelligi per aliquid intrinsecum utriusque, sicut in rebus creatis vel per materiam, vel per formam. Origō autem alicuius rei non significatur ut aliquid intrinsecum, sed ut via quædam a re, vel ad rem; sicut generatio significatur ut via quæ-

Summ. S.Th. T.I.

dam ad rem genitam, & ut progrediens a generante. Unde non potest esse quod res genita, & generans distinguantur sola generatione; sed oportet intelligere tam in generante, quam in genito ea quibus ab invicem distinguuntur. In persona autem divina non est aliud intelligere nisi essentiam, & relationem, sive proprietatem. Unde cum in essentia convenient, relinquitur quod per relationes personæ ab invicem distinguuntur. Secundo quia distinctio in divinis personis non est sic intelligenda, quasi aliquid commune dividatur, quia essentia communis remanet indivisa; sed oportet quod ipsa distinguuntia constituant res distinctas. Sic autem relationes, vel proprietates distinguunt, vel constituant hypostases, vel personas, in quantum sunt ipsæ personæ subsistentes; sicut paternitas est Pater, & filiatio est Filius, eo quod in divinis non differunt abstractum, & concretum: Sed contra rationem originis est quod constituant hypostasim, vel personam: quia origo active significata significatur ut progrediens a persona subsistente, unde presupponit eam: origo autem passive significata, ut nativitas, significatur ut via ad personam subsistentem, & nondum ut eam constituens.

Unde melius dicitur, quod personæ, seu hypostases distinguuntur relationibus quam per originem (3). Licet enim distinguuntur utroque modo, tamen prius & principalius per relationes secundum modum intelligendi. Unde hoc nomen *Pater* non solum significat proprietatem, sed etiam hypostasim; sed hoc nomen *genitor* vel *generans*, significat tantum proprietatem: quia hoc nomen *Pater* significat relationem, quæ est distinctiva, & con-

A a 2 stitu-

(1) Nimis lib. I. de Trinitate versus finem, ubi plenius: *Facta quidem est Trinitatis numerositas in eo quod est predicationis relationis; Servata vero unitas in eo quod est indifferencia vel substantia vel operationis, vel omnino ejus que secundum se diciunt predicationis: Ita igitur substance continet unitatem; relatio vero multiplicat trinitatem: Atque ideo sola significatio ac separatio profanuntur quae relationis sunt &c.*

(2) Ita codd. Alcan. & Terrac. atque exemplum Nicolaij: alia editiones non distinguuntur. Vide infra art. 3. in corp.

(2) Quæ in natura saltem rationali pro eodem habentur secundum rem, licet personæ dignitatem important, quam hypostases ut sic secundum nomen vel secundum propriam rationem nominis non important: nisi grecorum usu qui de irrationalibus naturis hypostasim non dicunt; ut ubi supra ex Boetio notatum est. Incepit autem usus ille postquam

scilicet nomen istud non jam pro essentia sed pro individuo charactere se accipere declarant ad Latinorum querimoniam cohibendam, que tanta fuit ut pro pemedum propter syllabas orbis severum rumpentes, ait Greg. Naz.

(3) Sic Besiarion quoque in Concilio Florentino sess. 25. nempe in ea oratione quam habuit pro unione cap. 6. post medium propter eamdem rationem quam hic explicit S. Thomas, concludit quod persona divina distinguuntur *principaliter quidem & maxime per earum relationes* (τριηγουμένων καὶ μείζων κατὰ τὰς αὐτοποίias) *per origines vero sive processiones consequentes* (κατὰ πρόσδεις ἐρχομένες) Quippe noonisi causaliter per origines distinguuntur; sed per ipsas relationes formaliter. Et sic intelligendum illud Anselmi lib. de processione Spiritus sancti cap. 2. quod *Filius & Spiritus sanctus ipsa diversitate nativitatis & processionalis referuntur ad suum* ut *diversi: Aliaque id genus.*

stirativa hypostasis ; hoc autem nomen *genitans*, vel *genitus*, significat originem, quæ non est distinctiva, & constitutiva hypostasis.

Ad primum ergo dicendum, quod personæ sunt ipsæ relationes subsistentes. Unde non repugnat simplicitati divinarum personarum quod relationibus distinguuntur.

Ad secundum dicendum, quod personæ divine non distinguuntur in esse, in quo subsistunt, neque in aliquo absoluto, sed solum secundum id quod ad aliquid dicuntur. Unde ad earum distinctionem sufficit relatio.

Ad tertium dicendum, quod quanto distinctione prior est, tanto propinquior est unitati : & ideo debet esse minima. Et ideo distinctione personarum non debet esse nisi per id quod minimum distinguit (1), scilicet per relationem.

Ad quartum dicerendum, quod relatio presupponit distinctionem suppositorum, quando est accidens ; sed si relatio sit subsistens, non presupponit, sed secum fert distinctionem. Cum enim dicitur, quod relativi esse est ad aliud se habere, per ly *aliud* intelligitur correlative, quod non est prius, sed simul natura.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo : quomodo per rationem ostendas, merito dictum a Papa Innocentio de sum. Trinit. & fid. cath. firmiter : *Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, & secundum personales proprietates discrete.* Hæc ibi. Ecce, quod secundum illum in Concilio generali tunc loquentem personæ distinguuntur relationibus, seu, quod in idem redit, proprietatis personalibus. Item ibi in capitulo Damnamus : *Ut distinctiones sint in personis, & unitas in natura.* At personales proprietates, ut ait in c. firmiter, distinguunt, seu discernunt personas, & hujusmodi proprietates sunt distinctiones personarum : ergo secundum illum proprietas personalis, seu relatio est in personis. Quid clarius contra errores prænarratos in primo articulo ? Item a Concilio Tolerano XI. in publica pronunciatione fidei catholicae, articulo secundo. *Hæc ergo sancta Trinitas, que unus, & verus est Deus, nec recedit a numero, nec capitur numero ; in relatione enim personarum nu-*

merus cernitur, in divinitatis vero substantia, quid enumeratum sit, non comprehenditur. Hac ibi. Ecce, quod relatio de mente Concilii facit numerum personarum. Item a Concilio Florentino sess. 18. definiens, quod sola relatio multiplicat divinas personas. *Hic etiam memento ejus, quod alibi dictum fuit, videlicet, ex hoc eodem Concilio haberi regulam illam infallibilem, quæ est, quod omnia in divinis sunt unum, nisi obviat relationis oppositio.* Per quam regulam de mente Concilii monstratum fuisse credimus, quod Spiritus sanctus non distinguetur personaliter a Filio, nisi procederet origine a Filio. Vide in loco suo qu. 36. art. 2. ad 7. Item a sacris litteris. Hæc namque, dum explicant nominibus relativis divinas personas (ut Matth. ult. Bapt. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & alibi) intelligendum nobis relinquunt ex hoc, quod divinas personæ per relations distinguuntur ab invicem. Secundo ex responsione ad tertium habes : quomodo per rationem contundas infamam hæresim Raymundi Lull. (Director. inquis. 2. par. qu. 9.) dicentis, quod personæ divine distinguuntur majori distinctione, quæ potest esse. Qui error cum aliis a Papa Greg. XI. fuit in Consistorio etiam de consilio fratrum suorum condemnatus, ut ibi dicitur. Si qui ergo forte sentirent adhuc, Gregorii Papæ cenitram ignorantes, quod personæ divine in esse absoluto distinguenter, & non in relativo tantum, caveant sibi ab ira ventura, & resipiscant. *Tertio* vides : quomodo &c.

A R T I C U L U S III. 212

Utrum abstractis per intellectum relationibus & personis, adhuc remaneant hypostases.

I. dist. XXVI. quest. 1. artic. 2. & post. quest. VIII. art. 4 & opusc. II. cap. LXI. & LXII.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod, abstractis per intellectum proprietatis, seu relationibus a personis, adhuc remaneant hypostases. Id enim ad quod aliquid se habet ex additione, potest intelligi, remoto eo quod sibi additur ; sicut homo si habet ad animal ex additione, & potest intelligi animal, remoto rationali. Sed perso-

(1) Seu minima distinctione, inter illas nihil minus quæ reales distinguuntur : Alioquin minima distinc-

tione simpliciter & absolute dicta est distinctionis.

na se habet ex additione ad hypostasim : est enim (1) persona *hypostasis proprietate distincta ad dignitatem pertinente*. Ergo , remota proprietate personali a persona , intelligitur hypostasis .

2. Præterea . Pater , non ab eodem habet quod sit Pater , & quod sit aliquis . Cum enim paternitate sit Pater , si paternitate esset aliquis , sequeretur quod Filius , in quo non est paternitas , non esset aliquis . Remota ergo per intellectum paternitate a Patre , adhuc remanet quod sit aliquis , quod est esse hypostasis (2). Ergo , remota proprietate a persona , remanet hypostasis .

3. Præterea . Augustinus dicit V. de Trin . (cap. vi. in princ.) Non hoc est dicere *ingenitum* , quod est dicere Patrem : quia si Filiū non genuisset , nihil prohiberet eum dicere *ingenitum* . Sed si Filiū non genuisset , non inesset ei paternitas . Ergo , remota paternitate , adhuc remanet hypostasis Patris , ut *ingenita* .

Sed contra est quod Hilarius dicit IV. de Trin . (non multum remote a princ.) *Nihil habet Filius nisi natum* . Nativitate autem est Filius . Ergo , remota filiatione , non remanet hypostasis Filii : & eadem ratio est de aliis personis .

Respondeo dicendum , quod duplex fit abstractio per intellectum : una quidem secundum quod universale abstrahitur a particulari , ut animal ab homine ; alia vero secundum quod forma abstrahitur a materia , sicut forma circuli abstrahitur per intellectum ab omni materia sensibili (3) .

Inter has autem abstractiones hæc est differentia , quod in abstractione quæ sit secundum universale , & particulare , (*) non remanet id a quo fit abstractio : remota enim ab homine differentia rationali , non rema-

net in intellectu homo , sed solum animal : in abstractione vero quæ attenditur secundum formam a materia , utrumque manet in intellectu : abstrahendo enim formam circuli ab ære , remanet seorsum in intellectu nostro & intellectus circuli , & intellectus æris . Quamvis autem in divinis non sit universale , neque particolare , nec forma , & materia secundum rem , tamen secundum modum significandi invenitur aliqua similitudo horum in divinis : secundum quem modum Damascenus dicit (Lib. III. orthod. Fid. cap. vi. in princ.) quod commune est substantia , particolare vero hypostasis .

Si igitur loquamur de abstractione quæ sit secundum universale , & particulare , remotis proprietatibus , remanet in intellectu essentia communis , non autem hypostasis Patris , quæ est quasi particolare . Si vero loquamur secundum modum abstractionis formæ a materia , remotis proprietatibus non personalibus , remanet intellectus hypostasum , & personalium ; sicut , remoto per intellectum a Patre quod sit *ingenitus* , vel spirans , remanet hypostasis , vel persona Patris .

Sed remota proprietate personali per intellectum , tollitur intellectus hypostasis . Non enim proprietates personales licet intelliguntur advenire hypostasiis divinis sicut forma subiecto præexistenti ; sed ferunt secum sui supposita (4) , inquantum sunt ipsæ personæ subsistentes , sicut paternitas est ipse Pater . Hypostasis enim significat aliquid distinctum in divinis , cum hypostasis sit substantia individua . Cum igitur relatio sit quæ distinguit hypostases , & constituit , ut dictum est (art. præc.) relinquitur quod , relationibus personalibus remotis per intellectum , non remaneant hypostases .

Sed , sicut dictum est (eodem art. præc.)

Aaa 2

(1) Ut a quibusdam eam definiri jam superius qu 29. art. 3. ad 2. notavit : Et in 1. Sent. Ubi supra sic definiri dixit a Magistris .

(2) *Esse aliquum* enim significat individuum esse ; prout intelligitur hoc *aliquid* a Philosopho in Categoris cap. de substantia ; cum substantiam primam dicit significare hoc *aliquid* ; individuum autem in genere substantia non est aliud quam hypostasis , ut hic dicitur , & supponitur expressius etiam dictum ex qu. 29. art. 2. iuxta significatum hujus nominis *hypostasis* a græcis tandem personaliter usurpatum , cum prius essentialiter sumeretur , ut notatum est ibi .

(3) Qualis dicitur ea que afficitur qualitatibus euicunque sensui per se obnoxiiis ; ut sunt colores quod visum , sapores quod gustum , frigus & calor quod tactum &c. Per oppositum ad materialiam intel-

ligibilem quæ subest tantum quantitati , nec sensui per se afficeret potest , sed per medias tantum qualitates quæ *sensibiles* appellantur : Unde remotis ejusmodi sensibilibus qualitatibus ab intellectu tantum hæc materia percipitur .

(*) Ita ead. Alcan. edit. Rom. & Passav. As Dusconi & Lovanienses Thilogi cum Nicolajo : non remanet in intellectu id &c.

(4) Hinc essentia seu natura divina , licet non sit subsistens actu nisi per hypostases vel per proprietates personales , dicitur tamen per se subsistens actu vel secundum se , quia non distinguatur ab ipsius hypostasiis per quas actu subsistit ; Non quod seorsum vel abstractum ab ipsis absolute subsistat nisi subsistens radicaliter : Utinam hoc advertant qui sibi fingunt subsistentiam abstractam .

ced.) aliqui dicunt, quod hypostases in divinis non distinguntur per relations, sed per solam originem, ut intelligatur Pater esse hypostasis quædam per hoc quod non est ab alio, Filius autem per hoc quod est ab alio per generationem. Sed relations advenientes, quasi proprietates ad dignitatem pertinentes, constituant rationem personæ: unde & personales dicuntur. Unde, remotis hujusmodi relationibus per intellectum, remanent quidem hypostases, sed non personæ.

Sed hoc non potest esse propter duo. Primo quia relations distinguunt, & constituunt hypostases, ut ostensum est (art. præc.) Secundo quia omnis hypostasis naturæ rationalis est persona, ut patet per definitionem Boetii (Lib. de duab. natur. a princ.) dicentes, quod *persona est rationalis nature individua substantia* (1). Unde ad hoc quod esset hypostasis, & non persona, oportet abstrahi ex parte naturæ rationalitatem, non autem ex parte personæ proprietatem.

Ad primum ergo dicendum, quod persona non addit supra hypostasis proprietatem distinguenter absolute, sed proprietatem distinguenter ad dignitatem pertinentem. Totum enim hoc est accipendum loco unius differentiæ. Ad dignitatem autem pertinet proprietas distinguens, secundum quod intelligitur subsistens in natura rationali. Unde, remota proprietate distinguente a persona, non remanet hypostasis, sed remaneret, si tolleretur rationalitas naturæ. Tam enim persona, quam hypostasis est substantia individua. Unde in divinis de ratione utriusque est relatio distinguens.

Ad secundum dicendum, quod paternitate Pater non solum est Pater, sed est persona, & est quis, sive hypostasis. Nec tamen sequitur quod Filius non sit quis, sive hypostasis; sicut non sequitur quod non sit persona.

Ad tertium dicendum, quod intentio Augustini non fuit dicere, quod hypostasis Pa-

tris remaneat ingenita, remota paternitate; quasi innascibilitas constitutæ, & distinguat hypostasim Patris: hoc enim esse non potest, cum ingenitum nihil ponat, sed negative dicatur, ut ipsemet dicit. Sed loquitur in communi: quia non omne ingenitum est Pater. Remota ergo paternitate, non remanet in divinis hypostasis Patris, ut distinguatur ab aliis personis, sed ut distinguatur a creaturis, sicut Judæi intelligent (2).

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo: quomodo per rationem ostendas recte esse dicta in appendicibus art. 1. & 2. illa, quæ ibi dicta sunt. Secundo viceversa: quomodo ex ibi dictis in hoc articulo decisâ confirmantur, videre potes.

A R T I C U L U S I V . 213

Utrum actus notionales praaintelligantur proprietatibus.

I. dist. xxvii. quest. 1. art. 2. & post. quest. x. art. 3. & opusc. II. cap. lxiii. & lxiv.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod actus notionales praaintelligantur proprietatibus. Dicit enim Magister xxvi. dist. I. Sent. (post princ.) quod *Pater semper est, quia (*) semper genuit Filium*. Et ita videatur quod generatio secundum intellectum præcedat paternitatem.

2. Præterea. Omnis relatio presupponit in intellectu (3) id supra quod fundatur, sicut æqualitas quantitatem. Sed paternitas est relatio fundata super actione, quæ est generatio. Ergo paternitas presupponit generationem.

3. Præterea. Sicut se habet generatio aetiva ad paternitatem, ita se habet nativitas ad filiationem. Sed filiatio presupponit nativitatem: ideo enim Filius est, quia natus est.

(1) Ut qu. 29. art. 1. ex professo definita est. Nugatur porro Valla, cum personam pro substantia, sumi negat, sed solam qualitatem significare ait; adeoque hanc Boetii definitionem intemperate reprehendere non veretur, sicut nec Ciceronem ipsum qui personam sic usurpavit i.e. Lucullo ad substantiam individuam designandam; Usurpant & hoc sensu Juriſperiti, cum omne ius vel ad personam vel ad res, vel ad actiones pertinent, & actionem quoque omnem aut in rebus esse aut in personam: Nec idem

est quod ait Damascenus in Dialect. cap. 43. *hypostasis esse rem substantiem, personam vero rem per proprietates & operationes manifestam*: Nam non excludit quin persona sit substantia.

(2) Quia scilicet mysterium Trinitatis ignorant.

(3) Rom. edit. omisso semper.

(3) Vel secundum confederationem intellectus; ut nempe præexistentis intelligatur quasi relationis fundamentum id quod relationi substeruitur.

est. Ergo & paternitas præsupponit generationem.

Sed contra. Generatio est operatio persona Patris (1). Sed paternitas constituit personam Patris. Ergo prius est secundum intellectum paternitas quam generatio.

Respondet dicendum, quod secundum illos qui dicunt, quod proprietates non distinguunt, & constituant hypostases, sed manifestant hypostases distinctas, & constitutas, absolute dicendum est, quod relationes secundum modum intelligendi consequuntur actus notionales, ut dici possit simpliciter, quod quia generat, est Pater.

Sed supponendo, quod relationes distinguant, & constituant hypostases in divinis, oportet distinctione uti. Quia origo significatur in divinis active, & passive. Active quidem, sicut generatio attribuitur Patri, & spiratio sumpta pro actu notionali attribuitur Patri, & Filio; passive autem, sicut nativitas attribuitur Filio, & processio Spiritui sancto (2). Origines enim passive significatae simpliciter præcedunt secundum intellectum proprietates personarum procedentium, etiam personales. Quia origo passive significata significatur ut via ad personam proprietatem constitutam. Similiter & origo active significata prior est secundum intellectum quam relatio personæ originantis, quæ non est personalis; sicut actus notionalis spirationis secundum intellectum præredit proprietatem relativam innominatam, (3) communem Patri, & Filio.

Sed proprietas personalis Patris potest considerari dupliciter. Uno modo ut est relatio, & sic iterum secundum intellectum præsupponit actum notionalem. Quia relatio, in quantum hujusmodi, fundatur super actum. Alio modo, secundum quod est constitutiva personæ, (4) & sic oportet quod præintelligatur relatio actui notionali, sicut persona

agens præintelligitur actioni.

Ad primum ergo dicendum, quod cum Magister dicit, quod *quia generat, est Pater*, accipitur nomen Patris, secundum quod designat relationem tantum, non autem secundum quod significat personam subsistente: sic enim oporteret e converso dicere, quod *quia Pater est, generat*.

Ad secundum dicendum, quod objectio illa procedit de paternitate, secundum quod est constitutiva personæ.

Ad tertium dicendum, quod nativitas est via ad personam Filii: & ideo secundum intellectum præredit filiationem, (5) etiam secundum quod est constitutiva personæ Filii. Sed generatio activa significatur ut prodigiens a persona Patris, & ideo præsupponit proprietatem personalem Patris.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem ostendas: merito esse dictum a Patriarcha Constantinopolitano in Concil. Florentino sess. 19. *Divinam personam constitui ex divine substantia, & ex proprietate personali*. Item a Concilio Toletano 11. in publica protestatione fidei art. 2. fuisse recte dictum, quod *divine Personæ ad invicem sans Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad utrosque*. D. Thom. enim hic declarans, quod proprietas personalis est & constitutiva personæ, & relatio, dat per hoc tibi modum & intelligendi, & sustinendi in bono sensu Conciliorum istorum varia dicta: dum *Patriarcham supradictum proprietatem personalem dicere constitutivam personæ, & Toletanam Synodus audis attribuere hoc ipsum relationi*. Secundo habes ex dictis in art. 2. & 3. quomodo intelligas ibi Concilium Florentinum, ne erres. Non enim per ly *ex divine substantia, & ex proprietate personali* intel-

(1) Ut principii producentis; et si opus natura Damascenus appellat libro 1. de fide orthod. cap. 8. versus finem, quia non est voluntaria neque accidentalis.

(2) Per accommodationem tantum, ad supplementum proprium nomen quod non habet; cum aliqui processio etiam Filio conveniat, si communiter accipiatur.

(3) Id est proprium nomen & speciale non habentem, sed sub nomine accommodato *spirituosis*, vel communis *professionis* intellectam.

(4) Sive prout est forma hypostatica & subsistens; id est significata per modum hypostasis; ut qu. 29.

art 4. explicatum est versus finem: Nam prout relatio, intelligitur ut inherens vel inexistentis hypostasiem constitutus quasi subjecto &c.

(5) Quæ ab aliis *filiis* dicitur, ut expressius distinguatur ab origine ipsa quæ per filiationem subintelligi potest ut in *fieri* significantem; quamvis neutra vox latina sit. Dicitur autem eam nativitas, id est passiva generatio præcedere secundum intellectum veluti via quedam, quia prius intelligitur aliquis nasci quam filius esse intelligatur, cum nascatur ut sit filius: Non sic autem omnino Pater: quia non generaret nisi esset persona; & hoc est esse hypostaticè Passum.

intelligere debes, vel inferre, quod persona divina sit quid compositum ex proprietate illa, & ex substantia, puta ex paternitate, & ex aliquo alio. Nam contra Petrum Abaylardum in Concilio Senonensi definitur, quod personæ divinæ nullo modo sunt composite: & consequenter, salva fide, non potes ponere compositionem aliquam in personis divinis. Intelligitur autem illud Patriarchæ dictum sic, quod persona constituitur ex proprietate personali, quæ secundum rem non est aliud, quam natura divina. Habetur hæc expositio ex qu. 29. art. 4. in corpore, a medio, & infra. Ex illo etiam Patriarchæ dicto habes: quod personæ divinæ non distinguuntur seipsis, idest se totis. Conveniunt enim in aliquo communii idest, in divina natura, secundum definitionem Concilii Lateranensis de summa Trinitate & fide catholica firmiter, dicentes¹: 'Sanctissima Trinitas secundum communem essentiam indivisa est, secundum vero proprietates personales discreta. Tertio vides &c.'

Q U E S T I O N E X L I .

De Personis in comparatione ad actus notionales,

In sex articulos divisa.

DEinde considerandum est de personis in comparatione ad actus notionales: & circa hoc queruntur sex.

Primo, utrum actus notionales sint attribuendi personis.

Secundo, utrum hujusmodi actus sint necessarii, vel voluntarii.

Tertio, utrum secundum hujusmodi actus persona procedat de nihilo, vel de aliquo.

Quarto, utrum in divinis sit ponere potentiam respectu actuum notionarium.

Quinto, quid significet hujusmodi potentia.

Sexto, utrum actus notionales ad plures personas terminari possint.

ARTICULUS I. 214

Utrum actus notionales sint attribuendi personis.

Opusc. II. cap. lxv.

AD primam sic proceditur. Videtur quod actus notionales non sint personis attribuendi. Dicit enim Boetius in Lib. de Trinit. (in med.) (1) quod *omnia genera, cum quis in divinam veritatis predicationem, in divinam mutantur substantiam, exceptis relativis.* Sed actio est unum de decem generibus. Si igitur actio aliqua Deo attribuitur, ad ejus essentiam pertinebit, & non ad notionem.

2. Præterea. Augustinus dicit V. de Trinit. (cap. iv. & v.) quod *omne quod de Deo dicitur, aut dicitur secundum substantiam, aut secundum relationem.* Sed ea quæ ad substantiam pertinent, significantur per essentia-
lia attributa; quæ vero ad relationem, per nomina personarum, & per nomina proprietatum. Non sunt ergo, præter hæc, attribuendi personis notionales actus.

3. Præterea. Proprium actionis est ex se passionem inferre. Sed in divinis non ponimus passiones. Ergo neque actus notionales ibi ponendi sunt.

Sed contra est quod Augustinus (Fulgentius) (2) dicit in Lib. de fide ad Perr. (cap. ii. in princ.) *Proprium quidem Patris est quod Filium genuit.* Sed generatio aetus quidam est. Ergo actus notionales pondendi sunt in divinis.

Respondeo dicendum, quod in divinis personis attenditur distinctio secundum originem. Origo autem convenienter designari non potest nisi per aliquos actus. Ad significandum igitur originis ordinem in divinis personis, necessarium fuit attribuere personis actus notionales.

Ad primum ergo dicendum, quod *omnis origo designatur per aliquem actum.* Duplex autem ordo originis attribui Deo potest. Unus

(1) Sive paulo alter: *Hoc (nempe decem predicamenta, ut præmitit) cum quæ in divinam veritatis predicationem, cuncta mutantur quæ predicari possunt; ad aliquid vero (seu relativum) omnino non possunt predicari: Nam substantia in illo non est vera substantia sed ultra substantiam &c.*

(2) Inter opera Augustini tom. 3. non simpliciter proportionis vel afferendo (ut hic) sed quasi certum supponendo, & ex hac ipsa suppositione verita-

tem aliam inferendo: *Sicut secundum divisionem (inquit) neque Patrem credimus natum, neque Spiritum sanctum, sic etiam secundum coram filium Filium natum Catholicæ fides credit & praticat; neque enim proprium esset solius Patris quod non ei natus ipse sed filium genuit &c.* Quasi æquivalenter ab inconvenienti concludens illud esse proprium Patris, ut ab eo filius generetur; nec aliter peropere convenire.

Umas quidem secundum quod creatura ab eo progreditur : & hoc commune est tribus personis . Et ideo actiones quæ attribuuntur Deo ad designandum processum creaturarum ab ipso , ad essentiam pertinent . Alius autem ordo originis in divinis attenditur secundum processionem personæ a persona . Unde actus designantes hujus originis ordinem notionales dicuntur : quia notiones personarum sunt personarum habitudines ad invicem , ut ex dictis patet (quæst . xxxiii . art . 3 .)

Ad secundum dicendum , quod actus notionales secundum modum significandi tantum differunt a relationibus personarum , sed re sunt omnino idem . Unde Magister dicit in I. Sententiarum xxvi . dist . (§ . *Sum de proprietatibus &c.* circa fin .) quod generatio , & nativitas alius nominibus dicuntur paternitas , & filiatio (1) .

Ad cujus evidentiam attendendum est , quod primo oportet cognoscere originem aliquius ab alio ex motu . Quia enim aliqua res a sua dispositione (*) removetur per motum , manifestum sit hoc ab aliqua causa accidere . Et ideo actio secundum primam nominis impositionem importat originem motus . Sicut enim motus , prout est in mobili ab aliquo , dicitur passio ; ita origo ipsius motus , secundum quod incipit ab alio , & terminatur in id quod movetur , vocatur actio . Remoto igitur motu , actio nihil aliud importat quam ordinem originis , secundum quod a causa aliqua , vel principio procedit in id quod est a principio . Unde cum in divinis non sit motus , actio personalis producentis personam nihil aliud est quam habitudo principii ad personam quæ est a principio : quæ quidem habitudines sunt ipse relations , vel notiones . Quia tamen de divinis , & intelligibilibus rebus loqui non possumus nisi secundum modum rectum sensibilium , a quibus cognitionem accipimus , & in quibus actiones , & passiones , in quantum motum implicant , aliud sunt a relationibus , quæ ex actionibus , & passioni-

bus consequuntur ; oportuit seorsum significari habitudines personarum per modum actus , & seorsum per modum relationum . Et sic patet quod sunt idem secundum reum , sed differunt solum secundum modum significandi .

Ad tertium dicendum , quod actio secundum quod importat originem motus , infert ex se passionem : sic autem non ponitur actio in divinis personis . Unde non ponuntur ibi passiones , (**) nisi grammatico loquendo , quantum ad modum significandi ; sicut Patri attribuimus generare , & Filio generari .

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo : quomodo per rationem ostendas merito dictum a Papa Innocentio in Concilio Lateran . de summa Trinitate & fide catholica firmiter : *Pater generans , Filius nascens , Spiritus sanctus procedens* . Item in c. Damnamus : *Est Pater , qui generat , Filius , qui gignitur , Spiritus sanctus , qui procedit* . Concilium namque patenter attribuit actus notionales (id est generare , generari , procedere) divinis personis . Item a regulis fidei traditis ab Aug . (seu Fulgent .) in lib . de fide ad Petrum , ut adducitur in arg . sed contra . Item a pl . i . *Ego hodie genui te , & 109. Et utero ante Luciferum genui te* . Ubi actus notionalis attribuitur personæ Patris . Secundo habes : quomodo hujusmodi sensum rectum , & scripturarum , & Conciliorum per rationem defendas , objecta in contrarium diluendo . Id , quod in omnibus similibus pro utilitate sanctorum dogmatum , etiam quod specialiter non annotaretur , esse ubique advertendum , observandumque , alias docuimus . Tertio vides : &c .

A R -

(1) Hinc etiam pro nominibus relationum promiscuus usurpat Patres originum nomina , vel utrisque utuntur alternati : Sic Augustinus in serm . 58 . de verbis Domini : *Nec alia causa est* (inquit) *qua divisionem facias personarum , nisi quod hic in genitus est ; ille , genitus ; id est , hic , Pater ; ille vero Filius &c.* Sic S . Leo in serm . de transfiguratione Domini c . 6 . *Dicente Patre , Hic est Filius meus (inquit) nondum evidenter auditum est . Hic est Filius meus cui mecum esse sine tempore est* ,

Quia nec genitor genito prior , nec genitus est genitore posterior : Sic Ecclesia ipsa in Officio Sacramenti quod S . Thomas iussu summi Pontificis edidit , *Genitori genitoque Iesus &c.* Et similia in Officio Trinitatis .

(*) *Ista ead . Alcon . cum Nicolojo , qui pro removetur legis removetur . Edis . Rom . & Passu . removetur per motum , manifestum fuit .*

(**) *Cod . Alcon . nisi solum grammatico .*

A R T I C U L U S II. 215

Utrum notionales actus sint voluntarii.

I. *diss. vi. art. 1. 2. & 3. & pot. quest. II. art. 3.*

AD secundum sic proceditur. Videtur quod actus notionales sint voluntarii. Dicit enim Hilarius Lib. de Synod. (in medio , & est definitio xxv.) *Non naturali necessitate ductus Pater genuit Filium.*

2. Præterea. Apostolus Coloss. i. 13. *Transfūlit nos in regnum Filii dilectionis (1) sue.* Dilectio autem voluntatis est. Ergo Filius genitus est a Patre voluntate.

3. Præterea. Nihil magis est voluntarium quam amor. Sed Spiritus sanctus procedit a Patre, & Filio ut amor. Ergo procedit voluntarie.

4. Præterea. Filius procedit per modum intellectus ut verbum. Sed omne verbum procedit a dicente per voluntatem. Ergo Filius procedit a Patre per voluntatem, & non per naturam.

5. Præterea. Quod non est voluntarium, est necessarium. Si igitur Pater genuit Filium non voluntate, videtur sequi quod necessitate generit, quod est contra Augustinum in Lib. ad Orosium (2) (in dial. quest. vii.)

Sed contra est quod Augustinus dicit in eodem (Lib.) (ibid.) quod *neque voluntate genuit Pater Filium, neque necessitate.*

Respondeo dicendum, quod cum dicitur aliquid esse, vel fieri voluntate, dupliciter potest intelligi. Uno modo, ut ablatus designet concomitantiam tantum, sicut possum dicere, quod ego sum homo mea voluntate, quia scilicet volo me esse hominem: & hoc modo potest dici, quod Pater genuit Filium voluntate, sicut & est voluntate

Deus: quia vult se esse Deum, & vult se generare Filium. Alio modo sic quod ablatus importet habitudinem principii; sicut dicitur, quod artifex operatur voluntate, quia voluntas est principium operis: & secundum hunc modum dicendum est, quod Deus Pater non genuit Filium voluntate, sed voluntate produxit creaturam. Unde in Lib. de Synod. (can. xxiv. circa med.) dicitur, quod *si quis voluntate Dei tamquam strum aliquid de creaturis Filium factum dicat, anathema sit* (3). Et hujus ratio est, quia voluntas, & natura secundum hoc differunt in causando, quia natura determinata est ad unum, sed voluntas non est determinata ad unum. Cujus ratio est, quia effectus assimilatur formæ agentis, per quam agit. Manifestum est autem quod unius rei non est nisi una forma naturalis, per quam res habet esse: unde quale ipsum est, tale facit. Sed forma, per quam voluntas agit, non est una tantum, sed sunt plures, secundum quod sunt plures rationes intellectus. Unde quod voluntate agitur, non est tale, quale est agens, sed quale vult, & illud intelligit esse agens. Eorum igitur voluntas principium est quæ possunt sic, vel aliter esse. Eorum autem quæ non possunt nisi sic esse, principium natura est. Quod autem potest sic, vel aliter esse, longe est a natura divina; sed hoc pertinet ad rationem creaturæ, quia Deus est per se necesse esse, creatura autem est facta ex nihilo.

Et ideo Ariani volentes ad hoc deducere quod Filius sit creatura, dixerunt, quod Pater genuit Filium voluntate, secundum quod voluntas designat principium.

Nobis autem dicendum est, quod Pater genuit Filium non voluntate, sed natura. Unde Hilarius dicit in Lib. de Synod. (defin. xxiv.) (4). *Omnibus creaturis substantiam Dei voluntas attulit, sed naturam dedit Filio*

(1) Sive *Filiis caritatis sua* ut August. legit lib. 15. de Trin. c. 19. versus finem, propter Gracum *mydias* quod caritatem significat. Sed & explicat ibi dictum *Filiis caritatis quasi Filium dilectum &c.* Quod ad solutionem quæ inferius assertur, cont fert.

(2) Hoc est in dialogo questionum 65. que inscribuntur ad Orosium, & Augustini tamen opus re ipsa non sunt adeoque in quarti tempi appendice inter ejus adulterina reponuntur. Sic autem ibi quest. 7. *Voluntate genuit Pater Filium; an necessitate?* Nec voluntate, nec necessitate. *Quia necessitas in Deo non est; præterea autem voluntas sapientiam non po-*

sest, quod est Filius &c.

(3) Ut videre est can. 24. illius libri adversus Arianos inferipti, ubi Catholicæ fidei summaria capita continentur, & singillatim ab Hilario explicantur, ex cuius textu vel expositione reponimus quod magis placet *nam aliquores*, licet ipsa Canonis verba prius apud eundem legant, *nam aliquid*, ut pallium exemplaria S. Thomas: Sed utrumlibet legas, parum refert.

(4) Immediate post predicta, cum nempe prenotatum Canonem commentatur: Indeque rursus reponimus *consistit*; non sicut prius passim, *attulit*: Et mox: *Talis substantia*, ubi & prius passim, *Talis* sub-

Filio est impassibili, ac non nota substantia perfecta nativitas. Talia enim cuncta creata sunt, qualia Deus esse voluit; Filius autem natus ex Deo talis subsistit, qualis & Deus est.

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritas illa inducitur contra illos qui a generatione Filii etiam concomitantiam paternæ voluntatis removent, dicentes, sic eum natura genuisse Filium, ut tamen voluntas generandi ei non adesset, sicut & nos multa naturali necessitate contra voluntatem patimur, ut mortem, senectutem, & hujusmodi defectus. Et hoc patet per præcedentia, & subsequentia: sic enim ibi dicitur (loc. in arg. cit.) Non enim nolente Pater, vel coactus Pater, (*) vel naturali necessitate ductus genuit Filium.

Ad secundum dicendum, quod Apostolus nominat Christum Filium dilectionis Dei, inquantum est a Deo superabundanter dilectus, non quod dilectio sit principium generationis Filii.

Ad tertium dicendum, quod etiam voluntas, inquantum est natura quædam, aliquid naturaliter vult; sicut voluntas hominis naturaliter tendit ad beatitudinem: & similiter Deus naturaliter vult, & amat seipsum; sed circa alia a se voluntas Dei se habet ad utrumque quoddammodo, ut dictum est (in corp. art. & quest. xix. art. 3. præcipue.) Spiritus autem sanctus procedit ut amor, inquantum Deus amat se ipsum: unde naturaliter procedit, quamvis per modum voluntatis procedat.

Ad quartum dicendum, quod etiam in conceptionibus intellectualibus fit reductio ad prima, quæ naturaliter intelliguntur. Deus autem naturaliter intelligit se ipsum: & secundum hoc conceptio Verbi divini est naturalis.

Ad quintum dicendum, quod necessarium dicitur aliquid per se, & per aliud. Per aliud quidem dupliciter. Uno modo sicut per causam agentem, & cogentem, & sic

Symma. S.Th. T.I.

necessarium dicitur quod est violentum (1). Alio modo sicut per causam finalem, sicut dicitur aliquid esse necessarium in his quæ sunt ad finem, inquantum sine hoc non potest esse finis, vel bene esse. Et neutro istorum modorum divina generatio est necessaria: quia Deus non est propter finem, neque coactio cadit in ipsum. Per se autem dicitur aliquid necessarium, quod non potest non esse: & sic Deum esse est necessarium, & hoc modo Patrem generare Filium est necessarium.

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo: quomodo per rationem interimas heresim Eunomii dicentis Patre esse minorem Filium, & Filio Spiritum sanctum: quia Pater fecit Filium, & Filius fecit Spiritum sanctum, voluntate scilicet, ut habetur ex August. in dialogo ad Orosium, c. 7. Eunomius enim sic inquiens argumentabatur. Aut Pater genuit Filium volens, aut nolens: dici non potest, quod genuerit nolens: quia tunc genuisset coactus, & invitatus: id, quod blasphemia est: ergo genuit Filium volens: ergo voluntarie: quemadmodum & voluntarie fecit res creatas: ergo Filius est creature, & consequenter minor Patre. Tali argumento Eunomius seipsum, & alios decipiebat: & quod de Filio respectu Patris generantis syllogizabat, simile credendum videtur de Spiritu sancto respectu Filii spirantis ipsum syllogizasse. Fundamentalis itaque error Eunomii fuit hic, scilicet pone-re actus notionales esse voluntarios principiatiue: ut ex ejus argumentatione patet. Contra hunc ergo statuitur articulus in conclusione 2. & 3. cum suis rationibus. Secundo habes quomodo per rationem demonstres hoc Eunomii fundamentum, & consequenter heresim etiam superedificatam, fuisse merito condemnatum ab Hilario: qui in libro de Synodis circa medium, tamquam fundamentum illud hereticum subruens, dicit:

Bbb

Si

et Filiū, anathema sit.

(*) Iea cod. Alcan. cui concordant exempla Rom. & Passav. quo tantum pro ductus habent inductus. Nicolajus cum MSS. Camer. & Rom. vel naturali necessitate ductus, cum nollet, genuit Filium.

(1) Usurpando coactionem, adeoque necessitatem stricto sensu; nimis pro perfecta & ex parte coacti: Alioqui est coactio quædam non violenta, & necessitans tamen, ut a. Sept. dist. 2. videtur est.

sufficit. Sensus enim est quod ex Patre talis prodiit ab aeterno, sive ab eo esse accepit &c. Sequens autem appendix quæ per præcedentia & per subsequentias patere dicebatur, sumpta tantum est ex commento Canonis 25. ubi additum non per necessitatem naturalem natum Filium dici, ne data hereticis occasio videatur ut necessitatem Deo Patri gignendi ex se filii adscriberent, sanguinem naturali lege cogento, invito se agideret. Sic porro tantum Canon, ut permittitur ibi, si quis nolente Patre natum de-

*Si quis voluntate Dei, tamquam unum aliquid de creaturis, Filium factum dicat, anathema sit. Intelligas tu & hoc idem de Spiritu sancto. Item a Concilio Toletano tertio, in confessione fidei, sic: Quicumque initium Filii Dei, & Spiritui sancto depudaverit; anathema sit. Item ab eodem sic: Quicumque Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum iuxta deitatem, & Spiritum sanctum esse Patrem minorem asseruerit, & gradibus separaverit, creaturemque esse dixerit: anathema sit. Hec ibi. Ratio fundamentalis Concilii est, quia non sunt originati voluntate principiantes. Item a Concilio Toletano 11. quod si videris in publica pronuntiatione fidei catholicae, idem cum Hilario sensisse dices. Item universaliter a Papa Gelasio, d. 15. Sancta Romana Ecclesia. Quia ibi plurimas haereses damnans circa finem, ait: *Hec, & his similia, que Simon Magus, Nicolaus, Cerinthus, Marcion, Basilides, Ebion, Paulus Samosatenus, Photinus, Bonosus, Montanus cum suis obscenissimis sequacibus, Apollinaris, Valentinus, sive Manicheus, Faustus, Sabellius, Arius, Macedonius, Eunomius, Novatus, Sabbatius, * Cælestius, Donatus, Eustathius, Jovinianus, Pelagius, Julianus, & Latiens, Cælestinus, Maximinus, * Priscillianus, Lampadius, Diodorus, Eutyches, Petrus, & aliis Petrus, ex quibus unus Alexandriae, alias Antiochiam maculauit, Acacius Constantinopolitanus cum consortibus suis, non & omnes haereses, quas ipsi, eorumque discipuli, sive schismatici docuerunt, vel conscripserunt: quorum nomina minime retinemus, non solum repudiata, verum etiam ab omni Romana Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus, ausborumque sequacibus sub anathematis indissolubili vinculo in eternum confiterunt esse damnata.* Hec ibi. Item a Concilio Lateranensi sub Papa Martino canon. 17. *Si quis secundum sanctos Patres consonanter nobiscum eadem credens non respuit, & anathematizat animo, & ore omnes, quos respuit, & anathematizat nefandissimos haereticos cum omnibus impiis eorum scriptis, usque ad unum apicem, sancta Dei catholica, & Apostolica Ecclesia, hoc est sancte, & universales quinque Synodi, & ipsi omnes consonanter probabiles Ecclesie Patres. Dicimus autem Sabellium, Arium, Euronium, Macedonium, Apollinarem, Pulomonem, Eutychem, Diodorum, Timotheum, Elurum, Severum, Theodosium, Cholatum, Themistium, Paulum Samosatenum, Diodorum, Theodorum, Nestorium, Theodulum, Persam, Origenem, Didymum,**

Evargium, & compendiose alias omnes haereticos, qui a catholica Ecclesia reprobati, atque abjecti sunt: quarum dogmata diabolice operationis sunt genimina; & eos, qui similia cum his usque in finem sine paenitentia sapuerunt, aut sapient, vel sapient, cum quibus merito, usque eadem dogmatizantes, & docentes (sicut ostensum est) Theodorum quandam Episcopum Pharanitanum, & Cyrum Alexandrinum, & Sergium Constantinopolitanum, & ejus successores Pyrrhum, & Paulum, & omnia impia eorum scripta anathematizamus. & eos, qui nobiscum consonanter non respuit, & anathematizant predictos haereticos, eorumque scripta. Hec ibi. Item a Concilio Constantinopolitano 1. Canon. 1. sic. Custodiendam esse fidem 318. Patrum qui apud Nicæam Bithynie convenierunt ad anathematizandam omnem heresim, specialiter Eunomianorum, Arianorum, Macedonianorum, Photinianorum, & Apollonianorum. Hec ibi: vides ne in tot Conciliis Eunomium cum suis scriptis, dictisque usque ad unum apicem fuisse damnatum? Ceteros autem haereticos sigillatim ibi reperitos enumerare volui: ut scias e vestigio, cum auctores errorum noveris, quenam haeresis damnata sit ab Ecclesia, etiam quod nullum in speciali contra illam adduceremus scripturæ sacre, Papæ, vel Concilii canonom. Sit ergo tibi locus hic, tamquam quoddam commune refugium pro secessoreis erroribus, ac reprobandois, quod, ut commodius faceres, suis auctioribus (quoad fieri potuit) errores quosque prætitulari curavimus. Quomodo enim (inquit Augustinus) possunt recipi capitula illa, quorum dominantes auctores? Terio vides: quomodo ex supradictis vicissim doctrina haec Angelica firmetur, atque declaretur.

ARTICULUS III. 216

Utrum actus notionales sint de aliquo.

I. dist. V. quest. I. art. I. ad 2. & III. dist. XL art. I. ad I.

AD tertium sic proceditur. Videlur quod actus notionales non sint de aliquo. Quia si Pater generat Filium de aliquo, aut de se ipso, aut de aliquo alio. Si de aliquo alio, cum id de quo aliquid generatur, sit in eo quod generatur, sequitur quod aliquid alienum a Patre sit in Filio; quod est contra Hilarium VII. de Trinit. (prope finem)

zem) ubi dicit (1) : *Nihil in his diversum est, vel alienum. Si autem Filiu generat Pater de se ipso, id autem de quo aliquid generatur, si sit permanens, recipit ejus prædicationem quod generatur; sicut dicimus, quod homo est albus, quia homo permanet, cum de non albo sit albus: sequitur igitur quod Pater vel non permaneat, genito Filio, vel quod Pater sit Filius, quod est falsum. Non ergo Pater generat Filium de aliquo, sed de nihilo.*

2. Præterea. Id de quo aliquid generatur, est principium ejus quod generatur. Si ergo Pater generat Filium de essentia, vel natura sua, sequitur quod essentia, vel natura Patris sit principium Filii: sed non principium materiale, quia materia locum in divinis non habet: ergo est principium quasi activum, sicut generans est principium generi. Et ita sequitur quod essentia generet: quod supra improbatum est (quest. xl. art. 3.)

3. Præterea. Augustinus (VII. de Trinit. cap. vi. circ. med.) dicit, quod tres persone non sunt ex eadem essentia (2), quia non est aliud essentia, & persona. Sed persona Filius non est aliud (*) ab essentia Patris. Ergo Filius non est de essentia Patris.

4. Præterea. Omnis creatura est ex nihilo. Sed Filius in Scripturis dicitur creatura: dicitur enim Eccli. xxiv. 5. ex ore sapientiae genitæ: *Ego ex ore Altissimi prodii, primogenita ante omnem creaturam* (3): & postea ex ore ejusdem sapientiae dicitur: *Ab initio, & ante secula creata sum*. Ergo Filius non est genitus ex aliquo, sed ex nihilo. Et similiter potest obici de Spiritu sancto, propter hoc quod dicitur Zach. xii. 1. *Dixit Dominus extendens celum, & fundans terram, & creans spiritum hominis in eo:* & Amos iv. 13. secundum aliam litteram (4) *Ego formans montes, & creans (***) spiritum.*

Sed contra est quod Augustinus (Fulgentius) dicit in I. de fide ad Pet. (cap. 2. cir. fin.) *Pater Deus solus de sua natura sine initio genuit Filium sibi aequalem.*

Respondeo dicendum, quod Filius non est genitus de nihilo, sed de substantia Patris. Ostensum est enim supra (quest. xxvii. ar. 2. & quest. xxxiii. ar. 2. ad 4. & 3. in corp.) quod paternitas, & filiatio, & natus vere & proprie est in divinis. Hoc autem interest inter generationem veram, per quam aliquis procedit ut Filius, & factio nem, quod faciens facit aliquid de exteriori materia, sicut scannum facit artifex de ligno, homo autem generat Filium de seipso. Sicut aurem artifex creatus facit aliquid ex materia, ita Deus facit ex nihilo, ut infra ostendetur (quest. xl. ar. 1.) non quod nihilum cedat in substantiam rei, sed quia ab ipso tota substantia rei producitur, nullus alio presupposito. Si ergo Filius procederet a Patre ut de nihilo existens, hoc modo se haberet ad Patrem ut artificiatum ad artificem: quod manifestum est nomen filiationis proprie habere non posse, sed solum secundum aliquam similitudinem. Unde relinquatur quod si Filius Dei procederet a Patre quasi existens ex nihilo, non esset vere & proprie Filius: cuius contrarium dicitur I. Joan. ult. 20. *Ut simus in vero Filio ejus Jesus Christo* (5). Filius igitur Dei verus non est ex nihilo, nec factus, sed tantum genitus.

Si qui autem ex nihilo a Deo facti Filius Dei dicantur, hoc erit metaphorice secundum aliqualem assimilationem ad eum qui vere Filius est. Unde in quantum solus est verus, & naturalis Dei Filius, dicitur unus genitus, secundum illud Joan. i. 18: *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit: in quantum vero per assimilationem ad ipsum alii dicuntur Filii adoptivi, quasi metaphorice.*

Bbb 2 ce

(1) Sive paulo aliter & plenius: *Pater Pater est, & Filius Filius est: Sed in his non in aliis ac rebus nihil diversum, nihilque peregrinum &c. Dum & Filius non in naturam externam ac dissimilarem Patris Deo subsistit, nec Pater alienum quid a se materialiter unigenitus, sed universa qua sua sunt fine domino impertinentis indulxit.*

(2) Ut iam notatum est supra, *Tres (inquit) personas ex eadem essentia non dicimus.*

(*) Ita cod. Alcas. aliique: *editi omittunt Patris.*

(3) Et si primogenitus nec apud Ambrosum lib. 4. de fide cap. 4. nec apud Cyprianum lib. 2. testimoniorum contra Judaeos nec apud jo. modo exprimitur.

(4) Nempe juxta Editionem 70. Interpretum quod ultimam partem ex græco σπίουμε ubi Vulgata vers. 13. legit verum: *Sed primam partem habet Vulgata ipsa ut hic, ubi 70. legunt σπέρωσι πορτλι seu formans constitutum:* Quod autem velut ex Augustino subjungitur, est Fulgentii (ut jam toties notatum est) ac desumitur ex cap. 2. non ut prius ex 1. ubi dicitur tantum quod *Pater essentiales genitus Filium de seipso.*

(**) Juxta 70. Vulgatis verum.

(5) Non exprimitur *Iesus Christus* in ipso testu; sed supponitur ut videre est vers. 2. ubi additur tandem, *Hic est verus Deus & vita aeterna.*

ce dicitur esse primogenitus (1), secundum illud Rom. VIII. 29. *Quos prescrivit, & predestinavit fieri conformes imaginis Filii sui, ut si ipse primogenitus in multis fratribus. Relinquit ergo quod Dei Filius sit genitus de substantia Patris, aliter tamen quam Filius hominis. Pars enim substantiae hominis generantis transit in substantiam geniti. Sed divina natura impartibilis est: unde necesse est quod Pater generando Filium, non partem naturae in ipsum transfuderit, sed totam naturam ei communicaverit, remanente distinctione solum secundum originem, ut ex dictis patet (quest. xl. ar. 2.)*

Ad primum ergo dicendum, quod cum Filius dicitur natus de Patre, hoc prapositio de significat principium generans consubstantiale, non autem principium materiale. Quod enim producitur de materia, fit per transmutationem illius de quo producitur, in aliquam formam. Divina autem essentia non est transmutabilis, neque alterius formae susceptiva.

Ad secundum dicendum, quod cum dicitur Filius genitus de essentia Patris, secundum expositionem Magistri v. dist. I. Sent. designat habitudinem principii quasi activi: ubi sic exponit: *Filius est genitus de essentia Patris, idest de Patre essentia, propter hoc quod Augustinus XV. Lib. de Trinit. (cap. xiii. in fin.) dicit (2): Tale est quod dico de Patre essentia, ac si expressus dicerem, de Patris essentia. Sed hoc non videtur sufficere ad sensum hujusmodi locutionis. Possimus enim dicere, quod creatura est ex Deo essentia, non tamen quod sit ex essentia Dei. Unde aliter dici potest, quod hoc prapositio de semper denotat consubstantialitatem. Unde non dicimus, quod dominus fit de edificatore, cum non sit causa consubstantialis. Possimus autem dicere, quod aliquid sit de aliquo, quocumque modo illud significetur*

ut principium consubstantiale; sive illud sit principium activum, sicut Filius dicitur esse de Patre, sive sit principium materiale, sicut cultellus dicitur esse de ferro; sive sit principium formale in his dumtaxat in quibus ipse formae sunt subsistentes, & non advenientes alteri: possumus enim dicere, quod Angelus aliquis est de natura intellectuali. Et per hunc modum dicimus, quod Filius est genitus de essentia Patris (3), in quantum essentia Patris Filio per generationem communicata in eo subsistit.

Ad tertium dicendum, quod cum dicitur, Filius est genitus de essentia Patris, additur aliquid respectu cuius potest salvare distinctio. Sed cum dicitur, quod tres personae sunt de essentia divina, non ponitur aliquid respectu cuius possit importari distinctio per prapositionem significata: & ideo non est simile.

Ad quartum dicendum, quod cum dicitur, Sapientia est creata, potest intelligi non de sapientia qua est Filius Dei, sed de sapientia creata, quam Deus indidit creaturis. Dicitur enim Eccli. 1. 9. *Ipse creavit eam, scilicet sapientiam, in Spiritu sancto, & effudit illam super omnia opera sua.* Necessaria est inconveniens quod in uno contextu locutionis loquatur Scriptura de sapientia genita, & creata, quia sapientia creata est participatio quaedam sapientiae increatae. Vel potest referri ad naturam creatam assumptam a Filio, ut sit sensus: *Ab initio, & ante secula creata sum; idest, praevisa sum creaturae uniri.* Vel per hoc quod sapientia creata, & genita nuncupatur, modus divinæ generationis nobis insinuatur. In generatione enim, quod generatur, accipit naturam generantis, quod perfectionis est; in creatione vero creans non mutatur, sed creatum non recipit naturam creantis. Dicitur ergo Filius simul creatus, & genitus, ut ex creatione

(1) Vere tamen primogenitus dici potest etiam ille post quem nulli nascuntur, si nec ullus nascatur ante ipsum: Sicut Luc. 2. de B. Virgine Deipara dicitur quod *parerit filium suum primogenitum;* Sed hoc tantum dicitur quando alii sequi possunt, eti re ipsa non sequantur: *Quod in Deo locum non habet; quia impossibile est aliud ei filium nasci naturitate naturali;* Unde *primogenitus* metaphorice tantum ejus filius dici potest.

(2) Vel sic plenius: *Verbum quod nascitur de nostra scientia, dissimile est illi verbo Dei quod natum est de Patris essentia:* *Tale autem est ac si dicerem de Patris scientia, de Patris sapientia, vel (quod est expressus) de Patre scientia, vel de Pa-*

tre sapientia: Verbum ergo Dei Patris unigenitus Deus Deus de Deo, lumen de lumine, sapientia de sapientia, essentia de essentia &c.

(3) Scu (quod idem est) *de substantia Patris,* juxta illud quod Augustinus dicit epist. 66. ut Filius a creatura distinguat ex nihilo condita, sicut ibidem videtur est. Hinc ex lib. 2. contra Maximum cap. 7. ideo dictum ait (Psal. 109.) quod *ex utero fit genitus,* quia *de substantia sua cum Pater genuit:* *Deus Deum:* Præter Athanasium & Cyrillum qui hoc etiam notant; & Concilium Toletanum undecimum quod eam iem notationem usurpavit: *Indeque sumptum òmnis val consubstantialis nomine adversus Arianos a Catholicis definitum.*

tione accipiatur immutabilitas Patris, & ex generatione unitas naturæ in Patre, & Filio. Et sic exponitur intellectus hujus Scriptura ab Hilario Lib. de Synodis (can. v.)⁽¹⁾. Authoritates autem inducta non loquuntur de Spiritu sancto, sed de spiritu creato, qui quandoque dicitur ventus, quandoque aer, quandoque fatus hominis, quandoque etiam anima, vel quæcumque substantia invisibilis.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem confundas hæresim *Calvini* (Prat. *Trinitarii*) dicentis Filium non esse Deum de Deo, neque de substantia Patris. Item hæresim *Arianorum* dicentum. Verbum Dei ex non existentibus factum, qui enim erat Deus, eum, qui non erat, ex non existentibus fecit. Item *Macedonii* dicentis: Spiritum sanctum non esse ejusdem substantiaz cum Patre, sed Patre, & Filio minorem, meram creaturam. Hi enim ponunt actus notionales non esse de substantia, inquantum dicunt procedentem personam non esse ejusdem substantiaz cum suo principio, & illos actus esse de nihilo, inquantum procedentem personam esse meram creaturam statuunt. Vide similem errorem *Eunomii* etiam de Filio in art. precedente. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas has merito damnari a Papa *Damaso* in professione catholicæ fidei missa ad *Paulinum* in Macedonia Episcopum, sic in Canon. 12. dicente: *Si quis non dicat Filium genitum ex Patre, hoc est, ex substantia ejus divina; anathema sit.* Item can. 18. *Si quis non dicat, Spiritum sanctum vere, & proprio ex Patre esse, quemadmodum & Filium, eumdemque Deum Dei verbum ex divina substantia: anathema sit.* Item can. decimo nono: *Si quis dicat Spiritum sanctum creaturam, aut per Filium genitum esse; anathema sit.* Hæc ibi. Item a symbolo Athanasii sic: *Est ergo fides recta, ut credamus, & confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei filius Deus, & homo est, Deus est ex substantia Patris ante seculo genitus, homo est ex substantia Marris in seculo natus.* Ecce ex Athanasii symbolo, quod regulam fidei compendiofam vocat Concilium *Florentinum*, Filium Dei esse genitum ex substantia Patris,

sic dictum ab eodem cointelligas, Spiritum sanctum ex substantia Patris, & Filii procedere. Item a Concilio *Lateranensi* sub *Innocentio III.* de summa Trinitate & fide cathol. *Damnamus: Pater, & Filius, & Spiritus sanctus secundum orthodoxam, & catholicam fidem consubstantiales esse creduntur.* Pater enim ab æterno Filium generando suam substantiam ei dedit, juxta quod ipse testatur. *Pater, quod dedit mihi, majus omnibus est.* At dici non potest, quod partem substantiaz sue illi deridit, partemque sibi retinuerit, cum substantia Patris indivisibilis sit, ut potest simplex omnino. Sed nec dici potest, quod Pater in Filium transfluerit substantiam suam generando, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit ipsam sibi, alioquin desuisset esse substantia. Pater ergo, quod sine ulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit, & ita Pater, & Filius habent eamdem substantiam, & sic eadem res, est Pater, & Filius, nec non & Spiritus sanctus ab utroque procedens. Hæc ibi. Ex Concilio igitur isto habetur, quod Filium esse consubstantiale in Patri est ipsum esse a Patre de Patris ipsius substantia natum, & quod Spiritum sanctum esse utrique consubstantiale est ipsum esse ab utroque de utriusque substantia procedentem. Item habetur ex eodem, quod Filium esse de substantia Patris est esse de tota substantia, non de parte substantiaz, & Spiritum sanctum esse de substantia amborum est esse de tota substantia, non de parte. Idem ergo est dicere, personas procedentes non esse de substantia divina, vel esse de nihilo, quod dicere ipsas non esse Patri consubstantiales, & e contra, scilicet, dicere personas divinas esse consubstantiales, est idem, quod dicere personas produci ex substantia Patris, seu (quod in idem redit) actus notionales esse ex substantia divina, non de nihilo. Item a Niceno in sua fidei confessione. *Credimus &c. in unum Dominum Jesum Christum filium Dei natum ex Patre Unigenitum, hoc est, ex substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; naturi non factum: ousionem, hoc est, consubstantalem Patri &c.* Dicentes autem: erat, quando non erat, aut non erat, antequam fieret, aut quia ex non extantibus factus est, aut ex altera substantia, vel essentia, aut creatum, aut convertibilem Filium Dei, hos tales anathematizat catholicæ, & A-

(x) Explicando Canonem 5. adversus Arianos editum, quia opus errantis (inquit) non habet passio-

nem; & nativitas Legitima ostendit ex Deo Patre substantiam.

& Apostolice Ecclesie. Hęc ibi. Item a Papa Sylvestro in Concilio Romano 248. Episcoporum, & 45. Diaconorum corroborante Concilium Nicenum. Ab initio igitur concilia, quantumvis & autoritate, & doctrina, & sanctitate, & numero valeant, & quomodolibet aliter magna sint, corroborantur a Romanis Pontificibus, quod est antiquissimum, sic: *Quidquid in Nicaea Bithynie constitutum est, ad robur sancte matris Ecclesie catholice a sanctis sacerdotibus 318. nostro ore confirmamus. Omnes, qui ausi fuerint dissolvere definitionem sancti, & magni Concilii, quod apud Nicæam congregatum est sub presentia piissimi, & venerandi principis Constantini Augusti, anathematizamus. Et dixerunt omnes, placet.* Hęc ibi. Item a reliquis omnibus Conciliis, vel explicite, vel implicite. Nam sequuntur principale istud concilium ita omnia alia, ut synodus Toletana tertia sub Pelagio Papa congregata can. 10. dicat: *Quicumque alibi fidem, & communionem catholicam, preterquam in Ecclesia universalis, quam Niceni, Constantinopolitani, & primi Ephesini, & Chalcedonensis concilii decreta tenent pariter, & honorant; anathema sit.* Hęc ibi. Item a Toletano primo per Leonem Papam autorizato, de regulis fidei cap. 21. sic. *Credimus Filium Dei non esse Patrem, sed de Patre esse natura.* Item a Psalm. 109. *Ex utero ante Luciferum genui te. Ecce, quod non tantum dicit: Ego Pater genui te Filium, sed addit, ex utero, idest, ex mea substantia. More enim humano loquitur, ut nos homines ex visibilibus, que novimus, ad invisibilia capessenda facilius convergamus.* Item a, &c. ut quæst. 39. art. 1. & q. 34. art. 1. & q. 39. art. 4. Tertio vides: quomodo ex his omnibus supradictis vicissim Angelica firmetur conclusio, arque doctrina praefons.

Utrum in divinis sit potentia respectu actuum notionalium.

I. dist. VII. quæst. I. art. I. & pot. quæst. II. art. I.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod in divinis non sit potentia respectu actuum notionalium. Omnis enim potentia est vel activa, vel passiva. Sed neutra hic competere potest: potentia enim passiva in Deo non est, ut supra ostensum est (qu. xxv. art. 1.) potentia vero activa non competit uni personæ respectu alterius, cum personæ divinæ non sint factæ, ut ostensum est (art. præc.) Ergo in divinis non est potentia ad actus notionales.

2. Præterea. Potentia dicitur ad possibile (1). Sed divinæ personæ non sunt de numero possibilium, sed de numero necessariorum. Ergo respectu actuum notionalium, quibus divinæ personæ procedunt, non debet ponni potentia in divinis.

3. Præterea. Filius procedit ut verbum, quod est conceptio intellectus, Spiritus autem sanctus procedit ut amor; qui pertinet ad voluntatem. Sed potentia in Deo dicitur per comparationem ad effectus, non autem per comparationem ad intelligere, & velle, ut supra habitum est (quæst. xxv. art. 1. ad 3.) Ergo in divinis non debet dici potentia per comparationem ad actus notionales.

Sed contra est quod dicit Augustinus contra Maximum hereticum (Lib. III. cap. 1. fer. per tot. & ex cap. xii. post princ.) (2). *Si Deus Pater non potuit generare Filium sibi e qualis, ubi est omnipotencia Dei Patris?* Est ergo in divinis potentia respectu actuum notionalium.

Respondeo dicendum, quod sicut ponuntur actus notionales in divinis, ita necesse est ibi ponere potentiam respectu hujusmodi actuum; cum potentia nihil aliud significet quam

(1) Accipiendo possibile pro contingentι, ut adjuncta ostendunt; quatenus possibile dicitur quod potest esse vel non esse; per oppositum ad id quod est necessario semper, vel quod habet necessitatem, ne quandoque sit; non quatenus impossibili opponitur quod numquam esse potest.

(2) Et cap. 7. paulo aliter videre est: *Quonodo nihil subtrahit Pater in generando Filium quonodo non*

e qualis genus sed minorem? Et paulo infra: *Quid magnum est quia non subtrahit? An forte dare non potest?* *Ubi est omnipotencia Dei Patris?* *Potest ad hunc articulum res colliguntur, ut Deus Pater e qualis sibi gignat Filium aut non potuerit, aut noluerit:* *Si non potuerit infirmus invenerit: Si noluit, invidus &c.*

uum principium alicujus actus. Unde cum patrem intelligamus ut principium generationis, & Patrem, & Filium ut principium spirationis; necesse est quod Patri attribuamus potentiam generandi, & Patri, & Filio potentiam spirandi: quia potentia generandi significat id quo generans generat. Omne autem generans generat aliquo. Unde in omni generante oportet ponere potentiam generandi, & in spirante potentiam spirandi.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut secundum actus notionales non procedit aliqua persona ut facta (1), ita neque potentia ad actus notionales dicitur in divinis per respectum ad aliquam personam factam, sed solum per respectum ad procedentem personam.

Ad secundum dicendum, quod possibile secundum quod necessario opponitur, sequitur potentiam passivam, qua non est in divinis. Inde neque in divinis est aliquid possibile per modum istum, sed solum secundum quod possibile continetur sub necessario (2). Sic ute[m] dici potest, quod sicut Deum esse est possibile, sic Filium generari est possibile.

Ad tertium dicendum, quod potentia significat principium. Principium autem distinctionem importat ab eo, cuius est principium. Consideratur autem duplex distinctio in his, quae dicuntur de Deo, una secundum rem, alia secundum rationem tantum. Secundum rem quidem Deus distinguitur per essentiam a rebus, quarum est per rationem principium; sicut una persona distinguitur ab alia, cuius est principium secundum actum notionalem (3). Sed actio ab gente non distinguitur in Deo, nisi secundum rationem tantum, alioquin actio esset occidens in Deo. Et ideo respectu illarum rationum, secundum quas aliqua res procedunt distincte a Deo vel essentialiter, vel personaliter, potest Deo attribui potentia secundum propriam rationem principii. Et deo sicut potentiam ponimus creandi in Deo, ita possumus ponere potentiam generandi, vel spirandi. Sed intelligere, & vel-

le non sunt tales actus qui designant processionem alicujus rei a Deo distincta vel essentialiter, vel personaliter (4). Unde respectu horum actuum non potest salvare ratio potentiae in Deo nisi secundum modum intelligendi, & significandi tantum, prout diversimode significatur in Deo intellectus, & intelligere, cum tamen ipsum intelligere Dei sit ejus essentia non habens principium.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas haeresim Agarenorum, & Sabellii dicentium: Deus non potest habere Filium, quia uxorem non habet. Item Spiritus sancti omnem tollebat intellectum ipse Sabellius. Illi enim negant potentiam Patris ad generandum Filium, & Sabellius tollit omnem potentiam spirandi Spiritum sanctum, ut patet. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, has iure ab Augustino, tamquam a gerente ibi personam Ecclesie, contra Maximinum haeticum scribente lib. 3. c. 12. fuisse damnatas sic: si Deus Pater non potuit generare Filium sibi e qualis, ubi est omnipotentia Dei Patris? A simili ergo dicere voluit, si Deus Pater, & Filius non potuerunt spirare Spiritum sanctum sibi coequalis, ubi est omnipotentia Patris, & Fili? Item a symbolo fidei consequenter, sic: Credo in Deum omnipotentem. Si enim potentia generandi, atque spirandi continetur sub omnipotentia Dei secundum Augustinum, patet, quod predicatorum damnantur errores per ly Credo in Deum omnipotentem. Item a &c. ut q. 31. artic. 2. & q. 33. ar. 1. q. 36. ar. 1. Terio vides &c.

AR.

(1) Non Filius utique de quo Athanasius in symbolo, a Patre solo est, non factus nec creatus d genitus: Non etiam Spiritus sanctus de quo idem idem: Non factus sed procedens.

(2) Seu secundum quod etiam ea que sunt necessaria, possibilis dici nihilominus possunt, per opportum ad impossibilia vel ad contingentia, sicut iam ip. notatum est.

(3) Puta vel Pater a Filio cuius est principium per generationem: vel Pater & Filius a Spiritu sancto cuius principium sunt per actum spirationem.

(4) Si praese spectentur secundum se ut referuntur ad objecta; quae sunt res intellectus vel voluntatis. Non autem si per comparationem ad verbum aut amorem; ut sup. qu. 28. art. 4.

*Utrum potentia generandi significet relationem,
& non essentiam.*

I. dist. VII. quest. I. art. 2. & pot.
quest. II. art. 2.

AD quantum sic proceditur. Videtur quod potentia generandi, vel spirandi significet relationem, & non essentiam. Potentia enim significat principium, ut ex ejus definitione patet. Dicitur enim potentia activa esse principium agendi, ut patet in V. Metaph. (text. xvii. in princ.) (1) Sed principium in divinis respectu personarum dicitur notionaliter. Ergo potentia in divinis non significat essentiam, sed relationem.

2. Præterea. In divinis non dicitur posse, & agere. Sed generatio in divinis significat relationem. Ergo & potentia generandi.

3. Præterea. Ea quæ significant essentiam in divinis, communia sunt tribus personis: sed potentia generandi non est communis tribus personis, sed propria Patri. Ergo non significat essentiam.

Sed contra est quod sicut Deus potest generare Filium, ita & vult (2). Sed voluntas generandi significat essentiam. Ergo & potentia generandi.

Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod potentia generandi significat relationem in divinis.

Sed hoc esse non potest. Nam illud propriè dicitur potentia in quocumque agente, quo agens agit. Omne autem producens aliquid per suam actionem producit sibi simile quantum ad formam qua agit. Sicut homo genitus est similis generanti in natura humana, cuius virtute pater potest generare hominem. Illud ergo est potentia generativa in aliquo generante, in quo genitum similatur generanti. Filius autem Dei similatur Patri gignenti in natu-

ra divina: unde natura divina in Patre est potentia generandi in ipso (3). Unde Hilarius dicit in V. de Trinit. (non procul a fin.) Nativitas Dei non potest eam, ex qua profecta est, non tenere naturam: nec enim aliud quam Deus subsistit, quod non aliunde quam deo subsistit.

Sic igitur dicendum est, quod potentia generandi principaliter significat divinam essentiam, ut Magister dicit VII. distin. I. Sent. non autem tantum relationem, nec etiam essentiam, inquantum est idem relationi, ut significet ex æquo utrumque. Licet enim paternitas ut forma Patris significetur, est tamen proprietatis personalis habens se ad personam Patris ut forma individualis ad aliud quod individuum creatum. Forma autem individualis in rebus creatis constituit personam generantem, non autem est quo generans generat; alioquin Socrates generaret Socratem. Unde neque paternitas potest intelligi ut quo Pater generat, sed ut consiliens personam generantis; alioquin Pater generaret Patrem. Sed id quo Pater generat, est natura divina, in qua sibi Filius assimilatur: & secundum hoc Damascenus dicit (Lib. I. orthod. Fid. cap. viii.) quod generatio est opus nature, non sicut generantis, sed sicut ejus quo generans generat.

Et ideo potentia generandi significat in reto naturam divinam, sed in obliquo relationem.

Ad primum ergo dicendum, quod potentia non significat ipsam relationem principii, alioquin esset in genere relationis; sed significat id quo est principium, non quidem sicut agens dicitur principium; sed sicut id quo agens agit, dicitur principium. Agens autem distinguitur a facto, & generans a generato. Sed id quo generans generat, est commune genito, & generanti, & tanto perfectius, quanto perfectior fuerit generatio. Unde cum divina generatio sit perfectissima, id

(1) Vel cap. 12. quod inscribitur de potentia, cum duplex potentia statim ab initio distinguitur; altera quasi principium transmutationis in alio, nempe activa: & altera veluti principium transmutationis ab alio, nempe passiva.

(2) Voluntate concomitante tantum quæ importat habitudinem complacentis ad objectum; non voluntate antecedente quæ importat habitudinem principii ad principiatum; ut lib. I. Sent. dist. 6. tum in textu Magistri §. 3. seu lit. C. tum in Commentario S. Thomæ qu. I. art. 2. explicatur.

(3) Vel transposita constructione, quæ per se satatis patere potest, est in ipso potencia generandi;

Quamvis & potencia generandi in ipso, intelligi aliter possit, quia generatio illa sit ad interā, sed hoc nihil ad institutum præsens: In verbis autem ex Hilario mox adjunctis reposuimus juxta illius textum profecta est pro eo quod corrupte prius passim Beccaria S. Thomæ habebant, perfecta est. Ut & ex lib. 5. juxta ipsum Manuscripti notationem reddi dimus, quod in impressis passim ut ex libro 2. notabatur. Ubi multa dicuntur tamen quæ ostendunt Filium Dei ex natura vel essentia Patris procedere, sicut hic intenditur; sive Deum de Deo nasci, & ille esse perfecti Patris, progeniem perfectam ret.

id quo generans generat, est commune genito, & generanti, & idem numero, non solum specie, sicut in rebus creatis. Per hoc ergo quod dicimus, quod essentia divisa est principium quo generans generat: non sequitur quod essentia divina distinguatur, sicut sequeretur, si diceretur, quod essentia divina generat (1).

Ad secundum dicendum, quod sicut est idem in divinis potentia generandi cum generatione, ita essentia divina cum generatione, & paternitate est idem re, sed non ratione.

Ad tertium dicendum, quod cum dico potentiam generandi, potentia (2) significatur in recto, & generatio in obliquo, sicut si dicere essentiam Patris. Unde quantum ad essentiam, quae significatur, potentia generandi communis est tribus personis; quantum autem ad notionem, quae connotatur, propria est persona Patris.

A P P E N D I X .

EX articulo, maxime ex responsione ad tertium habes primo: quomodo per rationem interimas haeresim Raymundi Lull. (Direct. Inquis. 2. p. q. 9.) dicentis: Tres Personæ divinæ sunt tantum in unione, quod nulla illarum trium potest aliquid agere intrinsece sine aliis, quia nec generare, nec spirare. Cum enim statuatur hic, quod potentia generandi significat in obliquo personam, & quod similiter potentia spirandi, hoc est, quod potentia quoad notiōnem connotatam est propria personæ alicui, vel aliquibus, non autem est communis tribus: patet, quod articulus præsens ex ratione contra Raymundum prædictum militat. Secundo habes: quomodo per rationem demonstres, hanc merito fuisse damnatum a Papa Gregor. II. ut ibi dicitur in Directorio, & alias retulimus. Item ab Innocentio in generali synodo de sum. Tri. & fid. cathol. firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod, &c. Pater a nullo, Filius a Patre solo, Spiritus sanctus pariter ab utroque: absque initio semper, ac sine fine, Pater generans, Filius nascens, Spiritus sanctus procedens, consubstantiales. Item in cap. Damnamus, sic: Una quedam summa res est, incomprehensibili-

Summ. S.Th. T.I.

lis, ac ineffabilis, videlicet essentia, substantia, seu natura divina, que veraciter est Pater, qui generat, & Filius, qui gignitur, & Spiritus sanctus, qui procedit, ut distinctiones sint in personis, & unitas in natura. Hæc ibi. Nota concilii conclusionem, scilicet, ut distinctiones sint in personis &c. Quia præmisserat, & essentiam, & personas, & actus notionales, idest, generare, gigni, procedere, ideo oportet ad conclusionis sufficientiam dicere, quod Concilium in ly personis subintelligit actus notionales proprios personarum, quos præmisserat. Vult ergo dicere sic aperiens, ut distinctiones sint in personis, actibusque earum notionalibus (modo præmisso) & unitas in natura. Item a regulis fidei traditis ab August. (Fulg.) in lib. ad Petrum c. 6. sic: firmissime tene, & nullatenus dubites, Patris, & Filii, & Spiritus sancti unam quidem esse naturam, tres vero personas; Patremque solum esse, qui dixit: Hic est Filius meus dilectus; & Filium solum esse, super quem illa vox filius Patris sonuit; & Spiritum sanctum Patris, & Filii solum esse, qui in specie columbae super Christum baptizatum descendit, & quinquagesimo die post resurrectionem Christi fideles in uno loco positos in linguarum ignearum visione adveniens replevit. Illam vero vocem, quam solus locutus est Deus Pater, & illam carnem, quam solus homo factus unigenitus Deus assumpit, & illam columbam, in cuius specie Spiritus sanctus super Christum descendit, illasque linguas igneas, in quarum visione fideles uno loco constitutos replevit; opera esse totius Trinitatis, id est, unius Dei, qui fecit omnia in celis, & in terra visibilia, & invisibilia. Hæc ibi. Ecce, quod secundum fidem opera ad intra, scilicet gignere Filium, Filium gigni, spirare Spiritum sanctum non sunt communia toti Trinitati; contra Raymundum, licet in una natura numero sint omnes tres personæ: sed opera ad extra sunt omnibus illis communia. Terro vides: quomodo ex his vicissim præsens Angelica doctrina firmetur.

Ccc

AR-

(1) Hinc ergo haeretica loquutio videri debet, si præcisè sumatur.

(2) Quæ communis est, ut essentia, sed non ut

essentia Patris: Et sic etiam potentia ut potestia; sed non ut potentia generandi.

A R T I C U L U S VI. 219

Utrum actus notionalis ad plures personas terminari possit.

I. dist. VII. quest. II. art. 2. & pot. quest. II. art. 1. ad 10. & art. 4.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod actus notionalis ad plures personas terminari possit, ita quod sint plures personæ genitæ, vel spiratæ in divinis. Cuicunque enim inest potentia generandi, potest generare. Sed Filio inest potentia generandi. Ergo potest generare: non autem se ipsum: ergo alium filium. Ergo possunt esse plures filii in divinis.

2. Præterea. Augustinus dicit contra Maximinum (Lib. III. cap. xii. circa fin.) (1) *Filius non genuit creatorem, neque enim non potuit, sed non oportuit.*

3. Præterea. Deus Pater est potentior ad generandum quam pater creatus. Sed unus homo potest generare plures filios. Ergo & Deus, præcipue cum potentia Patris, uno filio generato, non diminuatur.

Sed contra est quod in divinis non differt esse, & posse (2). Si igitur in divinis possent esse plures filii, essent plures filii; & ita essent plures personæ quam tres in divinis: quod est hæreticum.

Respondeo dicendum, quod, sicut Athanasius dicit (in suo symb. fid.) in divinis est tantum *utens Pater, unus Filius, unus Spiritus sanctus.* Cujus quidem ratio quadruplex assignari potest.

Prima quidem ex parte relationam, quibus solum personæ distinguuntur. Cum enim personæ divinæ sint ipsæ relationes subsistentes, non possent esse plures patres, vel plures filii in divinis, nisi essent plures paternità-

tes, & plures filiationes. Quod quidem esse non posset nisi secundum materialem rerum distinctionem. Formæ enim unius speciei non multiplicantur nisi secundum materiam, quæ in divinis non est. Unde in divinis non potest esse nisi una tantum filatio subsistens, sicut & albedo subsistens non posset esse nisi una.

Secunda vero ex modo processionum: quia Deus omnia intelligit, & vult uno & simplici actu (3). Unde non potest esse nisi una persona procedens per modum verbi, quæ est Filius, & una tantum per modum amoris, quæ est Spiritus sanctus.

Tertia vero sumitur ex modo procedendi: quia persona ipsæ procedunt naturaliter, ut dictum est (art. 2. hujus quest. ad 3. & 4.) Natura autem determinatur ad unum.

Quarta ex perfectione divinarum personarum. Ex hoc enim est perfectus Filius, quod tota filatio divina in eo continetur, & quod est tantum unus filius: & similiter dicendum est de aliis personis.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis simpliciter concedendum sit, quod potentiam quam habet Pater, habeat Filius; non tamen concedendum est, quod Filius habeat potentiam generandi, si *generandi* sit gerundium verbi activi, ut sit sensus, quod Filius habeat potentiam ad generandum (4). Sicut licet idem esse sit Patris, & Filii, non tamen convenit Filio esse Patrem propter notionale adjunctum. Si tamen hoc quod dico *generandi*, sit gerundium verbi passivi, potentia generandi est in Filio, id est ut generetur: & similiter si sit gerundium verbi impersonalis, ut sit sensus, potentia generandi, id est qua ab aliqua persona generatur.

Ad secundum dicendum, quod Augustinus in verbis illis non intendit dicere, quod Filius posset generare filium, sed quod hoc non est ex *impotentia* Filii quod non generet, ut infra

(1) Sive paulo plenius; *Abst autem ut ideo sit potentior Pater Filio, quia Pater genuit creatorem, Filius autem non &c.*

(2) Ut ex 3. Physic. text. 32. five cap. 4. colligi potest: ubi Aristoteles ait *posse* in perpetuis non differe ab ipso *esse*: Intelligit autem passivum *posse* non activum, seu potentiam ut sint, non ut agant; cum græce dicat ἐξεργάσαται quod significat contingere: Nec tamen intelligit *contingens* quod possit esse vel non esse (quia sic perpetuum non esset) sed quod in se continet potentiam effendi & sub ne-

cessario continetur, ut jam antea indicatum est.

(3) Respective loquendo: id est omnia intelligit uno simplici actu intelligendi; & omnia vult uno simplici actu volendi &c. Quamvis etiam actus intelligendi & volendi possint dici quantum ad essentiam unus actus, quia sunt essentia ipsa divina &c.

(4) Quo potissimum sensu a Grammaticis hæc inquitio sumi solet: Unde planius negantur est quod potentia generandi ut *potentia generandi* sit in Filio quam concedendum quod sit.

infra patet (quæst. xliz. art. 6. ad 3.) (1). Ad tertium dicendum, quod immaterialitas, & perfectio divina requirit ut non possint esse plures filii in divinis, sicut dictum est (in corp. art.) Unde quod non int plures filii, non est ex impotentia Patris id generandum.

A P P E N D I X.

Ex art. habes primo : quomodo per rationem interimas hæresim Raymundi Lull. (Direct. Inquis. 2. p. q. 9.) dicentis, quod Deus Pater est multiplicabilis, & Deus Filius consimiliter. Secundo habes : quomodo per rationem ostendas hanc merito fuisse damnatam a Gregorio XI. de consilio etiam fratum suorum post diligens examen, ut ibi in Directorio legitur. Item a Papa Innocentio Tertio, in Concilio generali de sum. Trinit. & fid. cathol. Damnamus, sic: *Nos sacro approbante concilio credimus, & confitemur, quod &c. in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas.* Hæc ibi. Ex Concilio igitur patet: quod in divinis non possunt esse plures vel Patres, vel Filii, vel Spiritus sancti. Tunc enim quaternitas ibi esset, si posset quis illorum multiplicari: cuin in Deo maxime, ut qui sit omnino immutabilis, non differant esse, & posse. Item ab omnibus Conciliis, orthodoxis dogmatibus, atque scripturis. Quælibet enim Concilia, sacra dogmata pariter, & scripturæ, confessioni predictæ Romani Pontificis concordant, Trinitatem solum astrictuendo, quaternitatem damnando. Nec Raymundum excusatio præmissæ Pontificis definitioni conciliat, id, quod eodem Directorio ibi art. 8. testante ipsem assert. In divinis (inquit) sunt tres personæ, nec plures, nec pauciores, scilicet unius, unibilis, & unire: Deificans, deificabilis, & deificare; Æternificans, æternificabilis, & æternificare. Hoc, inquam, non excusat Raymundum, imo plus accusat: quoniam hæc phantastica hæresis est ibi damnata a Gregorio solemniter. Concilio etiam Innocentii non conciliat illum, quoniam nec verba ipsius expressissima, plurisque reperita attingit. Mox enim post ly quaternitas subinfert Concilium: *Quia quelibet trium perso-*

narum est illa res, videlicet, essentia divina, & infra. Est Pater, qui generat, Filius, qui gignitur, Spiritus sanctus, qui procedit, ut distinctiones sint in personis, & unitas in natura. Hæc ibi, & supra in c. firmiter, sic: Unus solus est verus Deus Pater: & Filius, & Spiritus sanctus, tres quidem persona, sed una essentia, substantia, seu natura. Personas ergo Concilium vocat Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, non autem illa tria, quæ iste phantasticus a diabolo edoctus evomuit. Tercio vides &c.

Q UÆST I O' XLII.

De equalitate, & similitudine divinarum personarum ad invicem,

In sex articulos divisæ.

Deinde considerandum est de comparatione personarum ad invicem: & primo quantum ad æqualitatem, & similitudinem; secundo quantum ad missionem.

Circa primum queruntur sex.

Primo, utrum æqualitas locum habeat in divinis Personis.

Secundo, utrum persona procedens sit æqualis ei a qua procedit secundum æternitatem.

Tertio, utrum sit aliquis ordo in divinis personis.

Quarto, utrum personæ divinæ sint æquales secundum magnitudinem.

Quinto, utrum una earum sit in alia.

Sexto, utrum sint æquales secundum potentiam.

A R T I C U L U S I. 220

Utrum æqualitas locum habeat in divinis.

III. Part. quæst. lviii. art. 2. & I. diss. xix.
quæst. I. art. 1. & IV. cont. cap. ix.

Ad primum sic proceditur: Videtur quod æqualitas non comperat divinis personis. Æqualitas enim attenditur secundum unum in quantitate, ut patet per Philosophum V. Metaph. (tex. 20.) In divinis

Ccc 2 au-

(1) Ubi minus expresse tamen hoc indicatur, quia eadem potentia quæ est in Patre simul est in Filio sed cum alia relatione; habetur autem expressus lib. I. Sent. dist. 7. tum in texu lit. G. seu

§. 7. tum in expozitione textus ubi dicitur quod posse generare non est de illis que ad Filium pertinent; unde non posse generare impotentiam ejus non arguit.

autem personis non invenitur neque quantitas continua intrinseca, quæ dicitur magnitudo (1); neque quantitas continua extrinseca, quæ dicitur locus, & tempus: neque secundum quantitatem discretam invenitur in eis æqualitas, quia duæ personæ sunt plures quam una. Ergo divinis personis non convenit æqualitas.

2. Præterea. Divinæ personæ sunt unius essentia, ut supra dictum est (quest. xxxix. art. 5.) Essentia autem significatur per modum formæ: convenientia autem in forma non facit æqualitatem, sed similitudinem. Ergo in divinis personis est dicenda similitudo, & non æqualitas.

3. Præterea. In quibuscumque invenitur æqualitas, illa sunt sibi invicem æqualia: quia æquale dicitur æquali æquale. Sed divinæ personæ non possunt sibi invicem dici æquales: quia, ut Augustinus dicit VI. de Trin. (cap. x. parum a princ.) *imago, si perfecte implet* (2) *illud cuius est imago, ipsa coequatur ei, non illud imagini sue*. Imago autem Patris est Filius, & sic Pater non est æqualis Filio. Non ergo in divinis personis invenitur æqualitas.

4. Præterea. Æqualitas relatio quædam est. Sed nulla relatio est communis omnibus personis; cum secundum relationes personæ ab invicem distinguantur. Non ergo æqualitas divinis personis convenit.

Sed contra est quod Athanasius (in suo symb. fid.) dicit, quod *tres personæ coeteræ sibi sunt, & coæquales*.

Respondeo dicendum, quod necesse est ponere æqualitatem in divinis personis. Quia secundum Philosophum in X. Metaph. (tex.

19.) (3) æquale dicitur quasi per negationem minoris, & majoris: non autem possumus in divinis personis ponere aliquid maius, & minus: quia, ut Boetius dicit in Lib. de Trin. (paulo a princ.) *Eos differentia, scilicet Deitatis, comitatur qui vel augent, vel minuant; ut Ariani, qui gradibus numerorum Trinitatem variantes distractabunt, atque in pluralitatem deducunt*. Cujus ratio est, quia inæqualium non potest esse una quantitas numero. Quantitas autem in divinis non est aliud quam ejus essentia. Unde relinquatur quod si esset aliqua inæqualitas in divinis personis, non esset in eis una essentia; & sic non essent tres personæ unus Deus: quod est impossibile. Oportet igitur æqualitatem ponere in divinis personis (4).

Ad primum ergo dicendum, quod duplex est quantitas. Una scilicet quæ dicitur quantitas molis, vel quantitas dimensiva, quæ in solis rebus corporalibus est: unde in divinis personis locum non habet. Sed alia est quantitas virtutis, quæ attenditur secundum perfectionem alicujus naturæ, vel formæ, quæ quidem quantitas designatur, secundum quod dicitur aliquid magis, vel minus calidum, inquantum est perfectus, vel minus perfectum in tali caliditate. Hujusmodi autem quantitas virtualis attenditur primo quidem in radice, id est in ipsa perfectione formæ, vel naturæ; & sic dicitur magnitudo (*) specialis, sicut dicitur magnus calor propter suam intensionem, & perfectionem. Et ideo dicit Augustinus VI. de Trin. (cap. viii. circa med.) quod *in his quæ non mole magna sunt, hoc est maior esse quod est melius esse*: nam melius dicitur quod

(1) Sive in longum, ut linea; sive in latum, sicut superficies, vel in profundum, sicut corpus: Hinc tres illæ tantum species quantitatis physicae sive Metaphysicae assignantur; sed locus nullo modo, nec tempus nisi per accidens: Logicas autem assignantur etiam duas istæ propter habitudinem extensam.

(2) Alioqui non omnis & quilibet imago continuo æqualitas est, vel adjunctam æqualitatem habet, ut idem Augustinus ostendit lib. 83. questionum qu. 74. per exemplum hominis & speculi; sicut in speculo est imago hominis & similitudo (inquit) non tamæ equalitas; quia multæ desunt imaginis quæ tamæ insunt illæ rei de qua expressæ est, &c.

(3) Et in antiquis Edit. cap. 8. sed in recentioribus græco latinis cap. 5. non sicut prius indicabatur ad marginem text. 15. 16. 17. ubi tantum inæqualitas æqualitati contraria dicitur, & æquale magno & parvo contrarium.

(4) Ita definitum est in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. i. ex quo sumpta est Decretilis *Firmiter* extra de summa Trinitate & fide Catholica; ubi Pater, Filius, & Spiritus sanctus dicuntur esse *consubstantiales, & coæquales, & coomnipotentes, & coeteræ, unum universale principium*: In quibus verbis quintuplicem æqualitatem notat Opusc. 25. S. Thomas cum eam Decretilam explicat ex professo; nempe in essentia, quia *consubstantiales, in magnitudine; quia coæquales; in potentia, quia coomnipotentes, in duratione, quia coeteræ; & in operatione, quia omnia principium*. Quod autem subiungitur ex Augustino, est Fulgentii tantum, ut jam toties notatum est, & sic refertur in Officio Trinitatis: Ex vero tamen Augustino tum epist. 66. tum serm. 129 & 191. de temp. tum de agone christiano colligi possunt quoad sensum.

(*) *Ab. spiritualis.*

quod perfectius est. Secundo autem attenditur quantitas virtualis in effectibus formæ. Primus autem effectus formæ est esse, nam omnis res habet esse secundum suam formam. Secundus autem effectus est operatio, nam omne agens agit per suam formam. Attenditur igitur quantitas virtualis & secundum esse, & secundum operationem. Secundum esse quidem, inquantum ea quæ sunt perfectioris naturæ, sunt majoris durationis. Secundum operationem vero, inquantum ea quæ sunt perfectioris naturæ, sunt magis potentia ad agendum. Sic igitur, ut Augustinus (Fulgentius) dicit in Lib. de fide ad Petr. (cap. 1. ante med.) *æqualitas intelligitur in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, inquantum nullus horum aut precedit aeternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate.*

Ad secundum dicendum, quod ubi attenditur æqualitas secundum quantitatem virtualem, æqualitas includit in se similitudinem, & aliquid plus, quia excludit excessum. Quæcumque enim communicant in una forma, possunt dici similia, etiam si inæqualiter illam formam participant; sicut si dicatur aer esse similis igni in calore. Sed non possunt dici æqualia, si unum altero perfectius formam illam participet. Et quia non solum una est natura Patris, & Filii, sed etiam æque perfecte est in utroque: ideo non solum dicimus Filium esse similem Patrem, ut excludatur error Eunomii (1) (ex August. Lib. de hæresibus, hæresi liv.) sed etiam dicimus æqualem, ut excludatur error Arii.

Ad tertium dicendum, quod æqualitas, vel similitudo duplice paret significari in divinis, scilicet per nomina, & per verba. Secundum quidem quod significatur per nomina, mutua æqualitas dicitur in divinis personis, & similitudo: Filius enim est æqualis, & similis Patri, & e converso: & hoc ideo quia essentia divina non magis est Patris quam Filii. Unde sicut Filius habet magnitudinem Patris, quod est esse eum æ-

qualem Patri; ita Pater habet magnitudinem Filii, quod est esse eum æqualem Filio. Sed quantum ad creaturas, ut Dionysius dicit ix. cap. de div. Nom. (post. med.) non recipitur conversio æqualitatis, & similitudinis. Dicuntur enim causata similia causis, inquantum habent formam causarum, sed non e converso: quia forma principaliter est in causa, & secundario in causato. Sed verba significant æqualitatem cum motu. Et licet motus non sit in divinis, est tamen ibi accipere. Quia igitur Filius accipit a Patre, unde est æqualis ei, & non e converso; propter hoc dicimus, quod Filius coæquatur Patri, & non e converso.

Ad quartum dicendum, quod in divinis personis nihil est considerare nisi essentiam, in qua communicant, & relationes, in quibus distinguntur. Æqualitas autem utrumque importat, scilicet distinctionem personarum (quia nihil sibi ipsi dicitur æquale) & unitatem essentiæ, quia ex hoc personæ sunt sibi invicem æquales, quod sunt unius magnitudinis, & essentiæ. Manifestum est autem quod idem ad se ipsum non refertur aliqua relatione reali: nec iterum una relatio refertur ad aliam per aliquam aliam relationem. Cum enim dicimus, quod paternitas opponitur filiationi, oppositio non est relatio media inter paternitatem, & filiationem, quia utroque modo relatio multiplicatur in infinitum. Et ideo æqualitas, & similitudo in divinis personis non est aliqua realis relatio distincta a relationibus personalibus; sed in suo intellectu includit & relationes distinguentes personas, & essentiæ unitatem. Et propterea Magister dicit in xxxi. dist. I. Sentent. quod in his appellatio tantum est relativa.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem interimas hæreses Arii dicentis, Filium Patre esse minorem. Item Filium ita esse in Patre, ut vas parvum in majori vase,

(1) Qui Filium scilicet nulla in re similem Patri sed per omnia dissimilem ut & Filio Spiritum sanctum, afferebat; Arius autem e contrario similem quidem fatebatur (ὁμοίων) sed non similem in eadem natura (ὁμότιττον) Eam autem fuisse Eunomii hæresim patet ex Augustino libro de hæresibus hæresi 54. & ex Epiphanio hæresi 76. Nec repugnat quod Gennadius in Sabbatio sorbit, eum Eunomio probasse cum illius hæresim refelleret quod

Pater & Filius per ilium naturatum non essent: Quia hoc Sabbatius dixit ad revincendum Eunomium qui Catholicis exprobabat quod Patrem & Filium sic æquales dicerent ut unum ex altero non procedere sequeretur. Falluntur ergo qui propter illam Sabbatii probationem Eunomium inferunt pares in Patre & Filio naturas agnoscere; cum nec naturas pares agnoscere sed pares in natura personas debuerint.

vase. Item Filium esse simplicem creaturam. Item Filium a Patre tantum distare, quantum Apostoli a Christo. Item Filium hominibus sanctis comparatum esse veritatem, sed Patri collatum esse mendacium. Item Filium non esse eiusdem substantiae cum Patre. Item Filium non esse cum Patre orandum. Item Filium non esse indulgendarum petitionum authorem, sed supplicatorem. Item heresim Deistarum dicentium: Filium non dici, sed tantum Patrem dici verum Deum. Item heresim Valentini dicentis Filium nomine esse Deum, quasi precatum, & a Patre differre substantialiter, seu essentialiter, & qui Filium essentia Deum, ut Pater est, dicit, duo principia asserit. Item de Spiritu sancto illam Deistarum, Spiritum sanctum non dici, sed solum Patrem dici verum Deum. Item Eusebii dicentis, Spiritum sanctum Patre, & Filio esse minorum. Item Macedonii dicentis Spiritum sanctum esse creatum, factum, non Deum. Item Eustathii dicentis Spiritum sanctum neque Deum, neque creaturam esse. Item Marathonii dicentis Spiritum sanctum non Deum perfectum, & Patri consubstantiale esse, sed famulum, ministrum, Angelicisque ordinibus paulo praestantiorum. Alias haereses nebulonum de Spiritu sancto vide q. 36. art. 1. & q. 33. a. 1. & q. 27. art. 3. & q. 41. art. 4. & q. 39. art. 1. & quest. 41. articul. 3. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, has omnes rectissime damnatas fuisse a concilio Lateranensi, de sum. Trin. & fid. cath. firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod &c. Pater & Filius, & Spiritus sanctus sunt consubstantiales, & coæquales. Item a symbolo Athanasii, quod pro compendiosa regula fidei habetur a Florentino in suis decretis super unione Jacobinorum, & Armenorum sic: Patris & Filii, & Spiritus sancti una est divinitas, equalis gloria, coæsterna maiestas. Item sic: in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus, aut minus; sed totæ tres personæ coeterne sibi sunt, & coæquales. Hæc ibi. Item a Papa Damaso, in professione catholicae fidei ad Paulinum Macedoniam Episcopum can. 21. Si quis non dicat Patris, & Filii, & Spiritus sancti unam Deitatem, potestatem, potentiam, unam gloriam, unum regnum, unam voluntatem, & veritatem: anathema sit. Item can. 22. Si quis non dicat, tres veras esse personas Patris, & Filii, & Spiritus sancti, coæquales, semper viventes, omnia, & visibilia, & invisibilia, continentes, omnia potentes, omnia judicantes,

omnia vivificantes, omnia creantes, omnia servantes, anathema sit. Item canon. 23. Si quis non dicat Spiritum sanctum perinde atque Filium, & Patrem orandum esse: anathema sit. Item can. 24. Si quis de Patre, & Filio recte sentiat, de Spiritu sancto autem balbecatur, hereticus est. Item can. 25. Si quis divinitatem dividat, singulatim Deum Patrem dicens, & Deum Filium, & Deum Spiritum sanctum, & contendat tres Deos esse dicendos, & non unum propter unam divinitatem in tribus subsistentiis, unamque potestatem, quam esse credimus, & scimus Patris, & Filii, & Spiritus sancti: aut e diverso substrabens Filium, & Spiritum sanctum, existimet solum Patrem Deum dicendum, vel unum ipsius Deum credendum esse: anathema sit. Nam Deorum nomen, & angelis, & sanctis omnibus a Deo per gratiam impositum, atque tributum est. De Patre autem, & Filio, & Spiritu sancto, propter unam, & equalem divinitatem, non deorum nomina, sed Dei nostri nomen significatur, & declaratur, ut credamus nos in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum tantum baptizari, & non in Archangelorum, aut Angelorum nomina secundum haeresicos, aut Iudeos, aut Ethnicas insanos. Hæc ille. Quodam horum faciunt ad qu. 13. art. 9. & qu. 29. art. 6. & qu. 30. art. 1. & 2. & qu. 31. art. 1. 2. & 4. & qu. 39. art. 1. 2. & 3. Item a Concilio Lateranensi sub Martino Papa, seu a decretis synodis Martini Papæ primi can. 1. Si quis non confiteretur secundum sanctos Patres, proprie, & vere Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum trinitatem in unitate, unitatem in trinitate, hoc est, Unum Deum in tribus subsistentiis consubstantialibus, & equalis glorie, unam, eamdemque Trium deitatem, naturam, substanciali, virtutem, dominacionem, regnum, potestatem, voluntatem, operationem, beatitudinem inconditam, sine initio infinitam, immutabilem, creatricem omnium, providam, & protectricem: anathema sit. Item ab eodem canon. 16. sic. Si quis non confiteretur secundum sanctos Patres proprie, & vere, omnia, que tradita sunt, & prædicata sunt, & apostolice Dei Ecclesiæ ab ipsis sanctis Patribus, & probabilibus, & universilibus quinque conciliis, usque ad unum apicum, verbo, & mente, sit condemnatus. Hæc ibi. Quis modo neficiat, equalitatem trium personarum, immo quovad, idest consubstantialitatem a Conciliis Niceno primo, & sequentibus esse traditam, & prædicatum sanctæ, & apostolice Dei Ecclesiæ? Condemnati ergo sunt, qui vere, & proprie tres ipsas personas esse coæquales, atque

consubstantiales non credunt, non conuentur. Item a Concilio Constantinopolitano quinto, can. 1. *Si quis non conuenit, Patis, & Filiis, & Spiritus sancti unam naturam, sive essentiam, unam virtutem, & potestatem, Trinitatem consubstantialem, unam Deitatem in tribus subsistentiis, sive personis adorandam: talis anathema sit.* Unus enim Deus Pater, ex quo omnia, & unus Dominus Jesus, per quem omnia, & unus Spiritus sanctus, in quo omnia. Hæc ibi. Item a &c. ut q. 41. art. 3. & q. 34. art. 2. & q. 41. art. 2. & q. 36. art. 1. & q. 33. art. 1. & q. 39. art. 1. Tertio videt: quomodo ex his &c.

ARTICULUS II. 221

Utrum persona procedens sit coetera suo principio, ut Filius Patri.

IV. cont. cap. XI. & pot. quest. II. art. 3.
cont. & quest. III. art. 13. & opus.
II. cap. XI.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod persona procedens non sit coetera suo principio, ut Filius Patri. Arius enim duodecim modos generationis assignat. Primus modus est juxta fluxum lineæ a punto, ubi deest æqualitas simplicitatis. Secundus modus est juxta emissionem radiorum a Sole, ubi deest æqualitas naturæ. Tertius modus est juxta characterem, seu impressiōnem a filillo, ubi deest consubstantialitas, & potentia efficientia (1). Quartus modus est juxta immisionem bonæ voluntatis a Deo, ubi etiam deest consubstantialitas. Quintus modus est juxta exitum accidentis a substantia; sed accidenti deest subsistentia. Sextus modus est juxta abstractionem speciei a materia, sicut sensus accipit speciem a re sensibili, ubi deest (*) æqualitas simplicitatis

spiritualis. Septimus modus est juxta excitationem voluntatis a cogitatione, quæ quidem excitatio temporalis est. Octavus modus est juxta transfigurationem, ut ex ære fit imago, quæ materialis est. Nonus modus est motus a movente; & hic etiam ponitur effectus, & causa. Decimus modus est juxta eductionem specierum a genere, qui non competit in divinis, quia Pater non prædatur de Filio sicut genus de specie. Undecimus modus est juxta ideationem, ut arca exterior ab ea quæ est in mente. Duodecimus modus est juxta nascentia, ut homo est a Patre: ubi est prius, & posterius secundum tempus. Patet ergo quod in omnimodo quo aliquid est ex altero, deest æqualitas naturæ, aut æqualitas durationis. Si igitur Filius est a Patre, oportet dicere, vel eum esse minorem Patre, aut posteriorem, aut utrumque.

2. Præterea. Omne quod est ex altero, habet principium. Sed nullum æternum habet principium. Ergo Filius non est æternus, neque Spiritus sanctus.

3. Præterea. Omne quod corruptitur, definit esse. Ergo omne quod generatur, incipit esse: ad hoc enim generatur ut sit. Sed Filius est genitus a Patre. Ergo incipit esse, & non est coeterus Patri.

4. Præterea. Si Filius genitus est a Patre, aut semper generatur, aut est dare aliquod instans suæ generationis. Si semper generatur (dum autem aliquid est in generari, est imperfectum, sicut patet in successivis, quæ sunt semper in fieri, ut tempus, & motus) sequitur quod Filius semper sit imperfectus, quod est inconveniens. Est ergo dare aliquod instans generationis Filii. Ante illud ergo instans Filius non erat.

Sed contra est quod Athanasius (in suis symb. fid.) dicit, quod *tote tres persona coeterae fibi sunt* (2).

Re-

(1) Quippe non idem potest impressio sigilli ac sigillum, sicut nec est eadem utriusque substantia vel materia substantialis: Puta quando sigillum ex metallo in cera imprimitur, quæ similiter imprimere se in aliam quamcumque materiam non potest. Unde nec modus ille congruerit accommodari Deo potest; quia eamdem essentiam & potentiam communicat Filio Pater: Quamvis aliquo modo & bono sensu propter perfectam generantis expressionem, tum figura sive character substantiae paternæ appellatur ab Apostolo, ut ad Hebreos 1. videtur est (græce autem χαρακτὴρ ὑποστάσιος) tum sigillum a Basilio (σημαῖα) lib. 2. contra Eunomium & fa-

gnaculum ab Hilario lib. 8. de Trinit. Sicut & sigillum Filii Spiritum sanctum Athanasius vocat &c.

(2) Codd. Alcan. & Caimer. æqualitas spiritualitatis.

(2) Sic etiam in Concilio Lateranensi seu cap. *Priuſis*, ut iam supra: Et multo ante in undecima Toletana Synodo tom. 2. Conciliorum parte 2. *Trinitatem in personarum distinctione agnoscimus; Unitesam propter naturam vel substantiam profitemur;* Nec tres iste personæ separabiles estimanda sunt, cum nulla ante aliam, nulla post aliam, nulla sine alia &c. Et in professione Damasi Papæ tom. 1. Conciliorum part. 1. *Si quis non dixerit semper Patrem,* sem-

Respondeo dicendum , quod necesse est dicere Filiū esse coeternum Patri .

Ad cuius evidentiam considerandum est , quod aliquid ex principio existens posterius esse suo principio potest contingere ex duobus : uno modo ex parte agentis , alio modo ex parte actionis . Ex parte agentis quidem , aliter in agentibus voluntariis , aliter in agentibus naturalibus . In agentibus voluntariis propter electionem temporis : sicut enim in agentis voluntarii potestate est eligere formam quam effectui conserat , ut supra dictum est (quæst . xl . art . 2 .) ita in ejus potestate est eligere tempus in quo effectum producat . In agentibus autem naturalibus hoc contingit quia agens aliquod non a principio habet perfectionem virtutis naturalis ad agendum , sed ei advenit post aliquod tempus , sicut homo non a principio generare potest . Ex parte autem actionis impeditur ne id quod est a principio , simul sit cum suo principio , propter hoc quod actio est successiva . Unde dato quod aliquod agens tali actione agere inciperet statim cum esset , non statim in eodem instanti esset effectus , sed in instanti ad quod terminatur actio . Manifestum est autem secundum præmissa (quæst . præced . art . 2 .) quod Pater non generat Filium voluntate , sed natura ; & iterum quod natura Patris ab æterno perfecta fuit ; & iterum quod actio qua Pater producit Filium , non est successiva , quia sic Filius Dei successive (*) generaretur , & esset ejus generatio materialis , & cum motu : quod est impossibile . Relinquitur ergo quod Filius fuit quandocumque fuit Pater : & sic Filius est coeternus Patri , & similiter Spiritus sanctus utriusque .

Ad primum ergo dicendum , quod , sicut Augustinus dicit in Lib . de verbis Domini (serm . xxxviii . per totum , & præsertim cap . iv . v . & vi .) (1) nullus modus processionis alicujus creaturæ perfecte repræsen-

tat divinam generationem . Unde oportet ex multis modis colligere similitudinem , ut quod deest ex uno , aliquiliter suppleatur ex altero : & propter hoc dicitur in Synodo Ephesina : *Coexistere semper coeternum Patri Filium , splendor tibi denuntiet . Impassibilitatem natrualitatis ostendat Verbum . Consustanciam Filiī nomen insinuet .* Inter omnia ramen expressius representat processio verbi ab intellectu : quod quidem non est posterius eo a quo procedit , nisi sit talis intellectus qui exeat de potentia in actum : quod in Deo dici non potest .

Ad secundum dicendum , quod æternitas excludit principium durationis , sed non principium originis .

Ad tertium dicendum , quod omnis corruptio est mutatio quædam : & ideo omne quod corruptitur , incipit non esse , & definit esse . Sed generatio divina non est transmutatio , ut dictum est supra (quæst . xxvii . art . 2 .) Unde Filius semper generatur , & Pater semper generat .

Ad quartum dicendum , quod in tempore aliud est quod est indivisible , scilicet stans , & aliud est quod est durans , scilicet tempus ; sed in æternitate ipsum nunc indivisible est , & semper stans , ut supra dictum est (quæst . x . art . 4 .) Generatio vero Filii non est in nunc temporis , aut in tempore , sed in æternitate : & ideo ad significandum præstantialitatem , & permanentiam æternitatis potest dici , quod semper nascitur , ut Origenes dixit (hom . in cap . i . Joan . a med .) Sed , ut Gregorius (XXIX . Moral . cap . i . in princ .) & Augustinus (in Psal . ii . super illud , *Hodie genui te*) dicunt , melius est quod dicatur semper natus , ut ly semper designet permanentiam æternitatis , & ly natus perfectionem geniti . Sic ergo Filius (**) non imperfectus est , neque erat (2) quando non erat , ut Arius dixit .

AP-

semper Filium , semper Spiritum sanctum esse , anathema sit : Et interius adhuc : Si quis tres personas non denerit semper viventes , anathema sit : Et in epistola etiam Patrum Concilii Constantinopolitani primi ad eundem Dagnasum : Antiquissima fides nos docet credere in Patris & Filii & Spiritus sancti dignitatem aqualem & coeternum regnum &c.

(*) Ita cod . Alcan . cum duobus aliis , quibus adharet Nicolajus . Edit . Rom . & Patav . generatus esset , & ejus generatio materialis , & cum motu esset : quod est impossibile .

(1) Ut videre est ibi ac deinceps , ubi quædam

exempla notar proferri posse quæ coeternitatem hinc coexistentiam significant , sicut splendor qui ab igne procedit statim atque ignis est ; sed non identitatem substantiae quæ non est in splendore cum igne : Quædam autem alia quæ ostendunt identitatem substantiae ; sed non coexistentiam vel coexistentiam ; sicut hominis , qui ab homine generatur : Unde jungenda simul utraque vult , ut personarum coeteritas & consubstantialitas intelligatur .

(**) MS . Alcan . nec imperfectus est , nec erat .

(2) Supple , non erat ultra duratio in qua ipse non esset .

APPENDIX.

EX articulo habes primo : quomodo per rationem interimas heres Raymundi Lull. dicentis : Pater Deus est , antequam esset Deus Filius . Item Menatis Ariani dicentis . Verbum Dei non semper erat . Item Pauli Samosateni dicentis , Filium non esse sempiternum cum Patre credendum . Item Luce Sternberger dicentis , Spiritum sanctum nihil aliud fuisse , quam illam columbam , quæ descendit super Christum baptizatum : Secundum hunc igitur Spiritus sanctus non erat coæternus Patri , & Filio : sic & hi , qui possebant Spiritum sanctum creaturam , de quibus q. 36. art. 1. & q. 39. art. 1. & q. 42. art. 1. & q. 41. art. 3. mentio fit : similiter & hi , qui dixerunt , Melchisedech fuisse Spiritum sanctum . Item , qui se esse jaetabant Spiritum sanctum , ut Manes , Thomas , Manicheus , Montanus . Nam hi omnes coæternitatem Spiritus sancti revera impugnabant sic dicendo , & ideo per hujus articuli rationem convincuntur . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas , universas istas justissime fuisse damnatas a Concilio Lateranensi sub Ivnoc. III. de sum. Trinit. & fid. cath. firmiter credimus , & simpliciter confitemur , quod &c. Pater , & Filius , & Spiritus sanctus sunt tres quidem personæ , sed una natura simplex omnia &c. consubstantiales , & coæquales , & coomnipotentes , & coæterni . Hæc ibi . Item a symbolo Athanasii , & ab omnibus citatis in præcedenti articulo . Vide per totum : licet sufficeret ad insanias has cum similibus revincendas videre , quod sunt quoisitor idest consubstantiales . Item a regulis fidei traditis ab August. (Fulg.) in lib. de fid. ad Pet. c. 3. firmissime tene , & nullatenus dubites , Patrem , & Filium , & Spiritum sanctum , idest Sanctam Trinitatem , unum verum Deum sine inicio sempiternum esse . Hæc sempiternitas intimatur in psal. 73. ubi dicitur , Deus autem Rex noster ante secula , & alio loco , Röm. 1. Semperna quoque ejus virtus , & divinitas . Hæc ibi . Item a Papa Damaso , in professione fidei catholice ad Paulinum Macedonia Episcopum can. 10. sic : si quis homo perpetuo Patrem , non perpetuo Filium , non perpetuo Spiritum sanctum esse dicat , anathema sit . Hæc ille . Item a confessione fidei , quam B. Hieronymus ad Damasum Papam se didicisse in Ecclesia catholica , eamque semper tenuisse , ac tenere testatur , sic : Credimus in Deum Patrem omnipotentem cunctorum .

Summ. S.Tb. T.I.

visibilium & invisibilium conditorem . Credimus & in Dominum nostrum Jesum Christum &c. verum Deum Unigenitum , & verum Dei Filium , non factum , non adoptivum , sed genitum , & unius cum Patre substantie , quod Graeci dicunt quoisitor , atque ita per omnia & qualem Deo Patri , ut nos tempore , nec gradu nec potestate possit esse inferior , tantumque constemus esse illum , qui est genitus ; quantus est ille , qui genuit . Non autem , quia dicimus genitum a Patre Filium divina & ineffabili generatione , aliquod ei tempus adscribimus , sed nec Patrem aliquando cepisse , nec Filium . Nec enim aliter confiteri possumus eternum Patrem , nisi confiteamur etiam coæternum Filium . Ex Filio enim Pater dicitur , & qui semper Pater fuit , semper Filium habuit . Credimus & in Spiritum sanctum , verum Deum , ex Patre , & Filio procedentem , æqualem per omnia Patri , & Filio voluntate , potestate , aeternitate , substantia . Nec est profrus aliquis in Trinitate gradus , nihil , quod inferius , superiusve dicere possit : sed tota Deitas perfectione æqualis est , ut exceptis vocabulis , que proprietatem personarum indicant , quidquid de una persona dicitur , de tribus dignissime possit intelligi . Hac ibi . Hic Damasus Papa non tantum his , sed etiam aliis Beati Hieronymi scriptis autoritatem dedit , ut legitur in vita ejusdem Pontificis . Item ab omnibus Conc . Nam omnia Nicænam fidei cathol. definitionem reverenter acceptant , & Nicæz quoisitor firmissime stabilito , quæcumque alia (pura coæternitas , coomnipotentia , coæqualitas , & hujusmodi) stabilita de fide intelliguntur , contrariaque damnata . Hoc innuebat supra B. Hieronymus . Cum enim dixisset , quod Graeci dicunt quoisitor , e vestigio intulit , atque ita per omnia æqualem Deo Patri . Ac si apertius dixisset . Concesso , quod personæ sint ejusdem substantiaz essentialis , oportet necessario concedere , quod sint per omnia , scilicet , in æternitate , in gradu , in potestate , in sapientia , in bonitate , in &c. æquales . Quomodo enim ejusdem substantiaz omnes perfectiones simpliciter continentis possunt intelligi : nisi & in omniis his non accidentaliter , sed substantialiter , æquales cointelligantur . Tertio vides : quomodo &c.

Ddd

AR.

ARTICULUS III. 222

Utrum in divinis personis sit ordo naturæ.

I. dist. XII. artic. 1. & dist. XX. artic. 3. & post. quæst. X. art. 3. corp.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod in divinis Personis non sit ordo naturæ. Quidquid enim in divinis est, vel est essentia, vel persona, vel notio. Sed (*) ordo naturæ non significat essentiam, neque est aliqua personarum, aut notionum. Ergo ordo naturæ non est in divinis.

2. Præterea. In quibuscumque est ordo naturæ, unum est prius altero, saltem secundum naturam, intellectum. Sed in divinis personis nihil est prius, & posterius, ut Athanasius dicit (in suo symb. fidei) (1). Ergo in divinis personis non est ordo naturæ.

3. Præterea. Quidquid ordinatur, distinguitur. Sed natura in divinis non distinguitur. Ergo non ordinatur; ergo non est ibi ordo naturæ.

4. Præterea. Natura divina est ejus essentia. Sed non est in divinis ordo essentiarum. Ergo neque ordo naturæ.

Sed contra. Ubi cumque est pluralitas sive ordine, ibi est confusio. Sed in divinis personis non est confusio, ut Athanasius dicit (in suo symb. fid.) (2). Ergo est ibi ordo.

Respondeo dicendum, quod ordo semper dicitur per comparationem ad aliquod principium. Unde sicut dicitur principium multipliciter, scilicet secundum situm, ut punctus; secundum intellectum, ut principium demonstrationis; & secundum causas singulas: ita etiam dicitur ordo. In divinis autem dicitur principium secundum originem absque prioritate, ut supra dictum est (quæst. XXXIII. artic. 1. ad 3. præcipue.). Unde d'portet ibi esse ordinem secundum originem

absque prioritate. Et hic vocatur ordo naturæ secundum Augustinum (Lib. cont. Maxim. cap. iv. post med.) (3) non quo alter sit prius altero, sed quo alter est ex altero.

Ad primum ergo dicendum, quod ordo naturæ significat notionem originis in communione, non autem in speciali.

Ad secundum dicendum, quod in rebus creatis etiam, cum id quod est a principio, sit suo principio eorum secundum durationem; tamen principium est prius secundum naturam, & intellectum, si consideretur id quod est principium. Sed si considerentur ipsæ relationes causa, & causati, & principii, & principiati; manifestum est quod relativa sunt simul natura, & intellectus, in quantum unum est in definitione alterius. Sed in divinis ipsæ relationes sunt substantiales personæ in una natura. Unde neque ex parte naturæ, neque ex parte relationum una persona potest esse prior alia, neque etiam secundum naturam, & intellectum.

Ad tertium dicendum, quod ordo naturæ dicitur, non quod ipsa natura ordinetur, sed quod ordo in divinis personis attenditur secundum naturalem originem.

Ad quartum dicendum, quod natura quodammodo importat rationem principii, non autem essentia: & ideo ordo originis melius nominatur ordo naturæ quam ordo essentie.

APPENDIX.

EX art. habes primo: quomodo per rationem recte ostendas, recte dictum ab Athanasio in symbolo suo, quod est regula fidei, sic: *Neque confundentes personas*. Hoc est. Neque dicentes, quod in personis non sit ordo, quoniam aliter ibi esset confusio, quia ubi multitudo sine ordine aliquo, ibi est confusio. Non autem ibi vult Athanasius ordinem, qui dicat prius, & posterius, seu qui sit in prioritate aliqua, quoniam post multa subdit: *& in hac Trinitate nihil prius, nec posterius, nihil*

(*) *Theolog. Leon. & Dascalis ex cod. Cesar.*
origo naturæ.

(1) Toties recantato: *Et in hac Trinitate (inquit) nihil prius aut posterius &c.* Nec ille tantum, sed & Leo ferm. 2. de Pentecoste: *Nulla persona anterior, nulla posterior.*

(2) Nempe cum ait ubi supra statim ab initio Symboli sui: *Fides Catholica hoc est ut unum Deum in Trinitatem & Trinitatem in unitate veneremus;* neque confundentes personas neque substantiam separantes; Quorum alterum Sabellius, alterum vero

Arius faciebat.

(3) Non libro 4. super Genesim ad lit. cap. 34 & 35. nec in oratione de quinque heresisib[us]. ut prius ad marginem indicabatur: Nam primo quidem loco tantum sit quod in his que finis facta sunt nemo videt quid prius posteriusve fieri debuerit, nisi in illa sapientia per quam facta sunt omnia per ordinem simul: Secundo autem loco quod aliter ex altero est, sed non sine altero &c. Sed non experte ut hic; Et si non diffidibili sensu.

bil majus, aut minus. Vult ergo dicere per ly
Noque confundentes personas , quod in divinis
ponendus est ordo sine aliqua prioritate. Hic
autem est ordo tantum originis, seu (quod
in idem redit) ordo naturæ . Secundum e-
nīm talem ordinem solum alter ex altero ,
non autem alter est prior altero. Secundo ha-
bes : quomodo per rationem ostendas dictum
supra *quest. quinta* , *articul. quinto* , & *quest. sexta* , *articulo primo* , non discordare a fidei
dogmate tradito hic ab Athanasio : stat e-
nīm , quod in divinis non sit ordo aliquam
prioritatem , ac posterioritatem includens .
ut in locis supra citatis deciditur , & quod
in divinis sit ordo prioritatem quantumlibet
parvulam , atque posterioritatem excludens .
Tertio habes : quomodo , stante secundum fidem
Trinitate personarum , per rationem
tamquam radicalem demonstres , quod pro-
cessio est ; imo & processiones sunt in di-
vinis , *quest. vigesima septima* , *articulo pri-
mo* , & *tertio* : ne , scilicet , detur ibi con-
fusio. Quarto vides : quomodo vicissim Ange-
lica ex his firmetur conclusio .

A R T I C U L U S IV. 223

*Urum Filius sit aequalis Patri secundum
magnitudinem.*

I. *diss. xix* *quest. i. art. 2.* & *IV. cont. cap. vii.* *ration. ii.* & *cap. xxii. pos. quest. ii. art. 2.* *cor. fi.* & *quest. x. art. 4. cor. & Boet. de Trin. quest. iii. art. 4.*

AD quartum sic proceditur. Videtur quod
Filius non sit aequalis Patri in magni-
tudine. Dicit enim ipse Joan. xiv. 28. *Pa-
ter major me est* : & Apostolus I. Corinth.
xv. 28. *Ipse Filius subiectus erit illi, qui sibi
subiectis omnia.*

2. Præterea. Paternitas pertinet ad digni-
tatem Patris . Sed paternitas non convenit

Filio . Ergo non quidquid dignitatis habet
Pater , habet Filius : ergo non est aequalis
Patri in magnitudine .

3. Præterea . Ubicumque est totum , &
pars, plures partes sunt aliquid majus quam
una tantum, vel pauciores ; sicut tres homi-
nes sunt aliquid majus quam duo , vel unus.
Sed in divinis videtur esse totum universale ,
& pars : nam sub relatione , vel notione
plures notiones continentur . Cum igitur in
Patre sint tres notiones (1) , in Filio autem
tantum duas , videtur quod Filius non sit a-
equalis Patri .

Sed contra est quod dicitur Philip 11.6. *Noz
rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo* (2).

Respondeo dicendum , quod necesse est di-
cere , Filium esse aequalem Patri in magni-
tudine . Magnitudo enim Dei non est aliud
quam perfectio naturæ ipsius (3) . Hoc au-
tem est de ratione paternitatis , & filiationis ,
quod Filius per generationem pertingat
ad habendam perfectionem naturæ , quæ est
in Patre , sicut & Pater. Sed quia in homi-
nibus generatio est transmutatio quedam ex-
untis de potentia in actum , non statim &
principio homo Filius est aequalis Patri ge-
neranti , sed per debitum incrementum ad
æqualitatem perducitur , nisi aliter eveniat
propter defectum principii generationis. Ma-
nifestum est autem ex dictis (*quest. xxxiii.*
art. 2. & 3.) quod in divinis est proprie &
vere paternitas , & filiatione. Nec potest di-
ci , quod virtus Dei Patris fuerit defectiva in
generando , neque quod Dei Filius successi-
ve , & per transmutationem ad perfectionem
pervenerit . Unde necesse est dicere , quod
ab æterno fuerit Patri aequalis in magnitu-
dine. Unde & Hilarius dicit in Lib. de Sy-
nodis (post can. xxvii.) *Tolle corporum in-
firmitates , tolle conceptus initium , tolle dolores , &
omnem humanam necessitatem : omnis
Filius secundum naturalem nativitatem aequalis
Patris est , quia est & similitudo nature.*

Ddd. 2 Ad

(1) Inaccessibilitas nimis paternitas , & spir-
atio activa ; sed in Filio ista tantum cum filia-
tione .

(2) Id est non se usurpatorem vel raptorem di-
vinitatis existimavit , quod aequalem se Deo agnos-
ceret ; sicut cum damnon Dei aequalitatem appetit , &
mox etiam homo ; ait ibidem lect. 2. S. Thomas .

(3) Eo sensu Cyrilius in Thefauro lib. ii. aequa-
lem Patri Filium esse dicit secundum substantia-
rationem ; Et Isidorus Pelusiota lib. o. 5. Epistolarum
epist. 29. aequalem vocat quæ Deus est & consubstan-
tialis Patri (iudiciorum) In eundemque sensum om-

nes Patres cum Graeci tum Latini uniformiter con-
veniunt : Etsi plerique passim addant Patrem esse
majorem Deo Filio (non secundum humanitatem
tantum) quia ingenitus est & principium Filii ; ut
Cyrillus etiam ipse ac Isidorus ubi supra : Sed quia
relativa tantum est hec dignitas , ex ea effentia five
naturæ magnitudo sumi non debet , ut proinde
quantum ad effentiam Pater dicatur esse major ; si-
cuit explicat Gregorius Nazianzenus Orat. 40. &
Basilus lib. i. contra Eunomium & Concilium
Sardicensis apud Theodoretum lib. 2. cap. 8. &c.

Ad primum ergo dicendum, quod verba illa intelliguntur dicta de Christo secundum humanam naturam, in qua minor est Pater, & ei subiectus; sed secundum naturam divinam æqualis est Patri: & hoc est quod Athanasius dicit (in symb. fid.) *Æqualis Patris secundum Divinitatem, minor Patre secundum humanitatem*. Sed secundum Hilarium in IX. Lib. de Trinit. (inter med. & fin.) *donantis auctoritate Pater major est, sed minor non est cui unum esse donatur*: & in Lib. de Synod. dicit, quod *subiectio Filii naturæ piezas est*, idest recognitio auctoritatis paternæ; *subiectio autem ceterorum creationis infirmitas*.

Ad secundum dicendum, quod æqualitas attenditur secundum magnitudinem. Magnitudo autem in divinis significat perfectionem naturæ, ut dictum est (art. 1. hujus quest. ad 1. arg.) & ad essentiam pertinet. Et ideo æqualitas in divinis, & similitudo secundum essentialem attenditur: nec potest secundum distinctionem relationum inæqualitas, vel dissimilitudo dici. Unde Augustinus dicit contra Maximum (Lib. II. cap. xviii. post med.) *Originis questio est, (*) quis de quo sit, æqualitatis autem qualis, aut quamvis sit* (1). Paternitas igitur est dignitas Patris, sicut & essentia Patris. Nam dignitas est absoluta, & ad essentiam pertinet. Sicut igitur eadem essentia quæ in Patre est paternitas, in Filiō est filiatio; ita eadem dignitas quæ in Patre est paternitas, in Filio est filiatio. Vere ergo dicitur, quod quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius: nec sequitur: paternitatem habet Pater: ergo paternitatem habet Filius. Mutatur enim *quid in ad aliquid*. Eadem enim est essentia, & dignitas Patris, & Filii, sed in Patre est secundum relationem dantis, in Filio secundum relationem accipientis.

Ad tertium dicendum, quod relatio in divinis non est totum universale, quoniam de singulis relationibus prædictetur: quia omnes relationes sunt unum secundum essentiam, & esse: quod repugnat rationi universalis, cuius partes secundum esse distinguuntur. Et similiter persona, ut supra dictum est (quest. xxx. art. 4. ad 3.) non est universale in divinis. Unde neque omnes relationes sunt

majus aliud quam una tantum; nec omnes personæ majus aliud quam una tantum: quia tota perfectio divinæ naturæ est in quilibet personarum.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem interimas heresim cuiusdam in nominati (Direct. inquisit. 2. part. qu. 10.) dicentis, quod solus Deus Pater est optimus, sed Dei Filius est bonus in primo gradu, Spiritus sanctus in secundo gradu. Magnitudo enim in Deo est ejus bonitas, atque ideo tam magnus, quam bonus. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hanc merito fuisse damnatam a Greg. XI. Postquam enim oculariter viderat libellum continentem 22. articul. inter quos vigesimus secundus erat prænarratus, postquam super illis concilium magistrorum in Theologia de mandato suo coram dominis Cardinalibus plures habitum receperat, tandem per suas patentes litteras ipse Dominus Papa Rever. Parri Fratri Nicolao Eymerico Ordinis Prædicatorum Inquisitori mandavit, ut idem hereticæ pravitatis inquisitor cum domino Archiep. Tarraconensi dictos articulos, tamquam hereticales, & vere erroneos cum ipsorum libello publice condemnaret, quibus condemnatis, dictum libellum traderet ignibus comburendum. Et sic factum fuit. Consule ibi directoriū. Tercio vides: quomodo ex his omnibus vicissim doctrina hæc Angelica firmetur.

ARTICULUS V. 224

Utrum Filius sit in Patre, & e converso.

I. dist. xix. quest. iii. art. 2. & IV. cont. cap. ix. fin. & lxv. & Joan. x. lett. 6. fin. & tap. xvi. lett. 7.

AD quintuum sic proceditur. Videtur quod Filius non sit in Patre, & e converso. Philosophus enim in IV. Phys. (text. xxiiii.) ponit octo modos essendi aliquid in aliquo: & se-

(*) *Ali. quid.*

(1) ad refellendos Arianos qui esterius unam esse negabant Patris & Filii naturam, quia Filius aliquando dicitur esse obsequens Patrem: Unde subiungit: *Si admittis ratio ut æquali Patri Filius obse-*

quatur æqualis, non negamus obsequium: Si autem per (vel propter) obsequium minorera natura vultis credere, prohibemus. Et hoc equidem intolerabile primitur esse quod substantiam diversitatem ex obsequio probent;

et secundum nullum horum Filius est in Patre, aut e converso, ut patet discurrenti et singulos modos. Ergo Filius non est in Patre, nec e converso.

2. Præterea. Nihil quod exivit ab aliquo, sit in eo. Sed Filius ab æternō exivit a Patre, secundum illud Micheæl v. 2. *Egressus Ius ab initio a diebus eternitatis* (1). Ergo Filius non est in Patre.

3. Præterea. Unum oppositorum non est in altero. Sed Filius, & Pater opponuntur relativē. Ergo unus non potest esse in alio.

Sed contra est quod dicitur Joan. xiv. 10. *Ego in Patre, & Pater in me est* (2).

Respondeo dicendum, quod in Patre, & Filio tria est considerare, scilicet essentiam, & relationem, & originem: & secundum uolubet istorum Filius est in Patre, & e converso. Secundum essentiam enim Pater sit in Filio, quia Pater est sua essentia, & om̄unicat suam essentiam Filio, non per liquam suam transmutacionem. Unde sequitur quod cum essentia Patris sit in Filio, & Filio sit Pater: & similiter cum Filius & sua essentia, sequitur quod sit in Patre, & quo est ejus essentia. Et hoc est quod Hilarius dicit V. de Trin. (prope fin.) (3). *Naturam suam, ut ita dicam, sequitur immutabilis Deus, immutabilem gignens Deum subsistentem. Ergo in eo Dei naturam intelligimus, cum in Deo Deus sit.* Secundum etiam manifestatio nes est quod unum oppositorum relative est in altero secundum intellectum. Secundum originem etiam manifestum est quod processio verbi intelligibilis non est aliiquid extra, sed manet in dicente. Id etiam quod verbo dicitur, in verbo continetur: & eadem ratio est de Spiritu sancto.

Ad primum ergo dicendum, quod ea quæ in creaturis sunt, non sufficienter representant ea quæ Dei sunt: & ideo secundum nullum eorum modorum quos Philosophus numerat, Filius est in Patre, aut e con-

verso. Accedit tamen magis ad hoc modus ille secundum quem aliquid dicitur esse in principio originante, nisi quod deest unitas essentiæ in rebus creatis inter principium, & id quod est a principio.

Ad secundum dicendum, quod exitus Filius a Patre est secundum modum processio nis interioris, prout verbum exit a corde, & manet in eo. Unde exitus iste in divinis est secundum solam distinctionem relationum, non secundum essentiale aliquam distan tiam.

Ad tertium dicendum, quod Pater, & Filius opponuntur secundum relationes, non autem secundum essentiam, & tamen oppositorum relative unum est in altero, ut dictum est (in corp. art.)

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo: quomodo per rationem confundas hæresim Raymundi Lull. (Direct. inquisit. 2. par. qu. 9.) dicen tis, quod male faciunt illi, qui dicunt, quod inter Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum non sit tanta distinctio, quantæ est inter Deum, & equum, cum inter divinas personas sit major concordia, quam inter Deum, & equum, quæ major concordia non potest esse sine maiori distinctione personarum. Vide, quam incompatibile, imo contradictione, loquatur iste mercator justificatus a diabolo. Sed ad rem nostram. Tam tam distinctionem ponit inter personas, quanta est inter Deum, & equum. Ergo unamquamque personam esse in alia, ut hic docetur, negat. Secundo habes: quomodo per rationem demonstres, recte hanc damnatam esse ab unigenito Dei, Joan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.* Quod quidem per verti non potest cum Arianis dicentibus, quod Filius ita est in Patre, ut vas parvum in majori vase. Vide supra articulo primo. Nam ex contextu patet, quod dice re?

(1) Ut ex græco αἴων in Vulgata; tamen si S. Seculi vertit; Et ad Christum planum est pertinet.

(2) Vel emphaticè magis per interrogacionem, non creditis quia ego in Patre & Pater in me est? I. Philippus ab eo postulasset. Observe nobis Patrem: Ubi sic Augustinus Tract. 70. in Joan. Cur similibus distantiam cupis cernere? Cur inseparabiles separatis desideras nosse?

(3) Sive paulo aliis verbis & plenius: Naturam (ut ita dicam) sequitur incorporealis atque

indemutabilis Deus, incorporealem atque indemutabilem Deum gignens; Nec naturam suam deserit ex incorporei atque indemutabilis Deo incorporeis & inde mutabilis Dei perfecta nativitas: per hos utique subsistentis ex Deo Dei Sacramentum: Et inferius hue referens quod Isaia 45. vers. 14 dicitur, Tantum in se Deus est, & non est Deus preter te, sic subiungit: Exerat se in hanc inseparabilem professio nem heretico impietatis furor, que subsistentem in eo Dei naturam intelligit, cum Deus Deo sis.

re: *Ego in Patre, & Pater in me est, idem valet, quod dicere: Ego, & Pater unus sumus*, cum alterum istorum dixerit Christus in declarationem alterius. *Esse vero unum de Parre;* & Filio dictum intelligitur quantum ad substantiam secundum Concilium *Laseranense* sub *Innocentio III.* in hæc verba. *Cum ergo Veritas pro fidelibus suis orat ad Patrem;* volo (*inquietus*) ut ipsi sint unum in nobis, sicut & nos unum sumus, hoc nomen unum pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur *unio caritatis in gratia, pro personis vero divinis,* ut attendatur identitas unitas in natura. Hæc in de summa Trinitate, & fide catholica, Damnamus, ubi ex professo loquitur contra Abbatem Joachim illam sententiam *Joan. 17.* ad quamdam unionem divini amoris collectivam, veram, ac propriam secludendo, extorquentem, & in eodem infra. *Si quis igitur sententiam, vel doctrinam prefati Joachim in hac parte defendere, vel approbare presumperit, tamquam hereticus ab omnibus evitetur.* Hæc ibi. Universaliter ergo certissime tenendum, quod hoc nomen, unum, quemadmodum & primæ *Joan. 5.* *Tres sunt, qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum, Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt,* dicit numeralem substantiam unitatem, quando dicitur de divinis, & quod aliam unionem dicit, quando profertur de creatis, licet in eodem sit contextu, quemadmodum inibi sequitur. *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt.* Hoc de ly *unum,* tamquam regulam synodicam, pro expositione similium scripturarum diligentissime nota contra Arianos. Quam regulam esse extendendam etiam ad alia de Deo, & creatis dicta insinuat idem concilium per hoc, quod subdit, quemadmodum alibi *Veritas ait. Estote perfecti sicut & Pater vester caelestis perfectus est.* Ac si diceret manifestius: *Estote perfecti perfectione gratie, sicut Pater vester caelestis perfectus est perfectione naturæ, nonaque videlicet suo modo.* Hæc ibi. En ex concilio a simili, quod omnes propositiones de Deo, & creaturis dictæ intelligenda sunt proportionaliter, idest, suo utriusque modo. Item illam *Raymundi* rite damnatam a Papa *Gregorio XI.* post diligentis examinis disquisitionem de fratrum suorum consilio, una cum tota doctrina ejusdem Raymundi, ut resert idem directorum ibi. Item a Conci-

lio *Toletano undecimo sub Vicariato Papa* in publica pronuntiatione fidei catholica articulo tertio ita dicente: *Sicut splendorem luci videmus inseparabiliter imberere, sic confitemur Filium a Patre separari non posse.* Tres ergo illas unius, atque inseparabilis nature personas, sicut non confundimur, ita separabiles nullatenus predicanus. Quandoquidem hoc nobis dignata est ipsa Trinitas evadenter ostendere, ut etiam in omnibus, quibus voluit singillatim personas agnosciri, unam sue altera non permittat intelligi. Nec enim Pater absque Filio cognoscitur, nec sine Patre Filius invenitur. Relatio quippe ipsa vocabuli personalis personas separari vocat. Hæc ibi. Item a Concilio illo *Laseranensi*, de summa Trinitate, & de fide catholica, Damnamus. *Dici non potest, quod partem substantie sue Pater Filio dederit, & partem ipse sibi resinuerit, cum substantia Patris indivisibilis sit, ipsis simplex omnino.* Sed nec dici potest, quod Pater in Filium transfulerit suam substantiam generando, quasi sic deducit eam Filio, quod non resinuerit eam sibi. Alioquin desisteret esse substantia. Pater ergo, quod sineulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit. Ita Pater, & Filius habens eandem substantiam, & sic eadem res est Pater, & Filius, neconon & *Spiritus sanctus ab utroque procedent.* Hæc ibi. Vide quest. 41. art. 2. de *Anno*, cum similibus damnatis. *Tertio* igitur videre potes aperte: quomodo ex his vicissim omnibus doctrina hæc Angelica firmetur, atque declaretur.

A R T I C U L U S VI. 225

Utrum Filius sit equalis Patri secundum potentiam.

I. dist. xx. art. 2.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod Filius non sit æqualis Patri secundum potentiam. Dicitur enim *Joan. v. 19.* Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. (1) Pater autem a se potest facere. Ergo Pater major est Filio secundum potentiam.

2. Præterea. Major est potentia ejus qui præcipit, & docet, quam ejus qui obedit, & audit. Sed Pater mandat Filio, secundum illud *Joan. xiv. 31.* *Sicut mandatum dicitur*

(1) Sic Matth. 7. vers. 29. *Sicut potestatem habens docebat Christus, &c.*

dit mibi Pater; sic facio (1). Pater etiam docet Filium, secundum illud Joan. v. 20. *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei que ipse facit*. Similiter & Filius audit, secundum illud Joan. v. 30. *Sicut audio, judico*. Ergo Pater est majoris potentiae, quam Filius.

3. Præterea. Ad omnipotentiam Patris pertinet quod possit Filium generare sibi æqualem. Dicit enim Augustinus in Lib. III. contra Maximin. (cap. vii. circ. fin.) *Si non potuit generare sibi æqualem, ubi est omnipotentia Dei Patris* (2)? Sed Filius non potest generare Filium, ut supra ostensum est (quest. xl. i. art. 6. ad 2.). Non ergo quidquid pertinet ad omnipotentiam Patris, potest Filius; & ita non est ei in potestate æqualis.

Sed contra est quod dicitur Joan. v. 19. *Quicumque Pater facit, hec & Filius similiter facit*.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere, quod Filius est æqualis Patri in potestate. Potentia enim agendi consequitur perfectionem naturæ. Videmus enim in creaturis quod quanto aliquis habet perfectiorem naturam, tanto est majoris virtutis in agendo. Ostensum est autem supra (art. i. & 4. hujus quest.) quod ipsa ratio divinitate paternitatis, & filiationis exigit quod Filius sit æqualis Patri in magnitudine, idest in perfectione naturæ. Unde relinquitur quod Filius sit æqualis Patri in potestate: & eadem ratio est de Spiritu sancto respectu umerisque.

Ad primum ergo dicendum, quod in hoc quod dicitur: *Filius non potest a se facere uidquam*, non subtrahitur Filio aliqua potestas quam habeat Pater, cum statim subatur, quod *quicumque Pater facit, Filius similiter facit*: sed ostenditur quod Filius habet potestatem a Patre, a quo habet natu-

ram. Unde dicit Hilarius IX. de Trinitate (post med.) (3) *Natura divine hec unitas est, ut ita per se agat Filius quod non a se agat*.

Ad secundum dicendum, quod in demonstratione Patris, & auditione Filii non intelligitur, nisi quod Pater communicat scientiam Filio, sicut & essentiam. Et ad idem potest referri mandatum Patris per hoc quod ab æterno dedit ei scientiam, & voluntatem agendorum, eum generando. Vel potius referendum est ad Christum secundum humanam naturam.

Ad tertium dicendum, quod sicut eadem essentia quæ in Patre est paternitas, in Filio est filiatio; ita eadem est potentia quæ Pater generat, & qua Filius generatur. Unde manifestum est quod quidquid potest Pater, potest Filius; non tamen sequitur quod possit generare, sed mutatur *quid in ad aliquid*. Nam generatio significat relationem in divinis. Habet ergo Filius eamdem potentiam quam Pater, sed cum alia relatione: quia Pater habet eam ut dans; & hoc significatur cum dicitur, quod potest generare: Filius autem habet eam ut accipiens; & hoc significatur cum dicitur, quod potest generari,

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem interimas heres primo Maximini Ariani, Petri Abaylardi, Monatii Ariani, Origeneistarum dicentium: Filio potentior est Pater, quod Filium genererit, Filius autem non, quod non potuit gignere Filium. Item potentia est propria Patri, sicut sapientia Filio, & benignitas Spiritui sancto. Item inenarrabilis est Pater Filio, neque enim perfecte cernere potest Verbum Patrem, neque

(1) Dictum a Christo sub ipsum tempus passionis unde causam reddit cur patiatur non culpa sua, sed cognoscens mundus (inquit) quia dilige patrem &c.

(2) Sive paulo aliis verbis & alia serie, ut iam ante questione 41. art. 4. arg. *Sed contra in illius ilice relatum est ex cap. 7. lib. 3. &c.*

(3) Huc pertinet quod supra ex cap. Phrasier tres personæ divinas coeminentes appellantur: Quod in symbolo Athanasii *omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus*; & samen non tres un ipotentes, sed unus omnipotens: Quod ex omnipotenti ipsa paterna nominativi probatur omnipotens Filius, ut videre est passim apud Patres; quia omnipotens, æqualem ergo generare potuit, adeo sine dubio generavit: Sic enim Augustinus lib.

3. contra Maximum ut supra; & iterum cap. 25. *Vide si aliud conavis, nisi ad unius Patris gloriam per unici Filii consummatam pervenire; ut scilicet non augeatur Pater in gloria, nisi minoretur Filius in natura: Cobibit te: Nescis & Patri & Filio se insuperare consummatum, si nec illa potuit aut notitia gignere æqualem sibi, nec ista nasci aequalis Petri &c.* Sic Hilarius de Synodis aduersus Arianos: *Non ergo differt natura virtus in Patre & Filio cui hoc posse quod Pater possit non profectus natura tribuit, sed auctoris exemplum &c.* Sic Ambrosius lib. 5 de fide cap. 7. post medium: *Non sum avarus aut precepis circa Filii laudes, ut plus audirem dicere Filium posse quam Patrem qui nullam inter illos distinctionem facio postpositam &c.*

que perfecte , & certo eum cognoscere , etenim suam ipsius quoque substantiam , uti est , Filius non novit . Item Spiritus sanctus non potest videre Filium . Circa haeresim Petri Abaylardi , ut ipsam ab articulo praesenti noveris impugnari , nota , quod , si potentia esset propria Patri , non conveniret Filio , & sic Patri non esset æqualis Filius secundum potentiam . Sicut etiam , si sapientia esset propria Filio , neque Patri , neque Spiritui sancto conveniret , & si benignitas esset propria Spiritui sancto neque Filio , neque Patri conveniret . Abaylardus ergo illo suo errore æqualitatem divinarum trium personarum ad invicem abstulit . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas , has omnes rete damnari a Papa Innoc. III. in de summa Trinitate & fide catholica firmiter credimus , & simpliciter confitemur , quod &c. Pater , & Filius , & Spiritus sanctus sunt omnipotentes , coeterni , confubstantiales , cœquales . Hæc ibi . Item a Papa Damaso in protestatione fidei catholicæ ad Paulinum Maced. Episcopum Can. i. Anathema eos ferimus , qui non cum libertate omni una cum Patre , & Filio unius , & ejusdem substantia , & potestatis existere Spiritum sanctum prædicant . Item can. 20. Si quis non dicat Patrem per Filium postea incarnatum , & Spiritum sanctum creasse omnia visibilia videlicet , & invisibilia : anathema sit . Hæc ibi . Item ab eodem can. 21. 22. 23. 24. 25. ut supra art. i. Item a Concilio Toletano I. in de regulis fidei cap. 21. Credimus hanc Trinitatem personis distinctam , substantia unitam , virtute , potestate , maiestate indifferenter . Hæc ibi . Item a Concilio Toletano tertio sub Pelagio II. Papa contra Arium congregato , in confessione fidei cath. canon. 6. sic . Quicumque nescire Filium Dei , quod Deus Pater sciat , dixerit ; anathema sit . Item canon. 9. Quicumque Spiritum sanctum , sicut Patrem , & Filium , verum Deum , & omnipotentem esse non credit ; anathema sit . Item can. 11. Quicumque Patrem , & Filium , & Spiritum sanctum honore , & gloria , & divinitate separas , aut disjungit : anathema sit . Hæc ibi . Item a Concilio Constantinopolitano primo congregato contra Macedonium Spiritui sancto injurium , in symbolo fidei . Credimus in Spiritum sanctum Dominum &c. cum Patre , & Filio adorandum , conglorificandum . Hæc ibi . Quomodo autem Spiritum sanctum conglorificant illi , qui eum aliquid nescire , vel non videre dicunt , quod Pater , & Filius norunt , ac vident ? Notabis autem , quod intantum aliqui contra Spiritus sancti ma-

gnitudinem conjurarunt , ut vilissimo suo ipsorum ore hanc haeresim evomere veriti non sint , quod , scilicet , Spiritus sanctus aliquid recipit ab Ecclesia , sicut Christus , inquantum homo , accepit a Spiritu sancto . Sic blasphemavit quidam Joannes de Parma (ut refert Direct. inquis. 2. par. qu. 9.) Hunc ergo & habes quomodo per rationem articuli sancti Thomæ dissipes , & quomodo per rationem ejusdem ostendas , mento talem impiissimum errorem damnatum fuisse a Papa Alexandro IV. , testante Directorio ibi . Pro praesenti appendice in condemnationem errorum videbis multa artic. 1. & 2. 3. 4. & 5. multaque hic dicta vicissim juvant illorum articulorum appendices , speciatim contra Abaylardum etiam qu. 33. art. 8. contra Menatem quest. 34. art. 2. plura pro Spiritu sancto qu. 36. art. 1. & qu. 39. art. 1. Tertio vides , quomodo ex his omnibus vicissim firmetur angelica sancti Thomæ doctrina ac declaretur .

QUÆSTIO XLIII.

De missione divinarum Personarum ,

In octo articulos divisa .

D EINDE considerandum est de missione divinarum personarum ; & circa hoc quorundam octo .

Primo , utrum alicui divina personæ conveniat mitti .

Secundo , utrum missio sit æterna , vel temporalis tantum .

Tertio , secundum quid divina persona invisibiliter mittatur .

Quarto , utrum cuiilibet personæ conveniat mitti .

Quinto , utrum invisibiliter mittatur tam Filius , quam Spiritus sanctus .

Sexto , ad quos fiat missio invisibilis .

Septimo de missione visibili .

Octavo , utrum aliqua persona mittat ipsam invisibiliter , aut invisibiliter .

ARTICULUS I. 26

Utrum alicui Personæ divine conveniat mitti .

I. dist. xv. quest. i. art. i. & IV. cont. cap. xxiii. & cap. xxiv. ratione II.

A D primum sic proceditur . Videtur quod personæ diuinæ non conveniat mitti .

Missus enim minor est mittente. Sed una persona divina non est minor alia. Ergo una persona non mittitur ab alia.

2. Præterea. Omne quod mittitur, separatur a mittente: unde Hieronymus dicit super Ezech. (Lib. V. ceram. in illud, *Ut portes ignominiam tuam:*) (1) *Quod coniunctum est, & in corpore uno copulatum, mitti non posse.* Sed in divinis personis nihil est separabile, ut Hilarius dicit (VII. de Trinit. non procul a fin.) Ergo una persona non mittitur ab alia.

3. Præterea. Quicunque mittitur, ab aliquo loco discedit; & ad aliquem locum de novo vadit. Hoc autem divinæ personæ non convenit, cum ubique sit. Ergo divinæ personæ non convenit mitti.

Sed contra est quod dicitur Joan. viii. 16. *Non sum ego solus, sed ego, & qui misit me, Pater.*

Respondeo dicendum, quod in ratione missio nis duo importantur: quorum unum est habitudo missi ad eum a quo mittitur; aliud est habitudo missi ad terminum ad quem mittitur. Per hoc autem quod aliquis mittitur, ostenditur processio quedam missi a mittente; vel secundum imperium, sicut dominus mittit servum; vel secundum consilium, ut si consiliarius mittere dicatur Regem ad bellandum; vel secundum originem, ut si dicatur, quod flos emititur ab arbore. Ostenditur etiam habitudo ad terminum ad quem mittitur, ut aliquo modo ibi esse incipiat: vel quia prius ibi omnino non erat quo mittitur; vel quia incipit ibi aliquo modo esse quo prius non erat. Missio igitur divinæ personæ convenire potest, secundum quod importat ex una parte processionem originis a mittente, & secundum quod importat ex alia parte novum modum existendi in alio: sicut Filius dicitur esse missus a Patre in mundum (2), secundum quod incepit in mundo esse per carnem assumptam; & tamen ante in mundo erat, ut dicitur Joan. I.

Summ. S.Tb. T.I.

Ad primum ergo dicendum, quid missio importat minorationem in eo qui mittitur, secundum quod importat processionem a principio mittente, aut secundum imperium, aut secundum consilium: quia imperans est major, & consilians est sapientior. Sed in divinis non importat nisi processionem originis, quæ est secundum æqualitatem, ut supra dictum est (in corp. art.)

Ad secundum dicendum, quod illud quod sic mittitur, ut incipiat esse ubi prius nullo modo erat, sua missione localiter movetur: unde oportet quod loco separetur a mittente. Sed hoc non accedit in missione divinæ personæ: quia persona divina missa sicut non incipit esse ubi prius non fuerat, ita nec definit esse ubi fuerat. Unde talis missio est sine separatione, sed habet solam distinctionem originis.

Ad tertium dicendum, quod objectio illa procedit de missione quæ fit secundum motum localem, quæ non habet locum in divinis.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo pet rationem ostendas, recte missionis nomine uti scripturas. Joan. 6. *sicut misit me Pater vivens,* & 8. *non sum salus, sed ego, & qui misit me Pater,* & 20. *sicut misit me Pater, & ego misto vas.* Memento tamen hic regulæ desumptæ ex Concil. Later. sub Innoc. III. in de summa Trinitate & fide catolica damnamus, vide supra qu. 42. art. 5. quod quando de Deo, & creatura aliqua dicuntur etiam in eodem contextu, illa proportionaliter, idest, secundum modum utriusque de utroque intelliguntur, & non eodem modo. Hinc in proposito edoctus dic, quod missio Filii Dei non localis intelligitur, nisi de ipso quantum ad humanitatem solum ex B. Virgine assumptam loquuntur. Licet missio discipulorum sit localis, sicut nec de discipulis

Eee mis-

(1) Quorum verborum occasione assert illud Exod. 25. *Missi iterum tuum &c.* Ut probet iram non esse Deo naturalem; quia quod *coniunctum est, missi non posse;* sed illud quod est extra corpus us lances, sagitta &c. Quod autem subhangit ex Hilario, habetur apud illum lib. 7. de Trinit. aliquantulum ante finem; cum sit Patrem esse in Filio & Filium in Pato; non per duplum conventionis generum conjunctionem, neque per infinitum capacioris substantie naturam, sed per naturitatem viventis ex vivente natura, dum in Deum ex Deo Deus nascitur, dum nihil in his novum est, nihil alienum, nihil se-

parabile &c.

(2) Sic Joan. 10. vers. 36. ex ipsiusmet Christi verbis de scipio loquentis. *Quem Pater sanctificavit & misit in mundum &c.* Et Joan. 3. vers. 17. de missione fine ipse iterum: *Nos enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut salvator mundus per ipsum &c.* Preter alia loca Joan. 4. 5. 6. 7. 9. 11. 12. 14. 15. 16. 17. 20. Ut & de missione Spiritus sancti Luc. 24. vers. 49. Joan. 14. vers. 16. Joan. 15. vers. etiam 26. & Joan. 16. vers. 7. &c.

missio intelligitur per generationem aeternam, aut per hoc, quod futuri sunt novo modo alibi, ubi prius erant realiter per essentiam, praesentiam, & potentiam, licet missio Filii Dei, ut Filius Dei est, sit taliter intelligenda: Item de Spiritu sancto Joan. 15. Cum veneris Paracletus, quem ego missem vobis a Patre Spiritum veritatis; & 16. si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos, si autem abiero, missem eum ad vos. Secundo habes: quomodo per rationem talia scripturarum loca intelligas, intellectaque defendas. Tertio vides: quomodo ex his vicissim Angelica firmetur conclusio.

ARTICULUS II. 227

Utrum missio sit aeterna, vel temporalis tantum.

I. dist. xv. quest. i. art. 2.

AD secundum sic proceditur. Videlur quod missio possit esse aeterna. Dicit enim Gregorius (hom. xxvi. in Evang. paulo post prin.) (1) *Eo missus Filius quo generatur.* Sed generatio Filii est aeterna. Ergo & missio. 2. Præterea. Cuicunque convenit aliiquid temporaliter, illud mutatur. Sed persona divina non mutatur. Ergo missio divinæ personæ non est temporalis, sed aeterna. 3. Præterea. Missio processionem importat. Sed processio divinarum personarum est aeterna. Ergo & missio.

Sed contra est quod dicitur (Galat. iv. 4.) *Cum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.*

Respondeo dicendum, quod in his que important originem divinarum personarum, est quædam differentia attendenda. Quædam enim in sui significatione important solam habitudinem ad principium, ut processio, & exitus. Quædam vero cum habitudine ad principium determinant processionis terminum. Quorum quædam determinant termi-

num aeternum, sicut generatio, & spiratio, nam generatio est processio divinæ personæ in naturam divinam, & spiratio passim accepta importat processionem amoris subsistentis. Quædam vero cum habitudine ad principium important terminum temporalem, sicut missio, & datio. Mittitur enim aliquid ad hoc ut sit in aliquo, & datur ad hoc quod habeatur. Perlonam autem divinam haberi ab aliqua creatura, vel esse novo modo existendi in ea, est quoddam temporale. Unde missio, & datio in divinis dicuntur temporaliter tantum; generatio autem, & spiratio solum ab aeterno; processio autem, & exitus dicuntur in divinis & aeternaliter, & temporaliter: nam Filius ab aeterno processit, ut sit Deus; temporaliter autem, ut etiam sit homo secundum missionem visibilem, vel etiam ut sit in homine secundum invisibilis missionem.

Ad primum ergo dicendum, quod Gregorius loquitur de generatione temporali Filii non a Patre, sed a matre (2). Vel quia ex hoc ipso Filius habet quod possit mitti, quod est ab aeterno genus.

Ad secundum dicendum, quod divinam personam esse novo modo in aliquo, vel ab aliquo haberi temporaliter, non est propter mutationem divinæ personæ, sed propter mutationem creaturae; sicut & Deus temporaliter dicitur Dominus propter mutationem creature.

Ad tertium dicendum, quod missio non solum importat processionem a principio, sed determinat processionis terminum temporalem. Unde solum est temporalis, vel missio includit processionem aeternam, & aliiquid addit, scilicet temporalem effectum. Habitudo enim divinæ personæ ad suum principium non est nisi ab aeterno. Unde gemina dicitur processio, aeterna scilicet, & temporalis; non propter hoc quod habitudo ad principium geminatur; sed geminatio est ex parte termini temporalis, & aeterni.

A.P.

(1) Cum verba illa ex Joan. 20. explicat. *Sicut misisti me Patrem, & ego misso vos &c.* Ex eodem etiam loco desumptum est quod mox additur arg. 3. *missionem importare processionem:* Sic enim ibi post praedicta: *Si misisti solummodo incarnari doberes intelligi, sanctius proculdubio Spiritus nullo modo diceretur missi qui nequamquam incarnatus est:* Sed ejus missio ipsa processio est quae de Patre procedit & Filiō: Unde Spiritum sanctum qui cum sit coequalis Patris & Filii, non tamē incarnatus est, sed Filius missore perhibet, dicens (Joan. 15.) *Quem ego*

missem vobis a Patre &c.

(2) Atqui postquam praenixit Gregorius quod *Patr Filium misit qui hunc pro redemptione humani generis incarnari confidens, subiungit paulo infra: Quamvis misit etiam iusta necessaria divinitatis profite intelligi: Eo enim ipso a Patre Filius misiti dicitur quo a Patre generatus: Et post praemissa quae de Spiritu sancto nota sunt: *Sicut isque (inquit) Spiritus sanctus missi dicitur quis procedes;* ite & *Filius quis generatus:* Unde posteriori tantum parti responsus intenderendum est.*

A P P E N D I X .

X articulo habes primo : quomodo per rationem ostendas ; merito temporalitatem iamdam semper esse simul positam cum misione personarum a scripturis , & Galat. 4. bē venit plenitudo temporis , misit Deus Fīm suum , & in aliis locis supra art. 1. cōtis . Secundo habes : quomodo per rationem eorum ipsorum , quo ad hoc intellectum veniam exponas , exposicūmque defendas . Terzo dēs : quomodo ex his vicissima Angelica præantis articuli conclusio declaretur , & confiretur .

ARTICULUS III. 228

terum missio invisibilis divine personae sū folum secundum donum gratiæ gratum facientis .

I. dist. XIV. quest. II. art. 2.

AD tertium sic proceditur . Videlur quod missio invisiibilis divinæ personæ non sit solum secundum donum gratiæ gratum facientis . Divinam enim personam mitti est ipsam donari . Si igitur divina persona mittitur solum secundum dona gratiæ gratum facientis (1) , non donabitur ipsa persona divina , sed solum dona ejus : quod est error dicentium , Spiritum sanctum non dari , sed ejus dona (2) .

2. Præterea . Hæc præpositio secundum denotat habitudinem alicujus causæ . Sed persona divina est causa quod habeatur donum gratiæ gratum facientis , & non e converso , secundum illud Roman. v. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum , qui datus est nobis . Ergo inconvenienter dicitur , quod persona divina secundum dona gratiæ gratum facientis mittatur .*

3. Præterea . Augustinus dicit IV. de Trinit. (cap. xx. in med.) quod *Filius , cum ex tempore mente percipitur , mitti dicitur* . Sed Filius cognoscitur non solum per gratiam gratum facientem , sed etiam per gratiam gratis datum , sicut per fidem , & per scientiam . Non ergo persona divina mittitur secundum solum gratum gratum facientem .

4. Præterea . Rabanus dicit , quod *Spiritus sanctus datus est Apostolis ad operationem miraculorum . Hoc autem non est donum gratiæ gratum facientis , sed gratiæ gratis datus . Ergo persona divina non solum datur secundum gratum gratum facientem .*

Sed contra est quod Augustinus dicit III. de Trinit. (elicitur ex cap. iv. ejus Lib. circ. fin.) quod *Spiritus sanctus procedit temporaliter ad sanctificandam creaturam . Missio autem est temporalis processio . Cum igitur sanctificatio creaturæ non sit nisi per gratiam gratum facientem , sequitur quod missio invisiibilis divinæ personæ non sit nisi per gratiam gratum facientem .*

Respondeo dicendum , quod divinæ personæ convenit mitti , secundum quod novo modo existit in aliquo ; dari autem , secundum quod habetur ab aliquo : neutrum autem horum est nisi secundum gratiam gratum facientem . Est enim communis modus quo Deus est in omnibus rebus per essentiam , potentiam , & præsentiam , sicut causa in effectibus participantibus bonitatem ipsius . Super istum modum autem communem est unus specialis , qui convenit naturæ rationali , in qua Deus dicitur esse sicut cognitum in cognoscente , & amatum in amante . Et quia cognoscendo , & amando creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum , secundum istum specialemodum Deus non solum dicitur esse in creatura rationali , sed etiam habitare in ea sicut in templo suo (3) . Sic igitur nullus alijs effectus potest esse ratio quod divina persona sit novo modo

Eee 2 in

(1) Quæ cur sie appellatur , explicabitur ex proposito 1. 1. qu. 111. art. 1.

(2) Et m. rito quidem errorem vocat , sicut & 1. Sent. ubi supra in expositione litteræ sive textus ; Cum Scriptura contrarietur quæ Joan. 14. & innumeris alijs locis ipsum Spiritum sanctum dari expressissime significat : Quod & proinde Patres & Latini & Graci urgent ; ut ex ejus in nobis inhabitatione substantiali divinitatem ejus concludant ; Ambrosius nimicrum lib. 1. de Spiritu sancto c. 10. Fulgentius lib. 3. ad Monimum cap. 5. Athanasius in epist. quam ad Serapionem scribit : Basilius adversus

Zononium lib. 5. Cyrilus Alexandrinus Dialogo 7. & in Thesauro lib. 34. & lib. 5. in Joan. Gregorius Nazianzenus Orat. 44. in Pentecosten &c. Appendix autem quæ subjungitur ex Rabano , habetur apud illum equivalenter libro 9. in epistolas Pauli super illud 1. ad Cor. 12. *Hæc omnis operatur unus atque idem Spiritus* , ubi explicat ex professo diversum modum quo post resurrectionem & ipso die Pentecosten apostoli Spiritum sanctum repperunt .

(3) Sic apostolus 1. ad Cor. 3. vers. 16. *Nesciis quia templum Dei es sis , & Spiritus Dei habitas in nobis ?* Et iterum 21. ad Cor. 6. vers. 19. *Nesciis que-*

in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens. Unde secundum solam gratiam gratum facientem mittitur, & procedit temporaliter persona divina.

Similiter illud solum habere dicimus quo libere possumus uti, vel frui. Habere autem potentiam fruendi divina persona est solum secundum gratiam gratum facientem.

Sed tamen in ipso dono gratiae gratum facientis Spiritus sanctus habetur, & inhabitat hominem. Unde ipsemet Spiritus sanctus datur, & mittitur.

Ad primum ergo dicendum, quod per donum gratiae gratum facientis perficitur creatura rationalis ad hoc quod libere non solum ipso dono creato utatur, sed ut ipsa divina persona fruatur: & ideo missio invisibilis fit secundum donum gratiae gratum facientis; & tamen ipsa persona divina datur.

Ad secundum dicendum, quod gratia gratum faciens disponit animam ad habendam divinam personam: & significatur hoc, cum dicitur, quod Spiritus sanctus datur secundum donum gratiae.

Sed tamen ipsum donum gratiae est a Spiritu sancto: & hoc significatur cum dicitur, quod caritas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum.

Ad tertium dicendum, quod licet per alios alios effectus Filius cognosci possit a nobis, non tamen per alios effectus nos inhabitat, vel etiam habetur a nobis.

Ad quartum dicendum, quod operatio miraculorum est manifestativa gratiae gratum facientis, sicut & donum prophetarum, & quilibet gratia gratis data. Unde I. Corinth. xii. gratia gratis data nominatur manifestatio Spiritus (1). Sic igitur Apostolis dicitur datus Spiritus sanctus ad operationem miraculorum, quia data est eis gratia gratum faciens cum signo manifestante. Si autem daretur solum signum gratiae gratum facientis sine gratia, non diceretur dari simpliciter Spiritus sanctus; nisi forte cum aliqua determinatione, secundum quod dicitur, quod alicui datur Spiritus propheticus, vel mira-

culorum, inquantum a Spiritu sancto habet virtutem prophetandi vel miracula faciendi.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte dictum fuisse a Concilio Telesiano II. sub Vitaliano Papa, quod Spiritus sanctus mittitur ad sanctificandam creaturam, non quidem a Patre solo, nec a Filio solo, sed simul ab utrisque. Sic enim sua verba intelliguntur, ut patebit totum contextum interius consideranti, que sunt hæc. Nec enim Spiritus sanctus de Patre procedit in Filium, vel de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul ab utrisque processisse monstratur, quia caritas, frus sanctitas amborum esse agnoscatur. Hic ergo Spiritus sanctus missus ab utrisque creditur. Hæc illud in publica pronuntiatione fidei catholicae. Quis vero non videat, ex superioribus in ultimis verbis subintelligendum esse ly ad sanctificandam creaturam, ut quod de Spiritu sancto a Patre solo, vel Filio solo missio negavit, hoc de eodem Spiritu ab utrisque missio affirmet? Secundo habes: quomodo per rationem concilium illud, & intelligas, & tuearis. Tertio vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S IV. 229

Utrum Patri convenias mitti.

I. dist. xv. quest. i. art. unico.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod Patri etiam conveniat mitti. Mitti enim divinam personam est ipsam dari. Sed Pater dat seipsum, cum haberi non possit, nisi se ipso donante. Ergo potest dici, quod Pater mittat seipsum.

2. Præterea. Persona divina mittitur secundum inhabitacionem gratiae. Sed per gratiam tota Trinitas inhabitat in nobis, se-

cum-

quoniam membra vestra temp'um sunt Spiritus sancti qui in vobis est? Ut & 2, ad Cor. 6. vers. 16. *Vos estis semplum dei vivi: sicut dicit Deus (Levit. 26. vers. 11. & 12.) Inhabitabo in ipsis &c.* Hinc porto patet quod substantia ipsa Spiritus sancti detur Iustis; & ad Rom. 5. vers. 5. ad Rom. 8. vers. 9. & 11. ac ad Galat. 4. vers. 6. Imo et ipsis Christi ver-

bis Joan. 14. vers. 17. *In vobis eris &c.* Unde substantiale vel substantivum communicationem frequentissime vocant & Graeci Patres & Latini.

(1) Sic enim ibi vers. 7. *Unicuique datur substantia Spiritus ad utilitatem:* Et mox: *Alii quidem sermo sapientia alii sermo scientia, alteri fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum &c.*

tundum illud Joan. xiv. 23. (1). Ad eum veniemus, & mansio[n]em apud eum faciemus. Ergo quilibet divinarum personarum mittitur.

3. Præterea. Quidquid convenit alicui personæ, convenit omnibus, præter notiones, & personas. Sed missio non significat aliquam personam, neque etiam notionem, cum sint tantum quinque notiones, ut supra dictum est (quæst. xxxii. art. 3.) Ergo cuilibet personæ divinæ convenit mitti.

Sed contra est quod Augustinus dicit in II. Lib. de Trinit. (cap. v. paulo post princ.) quod *solus Pater numquam legitur missus*.

Respondeo dicendum, quod missio in sua ratione importat processionem ab alio, & in divinis secundum originem, ut supra dictum est (art. 1. & 2. hujus quæst.) Unde cum Pater non sit ab alio, nullo modo convenit ibi mitti, sed solum Filio, & Spiritui sancto, quibus convenit esse ab alio.

Ad primum ergo dicendum, quod si dare importet liberalem communicationem alicuius, sic Pater dat se ipsum, in quantum se liberaliter communicat creatura ad frumentum. Si vero importet autoritatem dantis respectu ejus quod datur, sic non convenit dari in divinis nisi personæ qua est ab alio, sicut nec mitti.

Ad secundum dicendum, quod licet effusus gratiæ sit etiam a Patre, qui inhabitat per gratiam, sicut & Filius, & Spiritus sanctus; quia tamen non est ab alio, non dicitur mitti. Et hoc est quod dicit Augustinus IV. de Trinit. (cap. xx. post med.) quod *Pater, cum in tempore a quoquam cognoscitur, non dicitur missus: non enim habet e quo sit, aut ex quo procedat*.

Ad tertium dicendum, quod missio, in quantum importat processionem a mittente, includit in sua significatione notionem, non uidem in speciali, sed in generali, prout esse ab alio est commune duabus notionibus.

A P P E N D I X.

Ex articulo habes primo: quomodo per rationem rejicias hæresim Raym. Lull. (Direct. inquis. 2. par. qu. 6.) dicentis, quod de Patre, & Filio, & Spiritu sancto sic est, quod stant omnes tres unus Deus, non distincti in aliquo. Per hoc enim quod illos tres non distinctos in aliquo dicit Raymundus, asserere videtur implicite saltem, quod Pater dici possit mitti, sicut aliae personæ mitti perhibentur. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas: hanc ab Athanasii symb. fid. cathol. compendiosa regula fuisse merito damnatam sic. *Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus: Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus; Spiritus sanctus a Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Hæc ibi. Sunt ergo in aliquo distincti, & taliter in aliquo, ut ex eo fiat, quod Pater non possit dici mitti, alii vero sic. Item a Papa Gregorio XI. de consilio fratrum suorum, qui totam Raymundi doctrinam condemnavit, ut refert Direct. ibi. Tertio vides: quomodo ex his vicissim firmeretur conclusio Angelica, atque declaretur, & confirmetur.

A R T I C U L U S V. 230

Utrum Filio conveniat invisibiliter mitti.

I. disq. xv. quæst. iv. art. 1. & IV. cont. cap. VIII. num. 9. & cap. XXXII.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod Filio non conveniat invisibiliter mitti. Missio enim invisibilis divinæ personæ attenditur secundum dona gratiæ. Sed omnia dona gratiæ pertinent ad Spiritum sanctum, secundum illud I. Corinth. xii. 11. *Omnia operatur unus atque idem Spiritus.* Ergo invisibiliter non mittitur nisi Spiritus sanctus.

2. Præterea. Missio divinæ personæ fit secundum gratiam gratum facientem (2). Sed dona

(1) Expressæ quidem de Patre tantum ac de scilicet sic dicere videtur Christus, ut ex adjunctis patet, sed implicite tamen subintelligit Spiritum sanctum de quo postea subdit: *Spiritus sanctus quem istes Pater in nomine meo, suggestus vobis omnis est.* Præter id quod superius præmisserat: *Rogabo eum meum, & alium Paracletum (idest consolatorem) dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum.* Hinc Augustinus in Joan. Tract. 76. *No quis*

porro existimes Patrem sensummodo & Filium sine Spiritu sancto apud dilectores suos facere mansionem; recolat quod dictum est, In vobis erit: Ecce facio in Sanctis eum Patrem & Filio Spiritus sanctus mansionem; ita utique tamquam Deus in templo suo: *Deus Trinitas, Pater & Filius & Spiritus sanctus veniens ad nos, ut sit in nobis corua non transfiguratio mansio, sed corua.*

(2) Ut jam prius indicatum est art. 3. ad 1. & 2.

dona quæ pertinent ad perfectionem intellectus, non sunt dona gratiæ gratum facientis, cum sine caritate possint haberi, secundum illud I. ad Cor. xiiii. 2. *Si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam* (1), caritatem autem non habeam, nihil sum. Cum ergo Filius procedat ut verbum intellectus, videatur quod non conveniat sibi invisibiliter mitti.

3. Præterea. Missio divinæ personæ est quædam processio, ut dictum est (art. præc. & art. i. hujus quæst.) Sed alia est processio Filii, alia Spiritus sancti. Ergo & alia missio, si uterque mittitur: & sic altera earum superflueret, cum una sit sufficiens ad sanctificandum creaturam.

Sed contra est quod Sapient. ix. 10. dicitur de divina sapientia (2): *Mitte illam de celis sanctis tuis, & a se de magnitudinis tuae.*

Respondeo dicendum, quod per gratiam gratum facientem tota Trinitas inhabitat mentem, secundum illud Joan. xiv. 23. *Ad eum veniemus, & mansio apud eum faciemus.* Mitti autem personam divinam ad aliquem per invisibilem gratiam significat novum modum inhabitandi illius personæ, & originem ejus ab alia. Unde cum tam Filio, quam Spiritui sancto conveniat & inhabitare per gratiam, & ab alio esse, utriusque convenit invisibiliter mitti.

Patri autem, licet conveniat inhabitare per gratiam, non tamen sibi convenit ab alio esse, & per consequens nec mitti.

Ad primum ergo dicendum, quod licet omnia dona, in quantum dona sunt, attribuantur Spiritui sancto, quia habet rationem primi doni, secundum quod est amor, ut supra dictum est (quæst. xxxviii. art. i.) aliqua tamen dona secundum proprias rationes attribuuntur per quamdam appropriacionem Filio, scilicet illa quæ pertinent ad in-

tellectum; & secundum illa dona attenditur missio Filii. Unde Augustinus dicit IV. de Trinit. (cap. xx. circ. med.) quod *nam invisiibiliter Filius unicuique mittitur, cuius a quo quam cognoscitur, a quo percipitur.*

Ad secundum dicendum, quod anima per gratiam conformatur Deo. Unde ad hoc quod aliqua persona divina mittatur ad aliquem per gratiam, oportet quod fiat assimilatio illius ad divinam personam quæ mittitur, per aliquod gratiæ donum. Et quia Spiritus sanctus est amor, per donum caritatis anima Spiritui sancto assimilatur. Unde secundum (*) modum caritatis attenditur missio Spiritus sancti. Filius autem est Verbum, non qualecumque, sed spirans amorem. Unde Augustinus dicit in IX. Lib. de Trinit. (cap. x. circ. fin.) *Verbum autem, quod insinuare intendimus, cum amore notitia est.* Non igitur secundum quamlibet perfectiōnem intellectus mittitur Filius, sed secundum talēm (**) instructionem intellectus, qua prorumpat in effectum amoris, ut dicitur Joan. vi. 45. *Omnis qui audivit a Pare, & didicis, venis ad me: & in Psalm. xxxviii. 4. In meditatione mea exarces ignis.* Et ideo signanter dicit Augustinus (loc. cit. in solut. i. arg.) quod *Filius mittitur, cum a quoquam cognoscitur, a quo percipitur.* Perceptio autem experimentalē quamdam notitiam significat; & hæc proprie dicitur sapientia, quasi sapida scientia, secundum illud Eccl. vi. 23. *Sapientia doctrine secundum nomen ejus est* (3).

Ad tertium dicendum, quod cum missio importet originem personæ missæ, & inhabitationem per gratiam, ut supra dictum est (in corp. art. & art. i. hujus quæst.) si loquamur de missione quantum ad originem, sic missio Filii distinguitur a missione Spiritus sancti, sicut & generatio a processione. Si autem quantum ad effectum gratiæ, sic

com-

(1) Quod aut litteraliter si necessitas postularet, aut spiritualiter de malignorum spirituum expulsione vult intelligi. S. Thomas ibidem.

(2) Non tamen ad litteram de illa quæ vocatur Filius Dei, ut hic; sed solum in abstracto, sicut adjuncta insinuat, us mœcum sis & mecum labore, ut sciam quid acceptum sis apud te; scis enim ille omnia & intelligis; & deducit me sobrio in operibus meis; & erunt accepta opera mea; & ero dignus letum Patris mei (seu dignus regno David &c.) Esi accommodatio ad Filium Dei pertinet qui dicitur *Sapientia Dei;* Ut & ab August. lib. 4. de Trin. cap. 20. ubi hæc verba simul cum illis nequit que similiter cap. 7. præmittuntur: *Candor est*

*enim lucis eternæ; ac utraque Filio Dei convenire ostendit: Verbum Patris (inquit) *sapientia est* dicitur: *Quid ergo mirum si mittitur?* Non quia *inequalis est Patri,* sed quia *est emanatio caritatis omnipotentis Dei sincera:* Ibi autem quid *mores & de quo manus,* & unus eiusdem substantia est &c.*

(*) Isa Rom. edit. & Patav. Cos. Cancer. & Alcon. cum Nicolojo donum caritatis.

(**) Edit. Rom. institutionem, vel instructionem.

(3) Allusione latina tantum quam & Bernardus indicavit serm. 85. in Cant. Nam grecæ voci convenire non potest; que σοφία potius quasi Σοφία (idei caligo) dici posset: *Vade subditur ibi: Et non est multis manifesta.*

communicant due missiones in radice gratiae, sed distinguuntur in effectibus gratiae, qui sunt illuminatio intellectus, & inflammatio affectus. Et sic manifestum est quod non potest esse sine alia: quia neutra est in gratia gratum faciente, nec una persona separatur ab alia.

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas de divina sapientia, quae filius est, esse merito dictum Sap. 9. *Misericordiam de celis sanctis tuis, & a sedis magnitudinis tuae, ut mecum sit, & mecum laboret: et sciam, quid accepimus sit apud te.* Hic enim loquitur ad litteram de Filio Dei: & e ipso sane quoad invisibilismissionem. Jam capitulum illud incipit sic: *Deus Parum nostrorum, & Domine misericordie; qui cisti omnis verbo tuo, & sapientia tua constituisti hominem &c.* Quis autem fecit omnia erbo suo, & sapientia sua, nisi Deus Pater et Filium suum unigenitum? *Ut, inquit, secum sit, & mecum laboret: ut sciam &c.* Ergo loquitur de missione invisibili, qua & os, juxta Apostolum, cooperatores Dei si-
ius, & intellectus noster ad divina capessentia illuminetur. Item merito esse dictum a filio Joan. 14. *Ad eum veniemus, & mansio- em apud eum faciemus.* Hic ad litteram loquitur de adventu invisibili per gratiam gratificantem ad hominem vel justificandum, vel maiorem justitiam promovendum: & dicit omnes tres personas venturas ad creaturam sic sanctificandam. Ergo per hoc innuit litteram, quod Filius veniet ita, ut & litti dicatur: *Spiritus sanctus veniet ita, & mitti dicatur: Pater autem veniet a, ut nullo modo mitti dicatur.* Nam secundum textum evangelii Pater veniens vocatur Pater; Spiritus sanctus veniens vocatur Spiritus sanctus: & Filius, qui loquitur, veniens vocatur Filius. Hoc est. Pater veniens non definit esse Pater, Filius veniens non definit esse Filius, Spiritus sanctus veniens non per hoc definit esse Spiritus sanctus. Cum igitur missio invisibilis, ultra sanctificare creaturam, ducat originem a perso-

na divina, & Filio utrumque competit, ac Spiritui sancto, non autem Patri, nisi unum, scilicet, sanctificare creaturam: patet, quod per ly *ad eum veniemus* designatur necessario, quod Filio convenit, ac Spiritui sancto invisibiliter mitti. Secundo habes: quomodo per rationem hoc dictum sic catholice intellectum catholice defendas. Tercio vides: quomodo ex his vicissim Angelica doctrina haec stabilatur, & confirmetur.

ARTICULUS VI. 231

Utrum missio invisibilis fiat ad omnes qui sunt participes gratiae.

1. *diss. xv. quest. v. art. i. quest. 1. 2. 3. & 4.*

AD sextum sic proceditur. Videtur quod missio invisibilis non fiat ad omnes qui sunt participes gratiae. Patres enim veteris testamenti gratiae participes fuerunt. Sed ad illos non videtur fuisse facta missio invisibilis: dicitur enim Joan. VII. 39. *Nondum erat Spiritus datum, quia nondum erat Jesus glorificatus.* (1) Ergo missio invisibilis non fit ad omnes qui sunt participes gratiae.

2. Præterea. Profectus in virtute non est nisi per gratiam. Sed missio invisibilis non videtur attendi secundum profectum virtutis: quia profectus virtutis videtur esse continuus, cum caritas semper aut proficiat, aut deficit (2): & sic missio esset continua. Ergo missio invisibilis non fit ad omnes participes gratiae.

3. Præterea. Christus, & beati plenissime habent gratiam. Sed ad eos non videtur fieri missio, quia missio fit ad aliquid distans. Christus autem, secundum quod homo, & omnes beati perfecte sunt uniti Deo. Non ergo ad omnes participes gratiae fit missio invisibilis.

4. Præterea. Sacramenta novæ legis continent gratiam, nec tamen ad ea dicitur fieri missio invisibilis. Non ergo ad omnia quae habent gratiam, fit missio invisibilis.

Sed contra est quod secundum Augustinum (Lib. III. de Trinit. cap. iv. & Lib. XV. cap. xxvii. post princ.) (3) missio invisibilis fit

(1) Per gloriosam nempe resurrectionem vel in gloriam ascensionem post quam utramque Spiritum dicit.

(2) Juxta id quod Bernardus inculcat epist. 253.

circa medium, & ferm. 2. in Purificat. &c. Ut & plenius ex professo in 2. 2. refereatur cum de augmento caritatis.

(3) Ubi dicitur: *Spiritus sanctus non de Pater*

fit ad sanctificandam creaturam. Omnis autem creatura habens gratiam sanctificatur. Ergo ad omnem creaturam hujusmodi fit missio invisibilis.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (3. 4. & 5. art. hujus quest.) missio de sui ratione importat quod ille qui mittitur, vel incipiat esse ubi prius non fuit, sicut accidit in rebus creatis; vel incipiat esse ubi prius fuit, sed quodam modo novo, secundum quod missio attribuitur divinis personis. Sic ergo in eo ad quem fit missio, oportet duo considerare, scilicet inhabitacionem gratiarum, & innovationem quamdam per gratiam. Ad omnes ergo fit missio invisibilis in quibus haec duo inveniuntur.

Ad primum ergo dicendum, quod missio invisibilis est facta ad Patres veteris testamenti: unde dicit Augustinus IV. de Trinit. (cap. xx. parum ante med.) quod, secundum quod Filius mittitur invisibiliter, fit in hominibus, aut cum hominibus. Hoc autem antea factum est in Patribus, & Prophetis (1). Cum ergo dicitur, *Nondum erat datus Spiritus, intelligimus de illa datione cum signo visibili quæ facta est in die Pentecostes.*

Ad secundum dicendum, quod etiam secundum profectum virtutis, aut augmentum gratiarum fit missio invisibilis. Unde Augustinus dicit IV. de Trinit. (loc. proxime citato) quod tunc unicuique mittetur Filius, cum a quocum cognoscitur, atque percipitur, quantum cognosci, & percipi potest pro capite vel proficiens anima in Deum, vel perfecte anima rationalis in Deo. Sed tamen secundum illud argumentum gratiarum præcipue missio invisibilis attenditur, quando aliquis proficit in aliquem novum actum, vel novum statum gratiarum, ut puta cum aliquis proficit in gratiam miraculorum, aut prophetarum, vel in hoc quod ex fervore caritatis exponit se martyrio, aut abrenuntiat his quæ possidet, aut quodcumque opus arduum aggreditur.

Ad tertium dicendum, quod ad beatos est facta missio invisibilis in ipso principio beatitudinis. Postmodum autem ad eos fit missio invisibilis, non secundum intensionem gratiarum, sed secundum quod aliqua mysteria eis revelantur de novo: quod erit usque ad diem judicii. Quod quidem augmentum attenditur secundum extensionem gratiarum ad plura se extendentis. Ad Christum autem fuit facta invisibilis missio in principio suæ conceptionis, non autem postea; cum a principio suæ conceptionis fuerit plenus omnia sapientia, & gratia.

Ad quartum dicendum, quod gratia est in sacramentis novæ legis instrumentaliter sicut forma artificiata est in instrumentis artis secundum quemdam (*) decursum ab agente in patiens. Missio autem non dicitur fieri nisi respectu termini. Unde missio divina personæ non fit ad sacramenta, sed ad eos qui per sacramenta gratiam suscipiunt.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte dictum a Concilio Toletano 11. sub Vitaliano Papa, quod missio invisibilis fit ad sanctificandam creaturam: quasi dixerit: Nulla creatura potest sanctificari, nisi per gratiam, secundum quam Filius, & Spiritus sanctus mittuntur invisibiliter ad illam creaturam; licet & Pater cum eis ad illam veniat. Vide supra art. 5. & verba concilii, quorum sensum tantum nunc recitavimus art. 3. Item a Concilio Aranciano: sub Leone I can. 7. sic: si quis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vite eterna, cogitare, aut eligere, aut salutari, id est, euangelizantis predicationi consentire posse confirmat absque illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti, qui das omnibus suavitatem in confortando, & credendo veritati, heretico fallitus Spiritu, non intelligens vocem Dei in euangeliis

procedit in Filium & de Filio procedit ad sanctificandam creaturam, sed simul de utroque procedit: Ut & lib. 3. cap. 4. versus finem Eucharistiam non nisi operante invisibiliori Spiritu Dei sanctificari præmisserat, ut sit tam magnum (inquit) sacramentum quod ad salutem spiritalem sumamus &c.

(1) Vel sic verbis paululum immutatis: *Alier missitur ut sit cum homine: Alier ut sit homo (nempe Sapientia ipsa per quam intelligitur Filius Dei ut explicat plenius Augustinus) In animas enim sanctas se transferat, amicos Dei atque prophetas*

confituntur sicut enim implerat sanctos Angelos & omnes talibus ministeriis congrua per eos operantur: Cum autem venis plenitude temporis, missio est Sapientia (sicut supra) non ut impleret Angelos nec ut esset Angelus (nisi inquantum confitum Patri annuntiabat) (quod & ipsius erat) nec ut esset cum hominibus aut in hominibus (hoc enim annona in Patribus & in Prophetis erat) sed ut ipsum Verbum earo fieret, id est homo fieret.

(*) Ab. decursum.

lio dicentis, sine me nihil potestis facere: Et illud Apostoli: Numquid idonei sumus cogitare siiquid a nobis, quasi ex nobis? sed sufficiencia nostra ex Dō est. Hęc ibi. Ex hoc Consilio a fortiori innuitur, quod gratia gratificans nulli datur absque missione invisibili, ut consideranti patet. Item ab Apostolo Rom. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ecce, quod ad omnes gratia Dei participes fit missio invisibilis, idest, etiam cum dono creato persona increata homini datur ab aliquo originata. Unde art. 3. in argumento primo reputatur pro errore dicere, quod Spiritus sanctus non datur, sed tantum dona ejus. Secundo vides: quomodo &c.

ARTICULUS VII. 232

Utrum Spiritui sancto conveniat visibiliter mitti.

Locus supr. art. 6. inductis.

AD septimum sic proceditur. Videtur quod Spiritui sancto non conveniat visibiliter mitti. Filius enim, secundum quod visibiliter missus est in mundum, dicitur esse minor Patre. Sed numquam legitur Spiritus sanctus minor Patre (1). Ergo Spiritui sancto non convenit visibiliter mitti.

2. Præterea. Missio visibilis attenditur secundum aliquam creaturam visibilem assumptam, sicut missio Filii secundum carnem. Sed Spiritus sanctus non assumpit aliquam creaturam visibilem (2): unde non potest dici, quod in aliquibus creaturis visibilibus sit alio modo quam in aliis, nisi forte sicut in signo, sicut est etiam in sacramentis, & in omnibus figuris legalibus. Non ergo Spiritus sanctus visibiliter mittitur: vel oportet dicere, quod secundum omnia hujusmodi ejus missio visibilis attenditur.

3. Præterea. Quilibet creatura visibilis

Summ. S.Th. T.I.

(1) Ut Augustinus dicit lib. 2. de Trinit. cap. 6.

(2) Prout proprio assumpto dicitur per quam assumptum substantialiter unitur assumpti; qualis est assumptio per quam Christus assumpsit carnem: Alioquin assumti aliquando dicitur quod ad significacionem tantum adhibetur, sicut assumti ab Angelis corpora dicit Aug. 4. de Trin. cap. 11. ac S. Thomas licet infra: Et eo sensu Spiritus sanctus assumpsisse columbam dici potest.

(3) Ubi corpora per spiritum & irrationalem spiritu per spiritum rationalem administrari ait; Et ap. 10. ubi Deum non nisi per angelos visum probat.

(4) Nempe his verbis: *Baptizatus Iesus ascendit Iustus de aqua, & ecce aperiens ei calix; & vi-*

est effectus demonstrans totam Trinitatem. Non ergo per illas creaturas visibles magismittitur Spiritus sanctus quam alia persona.

4. Præterea. Filius visibiliter est missus secundum dignissimam visibilium creaturam, scilicet secundum naturam humanam. Si igitur Spiritus sanctus visibiliter mittitur, debuit mitti secundum alias creaturas rationales.

5. Præterea. Que visibiliter fiunt divinitus, dispensantur per ministerium Angelorum, ut Augustinus dicit III. de Trin. (elicitur ex cap. IV. v. & IX.) (3). Si ergo aliqua species visibles apparuerunt, hoc factum fuit per Angelos; & sic ipsi Angeli mituntur, & non Spiritus sanctus.

6. Præterea. Si Spiritus sanctus visibiliter mittatur, hoc non est nisi ad manifestandum invisibilem missionem: quia invisibilia per visibilia manifestantur. Ergo ad quem missio invisibilis facta non fuit, nec missio visibilis fieri debuit: & ad omnes ad quos fit missio invisibilis, sive in novo, sive in veteri testamento, missio visibilis fieri debet: quod pater esse falsum. Non ergo Spiritus sanctus visibiliter mittitur.

Sed contra est quod dicitur Matth. 11. quod Spiritus sanctus descendit super Dominum baptizatum in specie columbe (4).

Respondeo dicendum, quod Deus provider omnibus secundum uniuscuiusque modum. Est autem modus connaturalis hominis ut per visibilia ad invisibilia manuducatur, ut ex supra dictis patet (quest. XI. art. 12.) Et ideo invisibilia Dei oportuit homini per visibilia manifestari. Sicut igitur seipsum Deus, & processiones æternas personarum per creaturas visibles secundum aliqua indica hominibus quodammodo demonstravit; ita conveniens fuit ut etiam invisibiles missiones divinarum personarum secundum alias visibles creaturas manifestarentur.

Aliter tamen Filius, & Spiritus sanctus (5).

Fif

Nam

dis Spiritum Dei descendente sicut columbam, & manentes super eum; sicuti que Marc. 1. habentur: Luc. autem 3. ver. 22 Descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum &c. Joann. 1. ver. 31. Vidi Spiritum descendente quasi columbam de celo, & mansit super eum; ait S. Praecursor &c.

(5) Hinc Augustinus in teria 2. Pentecostes ferm. 1. *Ecco iterum nova de supernis medicina missus (inquit). Ecco Vicarius Redemptoris accedit, us quod ille redemit, iste sanctificat. Ecco Spiritus sanctus in preparata fibi Apostolorum templo tamquam imber sanctificationis illapsus est &c.*

Nam Spiritui sancto , in quantum procedit ut amor , competit esse sanctificationis donum ; Filio autem , in quantum est Spiritus sancti principium , competit esse sanctificationis hujus authorem . Et ideo Filius visibiliter missus est tamquam sanctificationis author , sed Spiritus sanctus tamquam sanctificationis indicium .

Ad primum ergo dicendum , quod Filius creaturam visibilem , in qua apparuit , in unitatem personæ assumpsit , sic ut quod de illa creatura dicitur , de Filio Dei dici possit : & sic ratione naturæ assumptæ Filius dicitur minor Pater . Sed Spiritus sanctus non assumpsit creaturam visibilem in qua apparuit , in unitatem personæ , ut quod illi convenit , de illo pradicetur . Unde non potest dici minor Pater propter visibilem creaturam (1) .

Ad secundum dicendum , quod missio visibilis Spiritus sancti non attenditur secundum visionem imaginariam , quæ est visio prophætica : quia , ut Augustinus dicit II. de Trinit. (cap. vi. circa med.) *visio prophætica non est exhibita corporeis oculis per formas corporeas , sed in spiritu per spirituales corporum imagines . Columbam vero illam , & ignem oculis viderunt quicunque viderunt . Neque iterum sic se habuit Spiritus sanctus ad hujusmodi species sicut Filius ad petram : quia dicitur : *Petra erat Christus . Illa enim petra jam erat in creatura , & per actionis modum nuncupata est nomine Christi , quem significabat . Sed illa columba , & ignis ad hæc tantum significanda repente extiterunt**

(2) . Sed videntur esse similia flammæ illi que in rubo apparuit Moysi , & illi columna quam populus in errore sequebatur , & fulgoribus , ac tonitruis que fiebant cum lex daretur in monte . Ad hoc enim rerum illarum corporalis extitit species ,

ut aliquid significaret , atque praediceret . Sic igitur apparet quod missio visibilis neque attenditur secundum visiones propheticas , quæ fuerunt imaginariae , & non corporales ; neque secundum signa sacramentalia veteris , & novi testamenti , in quibus quædam res præexistentes assumuntur ad aliquid significandum : sed Spiritus sanctus visibiliter dicitur esse missus , in quantum fuit monstratus in quibusdam creaturis sicut in signis ad hoc specialiter factis .

Ad tertium dicendum , quod licet illæ creaturas visibles tota Trinitas operata sit , tamen factæ sunt ad demonstrandum specialementer hanc vel illam personam . Sicut enim diversis nominibus significatur Pater , & Filius , & Spiritus sanctus ; ita etiam diversis sebus significari potuerunt ; quamvis inter eos nulla sit separatio , aut diversitas .

Ad quartum dicendum , quod personam Filii declarari oportuit ut sanctificationis authorem , ut dictum est (in corp. art.) Et ideo oportuit quod missio visibilis Filii fieret secundum naturam rationalem , cuius est agere , & cui potest competere sanctificari . Indicium autem sanctificationis esse potuit quæcumque alia creatura . Neque oportuit quod creatura visibilis ad hoc formata , esset assumpta a Spiritu sancto in unitatem personæ , cum non assumeretur ad aliquid agendum , sed ad indicandum tantum : & propter hoc etiam non oportuit quod duraret , nisi quamdiu perageret officium suum .

Ad quintum dicendum , quod illæ creaturas visibles formate sunt ministerio Angelorum ; non tamen ad significandum personam Angeli , sed ad significandam personam Spiritus sancti . Quia igitur Spiritus sanctus erat in illis creaturis visibilibus sicut signatum in figura ,

(1) Ut seipsum explicat Augustinus lib. 2. de Trinit. ubi supra . Ideo (inquit) nusquam scriptum est quod Deus Pater major sit Spiritus sancto vel Spiritus sanctus minor Deo Pastro , quia non sit est assumpta creatura in qua Spiritus sanctus appareret , sicut assumptus est filius hominis &c.

(2) Non eadem serie qua hic in Augustini textu hæc habentur : Nam primo quidem posquam præmisit quod columbam & ignem omnes viderunt , intericit : *Quanquam de igne disceptavi potest utrum oculis an spiritu visus sit : Quia non sic Lucas , Viderunt linguis divisas velut ignem , sed vise sunt eis . Non autem sub eodem significative solemus dicere : Visum est mihi que dicimus Vidi : in istis vero que per expressam corporalem speciem oculis demonstrantur non sicut dicit Visum est ; sed Vidi . De isto ergo igne potest esse quomodo visus sit :*

De columba vero que dicta est corporali specie scandisse , nullus unquam dubitavit quia vix sit oculis &c. Deinde vero addit petram significatum nomine Christi , sicut lapis quem Jacob posuit ad caput , etiam unctionem ad significandum Dominum assumptum , vel etiam sicut Iacob erat Christus cum ad se immolandum ligna portabat ; quia tempore accipit istis actio quedam significativa iam existensibat : nō autem sicut illa columba & ignis ad hæc tantummodo significanda repente extiterunt : Unde concudit : Magis ista similitus videtur &c. Sed cur etiam dubitari de igne putat vel de linguis igneis an oculis apparuerint propter illud iudeo sans ? Hoc enim est evidenter , apparuerunt ; sicut Vulgata verit juxta grecum ὤψισσων . Et propterea Gregorius Nazarenus Orat. 4. corporaliter (corporizans) appuruisse ait .

igno, propter hoc secundum eas, Spiritus sanctus visibiliter mitti dicitur & non Angelus.

Ad sextum dicendum, quod non est de necessitate invisibilis missionis ut semper manifestetur per aliquod signum visibile exterius; sed, sicut dicitur I. Cor. xii. 7, manifestatio spiritus datur (*) alicui ad utilitatem, scilicet Ecclesiaz. Quia quidem utilitas est ut per hujusmodi visibilia signa fides confirmetur, & propagetur. Quod quidem principalius factum est per Christum, & per Apostolos, secundum illud Hebr. ii. 3. Quicum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est. Et ideo specialiter debuit fieri missio visibilis Spiritus sancti ad Christum, ad Apostolos, & ad aliquos primitivos Sanctos, in quibus quodammodo Ecclesia fundabatur; ita tamen quod visibilis missio facta ad Christum demonstraret missionem invisibilis, non tunc, sed in principio sua conceptionis ad eum factam. Facta autem est missio visibilis ad Christum in baptismo quidem sub specie columbae, quod est animal secundum, ad ostendendum in Christo authoritatem donandi gratiam per spirituale regenerationem: unde vox Patris intonuit (Matth. iii. 17.) *Hic est Filius meus dilectus*, ut ad similitudinem unigeniti alii regenerarentur. In transfiguratione vero sub specie nubis lucidae, ad ostendendum exuberantiam doctrinæ: unde dictum est (ibid. xvii.) *Ifsum audite*. Ad Apostolos autem sub specie flatus ad ostendendum potestatem ministerii in dispensatione sacramentorum: unde dictum est eis (Joan. xx. 22.) *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*: sed sub linguis igneis ad ostendendum officium doctrinæ: (1) unde dicitur (Act. ii. 4.) quod cœperunt loqui variis linguis. Ad patres autem veteris testamenti missio visibilis Spiritus sancti fieri non debuit: quia prius debuit perfici missio visibilis Filii quam Spiritus sancti, cum Spiritus sanctus manifestet Filium, sicut Filius Patrem. Fuerunt (**) autem factæ visibiles apparitiones divinarum personarum patribus veteris testamenti: quæ quidem missiones visibiles dici non possunt: quia non fuerunt factæ, secundum Augusti-

num (Lib. II. de Trin. cap. xvii. circ. fin.) ad designandum inhabitacionem divinæ personæ per gratiam, sed ad aliiquid aliud manifestandum.

APPENDIX.

EX art. habes primo: quothodo per rationem ostendas, recte dictum a Matth. 3. quod Spiritus sanctus super Dominum baptizatum descendit in specie columbae. Item, ab act. 2. quod Spiritus sanctus in specie linguarum ignearum super Apostolos venit, & in aliis capitulis, super multos, primitivæ Ecclesiaz. Item a Matth. 17. quod nubes lucidae obumbravit Apostolos in monte transfigurationis, ubi S. Doctores per nubem lucidam illum intelligunt Spiritum sanctum in tali signo tunc apparentem. Secundo habes ex responsione ad primum: quomodo per rationem demonstres, merito esse dictum a Conc. Tol. xi. sub Vitaliano Papa, in publ pronunc. fid. cath. art. 1. sic. *Hic Spiritus sancti missus ab utrisque creditur; sed minor Patre, & Filiu non habetur, sicut Filius propter assumptionem carnem minorem se Patre, & Spiritu sancto effatur*. Hæc ibi. In quibus verbis de visibili missione Spiritus sancti qua vel in columba, vel in &c. missus legitur, concilium loqui patet. Tertio habes: quomodo per rationem ex responsionibus ad secundum, & tertium sumptam declarare possis, in regulis fidei ab Augustin. (Fulg.) lib. de fide ad Petrum traditis merito c. 6. esse dictum firmissime tene, &c. vide totum cap. hoc q. 41. ar. 5. Quarto habes: quomodo per rationem demonstres, Concilium supradictum in præmissis verbis merito damnasse heresim Luca Sternberger dicentis, quod Spiritus sanctus nihil aliud fuit, quam columba. Si enim Concilium dicit, quod propter columbani assumptionem non est habendus minor Patre, & Filiu, utique per hoc, dum Spiritum sanctum Deum esse declarat, heresim predictam detestatur. Item & ipsam merito damnatam a, &c. q. 36. ar. 1. & q. 42. ar. 2 & in tercia parte q. 39. ar. 6. ad secundum. Quinto vides &c.

Fff 2

AR.

(*) Vulgata unicuique.

(1) Hinc Cyrillus Hierosolymitanus Cath. 17. linguis igneis capitibus Apostolorum velut coronas quædam spirituales infidere indicat; tive diademata no-

va spiritualia juxta græcum diadema quod per corona ta en interpres reddit.

(**) Nicolajus tamen.

A R T I C U L U S V I I I . 233

Utrum () nulla persona divina mittatur nisi ab ea a qua procedit eternaliter.*

*I. dist. xv. quest. iii. & pos. quest. x.
ar. 4. ad 4.*

AD octavum sic proceditur. Videtur quod nulla persona divina mittatur nisi ab ea a qua procedit eternaliter. Quia, sicut dicit Augustinus IV. de Trinit. (colligitur ex cap. ult. in fin.) *Pater a nullo mittitur, quia a nullo est.* Si ergo aliqua persona divina mittitur ab alia, oportet quod sit ab illa.

2. Præterea. Mittens habet autoritatem respectu missi (1). Sed respectu divinæ personæ non potest haberi autoritas nisi secundum originem. Ergo oportet quod divina persona quæ mittitur, sit a persona mittente.

3. Præterea. Si persona divina potest mitti ab eo a quo non est, nihil prohibebit dicere, quod Spiritus sanctus detur ab homine, quamvis non sit ab eo: quod est contra Augustinum XV. de Trinit. (cap. xxvi.) (2) Ergo divina persona non mittitur nisi ab ea a qua est.

Sed contra est quod Filius mittitur a Spiritu sancto, secundum illud Isaï. xlvi. 16. *Nunc misit me Dominus Deus, & Spiritus ejus.* Filius autem non est a Spiritu sancto. Ergo persona divina mittitur ab ea a qua non est.

Respondeo dicendum, quod circa hoc inventiuntur aliqui diversi node locuti esse. Secundum quosdam enim persona divina non mittitur nisi ab eo a quo est eternaliter: & secundum hoc, cum dicitur Filius Dei missus a Spiritu sancto, referendum est hoc ad humanam naturam, secundum quam missus

est ad prædicandum a Spiritu sancto. Augustinus autem dicit II. de Trinit. (cap. v. post princ.) quod *Filius mittitur & a se, & a Spiritu sancto,* & Spiritus sanctus etiam mittitur & a se, & a Filio; ut sic mitti in divinis non conveniat cuilibet personæ, sed solum personæ ab alio existenti; mittere autem conveniat cuilibet personæ.

Utrumque autem habet aliquo modo veritatem: quia cum dicitur aliqua persona mitti, designatur & ipsa persona ab alio existens, & effectus visibilis, aut invisibilis, secundum quem missio divinæ personæ attenditur. Si igitur mittens designetur ut principium personæ quæ mittitur, sic non quilibet persona mittit, sed solum illa cui convenit esse principium illius personæ: & sic Filius mittitur tantum a Patre, Spiritus sanctus autem a Patre, & Filio. Si vero persona mittens intelligatur esse principium effectus, secundum quem attenditur missio, sic tota Trinitas mittit personam missam (3).

Non autem propter hoc homo dat Spiritum sanctum, quia nec effectum gratiæ potest causare.

Et per hoc patet solutio ad objecta.

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito dictum esse a scripturis, quod Spiritus sanctus mitit Filium. Nam in persona Filii Dei dicitur Isa. 48. *Nunc autem misit me Dominus Deus, & Spiritus ejus.* Licet enim Filius Dei, ut Deus est, non sit a Spiritu sancto: tamen est ab alia persona divina, scilicet a Patre, & effectus Filii Dei est etiam a Spiritu sancto. Igitur ad hoc, quod persona non producens personam missam dicatur mittere illam, sufficiunt duo hæc, primum quod persona

(*) *Ita Nicolajus. al. aliqua.*

(1) *Quo pertinere potest illud Joan. 20. vers. 21. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos:* Quasi cum eadem autoritate ac potestate quæ me misit, ut sub-
indicat Augustinus Tract. 121. in Joa.

(2) *Ut inde Christi divinitatem probet: Quomodo Deus non est quæ dat Spiritum sanctum?* Imo quantum est Deus qui dat Deum! Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum: O-
rabant quippe ut venires in eos quibus manum im-
ponebant (ut Actorum 8. videre est) non ipsi cum
dabant: *Quem morem in suis repositis adhuc servat Ecclesia:* Nec vero illud ad Galat. 3. vers. 3. *Qui
tribuit vobis Spiritum ad Apostolum referri debet,*

ut aliqui referunt; sed ad Deum, ut ex adjunctione patet, ubi additur: *Ego operatus vivus in vobis &c.*

(3) Propter eamdem inseparabilem operationem Patris & Filii, non separato etiam inde Spiritu sancto, ut Augustinus loco indicato loquitur, ubi ad-
dit: *Quapropter Pater invisibilis unus cum Filio secum invisibili eundem Filium visibilem faciendo, missus cum datus est: Qui si eo modo visibilis fecerit ut cum Patre invisibilis esse desisteret, ita missus in-
telligeretur ut non etiam cum Patre missus in-
separetur: Cum vero sic accepta est forma servat ut ma-
nus incommutabilis forma Dei, manifestata ei quod ab invisibili Patre cum invisibili Filio visibili Fi-
lius fuisse missus.*

ona missa sit in divinis producta , quamvis
non sit producta ab illa , quæ tunc mittere
psam dicitur : secundum vero , quod persona
nittens sit causa effectus , secundum quem
extenditur istius alterius personæ missio . De-
betu primi numquam Pater dicitur missus
upra artic. 4. cum a nullo sit , & propter
um primum , cum secundum , tam Filius
icitur mittere se , ac Spiritum sanctum , quam
spiritus sanctus , & se , & Filium mittere
icitur . Verum Pater dicitur mittere utrum-
que , ratione , qua non solum producit cum
illis effectum , secundum quæm horum uter-
que & se , & alterutrum mittere nunc dice-
atur , sed etiam ratione , qua producit æter-
naliter illos : in quo sensu Filius mittit Spi-
ritum sanctum , non autem Spiritus sanctus
Filiu . His annotatis , omnia hucusque dia-
ta de missione divinarum personarum facile
intelliges . Secundo habes : quomodo per ra-
tionem ex responsione ad tertium sumptam ,
& Augustino , ut in argumeto suffultam re-
icias hæresim Albanensem dicentium , quod
homo potest ex se dare Spiritum sanctum .
Tertio habes : quomodo per eamdem ratio-
nem ostendas , illam merito damnari a scri-
turis sanctis Roman. 11. *Quis cognovit sen-
tum Domini , aut quis consiliarius ejus fuit ?*
Item Sapient. 9. *sensum autem tuum quis scier-
et si tu dederis sapientiam , & miseris Spiritum*
anclum tuum de altissimis ? Nisi tu , inquit ,
*niseris Spiritum sanctum . Ergo per hoc ma-
niteste ostendit , quod nullus homo , immo
ne Angelus , potest ex se dare Spiritum san-
ctum . Item Baruch. 3. *Quoniam non habue-
unt sapientiam , interierunt propter suam insi-
cientiam . Quis ascendit in cœlum , & accep-
it am ; & eduxit eam de nubibus ? Quis trans-
fervavit mare , & invenit illam , & attulit il-
lam super aurum electum ? Non est , qui possit
circare vias ejus ; neque qui exquirat semitas
jus . Sed qui fecit universa , novit illam ; &
dinvenerit eam , &c. & tradidit illam Jacob
vero suo , & Israel dilecto suo . Hæc ibi-
ive enim de sapientia increata loquatur
Baruch , sive de creata , condemnat hic præ-
dictum errorem . Nam Spiritus sanctus tan-
us est , cum sit Deus verus , quanta sapien-
tia increata , id est , Dei Filius , & in infinitum
major est , quam sapientia creata . Cum
gitur nullus hominum non tantum date ,
ed nec toto suo labore (qui denotatur per
scensum in cœlum , per educationem de nu-
ibus , per transmigrationem maris) possit ex
sapientiam illam scire , vel invenire , com-
ertum remanet , & per istum prophetam ,**

quod nec Spiritum sanctum homo ex se da-
re potest . Quarto vides : quomodo ex his
vicissim Angelica hæc doctrina firmetur &c.

Q U Ä S T I O XLIV.

*De processione creaturarum a Deo , & de
omnium entium prima causa ,*

In quatuor articulos divisa .

Post considerationem divinarum persona-
rum considerandum restat de processione
creaturarum a Deo . Erit autem hæc consi-
deratio tripartita ; ut primo consideretur de
productione creaturarum ; secundo de earum
distinctione , tertio de conservatione , & gu-
bernatione . Circa primum tria sunt consi-
deranda . Primo quidem , quæ sit prima cau-
sa entium . Secundo de modo procedendi
creaturarum a prima causa . Tertio vero de
principio durationis rerum .

Circa primum queruntur quatuor .

Primo , utrum Deus sit causa efficiens o-
mnium entium .

Secundo , utrum materia prima sit crea-
ta a Deo , vel sit principium ex æquo coordi-
natum ei .

Tertio , utrum Deus sit causa exemplaris
rerum , vel sint alia exemplaria præter
ipsum .

Quarto , utrum ipse sit causa finalis re-
rum .

A R T I C U L U S I. 234

Utrum sit necessarium omne ens esse creatum a Deo .

II. dist. I. quest. I. art. 2. & 3. & dist. XVII.
quest. I. art. 2. & II. cont. cap. VI. XV. &
XVI. & opusc. II. cap. LXVIII. & LXIX. &
opusc. XV. cap. IX.

AD primum sic proceditur . Videtur quod
non sit necessarium omne ens esse crea-
tum a Deo . Nihil enim prohibet inventiri
rem sine eo quod non est de ratione rei ,
sicut hominem sine albedine . Sed habitudo
causati ad causam non videtur esse de ratio-
ne entium , quia sine hac possunt aliqua en-
tia intelligi . Ergo sine hac possunt esse :
ergo nihil prohibet esse aliqua entia non
creata a Deo .

2. Præterea . Ad hoc aliquod indiget cau-
sa efficiente , ut sit . Ergo quod non potest
non esse , non indiget causa efficiente . Sed
nul-

nullum necessarium potest non esse : quia quod necesse est esse , non potest non esse . Cum igitur multa sint necessaria in rebus , videtur quod non omnia entia sint a Deo .

3. Præterea . Quorumcumque est aliqua causa , in his potest fieri demonstratio per causam illam (1) . Sed in mathematicis non fit demonstratio per causam agentem , ut per Philosophum patet in III. Metaph. (text. 3.) Non igitur omnia entia sunt a Deo sicut a causa agente .

Sed contra est quod dicitur Rom. xi. 36. *Ex ipso , & per ipsum , & in ipso sunt omnia* (2) .

Respondeo dicendum , quod necesse est dicere , omne ens quod quocumque modo est , a Deo esse . Si enim aliquid invenitur in aliquo per participationem , necesse est quod causetur in ipso ab eo cui essentialiter convenit , sicut ferrum fit ignitum ab igne . Ostensum est autem supra (quest. iii. art. 4.) (3) cum de divina simplicitate ageretur , quod Deus est ipsum esse per se subsistens : & iterum ostensum est (quest. xi. art. 4.) quod esse subsistens non potest esse nisi unum ; sicut si albedo esset subsistens , non potest esse nisi una , cum albedines multiplicantur secundum recipientia . Relinquitur ergo quod omnia alia a Deo non sint suum esse , sed participant esse . Necesse est igitur omnia quæ diversificantur secundum diversam participationem essendi , ut sint perfectius , vel minus perfecte , causari ab uno primo ente , quod perfectissime est .

Unde & Plato (4) dixit , quod necesse est ante omnem multitudinem ponere unitatem : & Aristoteles dicit in II. Metaphys. (text. 4.) quod id quod est maxime ens , & maxime verum , est causa omnis entis , & omnis veri , sicut id quod maxime calidum est , est causa omnis caliditatis .

Ad primum ergo dicendum , quod licet habitudo ad causam non intret definitionem entis , quod est causatum ; tamen sequitur

ad ea quæ sunt de ejus ratione : quia ex hoc quod aliquid per participationem est ens , sequitur quod sit causatum ab alio . Unde hujusmodi ens non potest esse quia sit causatum , sicut nec homo , quin sit risibilis (5) . Sed quia esse causatum non est de ratione entis simpliciter , propter hoc inventur aliquid ens non causatum .

Ad secundum dicendum , quod ex hac ratione quidam moti fuerunt ad ponendum , quod id quod est necessarium , non habeat causam , ut dicitur in VIII. Physic. (text. 46.) Sed hoc manifeste falsum appareret in scientiis demonstrativis , in quibus principia necessaria sunt causæ conclusionum necessariarum . Et ideo dicit Aristoteles in V. Metaph. (text. 6.) quod sunt quædam necessaria quæ habent causam suæ necessitatis . Non ergo propter hoc solum requiritur causa agens , quia effectus potest non esse , sed quia effectus non esset , si causa non esset . Hæc enim conditionalis est vera , sive antecedens , & consequens sunt possibilia , sive impossibilia .

Ad tertium dicendum , quod mathematica accipiuntur ut abstracta secundum rationem , cum tamen non sint abstracta secundum esse . Unicuique autem competit habere causam agentem , secundum quod habet esse . Licet igitur ea quæ sunt mathematica , habeant causam agentem , non tamen secundum habitudinem quam habent ad causam agentem , cadunt sub consideratione Mathematici : & ideo in scientiis mathematicis non demonstratur aliquid per causam a gentem .

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo : quomodo per rationem interimas heresies Gnosticorum , Manicheorum , Simoniacorum , Corintbi , Saturnini , Arechonticorum , Albigenium , Basilidicorum , Paternianorum , Patricianorum , Apollitanum ,

(1) Huc enim est verissima demonstratio quæ per causam fit , & a priori appellatur , sive proper quid.

(2) Ubi ex ipso (Patre) per ipsum (Filium) & in ipso (Spiritu sancto) intelligitur appropriate , sed communiter simul de omnibus .

(3) Ut & id quod sequitur ex quest. xi. art. 3. & 4. definiuntur ; ubi queritur an Deus unus & an maxime unus .

(4) In dialogo qui Parmenides inscribitur . Appendix autem sequens æquivalenter colligitur ex textu 4. libri 2. Metaph. sive cap. 1. prope finem .

(5) Hinc patet quam sit certum ex mente S. Thomae quod a subiecto separari proprie passiones non possint absolute : Nam alioqui esset illusoria illatio quod nec esse causatum separari a creatura possit ; cum absolute hoc intelligi nemo dubitet sapienter ; Nec minus porro illusorium effugium quo eludere locum illum aliqui volunt , quia esse causatum non est propria creatura passio : Quid enim refert an sit neque ? si propria passio tamen seque inseparabilis indicatur ? Sed hæc plenius & ex profunda Selectis .

am , Aristotelis , Algazelis (Direct. Inquis. 2. ar. qu. 4.) dicentum creaturas factas esse malo Deo , vel mala omnia esse a malo Deo . Item creaturas ex se , & generatione malas esse , quia a malo Deo creatae sint . Item creaturas ab alio , quam a Deo , esse factas , nam mundum factum esse ab angelis , vel a superna quadam virtute . Item mundum creatum , sive factum fuisse a se . Item Angelis praeter conscientiam Patris . Item mundum esse creatum ab Archangelis . Item Deum bonum omnes animas , & mānum , idest , diabolum corpora creare . Item celos trecentos sexaginta quinque esse , a quibus mundus est factus , non a Deo . Item corporis humani inferiores partes non a Deo , sed a diabolo esse factas . Item creationem iniversi omnis non opificium esse Dei , sed natorum Angelorum . Item Deum bonum unum principium esse , a quo factus est manus Deus , & malum hunc Deum , cum malignus esset , mundum in sua malignitate creasse . Item cœlum non fuit factum , neque genitum , sed ingenitum , & æternum . Item cœlestia corpora sunt producta ab animalibus corporum cœlestium , & una anima productur ab alia , scilicet inferior a superiori . Item a primo cœlo processit secundum cœlum , & deinceps usque ad ultimum . Secundo habes : quomodo per rationem demonstres , has omnes cum similibus recte fuisse damnatas a symbolo fidei catholicæ tum Apostolorum , sic : Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cœli , & terre : tum Patrum Concilii Nicenii , Constantinopolitani primi &c. sic : Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem , factorem omnium visibilium , & invisibilium . Item a &c. ut qu. 68. art. 4. & q. 68. art. 1. & q. 10. art. 3. & qu. 74. art. 3. & qu. 8. art. 3. Item a regulâ fidei traditis ab Aug. (Fulg.) in lib. de fide ad Petrum , c. 5. firmissime tene , & nullatenus dubites , sancti Trinitatem solum verum Deum , rerum omnium visibilium , & invisibilium esse conditorem . De quo in psal. dicitur , beatus , cuius Deus Jacob adjutor ejus , spes ejus in Domino Deo ipsius , qui fecit cœlum , & terram , mare , & omnia , quæ in eis sunt . De quo etiam Apostolus dicit : quoniam ex ipso , & per ipsum , & in ipso sunt omnia : ipsi gloria in

secula seculorum . Hæc ibi . Item a &c. ut qu. 94. art. 1. & qu. 92. art. 4. & qu. 65. art. 1. & qu. 65. art. 3. Item a confessione fidei B. Hier. ad Damasum Papam , quam in Ecclesiâ cath. didicisse , & semper tenuisse , ac tenere dicit . Credimus in Deum Patrem , omnipotentem , cunctorum visibilium , & invisibilium conditorem . Hæc ibi . Item a Damaso Papa , ut supra q. 42. art. 1. vel 4. vol 6. Item a sacrâ litteris passim . Item a , &c. ut q. 39. art. 3. & q. 21. art. 1. & q. 11. art. 3. Tertio yides &c.

ARTICULUS II. 235

Utrum materia prima sit creata a Deo .

Sup. quest. XIV. art. II. cor. & II. dist. XXXVII. quest. I. art. I. & veri. quest. III. art. 3. cor. & pot. quest. III. art. 5. & opusc. II. cap. lxix. xcix. cxxxix. ccxxx. & Rom. XI. lect. 5. & Phys. VIII. lect. 2.

AD secundum sic proceditur . Videtur quod materia prima non sit creata a Deo . Omne enim quod fit , componitur ex subiecto , & ex aliquo alio ; ut dicitur in I. Phys. (text. 62.) Sed materiæ primæ non est aliquod subiectum . Ergo materia prima non potest esse facta a Deo .

2. Præterea . Actio , & passio dividuntur contra se invicem . Sed sicut primum principium activum est Deus , ita primum principium passivum est materia . Ergo Deus , & materia prima sunt duo principia contra se invicem divisa : quorum neutrum est ab alio .

3. Præterea . Omne agens agit sibi simple (1) : & sic , cum omne agens agat in quantum est actu , sequitur quod omne factum aliquo modo sit in actu . Sed materiæ prima est tantum in potentia , inquantum hujusmodi . Ergo contra rationem materiæ primæ est quod sit facta .

Sed contra est quod dicit Augustinus XII. confes. (cap. vii. in fin.) (2) Duo fecisti Domine : unum prope te , scilicet Angelum ; aliud prope nihil , scilicet materiam primam .

Respondeo dicendum , quod antiqui Philoso-

(1) Vel univoce , si univocum agens ; vel ad minus , analogice , si æquivocum seu analogum .

(2) Hoc de cœlo & terra ibi dicit : Sed cap. 8. subiungit : Fecisti mundum de materia informi quam fecisti de nulla re pene nullam rem : Et pauca infra : Terra autem ipso quam feceras , informis

materias eras de qua faceres hec omnia quibus iste mutabilis mundus constas &c. Ut & cap. 9. Cœli quot in principiis fecisti , creatura est aliquis intellectualis particeps aeternitatis sue , quamvis nequaquam tibi coetera : Unde non immerito S. Thomas explicat ut hic .

losophi paulatim, & quasi pedetentim intraverunt in cognitionem veritatis. A principio enim, quasi grossiores existentes, non existimabant esse entia nisi corpora sensibilia. Quorum qui ponebant in eis motum, non considerabant motum, nisi secundum aliquam accidentia, ut puta secundum raritatem, & densitatem, per congregationem, & segregationem. Et supponentes ipsam substantiam corporum increatam, assignabant alias causas hujusmodi accidentalium transmutationum, ut puta amicitiam, litem, intellectum, aut aliquid hujusmodi. Ulterius vero procedentes distinxerunt per intellectum inter formam substantialem, & materiam, quam ponebant increatam; & percepserunt transmutationem fieri in corporibus secundum formas effigiales. Quarum transmutationum quasdam causas universaliores possebant, ut obliquum circulum, secundum Aristotelem (Lib. II. de gener. text. 56.) (1) vel ideas secundum Platonem. Sed considerandum est, quod materia per formam contrahitur ad determinatam speciem, sicut substantia alicuius speciei per accidens ei adveniens contrahitur ad determinatum modum effendi, ut homo contrahitur per album (2). Utrique igitur consideraverunt ens particulari quadam consideratione, vel inquantum est hoc ens, vel inquantum est tale ens: & sic rebus causas agentes particulares assignaverunt. Et ulterius aliqui exixerunt se ad considerandum ens, inquantum est ens; & consideraverunt causam rerum, non solum secundum quod sunt hæc, vel talia, sed secundum quod sunt entia (3).

Hoc igitur quod est causa rerum, inquantum sunt entia, oportet esse causam rerum, non solum secundum quod sunt talia per formas accidentales, nec secundum quod sunt hæc per formas substantiales, sed etiam secundum omne illud quod pertinet ad esse illorum quocunque modo. Et sic oportet ponere etiam materiam primam creatam ab universali causa entium.

Ad primum ergo dicendum, quod Philosophus in I. Phys. (loc. cit. in arg.) loquitur de fieri particulari, quod est de for-

ma in formam sive accidentalem, sive substantialem; nunc autem loquimur de rebus secundum emanationem earum ab universali principio effendi: a qua quidem emanatione nec materia excluditur; licet a primo modo factio[n]is excludatur.

Ad secundum dicendum, quod passio est effectus actionis. Unde & rationabile est quod primum principium passivum sit effectus primi principii activi: nam omne imperfectum causatur a perfecto (4). Oportet enim primum principium esse perfectissimum, ut dicit Aristoteles in XII. Metaph. (tex. 52.)

Ad tertium dicendum, quod ratio illa non ostendit, quod materia non sit creata, sed quod non sit creata sine forma: licet enim omne creatum sit in actu, non tamen est actus purus. Unde oportet quod etiam illud quod se habet ex parte potentie, sit creatum, si totum quod ad esse ipsius pertinet, creatum est.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem destruas hereses Seleucianorum, Albanensium, Hermianorum, Marcionis, Davidis Dinantii, Manetis Manichæi, Hermogenianorum (Direct. inquisitor. 2. p. q. 6.) dicendum: Materiam elementorum, ex qua mundus est factus, a Deo factam non fuisse, sed esse Deo coeternam. Item, materiam malam esse, & ab alio malo perfectam, & absolutam. Item, materiam primam Deum esse. Item, materiam, ut Deum, ingenitam, tenebras, & malam esse; & a Deo longe abesse, in australi plaga collocata, seditionem adversus fructus suos movisse, & cum demonibus, igne, & aqua in lacem imperum fecisse; Deumque ob id conterritum tantam vim non habuisse, qua in ipsam materiam vindicaret; & diabolum nunc esse materiam, nunc materię principem. Item materiam non natam introducit Hermogenes, eam Deo non nato comparavit, ipsam esse matrem elementorum, & Deum asseruit. Secundo habes: quomodo per rationem demonstres, has omnes jure damnari ab Evangelio Joan. I. *Omnia, per ipsum facta sunt*

(1) Vel cap. 10.

(2) Non ad modum effendi simpliciter, ut sit individuum: sed secundum quid, ut sit individuum tale.

(3) Id est, non quoad esse tantum accidentale a quo denominantur *salis*; nec quād quantum ad

esse solum particulare vel individuale a quo dominantur hæc; sed quoad esse totum substantiale absolute consideratum secundum omne illud ex quo constituitur vel quod ad ipsum spectat, ut adjuncta explicant.

(4) Ut quæst. 4. art. 1. ex Boetio notatum est.

sunt, & sine ipso factum est nihil. Cum ergo materia prima sit aliquid; facta est a Deo per Filium.. Nam sine ipso factum est nihil, idest, omnia, quæ habent esse aliquo modo, & non sunt penitus nihil, facta sunt per ipsum. Item a Concilio Tolletano primo autoritate Leonis Papæ confirmato, de regulis catholicæ fidei c. 21. Si quis dixerit, vel crediderit, ab altero Deo mundum factum fuisse, & non ab eo, de quo scriptum est: In principio fecit Deus cælum, & terram: anathema sit. Quis autem Deus iste sit, de quo scriptum, &c. declarat Concilium idem in uno priori canone ibi, sic: Si quis dixerit, vel crediderit, alterum Deum esse præce legis, alterum Evangeliorum: anathema sit. Quid etiam intelligat per mundum, de quo loquitur, declarat Concilium in uno priori canone ibi, sic: Si quis dixerit, aut crediderit, a Deo omnipotente mundum hunc factum non fuisse, asque omnia ejus instrumenta: anathema sit. Hac ibi. Materia autem prima est aliquid pertinens ad mundum: & consequenter est instrumentum mundi. Nam Concilium instrumenta mundi vocat omnia, quæ pertinent ad integratem mundi, quæcumque sunt illa, sive visibilia, sive invisibilia. Horum canonum quidam, ut primus, de directo facit pro damnatione hæresum aliquarum articulo precedenti positum. Item a libro Decretorum 24. q. 3. Quidam. Ibi enim, narrata hæresi Hermogenianorum cum pluribus aliis, subjungitur sic: Hæ sunt hæreses adversus catholicam fidem exorte, & ab Apostoli, & a sanctis Patribus, vel Conciliis predamnatae: que, et si multis erroribus divise invicem sibi dissentiant, communis tamen nomine adversus Ecclesiam Dei conspirant. Hac ibi. Et quia multi errantiam scripturis sacris false distortis errores suos, ut per hoc veri erendantur, communiant: ideo inibi contra hos adjungitur sic: Sed & quicumque aliter scripturam sanctam intelligit, quan sensus Spiritus sancti flagitat, a quo conscripta est, licet de Ecclesia non recesserit, tamen hereticus appellari potest. Hac ibi. Sensum vero suum, cui Spiritus sanctus revelaverit, vide ad longum q. 32. art. Item Sunm. S.Th. T. I.

recte damnatas a, &c. ut in artic. preced. appen. & in locis etiam ibidem citatis. Ter-
tio vides: quomodo &c.

ARTICULUS III. 236

Utrum causa exemplaris sit aliquid præter Deum.

Pot. quest. vii. art. i. ad 3. & II. cont. cap. xi. in princ.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod causa exemplaris sit aliquid præter Deum. Exemplatum enim habet similitudinem exemplaris. Sed creature longe sunt a divina similitudine (1). Non ergo Deus est causa exemplaris earum.

2. Præterea. Omne quod est per participationem, reducitur ad aliquid per se existens, ut ignitum ad ignem, sicut iam dictum est (art. 1. hujus quest.) Sed quæcumque sunt in sensibilibus rebus, sunt solum per participationem alicujus speciei, (2) quod ex hoc patet quod in nullo sensibiliū invenitur solum id quod ad rationem speciei pertinet, sed adjunguntur principiis speciei principia individuaria. Oportet ergo ponere ipsas species per se existentes, ut per se hominem, & per se equum, & hujusmodi: & haec dicuntur exemplaria. Sunt igitur exemplaria res quædam extra Deum.

3. Præterea. Scientiæ, & definitiones sunt de ipsis speciebus, non secundum quod sunt in particularibus, quia particularium non est scientia, nec definitio (3). Ergo sunt quædam entia quæ sunt entia, vel species non in singularibus; & haec dicuntur exemplaria: ergo idem quod prius.

4. Præterea. Hoc idem videtur per Dionysium, qui dicit v. cap. de div. Nom, (non remote a princ. lect. 1.) quod ipsum secundum se esse prius est eo quod est per se vitam esse, & eo quod est per se sapientiam esse.

Sed contra est quod exemplar est idem quod idea (4). Sed idem, secundum quod Augustinus Lib. lxxxiiii. Q. dicit (quest. xlvi.

Ggg

(1) Seu infinitis modis ac measuris (μετρούσις) ut dicitur cap. 9. de divinis nominibus §. 7. proprie timem.

(2) Juxta vulgare illud ex Porphyrio sumptum in Isagoge sua cap. de specie: Omnes homines partici-
patione speciei sunt unus homo. Sicut e contrario

qui unus erat & com: unius, sic in individualiis, plu-
ris, ut ibidem additur.

(3) Ut videre est lib. 1. Posterior. text. 43. five
cap. 25. quantum ad scientiam; ut & lib. 2. Po-
ster. tex. 20. five cap. 14. quantum ad definitionem.

(4) Ex græco vocabulo sic dicta velut quidam
alio-

xlvi. non remote a pric.) sunt forme principales, quæ divina intelligentia continentur. Ergo exemplaria rerum non sunt extra Deum.

Respondeo dicendum, quod Deus est prima causa exemplaris omnium rerum. Ad eius evidentiam considerandum est, quod ad productionem alicujus rei ideo necessarium est exemplar, ut effectus determinatam formam consequatur. Artifex enim producit determinatam formam in materiam propter exemplar ad quod inspicit, sive illud sit exemplar ad quod extra intuetur, sive sit exemplar interius mente conceptum. Manifestum est autem quod ea quæ naturaliter sunt, determinatas formas consequuntur. Hæc autem formarum determinatio oportet quod reducatur sicut in primum principium in divinam sapientiam, quæ ordinem universi excogitavit, qui in rerum distinctione consistit. Et ideo oportet dicere, quod in divina sapientia sint rationes omnium rerum, quas supra diximus (quest. xv. art. 1.) ideas, idest formas exemplares in mente divina existentes. Quæ quidem licet multiplicentur secundum respectum ad res, tamen non sunt realiter aliud a divina essentia, prout ejus similitudo a diversis participari potest diversimode. Sic igitur ipse Deus est primum exemplar omnium (1). Possunt etiam in rebus creatis quedam aliorum exemplaria dici secundum quod quedam sunt ad similitudinem aliorum vel secundum eamdem speciem vel secundum analogiam alicujus imitationis.

Ad primum ergo dicendum, quod licet creature non pertingant ad hoc quod sunt similes Deo secundum suam naturam similitudine speciei, ut homo genitus homini generanti; attingunt tamen ad ejus similitudinem (2) secundum representationem rationis intellectæ a Deo, ut dominus quæ est in materia, domui quæ est in mente artificis.

Ad secundum dicendum, quod de ratione

hominis est quod sit in materia; (3) & sic non potest inveniri homo sine materia. Licet igitur hic homo sit per participationem speciei, non tamen potest reduci ad aliquid existens per se in eadem specie, sed ad speciem superexcedentem, sicut sunt substantiae separatae. Et eadem ratio est de aliis sensibilibus.

Ad tertium dicendum, quod licet quælibet scientia, & definitio sit solum enuntiatio, non tamen oportet quod res eundem modum habeant in essendo quem intellectus habet in intelligendo. Nos enim per virtutem intellectus agentis abstrahimus species universales a particularibus conditionibus; non tamen oportet quod universalia præter particularia subsistant, ut particularium exemplaria.

Ad quartum dicendum, quod, sicut dicit Dionylius xi. cap. de div. Nom. (inter med. & fin. lect. 4.) (4) per se vitam, & per se sapientiam quandoque nominat ipsum Deum, quandoque virtutes ipsis rebus das, non autem quasdam subsistentes res, sicut antiqui posuerunt.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte Deum solum suisse positum causam omnium exemplarem a scripturis, Isa. 40. *Quis adjuravit spiritum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit, & ostendit illi?* Cum quo iniit consilium, & instruxit eum, & docebat eum semper iustitiam, & eruditum eum scientiam, & viam prudenter ostendit illi? Item Rom. 11. *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Aut quis prior dedit illi, & retribuerit ei? Quoniam ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia. Item 1. Cor. 2. *Quis cognovit sensum Domini, aut quis instruxit eum?* His enim, & similibus locis clamat scriptura, quod

aspectus rei, vel species & forma objectiva per quam videtur, et si non sit medium sive principium formale visionis ut suo loco qu. 15. notatum est. Sic autem Augustinus de illis ibi plenius quam hic: *Ideas latine possumus formas vel species dicere, ut verbum e verbo transferre videamus: Sans namque idea principales forma quadam vel rationes rerum stabilis atque incommutabiles quæ ipsa formata non sunt, ac per hoc eterna ac semper eodem modo se habentes quæ in divina intelligentia continentur.*

(1) Huc pertinet quod Boetius lib. 3. de consolat. metro 9. *Tu cuncta superno decis ab exemplo (inquit) quasi diceret exemplari; quod & mox imagi-*

now appellat.

(2) Hinc similes ac dissimiles esse esse Diogenes notat ubi supra.

(3) Non in actu signato, sicut loqui solent; hoc est quantum ad effectum ut sic & præcise considerat, cum abstrahat a conditionibus individuus (eti. non a materia communia) sed ad similes in actu exercito, prout existentia subest & in particuli accipitur; ut sequentia insinuant.

(4) Respondens ei qui de illa loquitione dubitabat, & cupiebat se instrui quomodo eam intelligi proprie oportaret.

ARTICULUS IV. 237

Utrum Deus sit causa finalis omnium.

*Inf. quest. lxvi. art. 2. & quest. ciii. art. 2.
& II. dist. I. quest. II. art. 2. corp. &
III. cont. cap. xvii. & xviii.*

quod nihil praeter Deum est exemplaris causa omnium rerum. Nam causa exemplaris est instructio quædam agentis (ut patet) & ostendit ei, qualiter agere debeat, ac per hoc est consilia ejus, & doctrix, ac eruditrix: cognoscitque sensum agentis, in quantum ipsa dat illi modum formandi intentum suum, & ipsa consequenter prior dat agenti, ut agens retribuat ei, in quantum prius dat exemplar faciendi operis agendi, ut postea agens, tamquam gratitudinem ei retribuens, faciat secundum monstratum exemplar. Cum ergo scripturæ istæ, quæ causæ exemplari convenient, negent de quocumque respectu Dei, patet, quod per hoc causam exemplarem omnium rerum nullum alium a Deo volunt. Item Apost. hanc suam intentionem esse in verbis illis Ro. 11. dictis, loqui scilicet de causa exemplari monstravit ex eo, quod, quam rationem a se dictorum reddens, mox intulit sic: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Quoniam ipse Deus est omnium causa efficiens *ex qua*, exemplaris *per quam*, finalis *in qua*. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, contrarium conclusionis merito pro errore ab Augustino reputari in lib. 83. questionum, q. 46. dicente sic: *Singula sunt creatae propriis rationibus, id est, propriis exemplaribus; quas rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in mente creatoris?* Ad nihil enim extra se possum inveniatur Deus, ut constitueret, quod constitueret: & oppositum opinari sacrilegium est. Hæc ibi. Inspice quest. 15. præcipue artic. 3. Nam in illa questione agitur de ideis: & idea est forma, vel exemplar. Articulus etiam octavus questionis tertie, præfert in ad primum, & secundum aliquid subministrabit. Tertio vides: quomodo &c.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod Deus non sit causa finalis omnium. Agentem enim propter finem videtur esse alicujus indigentis fine. Sed Deus nullo est indigens. Ergo non competit sibi agere propter finem.

2. Præterea. Finis generationis, & forma generati, & agens non incident in idem numero, ut dicitur in II. Physic. (tex. 70.) (1) quia finis generationis est forma generati. Sed Deus est primum agens omnium. Non ergo est causa finalis omnium.

3. Præterea. Finem omnia appetunt. Sed Deus non omnia appetunt, quia neque omnia ipsum cognoscunt. Deus ergo non est omnium finis.

4. Præterea. Finalis causa est prima causarum (2). Si igitur Deus sit causa agens, & causa finalis, sequitur quod in eo sit prius, & posterius: quod est impossibile.

Sed contra est quod dicitur Prov. xvi. 4. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus* (3).

Respondeo dicendum, quod omne agens agit propter finem: aliquoquin ex actione agentis non magis sequeretur hoc quam illud, nisi a casu. Est autem idem finis agentis, & patientis, in quantum hujusmodi, sed aliter, & aliter. Unum enim & idem est quod agens intendit imprimere, & quod patiens intendit recipere. Sunt autem

Ggg 2

(1) Äquivalenter ibi, & implicite eum ex quatuor causis tres plerumque in unam coincidere indicantur, sed excipitur movens vel efficiens causa.

(2) Quasi ceteras movens ad agendum, etiæ metaphorice tantum vel moraliter.

(3) Paulo aliter tamen Beda in eundem locum intelligit quod propter semetipsum sit operatus Deus; quia minime ei nulla fuit omnino cause creaturarum (visibilium vel invisibilium) faciendi nisi voluntas eius; ut suam videlicet bonitatem rationabili creature quam per se beatam facere offendere: Sed unum ex alio sequitur, ut hoc ipso intelligatur propter semetipsum quasi propter causam finaliem operatus, quia non nisi ex motivo proprio bonitatis ad eam creature communicandam operatus est; Pro illis autem verbis habent 70. quod omnia opera Del-

cum justitia: Sed hoc ipsum justum est ut ad ejus gloriam tamquam ad ultimatum finem referantur: Porro quod subiungitur ibi (scilicet vers. 4) *impiorum quoque ad diem malum*, non sporter sic intelligi quali ex primaria quadam intentione voluerit impium esse, vel operatus eum fuerit sicut alia universa; sed quod præposita impietate quam operatus ipse non est nec operari potest, impium ipsum ad justitiam suam in ejus pena manifestandam diei malo destinavit; Unde 70. sic exprimitur, *Servatur quoque impiorum in diem malum*, ut vers. 5. in eorum Editione videtur est: Quod enim alioqui non sit impietatis causa nec impium fecerit ut in ejus predicatione deflestantur, patet Sap. 1. vers. 13. & deinceps; ac Ecclesiast. 13. vers. 12. ut alibi plenius notabatur.

tem quædam quæ simul agunt, & patiuntur, quæ sunt agentia imperfecta; & his convenit quod etiam in agendo intendant aliquid acquirere. Sed primo agenti, qui est agens tantum, non convenit agere propter acquisitionem alicujus finis, sed intendit solum communicare suam perfectionem, quæ est ejus bonitas: & unaquaque creatura intendit consequi suam perfectionem, quæ est similitudo perfectionis, & bonitatis divinæ. Sic ergo divina bonitas est finis rerum omnium.

Ad primum ergo dicendum, quod agere propter indigentiam non est nisi agentis imperfecti, quod natum est agere, & pati. Sed hoc Deo non competit: & ideo ipse solus est maxime liberalis: quia non agit propter suam utilitatem, sed solum propter suam bonitatem.

Ad secundum dicendum, quod forma generati non est finis generationis, nisi in quantum est similitudo formæ generantis, quod suam similitudinem communicare intendit: alias forma generati esset nobilior generante, cum finis sit nobilior his quæ sunt ad finem.

Ad tertium dicendum, quod omnia appetunt Deum ut finem, appetendo quodcumque bonum, sive appetitu intelligibili, sive naturali, qui est sine cognitione: quia nihil habet rationem boni, & appetibilis, nisi secundum quod participat Dei similitudinem.

Ad quartum dicendum, quod cum Deus sit causa efficiens, exemplaris, & finalis omnium rerum, & materia prima sit ab ipso, sequitur quod principium omnium rerum sit unum secundum rem. Nihil tamen prohibet in eo considerari multa secundum rationem, quorum quædam prius cadant in intellectu nostro quam alia.

A P P E N D I X.

EX artic. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito dictum Prov. 16. universa propter semetipsum operatus est Dominus. Hoc est. Dominus universorum est finis. Secundo habes: quomodo per rationem in bono sensu scripturam hanc, & similes intelligas, sive eas intellectas bene defendas. Tertio habes: quomodo per rationem sensum erroneum Almarici scripturis hujusmodi, seu conclusioni huic (scilicet Deus est finis omnium) datum rejicias. Dicit siquidem Al-

maricus, ut refert Card. Turrecrem. de Ecclesiæ, lib. 4. c. 35. sic: Deus ideo dicitur finis omnium, quia omnia reversura sunt in ipsum, ut in Deo immutabiliter quiescant: & ut unum individuum, atque incommutabile in eo permanebunt. Quarto habes: quomodo per rationem demonstres, hunc Almarici errorem in fide merito fuisse damnatum ab Innoc. III. Papa in Concilio generali, extra de summa Tri. & si. cath. Damnamus, sic: Reprobamus autem, & condemnamus perversissimum dogma impii Almarici: cuius mentem sic Pater mendacii excavarit, ut ejus doctrina non tam heretica, quam insana sit censenda. Hec ibi. Ubi per ly dogma intelligit summus Pontifex totam doctrinam Almarici, ut supra q. 3. art. 8. & q. 18. art. 4. adnotatum est. Quinto vides, &c.

Q U Ä S T I O XLV.

De modo emanationis rerum a primo principio,

In octo articulos divisa.

DEinde queritur de modo emanationis rerum a primo principio: qui dicuntur creatio: de qua queruntur octo.

Primo, quid sit creatio.

Secundo, utrum Deus possit aliquid creare.

Tertio, utrum creatio sit aliquid ens in rerum natura.

Quarto, cui competit creari.

Quinto, utrum solius Dei sit creare.

Sexto, utrum commune sit toti Trinitati, aut proprium alicujus personæ.

Septimo, utrum vestigium aliquod Trinitatis sit in rebus creatis.

Octavo, utrum opus creationis admisceatur in operibus naturæ, & voluntatis.

A R T I C U L U S I. 28

Utrum creare sit ex nihilo aliquid facere.

II. diff. I. quest. I. art. 6. & post. quest. III. art. I.

AD primum sic proceditur. Videlur quod creare non sit ex nihilo aliquid facere. Dicit enim Augustinus contra adversarium legis & prophetarum (Lib. I. cap. xxiii. ante med.) Facere est quod omnino non erat; creare vero est ex eo quod jam erat, (*) edendo

(*) Ita editi penes omnes, & codd. plurimi.

ndo aliquid constitutere (1).

2. Præterea. Nobilitas actionis, & motus terminis consideratur. Nobilior igitur est ratio quæ ex bono in bonum est, & ex ens in ens, quam quæ est ex nihilo in aliud. Sed creatio videtur esse nobilissima actio, & prima inter omnes actiones. Ergo non est ex nihilo in aliud, sed magis ex ite in ens.

3. Præterea. Hæc præpositio *ex* importat abitudinem alicujus causæ, & maxime materialis; sicut cum dicimus, quod statua fit ex ære. Sed nihil non potest esse materiae, nec aliquo modo causa ejus. Ergo reare non est ex nihilo aliud facere.

Sed contra est quod super illud Gen. i. *n principio creavit Deus cælum &c.* dicit illoſta (ord. ex Beda in hunc loc.) (2) quod creare est aliud ex nihilo facere. Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. præc. art. 2.) non solum oportet considerare emanationem alicuius entis particularis ab aliquo particulari gente, sed etiam emanationem totius entis causa universalis, quæ est Deus: & hanc uidem emanationem designamus nomine reationis.

Quod autem procedit secundum emanationem particularem, non præsupponitur emanationi; sicut si generatur homo non sicut homo, sed homo fit ex non homine, & album ex non albo. Unde si consideretur emanatio totius entis universalis a primo principio, impossibile est quod aliud ens præsupponatur huic emanationi. Idem autem est nihil quod nullum ens. Sicut igitur generatio hominis est ex non ente, quod est non homo; ita creatio, quæ est emanatio totius esse, est ex non ente, quod est nihil.

Ad primum ergo dicendum, quod Augustinus *equivoce utitur nomine creationis*, se-

cundum quod creari dicuntur ea quæ in melius reformantur; ut cum dicitur aliquis creari in Episcopum (3). Sic autem non loquimur hic de creatione, sed sicut dictum est (in corp. artic.)

Ad secundum dicendum, quod mutationes accipiunt speciem, & dignitatem non a termino a quo, sed a termino ad quem. Tanto ergo perfectior, & prior est aliqua mutatio, quanto terminus ad quem illius mutationis est nobilior, & prior; licet terminus a quo, qui opponitur termino ad quem, sit imperfectior: sicut generatio simpliciter est nobilior, & prior quam alteratio, propter hoc quod forma substantialis est nobilior quam forma accidentalis; tamen privatio substantialis formæ, quæ est terminus a quo in generatione, est imperfectior quam contrarium, quod est terminus a quo in alteratione: & similiter creatio est perfectior, & prior quam generatio, & alteratio: quia terminus ad quem est tota substantia rei; id autem quod intelligitur ut terminus a quo, est simpliciter non ens.

Ad tertium dicendum, quod cum dicitur aliud ex nihilo fieri, hæc præpositio *ex* non designat causam materialem, sed ordinem tantum; sicut cum dicitur, Ex mane fit meridies, id est, post mane fit meridies. Sed intelligendum est, quod hæc præpositio *ex* potest includere negationem importatam in hoc quod dico *nihil*, vel includi ab ea. Si primo modo, tunc ordo remanet affirmatus, & ostenditur ordo ejus quod est, ad non esse præcedens. Si vero negatio includat præpositionem, tunc ordo negatur, & est sensus: Fit ex nihilo, id est non fit ex aliquo; sicut si dicatur, Ité loquitur de nihilo, quia non loquitur de aliquo. Et utrumque modo verificatur, cum dicitur, *ex nihilo aliud fieri*. Sed primo modo hæc præposi-

(1) Vel transpositis verbis *aliquid constitutere ordinando*, id est in quedam novum statum five ordinem reducendo; non sicut prius passim in impressis, iothicis, manuscriptis, *aliquid educendo*, cōnta intentionem Augustini, ex cuius textu emendamus.

(2) Equivalenter vetus cum sic Scripturam loquitur ut excludatur materia quam Plato incrementi aciens principium omnium aliorum volebat esse: Nova vero sive Impressa, quando ex Alcuino ait quod *materia facta est de nihilo*, *species mundi de materia informi*; quantum ex Eucherio quod *materia le nibilo facta est ex se facta antecessit*: quando ex Beda quod *mundum & angelos & animas de nihilo Deus fecit, ex terra de aliquo*. Sed expressius Beda ipse in infra referetur.

(3) Sive *creari Magistratus*, ut ejus textus habet

ubi Episcopi exemplum non affertur: Se autem ita loqui declarat Augustinus ut hinc refellat ex professo adversarium ipsum Logis & Prophetarum, qui vertebat in crimen eam loquitionem Iacobus quæ Deus creans *mala* dicitur ut cap. 45. vers. 7. vide se est: Quia nimis istum contendebat id quod fit, *foris scilicet fieri*; & quod creatur, *esse apud credentem ac inde procedere*. Ostendit ergo Augustinus e contrario id fieri quod si non fieret, omnino non esset; *creari* autem ex eo quod eras condi *aliqd vel confitit*, sicut creari *Magistratus* dicuntur quando constituantur in honoribus qui jam homines erant, &c. Nec eam tamen significacionem hic excludit quia de nihilo est facere, ut explicat lib. 2. de anima & ejus origine cap. 3. &c.

positio et importat ordinem , ut dictum est
(in hac respons.) Secundo modo importat
habitudinem cause materialis , quæ negatur .

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo : quomodo per rationem interimas hæresim *Algorismi* , & præcipue *Averrois* (Director. Inqu. 2. p. q. 4.) dicentium : quod nihil potest fieri si ne prævia dispositione materiæ , & quod creatio totaliter non datur . Item , quod ex nihilo aliquid fieri , est falsum ; & quod aliiquid posse habere esse post omnino non esse est falsum ; & quod potentia in productione alicujus rei non potest esse solum in agente . Non fuit autem sat Averroï , quod his tribus propositionibus ultimis negat creationem : quod etiam , velut sapiens in sua maxima insipientia , vituperat legem Christianorum in hoc , quod ipsa ponit creationem : ut patet 11. & 12. *Metaph.* Item assentit Christianos esse garrulatores , & sine ratione se moventes , vituperans tale quid credentes : ut patet 8. *Metaph.* & circa principium tertii *Physicorum* . Ideo speciatim contra istum ignorantissimum in hoc Philosophorum agendum erit per rationes hic , & lib. 2. *contra gentes* , cap. 16. 17. 18. 19. 37. a S. Thoma ex vera philosophia adductas , ut magis in suis propriis finibus confundatur : & per quæ quis peccat , per hæc etiam torqueatur . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas , has merito esse damnatas a 2. *Machab.* 7. *Pote nato , us aspicias ad carnum , & serram , & ad omnia , que in eis sunt , & intelligas , quia ex nihilo fecit illa Deus , & bonum genus.* Item a Sapien. 2. *Ex nihilo nati sumus.* Hoc enim verum dixerunt illi impi : licet falsum mox adjungant (more hereticorum vera falsis permissionem : ut vel sic pro veris sua falsa ventissent) dicentes ; *Et possit haec erimus , tamquam non fuerimus.* Ex hoc ergo loco vero impiorum , scilicet , *ex nihilo nati sumus* , patet , quod Averroës est impiis deterior , negando creationem , & quod impiissimus magis est irridendo credentes , ex nihilo creationem dari . Item a symbolo Apostolicæ fideli . *Credo in Deum Patrem omnipotentem*

creatorem cali , & terre. Quare daretur Patres post ly *creatorem* dixerint ly *factorem* : vide q. 46. art. 1. Item a Papa *Innocentio III.* in Concilio , extra de sum. Tii. & fid. cathol. firmiter credimus , & simpliciter confidimus : quod , &c. Deus sua omnipotenti virtute de nihilo condidit creaturam . Hæc ibi . Ex quibus unque constat , quod creare est ex nihilo facere , seu , quod ex nihilo facere datur . Item a , &c. ut q. 61. a. 2. & q. 45. a. 2. Ceterum , quod Averroës infectam Philosophiam , non Philosophiam ibi sequatur : & quod argumenta ejus , atque similium sit solubilia , vide q. 75. art. 2. in append. , & respondeas stulto juxta stultitiam suam , ne sibi sapiens videatur . Tercio vides &c.

ARTICULUS II. 239

Utrum Deus possit aliquid creare .

II. diff. I. quest. I. art. 2. & 3. & diff. XXVII. quest. I. art. 2. & II. cont. cap. VI. XV. & XVI. & pot. quest. III. art. 16. cor.

AD secundum sic proceditur . Videtur quod Deus non possit aliquid creare . Quia secundum Philosophum I. Phys. (text. 34.) antiqui Philosophi acceperunt ut communem conceptionem animi , ex nihilo nihil fieri . Sed potentia Dei non se extendit ad contraria primorum principiorum , utpote quod Deus faciat quod totum non sit maius sua parte , vel quod affirmatio , & negatio sint simul vera . Ergo Deus non potest aliquid ex nihilo facere , vel creare .

2. Præterea . Si creare est aliquid ex nihilo facere , ergo creari est aliquid fieri . Sed omne fieri est mutari . Ergo creatio est mutatione . Sed omnis mutatione est ex subiecto aliquo , ut patet per definitionem motus (1) : nam motus est actus existentis in potentia . Ergo est impossibile aliquid a Deo ex nihilo fieri .

3. Præterea . Quod factum est , necesse est aliquando fieri . Sed non potest dici , quod illud quod creatur , simul fiat , & factum sit : quia in permanentibus quod sit , non est ; quod autem factum est , jam est . Simul ergo aliquid esset , & non esset . Ergo si ali-

quid

(1) Quam assignat Aristoteles lib. 3. *Physicorum* cap. 1. text. 6. nimirum quod sit *actus ensis in potentia prout in posse* ; quod & alter text. 16. in eodem libro , & item 8. *Phys.* text. 4. explicat , ut sit nimirum *actus mobilis prout mobile* : Sive

quia quod erat potentia mobile sit quodammodo ad per motum : Sive quia sub ipso motu acti potentiam retinet ad terminum , cuius adspicione actus motus .

vid fit, fieri ejus præcedit factum esse. Sed & non potest esse, nisi præexistat subiectum, in quo sustentetur ipsum fieri. Ergo impossibile est aliquid fieri ex nihilo.

4. Præterea. Infinitam distantiam non est transire. Sed infinita distantia est inter & nihil. Ergo non contingit ex nihilo aliquid fieri.

Sed contra est, quod dicitur Genes. i. principio creavit Deus celum, & terram: id dicit Glossa (ord. ex Beda super hunc c.) (1) quod, „creare est aliquid ex nihilo facere.“

Respondeo dicendum, quod non solum (2) ut sit impossibile a Deo aliquid creari, sed eesse est ponere a Deo omnia creata esse,

t ex præmissis habetur (quest. præc. art. 1.) Quicunque enim facit aliquid ex aliquo, illud ex quo facit, presupponit actionem ejus, & non producitur per ipsam actionem: sicut artifex operatur ex rebus naturabus, ut ex ligno, & ære, quæ per artis actionem non causantur, sed causantur per actionem naturæ; sed & ipsa natura causat es naturales quantum ad formam, sed presupponit materiam. Si ergo Deus non ageat nisi ex aliquo presupposito, sequeretur uod illud presuppositum non esset causatum a ipso. Ostensum est autem supra (quest. præc. art. 1. & 2.) quod nihil potest esse nisi in entibus quod non sit a Deo, qui est causa universalis totius esse. Unde necesse est dicere, quod Deus ex nihilo res in esse proicit (3).

Ad primum ergo dicendum, quod antiqui philosophi, sicut supra dictum est (quest. præc. art. 2.) non consideraverunt nisi emanationem effectuum particularium a causis articulatis, quas necesse est presupponere

aliiquid in sua actione: & secundum hoc erat eorum communis opinio, ex nihilo nihil fieri. Sed tamen hoc locum non habet in prima emanatione ab universalis seruam principio.

Ad secundum dicendum, quod creatio non est mutationis, nisi secundum modum intelligendi tantum. Nam de ratione mutationis est quod aliquid idem se habeat aliter nunc, & prius. Nam quandoque est idem ens aliter se habens nunc, & prius, nisi secundum intellectum tantum, sicut si intelligatur aliquæ res prius non fuisse totaliter, & postea esse. Sed cum actio, & passio convenient in substantia motus, & different solum secundum habitudines diversas, ut dicitur in III. Physicorum (text. 20. & 21.) oportet quod subtracto motu, non remaneant nisi diversæ habitudines in creante, & creato. Sed quia modus significandi sequitur modum intelligendi, ut dictum est (quest. xiiii. art. 1.) creatio significatur per modum mutationis: & propter hoc dicitur, quod creare est ex nihilo aliquid facere; quamvis facere, & fieri magis in hoc convenient quam mutare, & mutari: quia facere, & fieri important habitudinem causæ ad effectum, & effectus ad causam, sed mutationem ex consequenti.

Ad tertium dicendum, quod in his quæ sunt sine motu, (**) simul est fieri, & factum esse, sive talis factio sit terminus ma-

tus

(1) Jam superioris notatum est non sic in Glossa inc haberi, sed ex Beda colligi æquivalenter & imprecise, cum explicat quid sit proprie creare; nempe aliquid absque materia facere, ac per consequens ex nihilo. Sic porro Beda in Genesim: Cœravis inquit quasi dices, Macbinavis (annon masevus?) id est simul cum materia facit) Propriæ enim esse absque materia dicitur (id est non supposita materia) Facere autem, de materia, id est ex materia producere aliquid vel formare.

(*) Al. id est non. Cœravimus in sensu non solum & possibile.

(2) Hinc etiam in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. ut cap. Primus Extra de summa Trinitate & fide catholica inde relatum videtur est, credendum simpliciter & confundendum definitur inter alia quod creator omnium visibilium & invisibilium, spiritualium & corporalium, sua omnipotenti

virtute utramque de nihilo condidit creaturam; spiritualem, & corporalem; angelicam videlicet & mundanam; ac deinde humanae quasi consummum ex spiritu & corpore constitutam. Sic jam antea Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 3. In eo Dei omnipotentia insinuitur quia omnem creaturam visibilem & queque invisibilē (id est corporalem ac spiritualem) de nihilo fecit: Sic Augustinus lib. de fide & symbolo cap. 2. Conatus falso quidem persuadere Deum non esse omnipotentem; non quia hoc dicere ausi sunt, sed in suis traditionibus hoc sentire convincuntur. Cum enim dicunt esse naturam quam Deus non creavit (scilicet materiam) Patrem omnipotentem Deum negant: Et inferior: At si omnipotenter esse concedunt, fateantur necesse est ex nihilo eum fecisse quem facit, &c.

(**) Iba cod. Alcan. Garcias, & Nicolajus. Editio Rom. & Patav. &c. similiter est fieri.

tus , sicut illuminatio (nam simul aliquid illuminatur , & illuminatum est) sive non sit terminus motus , sicut simul formatur verbum in corde , & formatum est . Et in his (*) quod fit , est ; sed cum dicitur fieri , significatur ab alio esse , & prius non fuisse . Unde cum creatio sit sine motu , simul aliquid creatur , & creatum est .

Ad quartum dicendum , quod objectio illa procedit ex falsa imaginatione , ac si sit aliquid infinitum medium inter nihilum & ens : quod pater esse falsum . Procedit autem falsa hæc imaginatio ex eo quod creatio significatur ut quedam mutatio inter duos terminos existens .

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo : quomodo per rationem interimas hærefes quorundam Philosophorum , Apollinarum , Bezanitarum (Direct. Inquisit. 2. p. q. 4. lib. Decretorum 24. q. 3. Quidam. Prat. Bezanita) dicentium , quod in omni nova factione presupponitur materia . Item a Deo nihil novi potest immediate procedere : quia nihil fieri potest sine dispositione prævia , & motu præcedente , Deus autem immobilis perseverat . Item secundo Creatorem esse Angelum nescio quem superioris Dei . Item tertio Deum non esse omnipotentem . Mox enim ad hoc sequitur , Deum non posse aliquid creare , quoniam ad faciendum aliquid ex nihilo requiritur potentia infinita , id est omnipotencia , ut infra articulo quinto ad tertium . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas , illas merito esse damnatas a symbolo fidei , a conciliis , a Papa , ut art. 1. & locis ibi citatis . Item libro decretorum 24. q. 3. Quidam . Vide verbo finalia formaliter capituli hujus sup. q. 44. art. 2. Item a , &c. ut q. 41. articul. 2. Ibi enim recensetur colluvies hæreticorum , sequaciumque suorum cum damnationibus eorumdem , omniumque dictorum , & scriptorum suorum . Apelles autem fuit discipulus Marcionis ibi

narrati . Item a Damaso Papa , &c. ut q. 42. art. 1. vel 4. vel 6. Item a , &c. ut q. 65. art. 1. & 3. & q. 44. art. 1. & q. 25. art. 3. & 4. & q. 46. art. 2. & 3. & q. 74. art. 3. Item a scriptoris sepius . Tertio vides : quomodo &c.

ARTICULUS III. 249

Utrum creatio sit aliiquid in creatura .

I. dist. xl. quest. i. art. 1. ad 1. & post. quest. iii. art. 3.

AD tertium sic proceditur . Videtur quod creatio non sit aliiquid in creatura . Si enim creatio passive accepta attribuitur creatura , ita creatio active accepta attribuitur Creatori . Sed creatio active accepta non est aliiquid in Creatore (**) quia sic sequeretur quod in Deo esset aliiquid temporale . Ergo creatio passive accepta non est aliiquid in creatura (1) .

2. Præterea . Nihil est medium inter Creatorem & creaturam . Sed creatio significatur ut modium inter utrumque : non enim est Creator , cum non sit æterna ; neque creatura , quia oporteret eadem ratione aliam ponere creationem ; qua ipsa crearetur , & sic in infinitum . Creatio ergo non est aliiquid in creatura .

3. Præterea . Si creatio est aliiquid praeter substantiam creatam , oportet quod sit accidentis ejus . Omne autem accidentis est in subjecto . Ergo res creata esset subjectum creationis , & sic idem esset subjectum creationis , & terminus . Quod est impossibile : quia subjectum prius est accidente , & conservat accidentis . Terminus autem posterior est actione , & passione , cuius est terminus ; & eo existente , cessat actio & passio . Ignoritur ipsa creatio non est aliqua res .

Sed contra . Majus est fieri aliiquid secundum totam substantiam (2) quam secundum formam substantiam , vel accidentalem . Sed generatio simpliciter , vel secundum quid qua sit aliiquid secundum formam substantiam ,

(*) Ita edis . Rom. & Nicolaj . Edis . Pas. quod fit , est , cum dicitur fieri , sed significatur ab alio esse &c.

(**) Ita Nicolaj . Edis . Rom. & Pas. quia si sic , sequeretur &c.

(1) Quæ vel immediate vel mediate talis dicitur ut ex nihilo facta ; quia vel ex nihilo immediate , ut res quæ primo Deus fecit ; vel mediate , ut res aliae quæ ex primis eduxit , juxta distinctionem Al-

cuius supra , quam Beda quoque habet ; Hinc Patres passim Filium Dei dicunt non ex nihilo esse , ut prebeat creaturam non esse .

(2) Id est , secundum materiam & formam , non collective tantum vel coniunctum sed etiam distributive vel divisum ; ita ut materia ipsa producatur , non autem supponatur ad producendam formam , sicut ingenitam supponi Platonici volebant ; vel ad cooperandum Deo faciens , sicut voabant Manichæi .

Quid

lem , vel accidentalem , est aliiquid in generato . Ergo multo magis creatio , qua sit aliiquid secundum totam substantiam , est aliiquid in creato .

Respondeo dicendum , quod creatio (*) ponit aliiquid in creato secundum relationem tantum : quia quod creatur , non fit per motum , vel per mutationem . Quod enim fit per motum , vel mutationem , fit ex aliquo praexistenti . Quod quidem contingit in productionibus particularibus aliquorum entium . Non autem potest hoc contingere in productione totius esse a causa universalis omnium entium , quæ est Deus . Unde Deus creando producit res sine motu . Subtracto autem motu ab actione , & passione , nihil remanet nisi relatio , ut dictum est (art. præc. ad 2.) Unde relinquitur quod creatio in creatura non sit nisi relatio quædam ad Creatorem ut ad principium sui esse ; sicut in passione , quæ est cum motu , importatur relatio ad principium motus .

Ad primum ergo dicendum , quod creatio active significata significat actionem divinam , quæ est ejus essentia , cum relatione ad creaturam . Sed relatio in Deo ad creaturam non est realis , sed secundum rationem tantum ; relatio vero creaturæ ad Deum est relatio realis , ut supra dictum est (quæst. xiiii . iur. 7.) cum de divinis nominibus ageretur .

Ad secundum dicendum , quod quia creatio significatur ut mutatio , sicut dictum est art. præc. ad 2.) mutatio autem media uocazmodo est inter movens & motum ; deo etiam creatio significatur ut media inter Creatorem & creaturam . Tamen creatio assive accepta est in creatura , & est creatura . Neque tamen oportet quod alia creatione creetur : quia relations , cum hoc ipsum quod sunt , ad aliiquid dicantur : non restringuntur per alias alias relations , sed per ipsas , sicut etiam supra dictum est (quæst. xiiii . art. 1. ad 4.) cum de æqualitate personarum ageretur .

Ad tertium dicendum , quod creationis , secundum quod significatur ut mutatio , creatura est terminus ; sed , secundum quod vere relatio , creatura est ejus subjectum , & Summ. S.Th. T.I.

prius ea in esse , sicut subjectum accidente ; sed habet quamdam rationem prioritatis ex parte objecti ad quod dicitur , quod est principium creaturæ . Neque tamen oportet quod , quamdiu creatura sit , dicatur creari : quia creatio importat habitudinem creaturæ ad Creatorem cum quadam novitate , seu inceptione .

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo : quomodo per rationem rejicias hæresim Arnaldistarum dicentium , aliiquid esse , quod neque creator , neque creatura sit . Hi enim Arnaldiste (opinor) ad hoc dicendum adducebantur ex eo , quod creationem ipsam afferere Deum horabant : ne Deus , ut creatio , esset temporalis : eamdemque esse creaturam dicere formidabant , ne ad creandum hanc creationem alia opus esse creatione dari videretur , & sic in infinitum , quod natura detestatur , abiare cogeretur . Vide secundum argumentum articuli , quoniam hoc illorum ad illam hæresim fabricandam fundamentum fuisse , facile crediderim . Secundo habes rationem , quæ in proposito maxime solutio est argumenti secundi : quomodo hanc jure damnatam esse ostendas a summis Pontificibus multis , dum Arnaldistas singulis annis Romæ in bulla coenæ Domini excommunicant . Item a Gregorio Nono , extra de hæreticis c. excommunicatus secundo . Nota , quod Arnaldistæ , etiam in Codice de hæreticis l. Gozeros perpetua damnantur infamia . Item a synodo ad Lateranum celebrata sub Innocentio Secundo Papa , dum ab eadem antesignanus istorum Arnaldus cum Petro Abayardo damnatus est . B. vero Augustinus (ut alibi dictum est) in l. de fide catholica , damnatorum scripta , dictaque esse universaliter reprobata , in casu quorumdam , testatum sic reliquit . Cum Cælestius , atque Pelagius in Ephesina synodo sine damnati , quomodo poterunt illa capitula recipi , quorum damnantur auctores ? Hoc idem ex decretis a synodo apud Lateranum sub Martino Primo celebrata , & ex lib. decretorum dist. 15. habetur , ubi , damnatis nominatim

H h h

nativam

& insitum qui necessitate parsis sue in miseria consistunt a materia quam ipse non fecerat , ut mundum faceres adjutus es : An Deum omnipotentem quæ nulla necessitate sed propria voluntate & summa potestate dixit , & facta sunt , mandavæ & creata sunt , &c.

(*) Edit. Rom. non ponit.

uid enim Deus ab homine deserret in agendo , si iterum supponeret , ut contra Platonicos differit heophilus Antiochenus lib. 2. ad Autolycum tom. I. bibliotheca græcorum Patrum : Aut in quo esset inipotens ? ut & lib. de fide contra Manichæos p. 41. argumentatur Augustinus : Ubi sic ait : Eli- le nunc quid sequi velitis : Deum minus potentem

natum multis hereticis, eorum & dicta, & scripta condemnata usque ad apicem unum censentur. De his vide sup. q. 41. art. 2. Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS IV. 241.

*Utrum creari sit proprium compositorum,
et subsistentium.*

*Inf. art. 8. & ver. quest. xxvii. art. 3. ad 9. &
pot. quest. 11. art. 5. ad 3. & art. 3. ad 2. &
art. 8. ad 3. & qual. viii. quest. 1. art. 1. ad
1. & opus. xxxiv. cap. iv.*

AD quartum sic proceditur. Videtur quod creari non sit proprium compositorum, & subsistentium. Dicitur enim in Lib. de causis (prop. 4. in princ.) *Prima rerum creatarum est esse*. Sed esse rei creatae non est subsistens. Ergo creatio proprie non est subsistens, & compositi.

2. Præterea. Quod creatur, est ex nihilo. Composita autem non sunt ex nihilo, sed ex suis componentibus. Ergo compositis non convenit creari.

3. Præterea. Illud proprie producitur per primam emanationem quod supponitur in secunda; sicut res naturalis per generationem naturalem, quæ supponitur in operatione artis (1). Sed illud quod supponitur in generatione naturali, est materia. Ergo materia est quæ proprie creatur, & non compositum.

Sed contra est quod dicitur Genes. 1. 1. *In principio creavit Deus cælum, & terram.* Cœlum autem, & terra sunt res compositæ subsistentes. Ergo horum proprie est creatio.

Respondeo dicendum, quod creari est quodam fieri, ut dictum est (art. 2. hujus quest. ad 2. & 3.) Fieri autem ordinatur ad esse rei. Unde illis proprie convenient fieri, & creari quibus convenient esse: quod quidem convenient proprie subsistentibus, sive sint simplicia, sicut substantiaz separataz, sive sint composita, sicut substantiaz materiales. Illi enim proprie convenient esse quod habet

esse, & quod est subsistens in suo esse. Formæ autem, & accidentia, & alia hujusmodi non dicuntur entia, quasi ipsa sint, sed quia eis aliquid est; ut albedo ea ratione dicitur ens, quia (*) ea subjectum est album. Unde secundum Philosophum (VII. Metaph. text. 2.) (2) accidens magis proprie dicitur entis quam ens. Sicut igitur accidentia, & formæ, & hujusmodi, quæ non subsistunt, magis sunt coexistentia quam entia; ita magis debent dici concreta quam creata; proprie vero creata sunt subsistentia.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur, *Prima rerum creatarum est esse*, ly esse non importat substantiam creatam, sed importat propriam rationem objecti creationis. Nam ex eo dicitur aliquid creatum quod est ens, non ex eo quod est hoc ens, cum creatio sit emanatio totius esse ab ente universalis, ut dictum est (art. 1. hujus quest. & quest. xliv. art. 1.) Et est similis modus loquendi, sicut si diceretur, quod primum visibile est color, quamvis illud quod proprie videtur, sit coloratum.

Ad secundum dicendum, quod creatio non dicit constitutionem rei compositæ ex principiis præexistentibus; sed compositum se dicitur creari, quod simul cum omnibus suis principiis in esse producitur.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa non probat quod sola materia creetur, sed quod materia non sit nisi ex creatione: nam creatio est productio totius esse, & non solum materie.

APPENDIX.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito dictum est a philosoph. 5. Physic. text. 7. & 1. de generatione tex. 11. & 1. Physic. tex. 62. quod esse & non esse dicuntur simpliciter de substantia, & de accidentibus non simpliciter. Item 1. Phys. tex. 62. & 5. physic. tex. 7. & 8. phys. tex. 46. & 1. de generatione tex. 11. & 18. quod fieri simpliciter est substantia rum

primum horum est ipsum *quid est* quod substantia significat; cetera vero *entia* dicuntur, quia entia proprie dicti quædam sunt *qualitates*, quædam *positiones*, vel aliquid simile. Unde subjugat posse de illis dubitari an unumquodque sit ens aut sit non ens, quia nullum eorum per se natum est esse nec separari a substantia potest; magisque apparuit eis quia subjectum eo determinatur, &c. quod eis causa esse.

(1) Hinc illud Philosophi lib. 2. Physicorum text. 22. quod *ars imitatur naturam*, & ideo naturæ cognitione necessaria est ad exercendam artem; Et lib. 4. Meteor. cap. 3. propter eamdem rationem elixatio naturali concoctioni comparatur; Et lib. de spiritu cap. 8. quod *ars calore naturali veluti materia usitur*; Et 7. Politic. prope finem quod *ars naturæ quodammodo defectum suppedit*.

(*) Edit. Patav. ejus.

(2) Ubi ait quod cum ens multipliciter dicatur,

um, secundum quid autem est accidentium. Secundo habes : quomodo per rationem verum sensum philosophi ibi declares, declarandumque tuearis. Nam ex corpore articuli llorum doctorum omnium fundamenta stabilia habentur, & consequenter ex aliis locis otius doctrinæ sancti Thomæ præsenti articulo correspondentibus, quorum citatio in marginibus Summaria Theologiz ipsius, quemdmodum etiam per singulos articulos, apparet. Quo fit, ut non solum hanc, sed & aliquam sancti Thomæ doctrinam emolumento esse non vulgari in primis Ecclesiæ sanctæ Dei, mox philosophiz veræ, fateri es ipsa compellat. Tertio vides, &c.

A R T I C U L U S V . 242

Utrum solius Dei sit creare.

I. dist. 1. quest. 1. art. 3. & IV. dist. v. quest. 1. art. 3. quest. III. & II. cont. cap. XXI. lxxxv. & xcvi. & III. cap. lxvii. & post. quest. III. art. 4. & opusc. 11. cap. lxx. xciv. & xcvi. & opusc. xv. cap. x.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod non solius Dei sit creare. Quia secundum Philosophum (Lib. II. de Anima text. 4.) perfectum est quod potest sibi simile accere. Sed creaturæ immateriales sunt perfectiores creaturæ materialibus, quæ faciunt ibi simile : ignis enim generat ignem, & omo generat hominem. Ergo substantia immaterialis potest facere substantiam sibi similem. Sed substantia immaterialis non potest fieri nisi per creationem, cum non habeat materiam ex qua fiat. Ergo aliqua reatura potest creare.

2. Præterea. Quanto major est resistentia x parte facti, tanto major virtus requiritur n faciente. Sed plus resistit contrarium

quam nihil. Ergo majoris virtutis est aliquid facere ex contrario (quod tamen creatura facit) (1) quam aliquid facere ex nihilo. Multo magis igitur creatura hoc facere potest.

3. Præterea. Virtus facientis consideratur secundum mensuram ejus quod fit (2). Sed ens creatum est finitum, ut supra probatum est (quest. VII. art. 2. 3. & 4.) cum de Dei infinitate ageretur. Ergo ad producendum per creationem aliquid creatum non requiritur nisi virtus finita. Sed habere virtutem finitam non est contra rationem creaturæ. Ergo non est impossibile creaturam creare.

Sed contra est quod dicit Augustinus in III. de Trinit. (cap. viii. per tot.) quod neque boni, neque mali angeli possunt esse creatores alicujus rei (3). Multo minus igitur aliz creaturæ.

Respondeo dicendum, quod satis appetet in primo aspectu secundum præmissa (art. 1. hujus quest.) quod creare non potest esse propria actio nisi solius Dei. Oportet enim universaliores effectus in universaliores, & priores causas reducere. Inter omnes autem effectus universalissimum est ipsum esse. Unde oportet quod sit proprius effectus primæ, & universalissimæ cauæ, quæ est Deus. Unde etiam dicitur Lib. de causis (prop. 3.) quod neque intelligentia, vel anima nobilis dat esse, nisi in quantum operatur operatione divina. Producere autem esse absolute, non in quantum est hoc, vel tale, pertinet ad rationem creationis. Unde manifestum est quod creatio est propria actio ipsius Dei.

Contingit autem quod aliquid participet actionem propriam alicujus alterius, non virtute propria, sed instrumentaliter, in quantum agit in virtute alterius ; sicut aer per virtutem ignis habet calefacere, & ignire. Et secundum hoc aliqui opinati sunt, quod

H h h 2 licet

(1) Puta ex albo nigrum, ex frigido calidum & minia.

(2) Ut quanto tempore difficultius vel maius est id uod sit, etiam tanto major & potentior virtus in siente requiratur.

(3) Idem etiam lib. 9. de Genesi ad lit. cap. 35. Ingeli nullam omnino possunt creare naturam : Solis enim cujuslibet natura seu magna seu minimæ reator est Deus : Ut & lib. 12. de civitate Dei cap. 4. Neque fas (inquit) creatorem dicere nisi Deum. & Damasc. lib. 2. fidei orth. cap. 3. prope finem : Is diabolus pars sui sunt qui Angelos affiramus cu scumque naturæ conditores : Cum enim ipsi creature sint, non sunt creaturarum effectores : Athanasius

item Orat. 3. contra Arianos : non factura est Filius, inquit, non creatura (οὐ ποιηται, οὐ κτίσει) quia per ipsum facta esse dicuntur quæ facta sunt, & proprieas de numero factorum non est : Neque enim vel Angeli creare quidquam possunt cum sint & ipsi creature, quamvis & Valentinus & Marcion & Basilides hoc sentiantur. Præter alios Patres qui passim probant Filium Dei Deum esse, quia creatio indicatur, quod est solius Dei, &c. Et Ecclesiast. 1. vers. 8. Unus est aliosissimus creator Deus &c. Et ad Hebr. 3. vers. 4. Qui omnia creavit, Deus est : Unde Apocal. 4. vers. 11. Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorum, & virtutem, quia tu creasti omnia, &c.

licet **creatio** sit propria actio universalis causæ , tamen aliqua inferiorum causarum , in quantum agit in virtute primæ causæ , potest creare . Et sic posuit Avicenna , quod prima substantia separata creata a Deo creat aliam post se , & substantiam orbis , & animam ejus , & quod substantia orbis creat materiam inferiorum corporum . Et secundum hunc etiam modum Magister dicit in v. dist. IV. Sent. (§. 3.) quod Deus potest creature communicare potentiam creandi , ut creat per ministerium , non propria autoritate .

Sed hoc esse non potest : quia causa secunda instrumentalis non participat actionem causæ superioris , nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositivo operatur ad effectum principalis agentis . Si igitur nihil ibi ageret secundum illud quod est sibi proprium , frustra adhiberetur ad agendum . Nec oportet esse determinata instrumenta determinatarum actionum . Sic enim videmus quod securis scindendo lignum , quod habet ex proprietate sua formæ , producit sciamni formam , quæ est effectus proprius principalis agentis . Illud autem quod est proprius effectus Dei creantis , est illud quod presupponitur omnibus aliis , scilicet esse absolute . Unde non potest aliquid operari dispositivo , & instrumentaliter ad hunc effectum , cum creatio non sit ex aliquo presupposito , quod possit disponi per actionem instrumentalis agentis . Sic igitur impossibile est quod aliqui creature convenienter creare neque virtute propria , neque instrumentaliter , sive per ministerium (1) .

Et hoc præcipue inconveniens est dici de aliquo corpore , quod creet , cum nullum corpus agat nisi tangendo , vel movendo ; & sic requirit in sua actione aliquid præexistens , quod possit tangi , & moueri : quod

est contra rationem creationis .

Ad primum ergo dicendum , quod aliquod perfectum participans aliquam naturam facit sibi simile , non quidem producendo absolute illam naturam , sed applicando eam ad aliquid . Non enim hic homo potest esse causa naturæ humanæ absolute , quia sic est causa sui ipius ; sed est causa quod natura humana sit in hoc homine generata (2) : & sic presupponit in sua actione determinatam materiam , per quam est hic homo . Sed sicut hic homo participat humanam naturam , ita quocumque ens creatum participat , ut ita dixerim , naturam effici : quia solus Deus est suum esse , ut supra dictum est (quest. IIII. art. 4.) Nullum igitur ens creatum potest producere aliquod ens absolute , nisi in quantum esse causat in hoc . Et sic oportet quod præintelligatur id per quod aliquid est hoc , actioni qua facit sibi simile . In substantia autem immateriali non potest præintelligi aliquid per quod sic hæc : quia est hæc per suam formam , per quam habet esse , cum sint formæ subsistentes . Igitur substantia immaterialis non potest producere aliam substantiam immaterialē sibi similem quantum ad esse ejus , sed quantum ad perfectionem aliquam superadditam ; sicut si dicamus , quod superior Angelus illuminat inferiorem , ut Dionysius dicit (cap. IV. & x. cœl. Hier. a med.) Secundum quem modum etiam in cœlestibus est paternitas , ut ex verbis Apostoli patet Ephes. IIII. 15. Ex quo omnis paternitas in cœlo , & in terra nominatur (3) . Et ex hoc etiam evidenter appetit quod nullum ens creatum potest causare aliquid , nisi presupposito aliquo : quod repugnat rationi creationis .

Ad secundum dicendum , quod ex contrariis fit aliquid per accidens , ut dicitur in I. Phys. (text. 43. & seq.) Per se autem fit ali-

(1) Sic absolute sententiam rejecit quam in 4. Sententiarum dist. 5. qu. 1. art. 3. quest. 3. ad 4. explicare mitius conatus est ; minimus si creandi minister non stricte ac proprie accipiat , prout nihil ex parte facti nec ex parte agentis presupponitur , sed prout nihil tantum ex parte facti , &c.

(2) Hunc sensum insinuant ipsam verba quæ Philoponus habet loco supra notato de anima : Sic enim ibi : *Naturalissimum operum que sunt in viventibus quibuscumque perfectis , non musilatis vel spontaneo generatione sive nascivitatem habentibus , est facere aliud quale ipsum est unumquodque , ut animali quidem , facere animal ; plantæ facere plantam ; & sic in similibus : Unde nihil ad institutum præstens quoad modum creandi , &c.*

(3) Alio item sensu explicari hunc locum posse ac explicatum esse multipliciter a Patribus plenissim qu. 13. art. 6. argum. *Sed contra* ad calcem a nobis notatum est . Etsi porro paternitatem iuxta genitum *τάπαι* Hieronymus cognationem intelligendam esse ibi notet , nihilominus addit quod sicut *solis bonus bonus facit* , & *situs immortalis immortalem tribuit* , & *situs veras veritatis nomen impedit* ; ita *situs pater omnium Deus* , & *cœpta substantias universorum* , *ceteris praefat ut & patres dicuntur* : Deinde querens cur etiam in cœlestibus paternitas constituitur ; *Puto* (inquit) *& Angelos habere Principes sui generis in cœlestibus quos & Patres gaudent appellato*.

aliquid ex subiecto , quod est in potentia . Contrarium igitur resiftit agenti , in quantum impedit potentiam ab actu , in quem intendit reducere materiam agens ; sicut ignis intendit reducere aquam in actum sibi similem , sed impeditur per formam , & dispositiones contrarias , quibus quasi ligatur potentia ne reducatur in actum : & quanto magis fuerit potentia ligata , tanto requiritur major virtus in agente ad reducendam materiam in actum : unde multo major potentia requiritur in agente , si nulla potentia praexista . Sic ergo patet quod multo majoris virtutis est facere aliquid ex nihilo quam ex contrario .

Ad tertium dicendum , quod virtus faciens non solum consideratur ex substantia facti , sed etiam ex modo faciendi : major enim calor non solum magis , sed etiam cito calefacit . Quamvis igitur creare aliquem effectum finitum non demonstret potentiam infinitam , tamen creare ipsum ex nihilo demonstrat potentiam infinitam . Quod ex predictis patet (in solut. argum. præced.) Si enim tanto major virtus requiritur in agente , quanto potentia est magis remota ab actu , oportet quod virtus agentis ex nulla præsupposita potentia , quale agens est creans , sit infinita : quia nulla proportio est nullius potentiae ad aliquam potentiam , quam præsupponit virtus agentis naturalis , sicut non entis ad ens . Et quia nulla creatura habet simpliciter potentiam infinitam , sicut neque esse infinitum , ut supra probatum est (quest. VII. art. 2.) relinquitur quod nulla creatura possit creare .

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo : quomodo per rationem destruas hereses cum authoribus suis enumeratas quest. 37. art. 1. Item quest. 45. art. 2. Item quest. 46. art. 2. & 3. Item quest. 74. art. 3. Item quest. 65. art. 1. Item quest. 44. art. 1. Item quest. 65. art. 3. & 4. Item quest. 8. artic. 3. Item quest. 64. art. 4. Cum enim ibi recenfiti errotes creationem alii a Deo attribuant : patet , quod hic articulus ad hos omnes profligandos aptissimus est . Secundo habes : quomodo per rationem istam (ultra eas , quæ ibi supra assignatae sunt) demonstres , quod merito damnatae sunt omnes hereses illæ ab ipsis summis Pontificibus , Conciliis , vel scripturis , qui , vel quæ inibi adducuntur . Vide illa

loca , & bene applica inde huc , vel hinc illuc , quæ applicanda sunt . Tertio habes : quomodo per rationem ostendas , recte dictum Eccles. 18. Qui vivit in eternum , creavit omnia simul . Si enim creavit omnia simul , & omnia , singulaque (excepto Deo) crea ta sunt , quomodo unam creaturam media te alia produxit ? Item recte dictum a Concilio Lateranensi sub Innoc. III. extra de summa Trinitate & fide catholica firmiter credimus , & simpliciter confitemur , quod &c. Deus est unum universorum principium visibilium , & invisibilium , qui ab initio temporis utranguis simul ex nihilo condidit creaturam , spiritualem , & corporalem . Hæc ibi . Unde habetur , ut nunc supra . Item recte dictum in regulis fidei traditis ab August. (Fulg.) in l. de fide ad Petrum cap. 5. firmissime tene , & nullatenus dubites , solum verum Deum esse omnium rerum , visibilium , & invisibilium Creatorem . Hæc ibi . ubi nota ly solum . Si enim solus Deus creavit , ergo nulla creatura mediante creavit . Sicut ex concilio Lat. supra inferendum ad littoram erat : si Deus est principium unum universorum , ergo nihil mediante aliqua creatura creavit . Nam tunc essent duo principia saltem alicujus creati ; unum principale , scilicet Deus , aliud ministeriale , scilicet creatura medians . Id , quod neque in scripturis , neque in conciliis , neque in iuribus pontificiis , vel legalibus , neque in Patribus orthodoxis umquam visum , sed nec auditum quidem puto , nec somniatum . Item recte dictum a B. Cyrillo in synodo Ephesina Doctore tam celebrato , sic ; or diaboli esse , qui dicit , Angelos creasse aliquam creaturam . Hæc ille in lib. 2. contra Julianum . Item recte dictum a Damaseeno lib. 1. fidei Orthodoxæ , sic ; impium esse , & hereticum dicere , creaturam aliquam creuisse . Hæc ibi . c. 3. Quarto vides : quomodo &c.

A R T I C U L U S VI. 243

Utrum creare sit proprium alicujus personæ.

II. prot. com: 1. fin. & post. q. IX. art. 5. ad 2.

AD sextum sic proceditur . Videatur quod creare sit proprium alicujus personæ . Quod enim est prius , est causa ejus quod est post , & perfectum imperfecti . Sed processio divina personæ est prior quam processio créaturæ , & magis perfecta : quia divina persona procedit in perfecta similitudine sui principiis ,

cipi, (1) creatura vero in imperfecta. Ergo processiones divinarum personarum sunt causa processionis rerum; & sic creare est proprium personæ.

2. Præterea. Personæ divinæ non distinguuntur ab invicem nisi per suas processiones, & relations. Quidquid igitur differenter attribuitur divinis personis, hoc convenit eis secundum processiones, & relations personarum. Sed causalitas creaturarum diversimode attribuitur divinis personis: nam in symbolo fidei (2) Patri attribuitur quod sit creator omnium invisibilium, & visibilium; Filio autem attribuitur quod per eum omnia facta sunt; sed Spiritui sancto quod sit Dominus, & vivificator. Causalitas ergo creaturarum convenit personis secundum processiones, & relations.

3. Præterea. Si dicatur, quod causalitas creaturæ attenditur secundum aliquod attributum essentiali, quod appropriatur alicui personæ; hoc non videtur sufficiens. Quia quilibet effectus divinus causatur a quolibet attributo essentiali, scilicet potentia, bonitate, & sapientia; & sic non magis pertinet ad unum quam ad aliud. Non debet ergo aliquis determinatus motus causalitatis attribui uni personæ magis quam aliis, nisi distingueretur in creando secundum relationes & processiones.

Sed contra est quod dicit Dionysius 11. cap. de divin. Nom. (non remote a princ. lect. 1.) quod communia totius Divinitatis sunt omnia creabilia. (3)

Respondeo dicendum, quod creare est proprie causare, sive producere esse rerum. Cum autem omne agens agat sibi simile, principium actionis considerari potest ex actionis effectu: ignis enim est qui generat ignem. Et ideo creare convenient Deo secundum suum esse, quod est ejus essentia, quæ est communis tribus personis. Unde creare non est proprium alicui personæ, sed com-

mune toti Trinitati.

Sed tamen divinæ personæ secundum rationem suæ processionis habent causalitatem respectu creationis rerum. Ut enim supra ostensum est (quest. xiv. art. 8. & quest. xix. art. 4.) cum de Dei scientia, & voluntate ageretur, Deus est causa rerum per suum intellectum, & voluntatem, (4) sicut artifex rerum artificiarum. Artifex autem per verbum in intellectu conceptum, & per amorem suæ voluntatis ad aliquid relatum operatur. Unde & Deus Pater operatus est creaturam per suum verbum, quod est Filius, & per suum amorem, qui est Spiritus sanctus. Et secundum hoc processiones personarum sunt rationes productionis creaturarum, inquantum includunt essentialia attributa, quæ sunt scientia, & voluntas.

Ad primum ergo dicendum, quod processiones divinarum personarum sunt causa creationis, sicut dictum est (in corp. art. 1.)

Ad secundum dicendum, quod sicut natura divina, licet sit communis tribus personis, ordine (5) tamen quodam eis convenit, inquantum Filius accipit naturam divinam a Patre, & Spiritus sanctus ab utroque, ita etiam & virtus creandi, licet sit communis tribus personis, ordine tamen quodam eis convenit. Nam Filius habet eam a Patre, & Spiritus sanctus ab utroque. Unde creatorem esse attribuitur Patri ut ei qui non habet virtutem creandi ab alio (6). De Filiō autem dicitur Joan. 1. 3. *Per quem omnia facta sunt*, inquantum habet eamdem virtutem, sed ab alio; nam hæc præpositio pro solet denotare causam medium, sive principium de principio. Sed Spiritui sancto, quia habet eamdem virtutem ab utroque, attribuitur quod dominando gubernet, & vivificet quæ sunt creata a Patre per Filium. Potest etiam hujus attributionis communis, ratio accipi ex appropriatione essentialium attributorum. Nam, sicut supra dictum est

(quest.

(1) Ex vi quidem processionis quantum ad secundam personam quæ dicitur Filius: Ratione identitatis autem tantum quoad tertiam quæ dicitur Spiritus sanctus, ut suo loco explicatum est.

(2) Scilicet in Symbolo Niceno vel Constantopolitanum quod in Missa canitur, & cui propter Manichæos interjecta est hæc appendix *visibilium & invisibilium*: *Quamvis in ipso quoque primitivo Symbolo quod Apostoli ediderunt, etiam Patri attribuitur creatio, cum sic dicitur: Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorum caeli & terræ.*

(3) Vel omnes creatrices ac effectrices rerum operations (*Seu ydæ*) ut §. 1. videre est: *Ubi ad eum sensum affert & inculcat quod ad Rom. 11. vers.*

36. dicitur. *Omnia ex Deo:* Et quod Joa. 1. vers. 3. *omnis facta esse per Verbum:* Et quod Psal. 103. vers. 30. *Emissus Spiritus tuus & creabatur.*

(4) Sive per intellectum, prout habet voluntatem conjunctam; ut colligitur ex qu. 14. art. 8. *Vel absolute per intellectum & voluntatem simul, ut expressa dicitur quest. 19. art. 4.*

(5) Non quidem qui sit ordo naturæ, quæ una sit anterior, alia posterior (quod jam antea expsum est) sed originis tantum qui significat unum ab alia produci.

(6) Juxta illud etiam quod ad Hebr. 1. statim ab initio dicitur, *per quem facta & servata.* (id expressius Joa. 1. *Omnia per ipsum facta sunt &c.*

(quest. xxxix. art. 8. ad 3.) Patri attribuitur , & appropriatur potentia , quæ maxime manifestatur in creatione ; (1) & ideo attribuitur Patri creatorem esse . Filio autem appropriatur sapientia , per quam agens per intellectum operatur ; & ideo dicitur de Filiō : *Per quem omnia facta sunt* . Spiritui sancto autem appropriatur bonitas , ad quam pertinet gubernatio , deducens res in debitos fines , & vtilificatio : Nam vita in interiori quadam motu consistit : primum autem movens est finis , & bonitas .

Ad tertium dicendum , quod licet effectus Dei procedat ex quolibet attributorum , tamen reducitur unusquisque effectus ad illud attributum cum quo habet convenientiam secundum propriam rationem ; sicut ordinatio rerum ad sapientiam , & justificatio impii ad misericordiam , & bonitatem , se superabundanter diffundenter . Creatio vero , quæ est productio ipsius substantiæ rei , (2) reducitur ad potentiam .

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo : quomodo per rationem destruas hæresim *Lullistarum* (ut refert R. Magister Bannes) dicentium , quod n quolibet effectu creato reperitur aliquid reale a solo Patre productum , & aliquid productum a solo Filio , & aliquid a solo spiritu sancto . Hoc enim errore ad invento colligebant : quod ex his diversis effectibus crevis possumus evidenter cognoscere tres personas distinctas in Deo . Docuerat siquidem orum magister Raymundus *Lull.* quod ratione iaturali potest demonstrari per rationes evidentes mysterium Trinitatis : quod est hæreticum . Ide qu. 32. art. 1. Unde hæresim peperit . Volentes namque Lullistæ sui magistrorum opinionem tutari , errorem predictum confinxerunt . Item hæresim cuiusdam *Nicolai Directi* inquisit . (2. par. qu. 11. *Nicolaus de Cal.*) licentis , quod in homine sunt tria : anima , nam formavit Deus Pater ; corpus : quod fornavit Deus Filius , & Spiritus , quem creavit spiritus sanctus . Secundo habes quomodo per actionem ostendas , illas merito fuisse damnatas a Domino Jo. 5. Quæcumque Pater facit , & Filius similiter facit . ly similiſter fa-

cit idem est hic , quod pariter : ut ex Conciliis nunc videtur . Item a Papa *Damaso* sup. q. 42. art. 1. vel 4. vel 6. ubi tres personas determinat esse omnium rerum creatrices æquales . Item a Concilio *Lateranensi* sub *Innoc.* III. extra de summa Trinitate & fide catholica firmiter credimus , & simpliciter continentur quod &c. unus Deus Pater , & Filius , & Spiritus sanctus , sancta Trinitas secundum communem essentiam individua , & secundum personales proprietates discreta est unum universorum principium , Creator omnium visibilium , & invisibilium , spiritualium , & corporalium . Ecce , quod concilium vult , opus Creatoris indivisim esse opus totius Trinitatis . Item a regulis fidei datis ab Augustino (seu Fulg.) in lib. de fide ad Petrum , cap. 6. sic : firmissime tene , & nullatenus dubites &c. Illam vocem , quam solus locutus est Deus Pater , & illam carnem , quam solus homo factus habet unigenitus Deus , & illam columbam in cuius specie Spiritus sanctus super Christum descendit , illæisque linguis , in quarum visione fideles uno loco constitutos replevit , opera esse totius Trinitatis , idest , unius Dei , qui fecit omnia in caelo , & in terra visibilia , & invisibilia . Hæc ibi . Ecce , quod tota Trinitas creat , etiam ipsa , de quibus minus videbatur , quæ sunt vox illa , caro illa , columba , & lingua illæ . Item a Concilio *Toletano sexto* sub *Honorio Papa primo canon.* primo sic . Et cum tota cooperata sit Trinitas formationem suscepit hominis , quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis : solus semen Filius suscepit humanitatem in singularitate personæ , non in unitate divine nature , idest , in eo , quod est proprium Filii , non quod commune est Trinitati . Hæc ibi . Ubi vides : opera ad extra Trinitatis omnia esse indistincta , idest , convenire toti Trinitati secundum expressionem synodi . Item a Concilio *Florentino* sub *Eugenio IV.* dum hanc regulam universalem tradit : quod omnia in divinis sunt unum , nisi ubi obviat relationis oppositio . Ex hac enim Concilii regula non solum creare , sed & gubernare , & quocumque aliud opus ad extra decernitur fieri non ab una , vel duabus , sed ab omnibus tribus personis . Nam (ut sapienti cuique patet) respectu operationis ad extra non obviat inter divinas personas relationis op-

poli-

(1) Hinc serm. 2. Pentecostes Bernardus eleganter pie sicut foler : *Potenter* (inquit) *omnia fecerat* ; & potentia signa manifestissima tenebantur in occasione machinae mundialis : Et serm. 3. In esse rerum ingimabilis potestia commendatur quod *sunt multa* ,

sunt magna , *sunt multipliciter* , *sunt magnificè sunt creatae* .

(2) Simpliciter & secundum se totam ; ut superius explicatum est .

positio, sed tantum respectu operationis ad intra. Ex concilio igitur Florentino hoc ac Tolletano, dum opera Trinitatis ad extra statuant indistincta, damnandus venit ille error cuiusdam Joannis (Direct. Inquisit. 2. p. q. 9. Error. Jo. de Par.) dicentes quod, sicut Filius operatur salutem populi Romani, five Latini, qui Filium representat, ita Pater operatur salutem populi Graeci, qui Spiritum representat. Si enim opera ad extra toti Trinitati sunt individuum communia, utique salutem creaturæ, quam operatur una persona divina, operantur & omnes. Taceo, quod Papa Alexander IV. damnavit librum illius Joannis, in quo error iste cum aliis multis continebatur. Tertio vides: quomodo &c.

A R T I C U L U S VII. 244

Utrum in creaturis sit necesse inveniri vestigium Trinitatis.

Sup. quest. v. art. 5. & inf. quest. xciii. art. 16. corp. & I. dist. iii. quest. ii. art. 3. & IV. cont. cap. xxvi. fin. & post. quest. ix. art. 9. in fin. cor.

AD septimum sic proceditur. Videtur quod in creaturis non sit necesse inveniri vestigium Trinitatis. Per sua enim vestigia unumquodque investigari potest. Sed Trinitas personarum non potest investigari ex creatura, ut supra dictum est (quest. xxxiiii. art. 1.) Ergo vestigia Trinitatis non sunt in creatura.

2. Præterea. Quidquid in creatura est, creatum est. Si igitur vestigium Trinitatis invenitur in creatura secundum alias proprietates suas, & omne creatum habet vestigium Trinitatis, oportet in unaquaque illarum inveniri etiam vestigium Trinitatis; & sic in infinitum.

3. Præterea. Effectus non representat nisi

suam causam. Sed causalitas creaturarum (1) pertinet ad naturam communem, non autem ad relationes, quibus personæ & distinguuntur, & numerantur. Ergo in creatura non invenitur vestigium Trinitatis, sed solum unitatis essentia.

Sed contra est quod Augustinus dicit VI. de Trinit. (cap. x. circa finem) (2) quod Trinitatis vestigium in creaturis appetit.

Respondeo dicendum, quod omnis effectus aliqualiter representat suam causam, sed diversimode. Nam aliquis effectus representat solam causalitatem causæ, non autem formam ejus, sicut fumus representat ignem; & talis representatio dicitur esse representatione vestigii: vestigium autem demonstrat motum alicujus transiuntis, sed non qualis sit. Aliquis autem effectus representat causam quantum ad similitudinem formæ ejus, sicut ignis generatus ignem generantem, & statua Mercurii Mercurium; & hæc est representatione imaginis. Processiones autem divinarum personarum attenduntur secundum actus intellectus, & voluntatis, sicut supra dictum est (quest. xxvii. per tot.) Nam Filius procedit ut verbum intellectus, Spiritus sanctus ut amor voluntatis.

In creaturis igitur rationalibus, in quibus est intellectus, & voluntas, invenitur representatione Trinitatis per modum imaginis, in quantum invenitur in eis verbum conceptum, & amor procedens. (1)

Sed in creaturis omnibus invenitur representatione Trinitatis per modum vestigii, in quantum in qualibet creatura inveniuntur aliqua quæ necesse est reducere in divinas personas sicut in causam. Quælibet enim creatura subsistit in suo esse, & habet formam, per quam determinatur ad speciem, & habet ordinem ad aliquid aliud. Secundum igitur quod est quædam substantia creata, representat causam, & principium; & sic demonstrat personam Patris, qui est principium nou-

(1) Ea nimirum causalitas qua creaturae producuntur, ut ex adjunctione per se patet.

(2) Colligitur plenius ex cap. ultimo ubi propositum capitum ait oportere ut creatorem per ea que facta sunt intellectum conspicientes Trinitatem intelligamus. cuius in creatura quomodo dignum est, apparet vestigium: Nimirum alludendo ad illud Apostoli quod invisibilis Dei per ea que facta sunt intellectus conspiciuntur; sempiterna quoque virtus ejus & divinitas, ut ad Rom. 1. ver. 20. inculcat ut inexcusabiles ostendat infideles.

(3) Vestigium nihilominus in creatura quoque rationali juxta communem notiorem Bernardus vocat,

cum in sermone primo inter parvos, *Animas* (inquit) *rationalis in eo preferre vestigium quoddam semper illius Trinitatis quod ex memoria, ratione, voluntate consistit. Unde indeinde Augustinus loco hic indicato vestigium in creatura ponit: Salva interior representatione imaginis quæ suo loco expressius explicabitur infra & creature rationali conveniente specialiter ostendetur. Aliquid angere porro indicat esse vel naturas corporum vel ingenia animalium: Aliqua species formatum, qualitates corporum vel doctrinas & censes animalium: Ordinem aliquem tenens, vel positorum & collationes corporum, vel amores & dilectiones animalium.*

on de principio. Secundum autem quod habet quamdam formam , & speciem , repräsentat Verbum , secundum quod forma artificati est ex conceptione artificis. Secundum item quod habet ordinem , repräsentat Spiritum sanctum , inquantum est amor : quia rdo effectus ad aliquid alterum est ex voluntate creantis . Et ideo dicit Augustinus VI. Lib. de Trin. (cap. x. circa fin.) uod vestigium Trinitatis inventur in unaque creatura , secundum quod unum aliud est , & secundum quod aliqua specie oritur , & secundum quod quedam ordinem tenet. Et ad hæc etiam reducuntur illæ tria , numerus , pondus , & mensura , quæ onuntur Sap. xi. Nam mensura refertur ad substantiam rei limitatam suis principiis , numerus ad speciem , pondus ad ordinem. Et d' hæc tria reducuntur alia tria quæ ponit Augustinus (in Lib. de natura boni . cap. 11.) modus , species , & ordo : & ea quæ onit in Lib. lxxxiii. Qu. (quæst. xviii. a princ.) quod constat , quod discernitur , uod congruit. Constat enim aliquid per suam substantiam , discernitur per formam , congruit per ordinem . Et in idem de facili reduci possunt quæcumque sic dicuntur .

Ad primum ergo dicendum , quod repräsentatio vestigii attenditur secundum appropriata : per quem modum ex creaturis in trinitatem divinarum personarum veniri posse , ut dictum est (quæst. xxxi. art. 1.)

Ad secundum dicendum , quod creatura est ex proprie subsistens , in qua est praedicta trinitas invenire. Neque oportet quod in quolibet eorum quæ ei insunt , hæc tria inveniantur ; sed secundum ea vestigium rei substantienti attribuitur .

Ad tertium dicendum , quod etiam professiones personarum sunt causa , & ratione aliquo modo , ut dictum est (in corp. art. & art. præc.)

A P P E N D I X .

¶ X articulo habes primo : quomodo per rationem ostendas , recte dictum Sap. ii. nnia in numero , pondere , & mensura confisi Domine . Hoc est , in proposito. Omnes Summ. S.Th. T. I.

creaturæ tuæ , Domine , habent vestigium summæ Trinitatis. Vide textum corpor. circa fin. Secundo habes : quomodo per rationem verum hunc hanc scripturam habere sensum declares , sive declaratum defendas. Tertio yides quomodo &c.

A R T I C U L U S VIII. 245

Uerum creatio admisceatur in operibus naturæ , & artis.

*II. dist. i. quæst. i. art. 3. ad 5. & post
quæst. iii. art. 8.*

AD octavum sic proceditur. Videtur quod creatio admisceatur in operibus naturæ , & artis . In qualibet enim operatione naturæ , & artis producitur aliqua forma . Sed non producitur ex aliquo , cum non habeat materiam partem sui . Ergo producitur ex nihilo ; & sic in qualibet operatione naturæ , & artis est creatio .

2. Præterea . Effectus non est prior sua causa . Sed in rebus naturalibus non inventur aliquid agens (1) nisi forma accidentalis , quæ est forma activa , vel passiva . Non ergo per operationem naturæ producitur forma substantialis . Relinquitur igitur quod sit per creationem .

3. Præterea . Natura facit sibi simile (2). Sed quedam inveniuntur generata in natura non ab aliquo sibi simili , sicut patet in animalibus generatis per putrefactionem . Ergo eorum forma non est a natura , sed a creatione : & eadem ratio est de aliis .

4. Præterea . Quod non creatur , non est creatura . Si igitur in his quæ sunt a natura , non adjungatur creatio , sequitur quod ea quæ sunt a natura , non sunt creature : quod est hereticum .

Sed contra est quod Augustinus super Genes. ad litt. (Lib. V. cap. vi. xiv. & xv.) distinguit opus naturæ ab opere creationis . (3)

Respondeo dicendum , quod hæc dubitatio inducit propter formas : quas quidam posuerunt non incipere per actionem naturæ , sed prius in materia extitisse , ponentes latitudines .

III. tatio-

(1) Vel aliquid quod agit : Annon vero legendum i adjunctis forma accidentali , quia substantia immediate per seipsum non agit sed per formam accidentalem ?

(2) Sive ut lib. i. Magnorum Moralium cap. 10.

exprimitur , est ejusdem essentie qualis ipsa est , pro creaturæ .

(3) Ubi tune opus creationis consummatus dicitur Deus cum propagationis opus inchoavit .

rationem formarum (1). Et hoc accidit eis ex ignorantia materie, quia nesciebant distinguere inter potentiam, & actum. Quia enim formæ præexistunt in materia in potentia, poluerunt eas simpliciter præexistere.

Alii vero posuerunt formas dari, vel causari ab agente separato per modum creationis: & secundum hoc cuilibet operationi naturæ adjungitur creatio. Sed hoc accidit eis ex ignorantia formæ. Non enim considerabant, quod forma naturalis corporis non est subsistens, sed quo aliquid est. Et ideo, cum fieri, & creari non conveniat proprii nisi rei subsistenti, sicut supra dictum est (art. 4. hujus quest.) formarum non est fieri, neque creari, sed concreatas esse. Quod autem propriè sit ab agente naturali, est compositum, quod sit ex materia.

Unde in operibus naturæ non admisceatur creatio, sed presupponitur aliiquid ad operationem naturæ.

Ad primum ergo dicendum, quod formæ incipiunt esse in actu, compositis factis, non quod ipsæ siant per se, sed per accidentis tantum.

Ad secundum dicendum, quod qualitates activæ in natura agunt in virtute formarum substantialium: & ideo agens naturale non solum producit sibi simile secundum qualitatem, sed secundum speciem.

Ad tertium dicendum, quod ad generationem animalium imperfectorum sufficit agens universale, quod est virtus cœlestis, cui assimilantur non secundum speciem, sed secundum analogiam quamdam. Neque oportet dicere, quod eorum formæ creantur ab agente separato. Ad generationem vero animalium perfectorum non sufficit agens universale, sed requiritur agens proprium, quod est generans univocum.

Ad quartum dicendum, quod operatio naturæ non est nisi ex præsuppositione principiorum creatorum; & sic ea quæ per natum sunt, creature dicuntur.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem ostendas, recte in Gen. 1. cap.

(1) Id est, formas in materia latitantes existentes actu, sed confuse ac perturbatim involutas, que deinde virtute generantis ex illa quasi confusa massa & perturbata congerie singula in ordinem & situm suum educantur, in hac specie certa constituuntur; ut sectatores Anaxagora astruabant: carum autem productionem agenti separato tribui oportere (ut subiungitur) sententia Platonis fuit: Utraque por-

distingui opus creationis ab opere naturæ, seu propagationis. Creationis opus notatur ibi: *Creavit Deus cœlum, & terram*: opus naturæ, seu opus propagationis: ibi: *Gerner terra herbam virarentem, &c. Crefcire, & multiplicanmini, &c. atque multiplicentur super terram, & hujusmodi*. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, quid velit significare ista operum prædictorum distinctio, quod scilicet opus creationis non miscetur operibus propagationis. Memento tamen semper in his notationis præmissæ post probationem de creatione animalium singularium pro singulis hominum corporibus. Tercio consequenter vides: quomodo ex his vicissim Angelica conclusio præsens confirmetur.

Q U Ä S T I O XLVI.

De principio durationis rerum creatarum,

In tres articulos divisæ.

EOnsequenter considerandum est de principio durationis rerum creatarum: & circa hoc queruntur tria.

Primo, utrum creature semper fuerint.

Secundo, utrum eas incepisse sit articulus fidei.

Tertio, quomodo Deus dicatur in principio cœlum, & terram creasse.

A R T I C U L U S I. 246

Utrum universitas creaturarum semper fuerit.

II. dist. 1. quest. 1. art. 5. & dist. 11. quest. 1. art. 3. cor. & II. com. cap. XXXIV. & XXXVII fin. & pot. quest. 111. art. 17. & quod. III. quest. XIV. art. 2. cor. & I. cœl. lect. 6.

AD primum sic proceditur. Videtur quod universitas creaturarum, quæ nunc mundi nominis nuncupatur, non incepit, sed fuerit ab aeterno. Omne enim quod incepit esse, antequam fuerit, possibile fuit ipsum esse, alioquin impossibile fuisset ipsum fieri. Si ergo mundus incepit esse, antequam incepit

ro refutatur & I. Phys. cap. 4. & 7. Metaph. cap. 8. ut & alibi passim: Prima quidem, quia sic queretur quod ex minima parte posset aliiquid segregari, & ideo minimo minus aliiquid esset; ut videtur est text. 38. Secunda autem, quia sic sensibili generatio non esset, si oriretur ex ideo; ut videtur est text. 27.

iperet, possibile fuit ipsam esse. Sed quod impossibile est esse, est materia, quae est in potentia ad esse, quod est per formam, & dicit non esse, quod est per privationem. Si ergo mundus incepit esse, ante mundum sit materia. Sed non potest esse materia ne forma, materia autem mundi cum forma est mundus. Fuit ergo mundus, antea nullum esse inciperet: quod est impossibile.

2. Præterea. Nihil quod habet virtutem sit semper (1), quandoque est, & quandoque non est: quia ad quantum se extenit virtus alicujus rei, tandem est. Sed omne incorruptibile habet virtutem ut sit semper: non enim virtutem haber ad determinatum durationis tempus. Nihil ergo incorruptibile quandoque est, & quandoque non est. sed omne quod incipit esse, quandoque est, & quandoque non est. Nullum ergo incorruptibile incipit esse. Sed multa sunt in mundo incorruptibilia, ut corpora coelestia, & omnes substantiae intellectuales. Ergo mundus non incepit esse.

3. Præterea. Nullum ingenitum incepit esse. Sed Philosophus in I. Physic. (text. 2.) dicit, quod materia est ingenita: & in I. de cœl. & mund. (tex. 20.) quod coeum est ingenitum. Non ergo universitas regni incepit esse.

4. Præterea. Vacuum est ubi non est corpus, sed possibile est esse (2). Sed si mundus incepit esse, ubi nunc est corpus mundi, prius non fuit aliquod corpus; & tamen oterat ibi esse, alioquin nunc ibi non esset. Ergo ante mundum fuit vacuum: quod est impossibile.

5. Præterea. Nihil de novo incipit motu, nisi per hoc quod movens, & mobileiter se habet nunc quam prius. Sed quod littere se habet nunc quam prius, movetur. Ergo ante omnem motum de novo incipientem fuit aliquis motus. Motus ergo semper aut: ergo & mobile, quia motus non est nisi in mobili.

6. Præterea. Omne movens aut est naturale, aut est voluntarium. Sed neutrumincipit inmove nec aliquo motu præexistente: natura enim semper eodem modo operatur. Unde nisi præcedat aliqua immutatio vel in natura moventis, vel in mobili, non incipit a movente naturali esse motus, qui non fuit prius. Voluntas autem absque sui immutatione retardat facere quod proponit. Sed hoc non est nisi per aliquam immutationem, quam imaginatur ad minus ex parte ipsius temporis; sicut qui vult facere dominum cras, & non hodie, expectat aliquid futurum cras, quod hodie non est, & ad minus expectat quod dies hodiernus transeat, & crastinus adveniat; quod sine mutatione non est, quia tempus est numerus motus. Relinquitur ergo quod ante omnem motum de novo incipientem fuit aliud motus; & sic idem quod prius.

7. Præterea. Quidquid est semper in principio, & semper in fine, nec desinere, nec incipere potest: quia quod incipit, non est in suo fine; quod autem definit, non est in suo principio. Sed tempus semper est in suo principio, & fine: quia nihil est temporis nisi nunc, quod est finis præteriti, & principium futuri (3). Ergo tempus nec incipere, nec desinere potest, & per consequens nec motus, cuius numerus tempus est.

8. Præterea. Deus aut est prior mundo natura tantum, aut duratione. Si natura tantum; ergo, cum Deus sit ab æterno, & mundus est ab æterno. Si autem est prior duratione; prius autem, & posterius in duratione constituant tempus; ergo ante mundum fuit tempus: quod est impossibile.

9. Præterea. Posita causa sufficienti, ponitur effectus: causa enim ad quam non sequitur effectus, est causa imperfecta, indagens alio ad hoc quod effectus sequatur. Sed Deus est sufficiens causa mundi, & finalis ratione sua bonitatis, & exemplaris ratione

I i i 2 sua

(1) Colligitur ex libro 1. de cœlo & mundo text. 12. ac deinceps; ubi corruptibile ab incorruptibili distinguuntur per hanc differentiam quia corruptibile liquando est & aliquando non est; sed incorruptibile potens est esse semper, nec aliquando non esse ostendit.

(2) Sic Philosophus lib. 3. de cœlo text. 99. sive ap. 9. ex aliorum sensu: *Vacuum esse dicunt (inquit) in quo non est corpus; postquam præmisit tantum locum esse quod extra cœlum neque locus neque vacuum est quasi locum distinguens a vacuo;* sed 4. hys. text. 6. sive cap. 1 *Vacuum affirmantes (inquit) locum esse dicunt;* *Vacuum enim locus eris privatus*

corporis, (vel quasi locus extra corpora) Et cap. 7. text. 57. *Vides vacum locus esse in quo nihil est.* Ac rursum text. 60. *Vacuum, si sit, necessum est locum esse: Non enim corpus, sed spatiuum corporis esse volunt:* Ut inferius indicatur ad 4.

(3) Ex Philosopho lib. 6. Physic. cap. 1. text. 11. ubi proinde ait non posse tempus intelligi sine nunc; ipsum autem nunc esse medium quoddam, nempto principium & finem simul habens: futuri quidem principium sed præteriti finem: *Nihil enim est accipere in tempore nisi nunc (sive indivisibile instantia)* Et hoc ipsum assumit ad aeternitatem temporis (licit falso) probandum.

suz sapientie, & effectiva ratione suz potentie, ut ex superioribus patet (quæst. xliv. art. 2. 3. & 4.) Cum ergo Deus sit ab æterno, & mundus fuit ab æterno.

10. Præterea. Cujus actio est æterna, & effectus est æternus. Sed actio Dei est ejus substantia, quæ est æterna. Ergo & mundus est æternus.

Sed contra est quod dicitur Joan. xvii.
5. *Clarifica me (1) Pater apud temeripsum claritate quam habui, priusquam mundus fieret: & Prover. viii. 22. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.*

Respondeo dicendum, quod nihil potest præter Deum ab æterno fuisse. Et hoc quidem ponere non est impossibile. Ostensum est enim supra (quæst. xix. art. 4.) quod voluntas Dei est causa rerum. Sic ergo aliqua necesse est esse, sicut necesse est Deum velle illa, cum necessitas effectus ex necessitate causæ dependeat, ut dicitur in V. Metaph. (tex. 6.) Ostensum est autem supra (quæst. xix. art. 3.) quod, absolute loquendo, non est necesse Deum velle aliquid nisi se ipsum (2). Non est ergo necessarium Deum velle quod mundus fuerit semper; sed eatus mundus est, quatenus Deus vult illum esse, cum esse mundi ex voluntate Dei dependeat sicut ex sua causa. Non est igitur necessarium mundum semper esse. Unde nec demonstrative probari potest.

Nec rationes quas ad hoc Aristoteles inducit (Lib. VIII. Physic.) sunt demonstrativa simpliciter, sed secundum quid (3), scilicet ad contradicendum rationibus antiquorum ponentium mundum incipere secundum quosdam modos in veritate impossibilis. Et hoc apparet ex tribus. Primo quidem quia tam in VIII. Phys. (loc. nunc cit.) quam in 1. de Cœl. (tex. 101. & seq.) præmittit quosdam opiniones, ut A-

naxagore & Emp. & Plat. contra quos rationes contradictorias inducit. Secundo, quia ubicumque de hac materia loquitur, inducit testimonia antiquorum. Quod non est demonstratoris, sed probabiliter persuadentis. Tertio, quia expresse dicit in 1. lib. Topic. (cap. ix. parum a princ.) quod quzedam sunt problemata dialectica (4), de quibus rationes non habemus: ut, utrum mundus sit æternus.

Ad primum ergo dicendum, quod antequam mundus esset, possibile fuit mundum esse, non quidem secundum potentiam passivam, quæ est materia, sed secundum potentiam activam Dei: & etiam, secundum quod dicitur aliquid absolute possibile, non secundum aliquam potentiam, sed ex sola habitudine terminorum, qui sibi non repugnant, secundum quod possibile opponitur impossibili, ut pater per Philosophum in V. Metaph. (text. 17.)

Ad secundum dicendum, quod illud quod habet virtutem ut sit semper, ex quo habet illam virtutem, non quandoque est, & quandoque non est; sed antequam haberet illam virtutem, non fuit. Unde hæc ratio, quæ ponitur ab Aristotele in 1. de cœl. (text. 120.) non concludit simpliciter, quod incorruptibilia non incepérunt esse; sed quod non incepérunt esse per modum naturalem, quæ generabilia, & corruptibilia incipiunt esse.

Ad tertium dicendum, quod Aristoteles in I. Physic. (loc. cit. in arg.) probat materiam esse ingenitam per hoc quod non habet subjectum de quo sit: in 1. autem de cœl. & mund. (loc. cit. in arg.) probat cœlum ingenitum, quia non habet contrarium, ex quo generetur (5). Unde patet quod per utrumque non concluditur, nisi quod materia, & cœlum non incepérunt per generationem, ut quidam ponebant, præcipue de cœlo. Nos autem dicimus, quod mate-

(1) *Sive, glorifica me gloria quam habui (juxta græcum ἐδόξαντο ἐδόκη &c.) Ut etiam Proverb. 8. 26. Dominus condidit me vel creavit me (juxta græcum ἐπένθετο, pro ἐπένθετο vel ἐπένθετο, idest, possebat) nec ad sapientiam incretam referri necesse est.*

(2) *Quamvis etiam non proprie seipsum vel nisi concomitante voluntate que nonniū complacentiam in suo esse vel in seipso significat.*

(3) *Et quidem tantum ad convincendam falsitatem, quæ nihil ad nos; non autem ad probandum quod hic in questione positum est; cum contrarium vide constet.*

(4) *Non quoad materiam quæ physica est; sed quoad modum sive formam, quin probabilia tantum*

vel opinablia sunt; sicut eodem lib. cap. 1. Syllogismus dialecticus appellatur qui ex probabilitibus concludit (τὸ εἰδόξειν) & contra Syllogismum demonstrativum dividitur.

(5) *Et hoc etiam significat græca vox αγένητος, quæ tam in 1. Physicorum quantum ad materiam, quam in 1. de cœlo quantum ad cœlum ipsum Philosophus utitur, quasi veram generationem naturalem excludens; non autem αγένητος, quod aliquando ingenitum redditur, sed ut idem est ac imperfatum, vel non factum: Unde generationem quam vel cœlo vel materiam negat, contra corruptiōnēm condistinguit, cui non opponitur nisi generatione naturalis.*

nateria, & cœlum producta sunt in esse per creationem, ut ex dictis (quæst. xliv. art. 1. & 2.) patet.

Ad quartum dicendum, quod ad rationem vacui non sufficit *in quo nihil est*, sed requiritur quod sit spatium capax corporis, in quo non sit corpus, ut patet per Aristotelem in IV. Physic. (text. 60.) Nos autem dicimus, non fuisse locum, aut spatium ante mundum.

Ad quintum dicendum, quod primus motor semper eodem modo se habuit; primum autem mobile non semper eodem modo se habuit, quia incepit esse, cum prius non fuisset. Sed hoc non fuit per mutationem, sed per creationem, quæ non est mutatio, ut supra dictum est (quæst. xlv. art. 2. ad 2.) Unde patet quod hac ratio, quam ponit Aristoteles in VIII. Physic. procedit contra eos qui ponebant mobilia æterna, sed motum non æternum, ut patet ex opinionibus Anaxagoræ, & Empedoclis. Nos autem ponimus, ex quo mobilia inceperunt, semper fuisse motum.

Ad sextum dicendum, quod primum agens est agens voluntarium. Et quamvis habuit voluntatem æternam producendi aliquem effectum, non tamen produxit æternum effectum. Nec est necesse quod presupponatur aliqua mutatio, nec etiam propter imaginationem temporis. Aliter enim est intelligendum de agente particulari, quod presupponit aliquid, & causat alterum; (1) & aliter de agente universali, quod producit totum; sicut agens particulare producit formam, & presupponit materiam: unde oportet quod formam inducat secundum proportionem ad debitam materiam. Unde rationabiliter in ipso consideratur quod inducit formam in talem materiam, & non in aliam ex differentia materiarum ad materiam. Sed hoc non rationabiliter videtur in Deo, qui simul producit formam, & materiam; sed consideratur rationabiliter in eo, quod ipse producit materiam congruam formæ, & fini. Agens autem particulare presupponit tem-

pus, sicut & materiam. Unde rationabiliter consideratur in eo, quod agit in tempore posteriori, & non priori secundum imaginationem successionis temporis post tempus. Sed in agente universali, quod producit rem, & tempus, non est considerare quod agat nunc, & non prius secundum imaginationem temporis post tempus, quasi tempus presupponatur ejus actioni; sed considerandum est, quod dedit effectui suo tempus, quantum voluit, & secundum quod conveniens fuit ad suam potentiam demonstrandam. Manifestius enim mundus dicit in cognitionem divinæ potentiaz creantis, si mundus non semper fuit, (2) quam si semper fuisse; omne enim quod non semper fuit, manifestum est habere causam; sed non ita manifestum est de eo quod semper fuit.

Ad septimum dicendum, quod, sicut dicitur in IV. Physic. (text. 100.) (3) prius, & posterius est in tempore, secundum quod prius, & posterius est in motu. Unde principium, & finis accipienda sunt in tempore, sicut & in motu. Supposita autem æternitate motus, necesse est quod quolibet momentum in motu acceptum sit principium, & terminus motus: quod non oportet, si motus incipiat. Et eadem ratio est de *nunc* temporis. Et sic patet quod ratio illa instantis *nunc*, quod semper sit principium, & finis temporis, presupponit æternitatem temporis, & motus. Unde Aristoteles hanc rationem inducit in VIII. Physic. (text. 10.) contra eos qui ponebant æternitatem temporis, sed negabant æternitatem motus. (4)

Ad octavum dicendum, quod Deus est prior mundo duratione. Sed *ly prius* non designat prioritatem temporis, sed æternitatis. Vel dicendum, quod designat æternitatem temporis imaginati, & non realiter existentis; sicut, cum dicitur, *Supra cœlum nihil est*, *ly supra* designat locum imaginatum tantum, secundum quod possibil est (5) imaginari, dimensionibus cœlestis corporis dimensiones alias superaddi.

Ad nonum dicendum, quod sicut effectus sequi-

(1) De illis tantum formis intelligendum quæ per virtutem naturalem ex materia educuntur; non de anima rationali quæ de foris advenit & per creationem a solo Deo producitur: Quamvis & ipsa quodammodo ab ipso generante causata dici possit: non quoad esse sicut aliæ formæ; sed quantum ad esse; nec veluti a causa productiva sed a dispositiva tantum; ut quæst. 95. ex professo dicetur.

(2) Et agnoscatur semper non fuisse, sicut a nobis agnosciat per fidem.

(3) Ubi nimurum ideo præmittitur quod *quantus est motus*, tantum etiam tempus esse videtur; sicut quanto est magnitudo (id est spatium decurrentum) sicut est motus: Indeque subjunctione quod secundum magnitudinem prius & posterius est in motu, sicut secundum motum est in tempore.

(4) Quam ipse admittendam putabat, licet falso: ut videre est ibi text. 4. & sequentibus.

(5) Est ergo imaginarium etiam quod in spatiis imaginariis Deus realiter sit.

sequitur a causa agente naturaliter secundum modum suæ formæ , (1) ita sequitur ab agente per voluntatem secundum formam ab ea præconceptam , & definitam , ut ex superioribus pater (quæst. xiv. art. 8. & quæst. xl. art. 2.) (2) Licet igitur Deus ab æterno fuerit sufficiens causa mundi , non tamen oportet quod ponatur mundus ab eo producitus , nisi secundum quod est in prædefinitione suæ voluntatis , ut scilicet habeat esse post non esse , ut manifestius declareret suum authorem .

Ad decimum dicendum , quod posita aetione , sequitur effectus secundum exigentiam formæ , quæ est principium actionis . In agentibus autem per voluntatem , quod conceptum est , & prædefinitum , accipitur ut forma , quæ est principium actionis . Ex actione igitur Dei æternæ non sequitur effectus æternus , sed qualem Deus voluit , ut scilicet haberet esse post non esse .

A P P E N D I X .

EX articulo habes primo : quomodo per fidem , & rationem destruas heres Averrois , Aristotelis , Albænensem , Seleucianorum (Direct. inquisit. 2. p. q. 4.) dicentium : Deus non præcedit creaturam durationis prioritate . Hoc enim afferere est negare deo libertatem arbitrii , quia , si Deus creaturem non produxit , quamdiu ipse fuit , non habebat plenam libertatem suæ actionis , quia exceptabat tempora , & horas , ut ageret . Item mundus non incepit , sed fuit ab æterno . Item Mundum fuisse ab æterno , & materialiam elementorum , ex qua factus est mundus , non esse factam , sed Deo coæternam . Secundo habes : quomodo per rationem solvas argumenta tenentium æternitatem mundi , specialiter illam sophisticam imaginationem Averrois , & hoc in responsione ad sexum . Tertio habes : quomodo per rationem ostendas , has merito damnari a Domino , Jo. 18. *Clarifica me Pater apud temetipsum claritate , quam habui apud te , priusquam mundus fieret .* Item a Proverb. 8. *Dominus posedit me in initio viarum suarum , antequam quidquam facteret a principio .* Item ab Innoc. III. in Concilio Lateranensi extra de sum. Trinit. & fid. cath. firmiter credimus , & simpliciter confitemur , quod &c. Deus omnipotenti sua virtute

ab initio temporis ex nihilo condidit creaturam . Item a symbolo fidei , ut exponitur per Patres Nicæni Concilii , & consequenter ab omnibus aliis legitimis Conciliis . Dicit enim Apostolorum symbolum . *Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cœli , & terra : Nicæna vero synodus exponens ly Creatorem inquit factorem . Non accipit autem ly Factorem , prout facere est ex aliquo producere , alioquin non exponeret , sed destrueret textum symboli Apostolorum habentem ly Creatorem , cum creare proprio (ut ibi sumitur) sit ex nihilo producere . Relinquitur ergo , quod accipiat ly Factorem , prout facere habet aliam significationem scilicet producere in tempore , sup. q. 13. art. 7. ad secundum . Sic enim optime exponit symbolum auctiatis , quod Deus creavit , dum ait , quod fecit idest ita creavit , quod in tempore creationem istam exercuit . Erat enim secundum se hoc vocabulum Creator aucte ad æternitatem , & ad tempus . In quantum ergo quis audit , quod Deus mundum creavit , poterat , quantum est ex vi vocabuli , dubitare , an Deus hunc creavit ab æterno , vel in tempore . Et forsitan aliqui , etiam symbolum illud Apostolorum profientes , legendo , quod Deus creavit , hanc opinionem conceperant , quod creasset ab æterno , vel saltem , quod haec sua opinio non contrariaretur symbolo fidei Apostolorum . Ideo necessarium fuit , ut superveniret aliqua expositio authentica Ecclesiæ ad hos errores , vel scrupulos tollendos , secundum quam expositionem Christiani omnes , imo & totus mundus lucidissimum sensum hujus vocabuli , Creatorem , videret , eamque sequi teneretur omnino , & ista fuit exppositio præmissa Concilii Nicæni primi . Tertio vides &c.*

A R T I C U L U S II . 27

Urum mundum incepisse sit articulus fidei .

Loci supra art. I. adductis .

AD secundum sic proceditur . Videtur quod mundum incepisse non sit articulus fidei , sed conclusio demonstrabilis . Omne enim factum habet principium suæ durationis . Sed demonstrative probari potest quod Deus sit causa effectiva mundi : & hoc etiam

(1) Vel transposita constructione , sequitur secundum modum suæ formæ .

(2) De scientia scilicet Dei ; & de notionalibus

actibus . Insuper ex iis , quæ qu. 15. art. 2. de idem , & quæ quæst. 19. de divina voluntate præmissa sunt .

im probabiliiores (1) Philosophi posuerunt. ergo demonstrative probari potest quod mundus incepit.

2. Præterea. Si necesse est dicere, quod mundus factus est a Deo: aut ergo ex nihilo; aut ex aliquo. Sed non ex aliquo, quia materia mundi præcessisset mundum, contra quod procedunt rationes Aristotelis pontis (Lib. I. de cœlo text. 20.) cœlum genitum. Ergo oportet dicere, quod mundus sit factus ex nihilo; & sic habet esse ost non esse. Ergo oportet quod esse incepit.

3. Præterea. Omne quod operatur per intellectum, (2) a quodam principio operatur, patet in omnibus artificialibus. Sed Deus est agens per intellectum. Ergo a quodam principio operatur. Mundus igitur, qui est us efficiens, non fuit semper.

4. Præterea. Manifeste appetit artes alias, & habitationes regionum ex determinatis temporibus incepisse. Sed hoc non est, si mundus semper fuisset. Mundus igitur non semper fuisset manifestum est.

5. Præterea. Certum est nihil Deo aequaliter posse. Sed si mundus semper fuisset, aequalaretur Deo in duratione. Ergo certum est non semper mundum fuisset.

6. Præterea. Si mundus semper fuit, infiniti dies præcesserunt diem istum. Sed infinita non est pertransire. Ergo numquam fuisset perventum ad hunc diem: quod est manifeste falsum.

7. Præterea. Si mundus fuit æternus, & generatio fuit ab æterno. Ergo unus homo genitus est ab alio in infinitum. Sed pater est causa efficientis filii, ut dicitur in II. Physic. (text. 29.) (3) Ergo in causis efficientibus est procedere in infinitum: quod improbat in II. Metaph. (text. 5.)

8. Præterea. Si mundus, & generatio semper fuit, infiniti homines præcesserunt. Sed anima hominis est immortalis. Ergo infinitæ animæ humanæ nunc essent actu; quod est impossibile. Ergo ex necessitate sci-ri potest quod mundus incepit, & non sola fide tenetur.

Sed contra. Fidei articuli demonstrative probari non possunt: quia fides de non apparentibus est, (4) ut dicitur ad Hebr. xi. Sed Deum esse Creatorem mundi, sic quod mundus incepit esse, est articulus fidei: dicimus enim: *Credo in unum Deum &c.* & iterum Gregorius dicit in hom. i. in Ezech. (non remote a princ.) quod *Moyses propheta seruivit (5) de præterito, dicens: In principio creavit Deus cœlum, & terram:* in quo novitas mundi traditur. Ergo novitas mundi habetur tantum per revelationem; & ideo non potest probari demonstrative.

Respondeo dicendum, quod mundum non semper fuisse sola fide tenetur, & demonstrative probari non potest, sicut & supra de mysterio Trinitatis dictum est (quæst. xxxii. art. 1.) Et hujus ratio est, quia novitas mundi non potest demonstrationem recipere ex parte ipsius mundi. Demonstrationis enim principium est quod quid est. Unumquodque autem secundum rationem suæ speciei abstractum ab hic & nunc: propter quod dicitur, quod universalia sunt ubique, & semper. Unde demonstrari non potest quod homo, aut cœlum, aut lapis non semper fuit. Similiter etiam neque ex parte cause agentis, quæ agit per voluntatem. Voluntas enim Dei ratione investigari non potest, nisi circa ea quæ absolute necesse est Deum velle. Talia autem non sunt quæ circa creaturas vult, ut dictum est (quæst. xix. art.

(1) Sive probatiōes & commendabiliores præceteris, eodem sensu quo dicitur *probabilis moneta* quæ egitiū pretii est: *Vel probabiliores quia probabilius idest verisimilius* loquuti sunt.

(2) Tamquam proximum & proprium-operis directum; sicut sola intellectiva operantur; Nam illoqui totum opus naturæ in quibuscumque agentibus est *opus intelligentia non operantis*; Indeque duxit Aristoteles notat an araneas ipsæ vel similia per intellectum agant, quia certo modo & propter tertum finem operantur; sicut 2. Physic. text. 80. videre est.

(3) *Vel cap. 3. Ut & id quod mox indicatur, ex text. 5. libri 2. Metaphys. vel cap. 2. ubi nec in genere causæ materialis id esse posse ostenditur, nec in genere causæ moveoris (id est efficientis) nec finalis.*

(4) *Seu argumentum non apparentium vel seruum*

qua non videntur consistere, ut 2. 2. quæst. 4. ex professo dicitur.

(5) Accipiendo *prophetam* non secundum notationem vel etymologiam nominis quod a prænuntiando derivatum est, juxta græcum *πρόφειος* seu *predico*, sed secundum adjunctionem prophetici munieris rationem, cuius est mysteria manifestare quæcumque illa sint, non habendo respectum ad futurum. Imo propter eandem causam prophetare interdum accipitur pro eo quod est miracula facere, ut plenius patet cum agetur de prophetia suo loco. Hinc ipse Gregorius, ut supra: *Prophetia temporis sunt scilicet præterita, praesens, & futura;* *Sed secundum est quod in duobus temporibus prophetia etymologiam perdit;* *Quis cum ideo prophetia dicta sit quod futura predicas, quando de præterito vel praesenti loquistur, ratione sui nominis amittit, quoniam non predicit quod venturum est &c.*

art. 3.) Potest autem voluntas divina homini manifestari per revelationem, cui fides inititur. Unde mundum incepisse est credibile, non autem demonstrabile, vel scibile.

Et hoc utile est ut consideretur, ne forte aliquis, quod fidei est, demonstrare presumens, rationes non necessarias inducat, quae praebant materiam irridendi infidelibus existimantibus nos propter hujusmodi rationes credere que fidei sunt.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut dicit Augustinus XI. de civit. Dei (cap. iv. post princ.) Philosophorum ponentium aeternitatem mundi duplex fuit opinio. Quidam enim posuerunt, quod substantia mundi non sit a Deo: & horum est intolerabilis error; & ideo ex necessitate refellitur. Quidam autem sic posuerunt mundum aeternum, quod tamen mundum a Deo factum dixerunt. Non enim mundum temporis volunt habere, sed suę creationis initium, ut quadam modo vix intelligibili semper sit factus. Id autem quomodo intelligent, (*) innuerunt, ut idem dicit in X. de civ. Dei (cap. xxxi.) (1). Si eue enim, inquiunt, si pes ex eternitate semper fuisset in pulvere, semper subesset vestigium, quod a calcante factum nemo dubitaret; sic & mundus semper fuit, semper existente, qui fecit.

Et ad hoc intelligendum considerandum est, quod causa efficiens quae agit per motum, de necessitate precedit tempore suum effectum: quia effectus non est nisi in termino actionis; agens autem omne oportet esse principium actionis. Sed si actio sit instantanea, & non successiva, non est necessarium faciens esse prius facto duracione, sicut patet in illuminatione. Unde dicunt, quod non sequitur ex necessitate, si Deus est causa activa mundi, quod sit prior mundo duracione: quia creatio, qua mundum produxit, non est mutatio successiva, ut supra dictum est (quæst. xlvi. art. 2.)

Ad secundum dicendum, quod illi qui poserent mundum aeternum, dicerent mundum factum a Deo ex nihilo, non quod factus sit post nihilum, secundum quod nos intelligi-

mus per nomen creationis (2), sed quia non est factus de aliquo: & sic etiam non recusat aliqui eorum creationis nomen, ut patet ex Avicenna in sua Metaph. (Lib. IX. cap. iv.)

Ad tertium dicendum, quod illa est ratio Anaxagoræ, quæ ponitur in VIII. Physic. (text. 15.) Sed non de necessitate concludit nisi de intellectu qui deliberando investigat quid agendum sit, quod est simile mortui. Talis autem est intellectus humanus, sed non divinus, ut supra pater (quæst. xiv. art. 7. & art. 12.) (3)

Ad quartum dicendum quod ponentes aeternitatem mundi ponunt aliquam regionem infinites esse mutatam de inhabitabili in habitalem, & e converso: & similiter ponunt, quod artes proper diversas corruptiones, & accidentia infinites fuerunt inventæ, & iterum corruptæ. Unde Aristoteles dicit in Lib. I. Meteor. (cap. ult. post med.) quod rideolum est ex hujusmodi particularibus mutationibus opinionem accipere de novitate mundi totius.

Ad quintum dicendum, quod etsi mundus semper fuisset, non tamen parificaretur Deo in aeternitate, ut dicit Boetius in fine de consol. (Lib. V. prof. vi. parum a princ.) (4) quia esse divinum est esse totum simul absque successione; non autem sic est de mundo.

Ad sextum dicendum, quod transitus semper intelligitur a termino in terminum. Quæcumque autem præterita dies signetur, ab illa usque ad istam sunt finiti dies, qui pertransiri poterunt. Objectio autem procedit, ac si, positis extremis, sint media infinita.

Ad septimum dicendum, quod in causis efficientibus impossibile est procedere in infinitum per se; ut puta, si causa quæ per se requiruntur ad aliquem effectum, multiplicarentur in infinitum; sicut si lapis moveretur a baculo, & baculus a manu, & hoc in infinitum. Sed per accidens in infinitum procedere in causis agentibus non reputatur impossibile, ut puta, si omnes causæ, quæ in infinitum multiplicantur, non teneant ordinem

(*) Ali. invenerunt.

(1) Ubi de Platonis agit qui propterea mundum semper fuuisse contendebant, quia nisi quod semper ante fuisset, simplicissimum deinceps esse non posset: Quamvis huic rationi repugnet ipse Plato qui Deos putat incepisse; nec siue tamen habituros ut & mox ibi notat: Ac deinde subiungit quod hic sequitur.

(2) Prout eam credimus factam esse: Non quod præcise creatio ex vi nominis dicat fieri debere post nihilum, id est in aliqua duracione posteriori.

(3) Ubi ostendit ex professio scientiarum Dei non

esse discursivam: Et art. 12. ubi ostendit quoque ipsum non discurrendo vel singula pertransiendo, sed uno individuo sive simplicissimo actu infinita quamque cognoscere.

(4) Ubi sic eleganter: Quod partus temporis conditionem licet illud (sicut de mundo confitit Aristoteles) nec coporis unquam esse nec desinat, nandom tamen esse est ut aeternum esse credatur: Non enim simul (infinita licet vita) spatium comprehendit, sed futura nesciunt transacta iam non habet.

nisi unius causæ , sed earum multiplicata per accidens ; sicut artifex agit multis ells per accidens , quia unus post unum itur . Accidit ergo huic martello quod post actionem alterius martelli : & si er accidit huic homini , inquantum ge-

(1) , quod sit generatus ab alio : generatum , inquantum homo , & non inquantum est filius alterius hominis . Omnes enim nes generantes habent gradum unum in s efficientibus , scilicet gradum particu- generantis . Unde non est impossibile

homo generetur ab homine in infinito : esset autem impossibile , si generatio s hominis dependeret ab hoc homine , & a corpore elementari , & a Sole , & n infinitum .

d octavum dicendum , quod hanc ratio- ponentes æternitatem mundi multiplici- effugunt . Quidam enim non reputant ossibile esse infinitas animas actu , ut pan in Metaph. Algazelis dicentis , hoc esse uitum per accidens . Sed hoc improbatum uperius (quest. vii . art. 4.) Quidam dicunt animam corrupti cum corpore . dam vero , quod ex omnibus animabus anet una tantum . Alii vero , ut Augus- tis dicit (serm. xiv . de temp. cap. iv . & Lib. de hæresibus hæres. xlvi . & XII . de civit. Dei cap. xiii .) (3) po- unt propter hoc circuitum animalium , ut cet animæ separatæ a corporibus post de- minata temporum curricula iterum redi- ad corpora : de quibus omnibus in se- ntibus est agendum . Considerandum ta- , quod hæc ratio particularis est . Unde et dicere aliquis , quod mundus fuit æter- , vel saltem aliqua creatura , ut Ange- non autem homo . Nos autem intendi- universaliter , an aliqua creatura fuerit eterno .

A P P E N D I X .

K artic. habes primo : quomodo totaliter disperdas hæresim Petri Abayardi , Tri- riorum , Feliciani dicentium , fide nihil es- Sunum . S.Th. T.I.

1) Ut pote qui non minus ad generandum potens t , si esset primus homo , sicut etiam Adam fuit . 2) Inquantum est hic homo secundum has indivi- s conditions ; puta inquantum Petrus vel Joann . Nam aliqui generare non potest nisi hic ho- vage sumpus .

3) Ubi eis qui tales circuitum fingunt applicat d Psalm . In circuitu impii ambulans :

se credendum , quod virtutem nostri intellectus excedat . Item credendum non est , nisi per se notum , vel quod ex per se certis pos- sit declari . Item in fidei disciplina ratio- nibus potius , quam sacra scripturæ authori- tatis & testi moniis agendum esse . Mundum enim incepisse non potest demonstrari , & tamen firmissima fide tenetur , innitendo au- thoritatibus sacra scripturæ secundum catho- licum sensum intellectis . Secundo habes : quo- modo per authoritates sacrarum scripturarum , & synodorum in premissi artic. appen. exara- tas istorum reptilium super terram hominum- cionum hæreses possis ostendere damnatas merito fuisse . Item : quomodo damnentur merito , &c. ut q. i. art. 8. video appen . Ter- tio : quomodo ex his doctrina S.Thomæ vicis- sum firmetur , cernere licet .

A R T I C U L U S III. 248

Urum creatio rerum fuerit in principio temporis .

II. dist. 1. quest. 1. art. 6. ad 3. Et quodl. V. quest. 1. art. 1. corp. Et opusc. IX. quest. C.

A D tertium sic proceditur . Videtur quod creatio rerum non fuerit in principio temporis . Quod enim non est in tempore , non est in aliquo temporis . Sed creatio re- rum non fuit in tempore : per creationem enim rerum substantia in esse producta est . Tempus autem non mensurat substantiam re- rum , & præcipue incorporalium (4) . Ergo creatio non fuit in principio temporis .

2. Præterea . Philosophus probat (Lib. VI . Physic. text. 40. & seqq.) quod omne quod fit , fiebat ; & sic omne fieri habet prius , & posteriorius . In principio autem temporis , cum sit indivisibile , non est prius , & poste- rius . Ergo , cum creari sit quoddam fieri , videtur quod res non sint creatæ in princi- pio temporis .

3. Præterea . Ipsum etiam tempus creatum est . Sed non potest creari in principio tem- poris ; cum tempus sit divisibile , principium

K k autem

(4) Quia nimur tempus non est nisi numerus motus ; non est autem aliquis motus ad substantiam ut sic , sed ad accidentia substantiarum , scilicet quanti- tatem , vel qualitatem &c Nec substantia per se motui subjecta est , sed ratione accidentium quibus ab extrinseco afficitur : Hinc lib. 5. Phyciorum tex- to . Secundum substantiam non est motus .

autem temporis indivisibile . Non ergo creatio rerum fuit in principio temporis .

Sed contra est quod Genes. i. 1. dicitur : *In principio creavit Deus caelum, & terram.*

Respondeo dicendum , quod illud verbum Genes. i. *In principio creavit Deus caelum, & terram*, tripliciter (1) exponitur ad excludendum tres errores .

Quidam enim posuerunt , mundum semper fuisse , & tempus non habere principium : & ad hoc excludendum exponitur : *In principio* , scilicet temporis .

Quidam vero posuerunt duo esse creationis principia , unum bonorum , aliud malorum : & ad hoc excludendum exponitur : *In principio* , idest in Filio . Sicut enim principium effectivum appropriatur Patri propter potentiam , ita principium exemplare appropriatur Filio propter sapientiam ; ut sicut dicitur Psal. ciii. 24. *Omnia in sapientia fecisti* ; ita intelligatur , Deum omnia fecisse in principio , idest in Filio , secundum illud Apostoli ad Colossens. i. 16. *In ipso* , scilicet Filio , *condita sunt universa*.

Alii vero dixerunt , corporalia esse creataa Deo mediantibus creaturis spiritualibus : & ad hoc excludendum exponitur : *In principio creavit Deus caelum, & terram* , idest ante omnia . Quatuor enim ponuntur simul creataa , scilicet caelum empyreum , materia corporalis , que nomine terra intelligitur , tempus , & natura angelica .

Ad primum ergo dicendum , quod non dicuntur in principio temporis res esse creatae , quasi principium temporis creationis sit mensura ; sed quia simul cum tempore caelum , & terra creata sunt .

Ad secundum dicendum , quod verbum illud Philosophi intelligitur de fieri quod est per motum , vel quod est terminus motus . Quia cum in quolibet motu sit accipere prius , & posterius , ante quodcumque signum in motu lignato , dum scilicet aliquid est in moveri , & fieri , est accipere prius , & etiam aliquid post ipsum : quia quod est in

principio motus , vel in termino , non est in moveri . Creatio autem neque est motus , neque terminus motus , ut supra dictum est (quæst. præc. art. 2. & 3.) Unde sic aliquid creature quod non prius creabatur .

Ad tertium dicendum , quod nihil sit nisi secundum quod est . Nihil autem est temporis nisi nunc : unde non potest fieri nisi secundum aliquod nunc : non quia in ipso primo nunc sit tempus , sed quia ab eo incipit tempus .

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo : quomodo per rationem ostendas , recte dictum a Genes. i. *In principio creavit Deus caelum, & terram.* Secundo habes : quomodo per rationem ostendas recte hanc scripturam fuisse expositam a Papa Innoc. III. in Concilio generali , extra de sum. Trin. & fide cathol. firmiter : dum inquit : *Ab initio temporis utramque Deum de nihilo condidit creaturam &c.* Ubi videre est conformiter ad textum , quod Papa pro ly *In principio* , dicit ly *Ab initio temporis* : sicut pro ly *creavit* , dicit ly *de nihilo condidit* : & pro ly *caelum, & terram* , dicit ly *utramque creaturam, spiritualem, & corporalem* , (Angelicam scilicet , & mundanam) Deinde humanam , quasi communem ex spiritu , & corpore constitutam . Hæc ille . Tertio vides : quomodo ex his vicissim firmetur intenta conclusio .

Q U Ä S T I O XLVII.

De distinctione rerum in communi,

In tres articulos divisa .

POst productionem creaturarum in esse considerandum est de distinctione eorum . Erit autem hæc consideratio tripartita . Nam primo considerabimus de distinctione rerum in communi : secundo de distinctione boni , & mali .

(1) Triplicem illam expositionem que deinceps plenus explicatur , obiter insinuat Glossa interiore , ad eum locum ; nempe *in principio temporis* , *in Filio* , *ante omnia* . Et *in Filio* quidem Ambrosius & Basilus intelligent homil. i. in Hexameron (seu sex dierum opus) *Ante omnia* explicat Augustinus lib. i. de Genes. ad lit. cap. 1. *In principio temporis* Ambrosius rursum & Basilus addunt , & litteraliter intelligitur juxta caput *Firmiter extra de summa Trinitate & fide Catholica ex Concilio Lateran. sub Innocentio III.* Tres autem omnes loco jam indi-

cato Augustinus involvit & inde forte Glossa ; præter alias plures expositiones omnis hic pertinentes & minus aptas quas varie variis fabricarunt : Post quod *in principio creationis* , quia nihil ante haec duo creatum est ; vel quod *in principio principiis* , quia caelum & terra principiatum inter omnia revent ; ut ex quibusdam refert Beda , qui & contradicit non tam *in principio temporis* quia nunc tunc tempus erat , quam *in Filio Dei* quasi omnia principio id intelligi oportere .

malū : tertio de distinctione spiritualis, & poralis creature.

Circa primum queruntur tria.

Primo de ipsa rerum multitudine, seu distinctione.

Secundo de earum inæqualitate.

Tertio de unitate mundi.

A R T I C U L U S I. 249

rum rerum multitudo, & distinctio sit a Deo.

*cont. cap. XXXIX. usq. XLV. inclusi. & III.
cap. XCVII. & post. quest. III. art. 1. ad 9.
& art. 16. cor. & op. II. cap. LXXI. LXXII.
LXXIII. & CI. & XII. Met. lect. 2. in fin.*

D primum sic proceditur. Videlur quod rerum multitudo, & distinctio non sit a Deo. Unum enim semper natum est unum cere. Sed Deus est maxime unus, ut ex testimoniis pater (quest. XI. art. 4.) Ergo non producit nisi unum effectum.

2. Præterea. Exemplatum assimilatur suo templari. Sed Deus est causa exemplaris effectus, ut supra dictum est (quest. LV. art. 3.) Ergo, cum Deus sit unus, effectus ejus est unus tantum, & non distinctus.

3. Præterea. Ea quæ sunt ad finem, proportionantur fini. Sed finis creaturæ est unus, sicut divina bonitas, ut supra ostensum est quest. LV. art. 4.) Ergo effectus Dei non est nisi unus.

Sed contra est quod dicitur Genes. I. (1) uod Deus distinxit lucem a tenebris, & divisit aquas ab aquis. Ergo distinctio, & multitudo rerum est a Deo.

Respondeo dicendum, quod causam distinctionis rerum multipliciter aliqui assignaverunt.

Quidam enim attribuerunt eam materiae vel soli, vel simul cum agente. Soli qui lem materiae, sicut Democritus, & omnes antiqui Naturales (2), ponentes solam causam materiam : secundum quos distinctio

rerum provenit a casu secundum motum materiae. Materiæ vero, & agenti simul distinctionem, & multitudinem rerum attribuit Anaxagoras, qui posuit intellectum distinctionem res, extrahendo quod erat permixtum in materia.

Sed hoc non potest stare propter duo. Primo quidem quia supra ostensum est (quest. LV. art. 2.) quod etiam ipsa materia a Deo creata est. Unde oportet & distinctionem, si qua est ex parte materiae, in altiorum causam reducere. Secundo quia materia est propter formam, & non e converso; distinctio autem rerum est per formas proprias. Non ergo distinctio est in rebus propter materiam; sed potius e converso in materia creata est disformitas (3), ut esset diversis formis accomodata.

Quidam vero attribuerunt distinctionem rerum secundis agentibus, sicut Avicenna, qui dixit, quod Deus, intelligendo se, produxit intelligentiam primam: in qua, quia non est suum esse, ex necessitate incipit compositione potentiae, & actus, ut infra patet (quest. I. art. 2.) Sic igitur prima intelligentia, in quantum intelligit causam primam, produxit secundam intelligentiam; in quantum autem intelligit se, secundum quod est in potentia, produxit corpus cœli, quod movebit; in quantum vero intelligit se, secundum illud quod habet de actu, produxit animalia cœli.

Sed hoc non potest stare propter duo. Primo quidem quia supra ostensum est (quest. LV. art. 5.) quod creare solius Dei est: unde ea quæ non possunt causari nisi per creationem, a solo Deo producuntur; & haec sunt omnia quæ non subjacent generationi, & corruptioni. Secundo quia secundum hanc positionem non proveniret ex intentione primi agentis universitas (4) rerum, sed ex concurso multarum causarum agentium: tale autem dicimus provenire a casu. Sic igitur complementum universi, quod in diversitate

K K 2 fitate

(1) Quoad lucis distinctionem sive divisionem a tenebris, id est a nocte, vers. 4. & 5. Quoad aquarum vero ab aliis aquis divisoriem, hoc est aquarum quæ erant sub firmamento ab his quæ erant super firmamentum, vers. 7.

(2) Ut lib. I. Physicorum cap. 5. text. 41. de Democrito & Parmenide; cap. 6. autem text. 5. de Anaxagora; lib. 3. cap. 4. text. 27. de hoc rursus ac Democrito: Lib. 8. cap. 1. text. 2. de Anaxagora rufus & Empedocle; Ac lib. 1. Met. versus finem capituli 4. de Democrito & Leucippo.

(3) Vel creata est disformitas in materia, ne quæ

ambiguitas fallat; Nempe illa primigenia disformitas de qua dicitur Genes. I. Terra autem erat insana & vacua; sive ut 70. reddunt, aëras & aëras terrarum id est invisibilis & incomposita; vel inorganica, impreparata, & proinde informis &c.

(4) Sic patim in impressis, gothicis, manuscriptis: Quidam potius diversitas? Ex eo enim quod rerum universitas esset a casu infusa etiam quod a casu proinde complementum ipsius universi dicendum esset: Nugatorie autem ex eo inferretur quod ipsam universitas esset a casu; quia sic idem per idem probaretur.

sitate rerum consistit, est a casu: quod est impossibile.

Unde dicendum est, quod distinctio rerum, & multitudo est ex intentione primi agentis, quod est Deus. Produxit enim res in esse propter suam bonitatem communicandam creaturis, & per eas representandam: & quia per unam creaturam sufficienter representari non potest, produxit multas creaturas, & diversas; ut quod deest uni ad representandam divinam bonitatem, suppleatur ex alia. Nam bonitas, quae in Deo est simpliciter, & uniformiter, in creaturis est multipliciter, & divisim: unde perfectius participat divinam bonitatem, & representat eam totum universum quam alia quaecumque creatura.

Et quia ex divina sapientia est causa distinctionis rerum, ideo Moyses dicit, res esse distinctas verbo Dei (1), quod est conceptio sapientiae: & hoc est, quod dicitur Gen. 1. 3. *Dixit Deus, Fiat lux... Et divisit lucem a tenebris.*

Ad primum ergo dicendum, quod agens per naturam agit per formam per quam est, quae unius tantum est una: & ideo non agit nisi unum. Agens autem voluntarium, quale est Deus, ut supra ostensum est (quest. xix. art. 4.) agit per formam intellectam. Cum igitur Deum multa intelligere, non repugnet unitati, & simplicitati ipius, ut supra ostensum est (quest. xv. art. 2.) relinquit quod licet sit unus, possit multa facere.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa teneret de exemplato quod perfecte representat exemplar, quod (2) non multiplicatur nisi materialiter: unde imago increata, quae est perfecta, est una tantum. Sed nulla creatura representat perfecte exemplar prius, quod est divina essentia; & ideo potest per multa representari. Et tamen, secundum quod idea dicuntur exemplaria, pluralitas rerum correspondet in mente divina pluralitas idearum.

Ad tertium dicendum, quod in speculativis medium demonstrationis, quod perfecte demonstrat conclusionem, est unum tantum; sed media probabilia sunt multa: & simili-

ter in operativis, quando id quod est ad finem, adsequatur, ut ita dixerim, finem, non requiritur quod sit nisi unum tantum. Sed creatura non sic se habet ad finem, qui est Deus: unde oportuit creaturas multiplicari.

A P P E N D I X .

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas haereses *Algazelis*, & *Averrois* (Direct. Inquisit. 2. p. q. 4.) dicentium, quod a primo principio non potest procedere immediate multitudo, sed tantum unum, scilicet prima intelligentia, id est primus Angelus. Item quod a Deo invariabiliter non potest procedere ullum variabile. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, merito has esse damnatas a scripturis Genet. 1. *Dixit Deus: fiat lux, & divisit lucem a tenebris.* Et sic quasi per totum capitulum discurre, in quo passim & multitudinem, & distinctionem rerum esse a Deo apertissime comperties. Nec mihi dicas *Averroem* non fuisse Christianum, & consequenter non receptum autoritates canonicorum nostrorum librorum, nec suos tales errores dicendos esse haereses, quoniam de rei, & propositionum veritate tractamus, non de hominibus. Sufficit ergo nobis, quod *Ethnicorum* propositiones sint secundum se haereses ad hoc, quod sic nominantur, & quod secundum rei veritatem damnantur a scripturis, Concilii &c. licet ipsi has authoritates forsitan derideant. Quid enim si cæci sunt? Numquid Sol non luet ideo; quia cæcos nullus videt ipsum lucem? Aut Sol numquid major tota terra non erit? vel *Astronomus* erit falsus hoc dicens eo, quod rusticus idiota & illud axioma, & hunc scientificum risibus, atque cachinnis quasi certus de contrario prosequatur? Minime omnium. Applica tu, & bene. Item: quomodo damnatas a scripturis, Job 38. 39. Ibi enim Deus demonstrat ipsi Job, se universa disposuisse, in quibus prout dubio est multitudo, atque distinctio. Item *Ecclesiast. 33. contra malum bonum est, & contra vitam mors, sic & contra virum iustum peccator.* Et sic intuere in omnia opera altissimi: *Duo contra duo, & unum contra unum.* Item Gen. 1. *Videt*

(1) Ad verbum Dei 'substantificum & aeternum & ve substantiatis genitum' refert Glossa ium interlin. tum etiam collateralis ex Augustino sumpta lib. 2. de Genes. ad. lit. cap. 2. ac deinceps: Ut & cap. 27. divisionem lucis a tenebris quae distinctionem sed formare ab informi explicat.

. (2) Exemplatum supple, quod propter ea materialiter tantum ex hypothesi multiplicari dicuntur, quia sub ea ratione formalis quo exemplar perfecte representat, eamdem habet cum exemplari unitatem; sed propter ejus eminentiam infinitam potest ad illud multiplicibus modis comparari.

Vidit Deus cuncta, que fecerat, & erant valde bona. Ecce multitudo, & distinctio rerum significata per ly cuncta, & ecce, quod multitudo, & distinctio rerum est magna perfectio, id, quod significatur per ly erant valde bona. Dicimus ergo. *Omnis datum optimum, & omne donum perfectione sursum est a Pare lumine* (Jacob. 1.) atque multitudo, & distinctio rerum est quid valde bonum (Genes. 1.) ergo multitudo rerum, & distinctio est a Deo. Item damnatas a symbolo fidei, Concilio Niceno, Constantinopolitano, Ephesino, & omnibus de hac re tractantibus, sic. *Credo in Deum Factorem omnium visibilium, & invisibilium.* In his enim profecto est multiplex multitudo, & distinctio, ut patensissimum est: vide supra q. 44 usque huc ipsa Concilia, & alia pro hoc facientia in diversis locis. *Tertio* vides &c.

ARTICULUS II. 250

Utrum inegalitas rerum sit a Deo.

I. *cont. cap. xxxix. usq. xlvi. inclus. & III. cap. xcviij. & potest. quæst. iij. art. 16. & de anima art. 1. cor.*

AD secundum sic proceditur. Videtur quod inegalitas rerum non sit a Deo. Optimi enim est optima adducere. Sed inter optimam unum non est majus altero. Ergo Dei, qui est optimus, est omnia æqualia facere.

2. Præterea. Äqualitas est effectus unitatis, ut dicitur in V. Metaph. (tex. 20.) Sed Deus est unus. Ergo fecit omnia æqualia.

3. Præterea. Justitia est inegalitas iniquibus dare. Sed Deus est justus in omnibus operibus suis (1). Cum ergo operationi ejus, qua esse rebus communicat, non presupponatur aliqua inegalitas rerum, videtur quod fecerit omnia æqualia.

Sed contra est quod dicitur Eccli. xxxiiij.
7. *Quare dies diem superat, & iterum lux lucem (*) & annus annum, & Sol Solem? A Domini scientia separati sunt (2).*

Respondeo dicendum, quod Origenes volens excludere positionem ponentium distinctionem in rebus ex contrarietate principiorum boni, & mali, posuit, a Deo a principio omnia creata esse æqualia (3). Dicit enim, quod Deus primo creavit creaturas rationales tantum, & omnes æquales. In quibus primo exorta est inæqualitas ex libero arbitrio, quibusdam convertitis in Deum secundum magis & minus, quibusdam etiam secundum magis & minus a Deo aversis. Illæ igitur rationales creaturæ quæ ad Deum per liberum arbitrium convertebantur, promota sunt ad diversos ordines Angelorum pro diversitate meritorum. Illæ autem quæ aversæ sunt a Deo, sunt corporibus alligatae diversum secundum diversitatem peccati: & hanc causam dicit esse creationis, & diversitatis corporum.

Sed secundum hoc universitas corporalium creaturarum non esset propter bonitatem Dei communicandam creaturis, sed ad puniendum peccatum: quod est contra illud quod dicitur Genes. i. 31. *Vidit Deus cuncta que fecerat, & erant valde bona.* Et, ut Augustinus dicit Lib. II. de civ. Dei (cap. xxiiij. a med.) (4) quid statius dici possit quam per ipsum Solem, ut in uno mundo unus esset, non decori pulchritudinis, vel salutis rerum corporalium consułuisse artificem Deum; sed hoc potius evenisse, quia una anima sic peccaverat: ac per hoc si centum anime peccassent, centum Soles haberet hic mundus?

Et ideo dicendum est, quod sicut sapientia Dei est causa distinctionis rerum, ita & inæqualitatis.

Quod sic patet. Duplex enim distinctio invenitur in rebus: una formalis in his quæ

(1) Ut Psalm. 14. vers. 17. appellatur; *sive iustus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.*

(2) *Vulgata & annus annum a Sole.*

(2) *Seu per Domini scientiam: vel in ydōi auxō idest in Domini cognitione vel nositiam;* quod idem est ac per cognitionem vel nositiam &c.

(3) *Vel quod statim a principio creationis æqualia omnia Deus fecerit.* Ideo vero rationales creaturas exprimit, quia ejusdem speciei Angelos & animas putavit, ut expressius infra notabitur: *Etsi rationales largè dici possunt.*

(4) *Ubi præmitit Origenem iure culpari quod in fibris quos appellavit xpi dpx̄s (sive de principiis)*

sæm fuisse causam faciendi mundi sensit & scriptis, us condonentur bona sed us prohiberentur mala: Et statim addit se (plusquam dici possit) mirari hominem in ecclesiasticis litteris cantem doctum & exercitatum non attendisse primum, quam Scriptura intensioni contrarium id esset, ac deinde rationi quam hic explicat S. Thomas. In eundem errorem invenitur Cyrilus in Joan. lib. 1. cap. 9. ejusque defensores ait id ex proprio corde non ex ore Domini erat: Ut & ibidem usque ad 23. rationes congerit quibus refellat illam tam impiam & tam absurdam fictionem quod extiterint animæ ante corpus & pro vario sui statu vel pro diversa meritorum conditione tale aut tali corpus accepserint.

differunt specie; alia vero materialis in his quæ differunt numero tantum. Cum autem materia sit propter formam, distinctio materialis est propter formalem. Unde videmus quod in rebus incorruptilibus non est nisi unum individuum unius speciei, quia species sufficienter conservatur in uno; in generabilibus autem, & corruptilibus sunt multa individua unius speciei ad conservationem speciei. Ex quo patet quod principalior est distinctio formalis quam materialis. Distinctio autem formalis semper requirit inequalitatem: quia, ut dicitur in VIII. Metaph. (tex. 10.) formæ rerum sunt sicut numeri, in quibus species variantur per additionem, vel subtractionem unitatis. Unde in rebus naturalibus gradatim species ordinatæ esse videntur; sicut mixta perfectiora sunt elementis, & plantæ corporibus mineralibus, & animalia plantis, & homines aliis animalibus; & in singulis horum una species perfectior aliis invenitur. Sicut ergo divina sapientia causa est distinctionis rerum propter perfectionem universi, ita, & in equalitatis. Non enim esset perfectum universum, si tantum unus gradus bonitatis inveniretur in rebus.

Ad primum ergo dicendum, quod optimi agentis est producere totum effectum suum optimum; non tamen quod quilibet partem totius faciat optimam simpliciter, sed optimam secundum proportionem ad totum: tolleretur enim bonitas animalis, si quilibet pars ejus, oculi haberet dignitatem. Sic igitur & Deus totum universum constituit optimam secundum modum creaturæ, non autem singulas creaturas, sed unam alia meliorem: & ideo de singulis creaturis dicitur Gen. i. 4. *Vidit Deus lucem, quod esset bona, & similiter de singulis que fecerat, & erant valde bona.*

Ad secundum dicendum, quod primum quod procedit ab unitate, est aequalitas; & deinde procedit multiplicitas: & ideo a Patre, cui secundum Augustinum (Lib. I. de doctr. christ. cap. v. in fin.) (1) appropriatur unitas, processit Filius, cui appropriatur aequalitas, & dei nre creatura, cui competit inequalitas: sed tamen etiam a creaturis participatur quædam aequalitas, scilicet proportionis.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa est

quæ movit Origenem (Lib. I. Periar. cap. vii. circ. med.) sed non habet locum, nisi in retributione præriorum, quorum inqualitas debetur in equalibus meritis (2). Sed in constitutione rerum non est inequalitas partium per quacumque inqualitatem præcedentem vel meritorum, vel etiam dispositionis materiæ, sed propter perfectionem totius, ut patet etiam in operibus artis: non enim propter hoc differt tectum a fundamento, quia habet diversam materiam; sed, ut sit domus perfecta ex diversis partibus, quærit artifex diversam materiam; & faceret eam, si posset.

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas hæres predicas art. i. inquantum inqualitas concernit multitudinem rerum, & distinctionem, & c. converso. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, merito damnatas fuisse illas, inquantum, &c. ut sup. a scripturis & Conciliis, &c. ut art. i. Item speciatim de inqualitate. Eccl. 33. *Quare dies diem superas, & iterum lux lucem, & annus annum?* A Domini scientia superati sunt, vel (alias) separari sunt. Item Exod. 4. *Dixit Dominus ad Moysem; Quis fecit os hominis? Aut quis fabricatus est museum, & sordum, videntem, & cæcum?* Nonne ego? Item ab illis capitulis Job. 38. & 39. specialiter aliquid de inqualitate dicentibus, ultra dicta de multitudine rerum, & distinctione, & consequenter de inqualitate in communi. Tercio vides: quomodo ex his vicissim præsens conclusio stabilitur.

A R T I C U L U S III. 251

Utrum sit unus mundus tantum.

*Pot. quest. iii. art. 16. ad i. & XII. Mæ
loct. 7. & 9. & I. cœl. loct. 16.
usque 22.*

AD tertium sic proceditur. Videtur quod non sit unus mundus tantum, sed plures. Quia, ut Augustinus dicit in Lib. lxxxiiii. Qq. (quest. xlvi. versus fin.) inconveniens est dicere, quod Deus sine ratione res crevit.

(1) Ubi ait quod in Patre unitas, Filio aequalitas, in Spiritu sancto unitatis aequalis atque concordia.

(2) Ut suo loco contra Jovinianum ostendetur, & jam indicatum est supra qu. 12. art. 6. cum de inqualitate visionis beatissimæ ageretur.

it. Sed ea ratione qua creavit unum, potest creare multos, cum ejus potentia non limitata ad unius mundi creationem; sed est infinita, ut supra ostensum est (quest. XI. art. 1. & quest. XXV. art. 2.) Ergo Deus plures mundos produxit.

2. Præterea. Natura facit quod melius sit, & multo magis Deus (1). Sed melius sit esse plures mundos quam unum, quia lura bona paucioribus meliora sunt. Ergo lures mundi facti sunt a Deo.

3. Præterea. Omne quod habet formam in materia, potest multiplicari secundum umerum, manente eadem specie: quia multiplicatio secundum numerum est ex materia. et mundus habet formam in materia. Si ut enim cum dico *bomo*, significo formam, um autem dico *bic bomo*, significo formam in materia: ita cum dicitur *mundus*, significatur forma; cum autem dicitur *bic mundus*, significatur forma in materia. Ergo nihil prohibet esse plures mundos.

Sed contra est quod dicitur Joan. I. 10. *Mundus per ipsum factus est: ubi singulariter nundum nominavit, quasi uno solo mundo existente.* (2)

Respondeo dicendum, quod ipse ordo in ebus sic a Deo creatis existens unitatem mundi manifestat. Mundus enim iste unus licitur unitate ordinis, secundum quod quælam ad alia ordinantur. Quæcumque autem sunt a Deo, (3) ordinem habent ad inviem, & ad ipsum Deum, ut supra ostensum est (quest. XI. art. 3. & quest. XXI. art. 1. id 3.) Unde necesse est quod omnia ad unum mundum pertineant.

Et ideo illi potuerunt ponere plures mundos qui causam mundi non posuerunt aliquam sapientiam ordinantem, sed casum, it Democritus, qui dixit, ex concurso atomorum factum esse hunc mundum, & a ipsis infinitos.

Ad primum ergo dicendum, quod haec ratio est quare mundus est unus, quia debent

omnia esse ordinata uno ordine, & ad unum. Propter quod Aristoteles in XII. Metaph. (tex. 52.) (4) ex unitate ordinis in rebus existentis concludit unitatem Dei gubernantis: & Plato (in Timo aliq. a princ.) ex unitate exemplaris probat unitatem mundi, quasi exemplati.

Ad secundum dicendum, quod nullum agens intendit pluralitatem materialis ut finem: quia materialis multitudo non habet certum terminum, sed de se tendit in infinitum. Infinitum autem repugnat rationi finis. Cum autem dicitur, plures mundos esse meliores quam unum, hoc dicitur secundum multitudinem materialis. Tale autem melius non est in intentione Dei agentis: quia eadem ratione dici posset, quod si ficeret duos, melius esset quod essent tres; & sic in infinitum.

Ad tertium dicendum, quod mundus constat ex sua tota materia. Non enim est possibile esse aliam terram quam istam, quia omnis terra ferretur naturaliter ad hoc medium, ubicunque esset. Et eadem ratio est de aliis corporibus quæ sunt partes mundi.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem interimas hæreses quorundam innotinctorum, de quibus loquitur liber Decretorum 24. q. 3. Quidam. Circa haec enim capituli, enumeratis multis hæresibus, dicit sic. *Aliæ de mundi statu dissentiantur: alia innumerabiles mundos opinantur.* Et forsitan istos errores voluit insinuare Divus Chrysostomus quando in principio Genesis dixit, quod plures cœlos, idest mundos constitutæ est hæresis. *Origenes* autem dicitur a quibusdam fuisse hoc errore noratus: quod scilicet dixerit, ante hunc mundum plures alios præcessisse: & post illum etiam futuros esse plures. Deprehenditur vero hoc ex Methodio in libro de resurrectione, qui de isto errore Origenem.

(1) Ex lib. I. Politorum cap. 8. versus finem; & lib. de animalium incessu cap. 12. post principium & lib. I. de generat. animalium cap. 4. statim a principio quoad naturam: Sed quanto magis Deus author naturæ?

(2) *Duos equidem ex Platone indicaverat Augustinus*, alterum *sensibilem*, & *intelligibilem* aliquid; sed hunc explicat in meliorem sensum lib. I. tract. cap. 3.

(3) Alludendo ad illud quod in hunc sensum usurpare alibi solet ex Rom. 13. *Quia a Deo sensus, iudicata sunt*, licet in emendatis non sic.

(4) Jam indicatum sup. ex Philosopho has Democriti nugas perstringente, inaniores atomis ipsius quæ mundi *τετραγωνικαις* vocabat quasi *sementem universum*. In idem delirium cum Democrito Epicurus incidit, ac proinde utrumque carpit Cicero in Academicis questionibus lib. I. paulo post principium: Et August. contra Academicos lib. 3. cap. 10. post medium Democriti heredem Epicurum appellat; et si a Democrito dissentientem notet; ac iterum plenius epist. 56. de curiosis questionibus aliquanto spacio ante finem.

genem ipsum reprehendit. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hanc, & has merito damnari a scripturis; Genes. i. *Creativit cælum, & terram, ubi per terram, ut centrum, per cælum, ut circumferentiam, significat mundum, & singulariter loquitur.* Item Joan. i. *Mundus per ipsum factus est.* Ubi Evangelista tamquam illi capitulo Gen. correspondens explicat per ly cælum, & terram, in quadam summa significari mundum: & ipse etiam singulariter loquitur. Item ab illo canone citato c. 24. qu. 3. *Quidam.* Nam circa finem post illas dicitur sic. *He sunt herezes adversus catholicam fidem exortæ: & ab Apostolis, & a sanctis Patribus, vel Conciliis predannatae: que, lices in se multis erroribus divisa invicem sibi dissentianti, communii tamen nomine adversus Ecclesiam Dei conspirant.* Sed, & quicumque aliter scripturam sanctam intelligit, quam sensus Spiritus sancti flagitat, a quo conscripta est, licet de Ecclesia non recesserit; tamen hereticos appellari potest. Tertio vides: quomodo ex his vicissim firmiter conclusio.

Q U E S T I O X L V I I I .

De distinctione rerum in speciali,

In sex articulos divisa.

DEinde considerandum est de distinctione rerum in speciali: & primo de distinctione boni, & mali; deinde de distinctione spiritualis, & corporalis creaturæ.

Circa primum querendum est de malo, & de causa mali.

Circa malum queruntur sex.

Primo, utrum malum sit natura aliqua. Secundo, utrum malum inveniatur in rebus. Tertio, utrum bonum sit subjectum mali. Quarto, utrum malum totaliter corrumperat bonum.

Quinto de divisione mali per poenam, & culpam.

Sexto, quid habeat plus de ratione mali, poena, vel culpa.

ARTICULUS I. 252

Utrum malum sit natura quedam.

I. dist. xlvi. art. 3. cor. & ad 4. & II. dist. xxxiv. quest. 1. art. 2. & III. cont. cap. vii. viii. ix. & xi. & pos. quest. iii. art. 6. & mal. quest. 1. art. 2. ad 4. opusc. ii. cap. cxv.

AD primum sic proceditur. Videtur quod malum sit natura quedam. Quia omne genus est natura quedam. Sed malum est quoddam genus: dicitur enim in Prædicamentis (cap. x. de opposit. in fin.) quod bonum, & malum non sunt in genere, sed sunt genera aliorum. Ergo malum est natura quedam.

2. Præterea. Omnis differentia constitutiva alicuius speciei est natura quedam. Malum autem est differentia constitutiva in moralibus: differt enim specie malus habitus a bono, ut liberalitas ab illiberalitate. Ergo malum significat naturam quamdam.

3. Præterea. Utrumque contrariorum est natura quedam. Sed malum, & bonum non opponuntur ut privatio, & habitus, sed ut contraria, ut probat Philosophus in Prædicamentis (cap. de oppositis) per hoc quod inter bonum & malum est aliiquid medium, & a malo potest fieri redditus ad bonum. Ergo malum significat naturam quamdam.

4. Præterea. Quod non est, non agit, Sed malum agit, quia corruptit bonum. Ergo malum est quoddam ens, & natura quedam.

5. Præterea. Ad perfectionem universitatis rerum non pertinet nisi quod est ens, & natura quedam. Sed malum pertinet ad perfectionem universitatis rerum: dicit enim Augustinus in Enchir. (cap. x. & cap. xi. in princ.) quod ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulchritudo. In qua etiam illud quod malum dicitur, bene ordinatum, & suo loco positum, eminentius commendat bona. Ergo malum est natura quedam.

Sed contra est quod Dionysius dicit iv. cap. de divin. Nom. (part. iv. non remote a princ. lect. 23.) (1). *Malum est non existens, neque bonum.*

Respondeo dicendum, quod unum oppositorum cognoscitur per alterum, sicut per lu-

cem

(1) Quam fictitium porre ~~contra~~videntiam ipsam textus de malo in abstracto non in concreto id ex-

plicare velle ut peccatum singatur positivum?

em tenebrae. Unde & quid sit malum, oportet ex ratione boni accipere.

Diximus autem supra (quæst v. art. i. & qq.) quod bonum est omne id quod est appetibile : & sic, cum omnis natura appetit suum esse, & suam perfectionem, necesse est dicere, quod esse, & perfectio cuiusunque naturæ rationem habeat bonitatis. unde non potest esse quod malum significet quoddam esse , aut quædam formam , seu aturam . Relinquitur ergo quod nomine ipsius significet quædam absentia boni .

Et pro tanto dicitur, quod malum neque existens, nec bonum. Quia cum ens, in quantum hujusmodi, sit bonum, eadem est remotio utrorumque .

Ad primum ergo dicendum, quod Aristoteles ibi loquitur secundum opinionem Pythagoricorum , qui malum existimabant esse aturam quædam ; & ideo ponebant bonum , & malum genera (1). Consuevit enim aristoteles, & præcipue in libris logicalibus onere exempla quæ probabila erant suo empore secundum opinionem aliquorum Philosophorum . Vel dicendum, sicut dicit Philosophus in IV. Metaph. (text. 6.) quod prima contrarietas est habitus , & privatio, quia scilicet in omnibus contrariis salvatur; cum semper unum contrariorum sit imperfictum respectu alterius , ut nigrum respectu albi , & amarum respectu dulcis . Et pro tanto bonum , & malum dicuntur genera, non impliciter, sed contrariorum : quia sicut omnis forma habet rationem boni , ita omnis privatio , in quantum hujusmodi , habet rationem mali .

Ad secundum dicendum, quod bonum , & malum non sunt differentiae constitutivæ, nisi in moralibus, quæ recipiunt species ex fine, qui est objectum voluntatis, a quo moralia dependent . Et quia bonum habet rationem finis , ideo bonum , & malum sunt differentiae specificæ in moralibus : bonum per se, sed malum, in quantum est remotio

Summ. S.Th. T.I.

debiti finis (2) . Nec tamen remotio debiti finis constituit speciem in moralibus, nisi secundum quod adjungitur fini indebito ; sicut neque in materialibus invenitur privatio formæ substantialis, nisi adjuncta alteri forme. Sic igitur malum quod est differentia constitutiva in moralibus, est quoddam bonum adjunctum privationi alterius boni ; sicut finis intemperati est non quidem carere bono rationis , sed delectabile sensus absque ordine rationis . Unde malum, in quantum malum, non est differentia constitutiva , sed ratione boni adjuncta.

Et per hoc etiam patet responsio ad tertium. Nam ibi Philosophus loquitur de bono , & malo , secundum quod inveniuntur in moralibus. Sic enim inter bonum & malum invenitur medium , prout bonum dicitur quod est ordinatum, malum autem quod non solum est deordinatum, sed etiam nocivum alteri . Unde dicit Philosophus in IV. Ethic. (cap. i. circ. med.) quod *prodigus vanus quidem est, sed non malus* . Ab hoc etiam malo quod est secundum morem , contingit fieri redditum ad bonum , non autem ex quocumque malo: non enim ex cæcitate fit redditus ad visionem , cum tamen cæcitas sit malum quoddam .

Ad quartum dicendum, quod aliiquid agere dicitur tripliciter. Uno modo formaliter, eo modo loquendi quo dicitur albedo facere album : & sic malum etiam ratione ipsius privationis dicitur corrumpere bonum, quia est ipsa corruptio , vel privatio boni . Alio modo dicitur aliiquid agere effecti, sicut pictor dicitur facere album parietem. Tertio modo per inodum causæ finalis , sicut finis dicitur efficere movendo efficientem . His autem duobus modis malum non agit aliiquid per se , id est secundum quod est privatio quædam , sed secundum quod ei bonum adjungitur . Nam omnis actio est ab aliqua forma , & omne quod desideratur ut finis, est perfectio aliqua . Et ideo, ut Dionylius

LII dicit

(1) Unum quidem *finis*, nempe bonum : alterum vero *infinis*, scilicet malum ; ut ex lib. 2. Ethicorum cap. 5. græcolat. prope finem , vel in antiquis ex cap. 7. statim a principio colligitur. Appendix autem sequens quarti Metaphys. colligitur ex textu 6. vel cap. 2. sed expressius , imo exprefissime sub his verbis lib. 10. text. 15. vel cap. 7. Non lib. 4. text. 4. nec lib. 5. text. 27. sicut prius.

(2) An ergo prout positiva conficit deformitas? An id sentiat porro tam sicutio S. Thomas (quod absit) qui mox hoc ipsum malum quod est differentia constitutiva in moralibus, quoddam bonum , pri-

vationis alterius boni adjunctum esse dicit nec nisi ratione boni adjuncti talen differentiam esse? An deformitas bonum quoddam in moralibus? Non sit ergo *ea* illis quæ dicit *bonum malum & malum bonum* Ita & 5. vers. 20. Sed malum nempe denominative sumptua vel pro materiali suo , id est bonum denominationi mali substratum , a formalis denominante sive a malo sub ratione ipsa mali considerato non distinguunt: Et propterea sicut materiale mali quod bonum est , ita formale quoque quod non nisi malum est & privatio boni, positivum astruunt: Sed hoc plenius in Selectis .

dicit iv. cap. de divin. Nomin. (part. iv. aliq. a princ. lect. 23.) malum non agit, neque desideratur, nisi virtute boni adjuncti; per se autem (1) est infinitum, & præter voluntatem, & intentionem.

Ad quintum dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. xxi. art. 1. ad 3.) partes universi habent ordinem ad invicem, secundum quod una agit in alteram, & est finis alterius, & exemplar. Hæc autem, ut dictum est (in solut. ad 2. arg.) non possunt convenire malo nisi ratione boni adjuncti. Unde malum neque ad perfectionem universi pertinet, neque sub ordine universi concluditur, nisi per accidens, idest ratione boni adjuncti.

A P P E N D I X .

EX art. habes primo: quomodo per rationem confundas errorem Fortunati in heresi ejusdem inclusum, qua dicebat, mali naturam esse Deo coeternam. Includitur enim hic: quod malum sit aliqua natura, Contra hoc pugnat artic. iste, contra coeternitatem predictam vero articulus 3. q. 10. & artic. 2. q. 61. & art. 1. & 2. q. 46. Item errorem Secundini dicentes, malum esse quamdam substantiam. Item Manicheorum dicentium: mali esse naturam malam, & Deum malum. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, hos rite fuisse damnatos a regulis catholicae fidei traditis ab Augustino (Fulg.) lib. de fide ad Petrum, c. 18. firmissime tene, & nullatenus dubites, Trinitatem Deum, idest, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, esse naturaliter summum, atque incomparabile bonum: & ab ipso creatas esse omnes naturas, bonas quidem, quia a summo bono facte sunt, sed mutabiles, quia de nibili facte sunt; Nullamque esse malam naturam: quia omnis natura, in quantum natura, bona est. Sed, quia in ea bonum & minui, & augeri potest, instantum mala dicitur, in quantum bonum ejus minuitur. Malum enim nihil aliud est, nisi privatio boni. Unde constat geminum esse creature rationalis malum, idest, unum, quo voluntarie ipsa deficit a summo bono creature suo: alterum, quo invita punietur ignis

eterni supplicio. Hoc passura juste, quia illud admisit injuste. Et que ordinem in se non servavit divine institutionis; ordinem non effugiet divine ultioris. Hæc ille. Verba ultima faciunt pro ar. 6. quæst. 19. utrum voluntas Dei semper impleatur. Item a scripturis Ecclesiast. 39. opera Domini universu bona valde. Item de Deo incarnato Marci 7. Bene omnia fecit. Item 1. Tim. 4. Omnis creature Dei bona est. Item a &c. ut q. 11. art. 3. & q. 21. artic. 1. & q. 39. art. 3. & q. 44. art. 1. in quantum cum Manicheis Priscillianis, Cerdon, & Gnostici hunc errorum seminabant, esse videlicet quamdam naturam malam per essentiam suam, a qua effuebant mala omnia, velut naturæ quædam. Semper tamen memento pro fano intellectu scripturarum premissarum: quod malum sumere debes in sensu, quo articulus præsens, non alter. Tertio vides: quomodo, &c.

● A R T I C U L U S II. 253

Utrum malum inveniatur in rebus.

I. dist. xlvi. art. 3. & II. dist. iii. art. 1. & II. contra cap. 1v.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod malum non inveniatur in rebus. Quidquid enim invenitur in rebus, vel est ens aliquod, vel privatio entis alicujus, quod est non ens. Sed Dionysius dicit iv. cap. de div. Nomin. (part. iv. non remote a princ. lect. 23.) quod malum distat ab existente, & adhuc plus distat a non existente (2). Ergo malum nullo modo invenitur in rebus.

2. Præterea. Ens, & res convertuntur. Si ergo malum est ens in rebus, sequitur quod malum sit res quædam, quod est contra predicta (art. præc.)

3. Præterea, *Albius est quod est nigrum impermixtius*, ut dicitur in III. Topic. Aristotelis (cap. iv. non remote a prin.) Ergo & melius est quod est malo impermixtius. Sed Deus facit semper quod melius est, multo magis quam natura. Ergo in rebus a Deo conditis nihil malum invenitur.

Sed contra est quod secundum hoc removet-

(1) Id est, si seorsim a bono & secundum se quia malum est, consideretur; ut §. 31. & §. 38. vides est: Dicitur autem *infinitum*, quia non uno modo determinato sed variis & velut fortuitis contingit, scilicet ibidem explicatur.

(2) Ut passim in impressis, gothicis, manucriptis. Atqui planius reponendum videtur, *albius est distat non existente, seu non ente; quia & non est aliquo modo est ens, malum autem neutrum;* et Dionysius ibi c. 19.

erentur omnes prohibitions , & poenæ , quæ on sunt nisi malorum (1) .

Respondeo dicendum , quod , sicut supra dictum est (quæst . xlvi . art . 1. & 2.) perfectio universi requirit inæqualitatem esse in rebus , ut omnes bonitatis gradus impleantur (2) . Est autem unus gradus bonitatis ut liquid ita bonum sit quod numquam defere possit . Alius autem gradus bonitatis est sic aliquid bonum sit quod a bono defere possit : qui etiam gradus in ipso esse inveniuntur ; quædam enim sunt , quæ suum esse amittere non possunt , ut incorporalia ; uædam vero sunt quæ amittere possunt , ut corporalia .

Sicut igitur perfectio universitatis rerum requirit ut non solum sint entia incorruptilia , sed etiam corruptibilia ; ita perfectio universi requirit ut sint quædam quæ a boitate deficere possint , ad quod sequitur , et interdum deficere . In hoc autem consistit ratio mali , ut scilicet aliquid deficiat a bono (3) . Unde manifestum est quod in rebus maiori invenitur , sicut & corruptio : nam & ipsa corruptio malum quoddam est .

Ad primum ergo dicendum , quod malum i stat & ab ente simpliciter , & a non ente impliciter : quia neque est sicut habitus , neque sicut pura negatio , sed sicut privatio .

Ad secundum dicendum , quod , sicut dicitur in V. Metaph. (text. 14.) ens dupl iter dicitur . Uno modo secundum quod significat entitatem rei , prout dividitur per eum prædicamenta ; & sic convertitur unum re : & hoc modo nulla privatio est ens , unde nec malum . Alio modo dicitur ens uero significat veritatem propositionis , quæ in compositione consistit , cuius nota est hoc erbum est ; & hoc est ens quo respondetur ad questionem an est : & sic cæcitatem dimis us esse in oculo , vel quamcumque aliam rivationem . Et hoc modo etiam malum i citur ens . Propter hujus autem distinctionis ignorantiam aliqui considerantes , quod

aliquæ res dicuntur malæ , vel quod malum dicitur esse in rebus , crediderunt quod malum esset res quædam .

Ad tertium dicendum , quod Deus , & natura , & quodcumque agens facit quod melius est in toto (4) , sed non quod melius est in unaquaque parte , nisi per ordinem ad totum , ut supra dictum est (quæst . xlvi . art . 2.) Ipsum autem totum , quod est universitas creaturarum , melius , & perfectius est , si in eo sint quædam quæ a bono deficere possunt , quæ interdum deficiunt , Deo hoc non impediente . Tum quia providentia non est naturam destruere , sed salvare , ut Dionysius dicit iv. cap. de div. Nomin. (part . xv. vers. fin. lect. 23.) Ipsa autem natura rerum hoc habet , ut quæ deficere possunt , quandoque deficiant . Tum quia , ut dicit Augustinus in Enchir. (cap. xi.) (5) Deus est adeo potens , quod etiam bene potest facere de malis . Unde multa bona tollerentur , si Deus nullum malum permetteret esse : non enim generaretur ignis , nisi corrumperetur aer ; neque conservaretur vita leonis , nisi occideretur asinus . Neque etiam laudaretur justitia vindicans , & patientia sufferens , si non esset iniquitas .

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo : quomodo per rationem interimas heresim *Libertinorum* dicentium , malum nihil esse , nihil peccatum , nisi eorum opinione , qui se peccare putant . Item quomodo per responsum ad tertium rejicias *Algazelem* (Direct. Inqu. 2. par. q. 4.) dicentem ; Deus non permittit mala fieri ut eliciat bona : sed mala in mundo proveniunt ex necessitate materia , vel naturæ . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas , merito has damnari a scripturis Genes. 47. Dies peregrinationis vite meæ 130. annorum sunt parvi , & mali . Item Ecclesiast. 33. *Contra malum bonum est , & contra vitam mortis , sic*

LII 2 *& con-*

(1) Vel propter mala , prout moralia sunt . Nam prohibitions tantum sunt ne committantur mala ; & infliguntur poenæ ut commissa plecantur .

(2) Non simpliciter & absolute quantum ad specificos omnes gradus , cum aliqui mundus non esset esse melior quam sit contra id quod ostensum est qu. 25. art. 6. sed generice tantum .

(3) Hinc malum ubi supra §. 33. ἀλλαγὴ αὐτοῦ est boni desuetudinem Dionysius vocat . Et §. 35. factiōnēs esse dicit fr̄s cognitiōnis & sciētiā ſi & deficiōris & operatiōnis boni (vel efficiētis boni ἀπρᾶσις αὐτοῦ) &c. Quod vero ibi malum in

rebus esse negat , intelligit naturaliter insitum & quasi per se : Alioqui agnoscit esse in illis per accidens eodem sensu quo hic .

(4) Nisi aliquid impedit ; ut insinuat Aristoteles lib. 3. de partibus animalium cap. 4. ante medium ; ubi naturam ait rem nobilitorem in locis melioribus constitutre extra tale impedimentum .

(5) Vel sic plenius : Neque enim Deus ullo modo fineres mali esse aliquid in operibus suis , nisi adeo esset omnipotens & bonus , ut beneficeret etiam de mali .

Et contra virum iustum peccator : Et sic intueris in omnia opera altissimi . Duo contra duo , Et unum contra unum . Item 1. Cor. 5. Austerum malum ex vobis ipsis . Item 1sa. 1. Austerum malum cogitationum veltrarum ab oculis meis . Et quia de Eccles. 33. mentionem fecimus : non erit abs re (etiam quod sit praeter solitum nostrum in Appendicibus his) adducere super illud verbum expositionem valde notabilem B. Augustini , qui lib. 11. de civit. Dei , c. 18. sic inquit : Neque Deus ullum , non dico , Angelorum , sed nec hominum crearet , quem malum futurum esse prescisset , nisi pariter nosset ; quibus eos bonorum usibus commodaret : atque ita ordinem seculorum (tamquam pulcherum carmen ex quibusdam antithesis) honestaret . Item ibi cap. 23. adducit exemplum imaginis , quæ ex colore nigro suo loco polito apparet pulchrior . Item damnatas a , &c. ut q. 2. art. 3. Et q. 14. art. 16. Et q. 22. art. 2. Concilia , & Romanorum Pontificum de hoc sanctiones non adducuntur : quoniā semper (sed magis , ubi res clara est) breviloquentiam colere negotio congruentem statuimus . Tertio videt : quomodo &c.

A R T I C U L U S III. 254

Utrum malum sit in bono , sicut in subiecto .

*II. dist. xxxiv. quest. 1. art. 2. Et III. cont.
cap. xi. Et mal. quest. 1. art. 2. Et opus.
III. cap. cxviii. Et clxxvi.*

AD tertium sic proceditur . Videlur quod malum non sit in bono sicut in subiecto . Omnia enim bona sunt existentia . Sed Dionysius dicit iv. cap. de div. Nom. (part. iv. lect. 23.) quod malum non est existens , neque in existentibus . Ergo malum non est in bono sicut in subiecto .

2. Praeterea . Malum non est ens ; bonum vero est ens . Sed non ens non requirit ens , in quo sit sicut in subiecto . Ergo nec malum requirit bonum , in quo sit sicut in subiecto .

3. Praeterea . Unum contrariorum non est subjectum alterius (1) . Sed bonum , & malum sunt contraria . Ergo malum non est in bono sicut in subiecto .

4. Praeterea . Id in quo est albedo sicut in subiecto , dicitur esse album . Ergo id in quo est malum sicut in subiecto , est malum . Si ergo malum sit in bono sicut in subiecto , sequitur quod bonum sit malum , contra id quod dicitur Isai. v. 20. *Vae qui dicit malum bonum , & bonum malum .*

Sed contra est quod Augustinus dicit in Enchir. (cap. xiv. ante med.) quod malum non est nisi in bono (2) .

Respondeo dicendum , quod , sicut dictum est (artic. 1. bujus quest.) malum importat remotionem boni . Non autem quilibet remotione boni malum dicitur . Poteſt enim accipi remotione boni & privative , & negative . Remotione igitur boni negative accepta mali rationem non habet : alioquin sequeretur quod ea que nullo modo sunt , mala essent ; & iterum quod quilibet res esset mala ex hoc quod non habet bonum alterius rei ; utpote quod homo esset in malus , quia non habet velocitatem caprae , vel fortitudinem leonis . Sed remotione boni privative accepta malum dicitur , sicut privatio visus cæcitas dicitur . Subiectum autem privationis , & formæ est unum & idem , scilicet ens in potentia ; sive sit ens in potentia simpliciter , sicut materia prima , quæ est subiectum formæ substantialis , & privationis opposita : sive sit ens in potentia secundum quid , & in actu simpliciter , ut corpus diaphanum , (3) quod est subiectum tenebrarum , & lucis . Manifestum est autem quod forma , per quam aliiquid est actu , perfectio quædam est , & bonum quoddam : & sic omne ens in actu bonum quoddam est ; & similiter omnes in potentia ; in quantum hujusmodi , bonum quoddam est , secundum quod habet ordinem ad bonum . Sicut enim est ens in potentia , ita & bonum in potentia . Rehaquatur ergo quod subiectum mali sit bonum .

Ad primum ergo dicendum , quod Dionysius intelligit malum non esse in existentia sicut

(1) Hac ipsa ratione Dionysius probat malum in rebus nullum esse nec esse posse §. 21. quia sic importaret malum esse in bono ; quod sequitur inconveniens ac si frigus in igne , seu frigidum (τὸ ψυχόν) &c.

(2) Sive iterum sic plenius : Mala omnino sine bonis esse non possunt : Et paulo post : Hec duo contraria ita simul sunt ut si bonum non esset in quo malum esset , propterea nec malum esse posse esset : Quia

non modo ubi consideres , sed unde oriretur corruptio non haberet , nisi esset quod corrumperetur ; & si bonum esset , nec corrumperetur : quoniam nihil aliud est corruptio quam boni exterminatio &c.

(3) Ex greco διαφανεῖς quasi transparentes , vel translucens , quod & facile a luminis accessu penetratur , & quod adeo pervium est ut nec lumines per se medium transirentis effusionem impedit .

sicut partem (1), aut sicut proprietatem naturalem alicujus existentis.

Ad secundum dicendum, quod non ens negative acceptum non requirit subjectum, sed *privatio est negatio in subiecto*, ut dicitur in IV. Metaphys. (text. 4 & Lib. V. ext. 27. & Lib. X. text. 15.) (2) & tale non ens est malum.

Ad tertium dicendum, quod malum non sit, sicut in subiecto, in bono quod ei opponitur, sed in quodam alio bono: subiectum enim cæcitatis non est visus, sed animal. Videtur tamen, ut Augustinus dicit in Ench. cap. xiiii. in princ. hic fallere Aæticorum regula, quæ dicit, contraria malum esse non posse. Hoc tamen intelligentum est secundum communem conceptionem omni, & mali, non autem secundum quod specialiter accipitur hoc bonum, & hoc malum. Album autem, & nigrum, dulce, & amarum, & hujusmodi contraria non acciuntur nisi specialiter, quia sunt in quibusdam generibus determinatis; sed bonum circuit omnia genera. Unde unum bonum potest simul esse cum privatione alterius boni.

Ad quartum dicendum, quod Propheta imprecatur vñ illis qui dicunt, id quod est bonum, secundum quod est bonum, esse malum. Hoc autem non sequitur ex præmissis, t per prædicta patet (in corp. art.)

A P P E N D I X .

DX articulo habes primo: quomodo per rationem ostendas Philosophum recte in 4. let. text. 4. & Lib. 5. tex. 27. & lib. 10. tex. 5. dixisse, quod *privatio est ens in subiecto*, et statuisse subiectum illius esse quoddam ens, et consequenter bonum. Per privationem intellige illud, quod dicitur malum. Secundo abes: quomodo per rationem dictum Philosophi in vero sensu declares, declaratum propones, probatum defendas. Tertio vides: quomodo ex his, & similibus locis juvetur conclusio.

ARTICULUS IV. 255

Uerum malum corruptat totum bonum.

1. 2. quest. lxxxv. art. 1. 2. & 4. & II. dif. xxxiv. art. 5. & III. cont. cap. x. & xii. & mal. quest. II. art. 9. 11. & 12. & opusc. II. cap. cxvii. & cxviii.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod malum corruptat totum bonum. Unum enim contrariorum totaliter corruptitur per aliud. Sed bonum, & malum sunt contraria. Ergo malum potest corruptere totum bonum.

2. Præterea. Augustinus dicit in Enchir. (cap. xii. ante med.) quod *malum nocet, in quantum adimit bonum*. Sed bonum est simile, & uniforme. Ergo totaliter tollitur per malum.

3. Præterea. Malum, quamdiu est, nocet, & aufert bonum. Sed illud a quo semper aliquid aufertur, quandoque consumitur, (3) nisi sit infinitum: quod non potest dici de aliquo creato. Ergo malum consumit totaliter bonum.

Sed contra est quod Augustinus dicit in Enchir. (loco proxime cit.) quod *malum non potest totaliter consumere bonum* (4).

Respondeo dicendum, quod malum non potest totaliter consumere bonum.

Ad cuius evidentiam considerandum est, quod est triplex bonum. Quoddam quod per malum totaliter tollitur; & hoc est bonum oppositum malo; sicut lumen totaliter per tenebras tollitur, & visus per cæcitatem. Quoddam vero bonum est quod nec totaliter tollitur per malum, nec diminuitur, scilicet bonum quod est subiectum mali: non enim per tenebras aliiquid de substantia aeris diminuitur. Quoddam vero bonum est quod diminuitur quidem per malum, sed non totaliter tollitur; & hoc bonum est habilitas subiecti ad actum.

Dimi-

(1) Ut colligitur ex illis verbis §. 34. *Malum et res est nec in rebus*.

(2) Ubi nimis text. 4. privationem a negatione distinguens, hanc utriusque differentiam esse ait uod negatio est ab essentia tantum alicuius; in privatione autem natura quedam subiecta requiritur e qua dicitur privatio. Simileque aliiquid insinuat istatis locis in corp. art.

(3) Juxta filium Philosophicum axioma 3. *Phylosorum tex. 19. Omne finitum quovis finito consumitur*.

(4) Vt sic elegantius & pénitus: *Quamdiu natura corruptitur, inesset ei bonum quo privatur. Et si corrupti non desinet, nec bonum utique habebet desinet quo eam posse privare corruptio: Quam si penitus totamque consumperit, ideo nullum bonum inerit, quia natura nulla erit: Quocirca bonum consumere non possit corruptio nisi consumendo naturam. Et quia si corruptione consumetur, nec remanebit ubi corruptio ipsa esse possit aulla subsistente natura &c.*

Diminutio autem hujus boni non est accipienda per subtractionem , sicut est diminutio in quantitatibus , sed per remissionem , sicut est diminutio in qualitatibus , & formis. Remissio autem hujus habilitatis est accipienda e contrario intensioni ipsius (1) . Intenditur enim hujusmodi habilitas per dispositiones , quibus materia preparatur ad actum , quæ quanto magis multiplicantur in subiecto , tanto habilius est ad recipientum perfectionem , & formam (2) ; & e contrario remittitur per dispositiones contrarias , quæ quanto magis multiplicatae sunt in materia , & magis intensæ , tanto magis remittitur potentia ad actum .

Si igitur contrariae dispositiones in infinitum multiplicari , & intendi non possunt , sed usque ad certum terminum ; neque habilitas praedicta in infinitum diminuitur , vel remittitur , sicut patet in qualitatibus activis , & passivis elementorum : frigiditas enim , & humiditas , per quæ diminuitur , siue remittitur habilitas materiarum ad formam signis , non possunt multiplicari in infinitum . Si vero dispositiones contrariae in infinitum multiplicari possunt , & habilitas praedicta in infinitum diminuitur , vel remittitur , non tamen totaliter tollitur : quia semper manet in sua radice , quæ est substantia subiecti ; (3) sicut si in infinitum interponantur corpora opaca inter Solem , & aerem , in infinitum diminuetur habilitas aeris ad lumen ; numquam tamen , manente aere , tollitur totaliter , qui secundum naturam suam est diaphanus . Similiter in infinitum potest fieri additione in peccatis , per quæ semper magis ac magis minuitur habilitas animæ ad gratiam : quæ quidem peccata sunt quasi obstacula interposita inter nos , & Deum , secundum illud Isa. lix. 2. (*) Peccata nostra (4) diviserunt inter nos , & Deum . Neque tamen tollitur totaliter ab anima praedicta habilitas , quia consequitur naturam ipsius .

Ad primum ergo dicendum , quod bonum

quod opponitur malo , totaliter tollitur ; sed alia bona non totaliter tolluntur , ut dictum est (in cor. art.)

Ad secundum dicendum , quod habilitas praedicta est media inter subiectum , & actum . Unde ex ea parte qua attingit actum , diminuitur per malum ; sed ex ea parte qua tenet se cum subiecto , remanet . Ergo licet bonum in se sit simile ; tamen propter comparationem , ejus ad diversa non totaliter tollitur , sed in parte .

Ad tertium dicendum , quod quidam imaginantes diminutionem boni praedicti ad similitudinem diminutionis quantitatis , dixerunt , quod sicut continuum dividitur (5) in infinitum , facta divisione secundum eandem proportionem , ut puta quod accipiat medium mediū , vel tertium tertii ; sic in proposito accidit .

Sed hæc ratio hic locum non habet : quia in divisione in qua servatur eadem proportio , semper subtractur minus & minus : minus enim est medium mediū quam medium totius . Sed secundum peccatum non de necessitate minus diminuit de habilitate praedicta , quam praecedens , sed forte aequaliter , aut magis .

Dicendum est ergo , quod licet ista habilitas sit quoddam finitum , diminuitur tamen in infinitum , non per se , sed per accidentem , secundum quod contrariae dispositiones etiam in infinitum augentur , ut dictum est (in corp. art.)

A P P E N D I X .

EX art. habes primo : quomodo per rationem , tamquam in radice interimas heres Melchioris dicentis : libere , seu voluntarie peccans non amplius recipitur in gratia . Item Novati , & Montani dicentium , postea eos non posse , ut remissionem peccatorum consequantur , qui semel lapsi sunt in peccatum post baptismum . Item huic heresi

(1) Id est per oppositum ad ipsius intensionem .

(2) Accidentalem nempe de qua hic tantum quæsito est ; quamvis eadem quodammodo proportione de forma ipsa essentiali loquendum sit , non quantum ad id quod intendatur vel remittatur , sed quod ad eam habilius per dispositiones materiarum reddatur &c.

(3) Vel essentia ipsa ex qua proprietates fluunt , quædam remote tantum & mediate , quædam immediate vel proxime .

(*) *Vulgata* : Iniquitates vestrae diviserunt inter vos , & Deum vestrum .

(4) Sive iniquitates vestrae ut Editio vulgata fert :

70. vero auctoritate vñor peccata vestra in secunda persona . Dicuntur autem divisisse peccata inter Deum & nos , quasi murus interpositus ut g'off interlin . ex Hieronymo sumpta notat , & ad eundem sententiam referit illud ex cap. 1. ad Ephes. modis paries maccio solvens &c.

(5) Ut ex lib. 3. Physicorum statim ab initio colligitur ; ubi dicitur infinitum primo in continuo apparere , ac propriece definites continuum sive nomine ac ratione infiniti solere uti , cum continua in infinitum dividi possit , vel sit divisibile .

refi aliam additam Novatianorum videlicet. In peccatum prolapsu non ad paenitentiam, sed ad diaboli prædam admittendi. Item errorem sine authore recensitum a Vega lib. 13. sup. Conc. Tri. cap. 13. dicentem : peccatorum esse certum numerum irremisibilem ita, ut, qui illum attingat, veniam consequi non possit. Item aliud, quem pro errore tribuit *Armachano* Vega (ubi supra) dicentem : peccatores aliquos esse in via sic obstinatos in malitia, ut secundum legem communem eos paenitere non possit. Item hæresim Lutheri dicentes. Liberum arbitrium post peccatum est de solo titulo. Item illam Cacangelicorum, quæ videtur orta a nunc prædicta dicentium : Homines non posse non peccare. Radici enim huic, quod, scilicet, malum quandoque corrumpat totum bonum, videntur omnes prædicti errores inniti, & pro tanto, idcirco per articulum hunc debruuntur. Secundo habes : quomodo per rationem, tamquam in radice, ostendas, hos merito esse damnatos a Papa Leone, Julio, Cœlestino, in decretis 25. q. 6. Vide ibi plura. Item a scripturis. Jere. 3. Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipio te. In iis sedebas, &c. Frons meretricis facta est tibi, nolusti erubescere. Ergo saltem amodo vobis. Pater meus, dux virginitatis meæ, &c. Numquid vidisti, quæ fecerit aversatrix Israël? Abiit sibimet super omnem montem exaltum, & sub omni ligno frondoſo, & fornicata est ibi. Et dixi : cum fecisset hec omnia, & me revertere, & non est reversa, & vidit, &c. Reverttere aversatrix Israël, ait Dominus, & non revertam faciem meam a vobis, quia inclitus ego sum, dicit Dominus. Verumtamen ito iniquitatem tuam : quia in Dominum Deum suum prævaricata es. Et dispersisti vias tuas ienit sub omni ligno frondoſo, & vocem eam non audisti, dicit Dominus. Convertimini Filii revertentes, ait Dominus : quia ego ira vester, & assumam vos, &c. & introducam vos in Syon, & dabo, &c. Sed quomodo, contempnatur mulier amatorem suum, sic compit me domus Israël, dicit Dominus. Vox, c. Convertimini Filii revertentes, & sanaboh versiones vestras. Hæc ibi. Nota, quod loquitur ad idololatram (ergo maximam peccatricem) ad reiterantem usque ad naufragium grandia peccata (cui, scilicet c. 2. dicitur. Quam vilis facta es, nimis iterans per tuas) ad obstinatam, desperantem, periacem) de qua, scilicet c. 2. dictum fuit : mnes dereliquisti me, dicit Dominus, fru-

stra percussi filios vestros, disciplinam non ceperunt ; & item : Probibe pedem tuum a nuditate, & gaudet tuum a siti, & dixisti. Desperavi. Nequaquam faciam : Adamavi quippe alienos, & post eos ambulabo. Nota item, quod tantam, toties, sic desperatam, sic peccatricem vocat non semel, non bis, non ter, aut quater, sed pluribus vicibus, & ita pluribus, ut etiam immensum quali numerum, & ardenterissimum amorem innuat per hanc vocandis phrasim. Ergo, Saltem, Amodo. Item : quomodo jure damnatam illam Lutheri a Leone X. in bulla contra errores Lutheri, incipiente. Exurgat Deus. Item a Conc. Trid. ut q. 83. ar. 1. Item ab eod. sess. 6. c. 2. Usque adeo servos fuisse peccati, & sub potestate diaboli, ac mortis, ut, &c. inde surgere non possent, tamen etsi in eis liberum arbitrium minime extinctum esset, viribus licet attenuatum, & inclinatum. Hæc ibi. Item ab eod. can. 5. Item a Cornelio Papa in Concil. Rom. Novatiani hæresis damnata est. Item a Conc. Niceno primo cap. 8. si qui voluerint venire ad Ecclesiam Catholicam ex Novatianis, placuit sancto Concilio, ut ordinetur, & sic maneat in clero. Ante omnia autem hanc habeant ab eis confessionem, quam per scripturam exigit oportet, ut fateantur, se cum omni consensu Ecclesie catholicæ statuta observatores, idest communicatores, se & his, qui forte secundas nuptias experii sunt, & his, qui persecutionis tempore lapsi sunt. Hæc ibi. Item a Concilio Tridentino, sessione sexta, cap. decimo-quarto. Qui vera ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt, cum, excitante Deo per paenitentia sacramentum, merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverunt. Hæc ibi. Ecce Concilium tempus nullum alicui excipit, quia converti digne possit. Item ab eodem canone vigesimalono. Si quis dixerit, eum, qui post baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere, &c. Anathema sit. Item a decretis de paenitentia distinctione prima : importuna paenitentia numquam sera, si tamen vera. Tertio vides : quomodo ex his vicissim Angelica firmetur conclusio, atque declaretur.

Utrum malum sufficienter dividatur per poenam, & culpam.

II. dist. xxxv. art. 1. & III. dist. xxxiv. quest. 11. art. 3. quest. 1. cor. & mal. quest. 1. art. 4.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod malum (*) insufficienter dividatur per poenam, & culpam. Omnis enim defectus malum quoddam esse videtur. Sed in omnibus creaturis est quidam defectus, quod se in esse conservare non possunt, qui tamen nec poena, nec culpa est. Non ergo sufficienter malum dividitur per poenam, & culpam.

2. Præterea. In rebus irrationalibus non invenitur culpa, nec poena; (1) invenitur tamen in eis corruptio, & defectus, quæ ad rationem mali pertinent. Ergo non o ne malum est poena, vel culpa.

3. Præterea. Tentatio quoddam malum est; nec tamen est culpa: quia tentatio cui non consentitur, non est peccatum, sed materia exercendæ virtutis, ut dicitur in Glossa (ordinaria (2) super illud, *Ne magnitudo revelationum*) II. Cor. xi. nec etiam poena: quia tentatio præcedit culpam; poena autem subsequitur. Insufficienter ergo malum dividitur per poenam, & culpam.

4. Sed contra videtur quod divisio sit superflua. Ut enim Augustinus dicit in Enchir. (cap. xii.) *malum dicitur, quia nocet.* Quod autem nocet, poenale est. Omne ergo malum sub poena continetur.

Respondeo dicendum, quod malum, sicut supra dictum est (art. 3. hujus quest.) est privatio boni, quod in perfectione, & actu consistit principaliter & per se. Actus autem est duplex: primus, & secundus. Actus quidem primus est forma, & integritas rei; actus autem secundus est operatio. Contingit

ergo malum esse dupliciter. Uno modo per subtractionem formæ, aut alicuius partis quæ requiritur ad integratatem rei; sicut cæcitas in alium est, & carere membro. Alio modo per subtractionem debitæ operationis, vel quia omnino non est, vel quia debitum modum, & ordinem non habet. Quia vero bonum simpliciter est objectum voluntatis; malum, quod est privatio boni, secundum specialem rationem invenitur in creaturis rationalibus habentibus voluntatem. Malum igitur quod est per subtractionem formæ, & integratatis rei, habet rationem poenæ, & præcipue supposito (3) quod omnia divine providentiaz, & justitiaz subdantur, ut supra ostensum est (quest. xxii. art. 2.) de ratione enim poenæ est quod sit contraria voluntati. Malum autem quod consistit in subtractione debitæ operationis in rebus voluntariis, habet rationem culpæ: hoc enim imputatur alicui in culpam, cum deficit a perfecta actione, cujus dominus est secundum voluntatem. Sic igitur omne malum in rebus voluntariis consideratum est poena, vel culpa.

Ad primum ergo dicendum, quod quia malum privatio est boni, & non negatio pura, ut dictum est supra (art. 3. hujus quest.) non omnis defectus boni est malum, sed defectus boni quod natum est, & debet haberi. Defectus enim visionis non est malum in lapide, sed in animali: quia contra rationem lapidis est quod visum habeat. Similiter etiam contra rationem creaturæ est quod in esse conservetur a se ipsa: quia idem dat esse, & conservat. Unde iste defectus non est malum creature.

Ad secundum dicendum, quod poena, & culpa non dividunt malum simpliciter, sed malum in rebus voluntariis.

Ad tertium dicendum, quod tentatio, prout importat provocationem ad malum, semper malum culpæ est in tentante; (4) sed in eo qui tentatur, non est proprie, nisi se

(*) Nicolaj non sufficienter.

(1) Propriæ necessitatem per quam agunt sicut nec in homine, si sic ageret.

(2) Nullo nomine prænotata; sed in Commentario nomen Anselmi præferente qui tamen ejus non est, idem verbis haec habentur. Colligi autem potest ex Beda qui & ipse videtur ex Augustino mutuatus, cum in euidentem locum ait, *exercenda aequa perficiende in infirmis se virtuti necessarias esse sentationes ac molestias corporales;* eas paulo infra nihil nocere addit *si causa non existat vel terrendrum puniendorumque peccatorum, vel probanda perficiendaque virtutis.*

(3) Non velut ex incerta & conditionata hypo-

thesi, sed firma & solida & demonstrata veritate, cum contrarium sine impietate dici non possit nec de isto sine errore dubitari; ut ex eodem loco ad quem remittit, colligitur, tum contra Democritum & Epicurum, tum contra eos de quibus Job 22. vers. 14. *Circa cardines cordi perambulans,* nec affra confideras. Eodem ergo sensu dicitur id supponi quo principia presupponi dicuntur tamquam firma ac certæ hypotheses ad evidentes inde concludendas.

(4) Tam in dænone qui propriæ sensator appellatur Matt. 4. vel *is qui sentat i.* ad Thebæ 3. vers. 5. quam in homine; Licet ad poenam nisus incidentalem non imputetur dæmoni, sed homini.

Si secundum quod aliqualiter immutatur. Sic enim actio agentis est in paciente. Secundum autem quod tentatus immutatur ad malum a tentante, incidit in culpam.

Ad quartum dicendum, quod de ratione poenæ est quod noceat agenti in se ipso; sed de ratione culpæ est quod noceat agenti in sua actione: & sic utrumque sub malo continetur; secundum quod habet rationem documentum.

APPENDIX.

EX art. habes primo: quomodo per rationem interimas heresim sup. art. 2. recitatam, *Libertinorum* dicentum: Malum nihil esse, nihil esse peccatum, nisi eorum opinione, qui se peccare putant. Sublata siquidem culpa, non diceretur aliquid proprieæ: in cuius signum est, quod afflictiones qualcumque corporales in brutis non propriè sicutur mala poenæ. Necessarium enim est, quod malum poenæ corraspondeat culpa, vel actuali, vel originali saltem. Unde & B. Greg. in *prefatione librorum moralium* cap. 9. perit optime, quonammodo mala universa, quæ inveniuntur in nobis, sint poenæ ulps originalis. Ex Gregorio tamen non leducas, Christum habuisse culpam originalem, nec etiam in debito aliquo: nec fuisse impliciter necessarium, B. Virginem Matrem contraxisse illam in actu; ne in primo iudiciam primam: imo & omnes synodos offendas: & in secundo a *Sixto Quarto* (Extrag. *Grave nimis*) excommunicationem latam incurras. Sed ad id, unde sumus digressi, arum. Contra *Libertinos* igitur pugnat utique articulus iste: dum malum probat sufficienter dividi, non secundum opinionem, id secundum rei veritatem, in poenam, & culpam. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, *Libertinos* recte damnari a, &c. ut supra art. 2. Et semper memento, uod, malo culpe in veritate admissio, oportet malum poenæ admitti: & consequenter, uod, qui damnat *Libertinos* quoad illorum iustum de peccato, condemnare etiam eos intelligitur quoad poenam. Item a regulis fidei b August. (Fulg.) traditis, &c. ut supra art. Summ. S.Th. T.I.

i. Circa finem enim illius capituli mala duistica reperi invenies, non opinative, sed secundum rei veritatem. Item ab Isa. 45. *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum.* Item a Sap. 1. *Deus mortem non fecit.* Dictum Isaiae, & Sapientia conjugas simul, & mox apparabit, quod queris. Ut: *Deus creat malum, & non creat mortem: sive Deus facit malum, & non facit mortem.* Quomodo non facit mortem? Quia non facit mortem quoad proximam causam mortis, seu quia non facit causam proximam mortis, id est non facit peccatum. Proxima enim causa mortis fuit peccatum, q. 97. art. 1. cum non fuisset Adam mortuus, nisi peccasset. Quomodo creat Deus, seu facit malum? Malum poenæ. Duplex ergo malum cum ponant hæc scripturæ, per hoc damnant *Libertinos*. Tertio vides: quomodo &c.

ARTICULUS VI. 257

Utrum habeat plus de ratione mali pena quam culpa.

i. 2. quest. XIX. art. 1. cor. & quest. lxxvi.
art. 4. corp. & II. dist. XXXVII. quest. III.
art. 2. corp. & mal. qu. 1. art. 3.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod habeat plus de ratione mali pena quam culpa. Culpa enim se habet ad poenam ut meritum ad præmium. Sed præmium habet plus de ratione boni quam meritum, cum sit finis ejus. Ergo poena plus habet de ratione mali quam culpa.

2. Præterea. Illud est majus malum quod opponitur majori bono (1). Sed poena, sicut dictum est (art. præc.) opponitur bono agentis; culpa autem bono actionis. Cum ergo enelius sit agens quam actio, videtur quod pejus sit poena quam culpa.

3. Præterea. Ipsa privatio finis poena quædam est; quæ dicitur carentia visionis divinitatis; (2) malum autem culpæ est per privationem ordinis ad finem. Ergo poena est majus malum quam culpa.

Sed contra. Sapiens artifex inducit minus malum ad vitandum majus; sicut medicus

Mmm præ-

(1) Ex cap. 7. libri primi Rheticorum colliguntur ante medium.

(2) Qualis a Theologis vocatæ solet *pœna damnati*, id maximo lucro privat; ut suo loco explicabitur professo cum de pœnis agetur. Non qualibet igitur privatio & cuiuslibet finis intelligitur esse por-

na, sed privatio finis ultimi, principalis, & summi, omnes fines particulares continentis; qualis est carentia visionis divinitatis, ut additur hic & ab Innocentio III. indicatur: cum extra de baptismō ponant originalis peccati ab actualis pœna distinguat in cap. Majores &c.

præcidit membrum; ne corrumpatur corpus. Sed Dei sapientia infert poenam ad vitandam culpam. Ergo culpa est maius malum quam poena.

Respondeo dicendum, quod culpa habet plus de ratione mali quam poena: & non solum quam poena sensibilis, quæ consistit in privatione corporalium bonorum, cuiusmodi poenas plures intelligunt; sed etiam universaliter accipiendo poenam, secundum quod privatio gratiæ, vel gloriæ poenæ quædam sunt.

Cujus est duplex ratio. Prima quidem est, quia ex malo culpa fit aliquis malus, non autem ex malo poenæ, secundum illud Dionysii iv. cap. de divin. Noim. (part. i.v. cir. med.) *Paniri non est malum; sed fieri poena dignum.* Et hoc ideo est, quia cum bonum simpliciter consistat in actu, & non in potentia; ultimus autem actus est operatio, vel usus quarumcumque rerum habitatarum; bonum hominis simpliciter consideratur in bona operatione, vel bono usu rerum habitatarum (1). Utimur autem rebus omnibus per voluntatem. Unde ex bona voluntate, qua homo bene utitur rebus habitatis, dicitur homo bonus, & ex mala malus. Potest enim qui habet malam voluntatem, etiam bono, quod habet, male uti, sicut si grammaticus voluntarie incongrue loquatur. Quia ergo ipsa culpa consistit in deordinato actu voluntatis, poena vero in privatione alicujus eorum quibus utitur voluntas, perfectius habet rationem mali culpa quam poena.

Secunda ratio sumi potest ex hoc quod Deus est author mali poenæ, non autem mali culpa. Cujus ratio est, quia malum poenæ privat bonum creaturarum; sive accipiatur bonum creaturarum aliquid creatum, sicut caritas privat visum; sive sit bonum increatum, sicut per parentiam visionis divinæ tollitur creaturarum bonum increatum (2). Malum vero culpa opponitur proprio bono in-

creato. Contrariatur enim impletioni divinae voluntatis, & divino amori, quo bonum divinum in se ipso amat, & non solum secundum quod participatur a creatura. Sic igitur patet quod culpa habet plus de ratione mali quam poena.

Ad primum ergo dicendum, quod licet culpa terminetur ad poenam, sicut meritum ad præmium; (3) tamen culpa non intenditur propter poenam, sicut meritum propter præmium; sed potius e converso poena inducitur, ut vitetur culpa: & sic culpa est pejus quam poena.

Ad secundum dicendum, quod ordo actionis, qui tollitur per culpm, est perfectius bonum agentis, cum sit perfectio secunda, quam bonum quod tollitur per poenam, quod est perfectio prima.

Ad tertium dicendum, quod non est comparatio culpa ad poenam sicut finis, & ordinis ad finem: quia utrumque (4) potest variari aliquo modo & per culpm, & per poenam: sed per poenam quidem, secundum quod ipse homo removetur a fine, & ab ordine ad finem; per culpm vero, secundum quod ista privatio pertinet ad actionem, quæ non ordinatur ad finem debitum (5).

A P P E N D I X.

EX art. habes primo: quomodo per rationem ostendas, merito Dan. 13. infinitum, quod culpa est pejor, quam pena etiam mortis per id, quod Sufanna dixit: *Melius est mihi incidere in manus vestras absque opere, quam derelinquere legem Dei mei.* Item Psalm. 83. *Elegi abjectus esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Item Hebr. undecimo. *Fide Moyses gradu effectus negavit, se esse filium filiae Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati babere jucunditatem: maiores diritias astimans Thesauro Ægyptiorum intraverimus.*

(1) Intelligendo bonum simpliciter pro hujus viate statu per comparisonem ad alia omnia bona quæ bonum habentem non faciunt: Nam aliqui bonum simpliciter secundum absolutam significationem esse in fruitione non in usu; nisi & usus large accipiantur ut a fruitione indistinctus.

(2) Objective consideratum non formaliter: Nam bonum quidem quod per divinam visionem sicut objectum attingitur, increatum est; formale tamen bonum idest actus quo attingitur, est aliquid creatum &c.

(3) Supple, scilicet meritum servinatur ad præ-

mium: Quamvis meritum quoque ac præmium in malam partem sumi possunt; sed non sic nunquam sumuntur.

(4) Nempe tam finis quam & ordo ad finem; qui privari dicitur idest tolli, juxta familiares phrasim S. Thomæ supra etiam usurpatam.

(5) In illa ergo non ordinatione ratio culpa formaliter consistit, ut malum est: In ordine autem ad finem indebitum qui denominative tantum sic dicitur, prout inordinationi substat, materialiter consistit &c.

periculum Christi. Has enim & similes autoritates merito esse dictas potes ex ratione articuli convincere ; pro quanto culpam deteriorem esse , quam penam innunt . Item ex ratione ejusdem ostendes , Apostolum merito dixisse Roman. 9. *Ostatim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis , qui sunt co- grati mei secundum carnem* . Pro quanto hic insinuat Apostolus , quod peius est esse in peccato mortali , quam privatum esse visione divinae essentiaz . Minus enim malum reputat esse , quod ipsem privetur visione tali , quam , quod fratres sui Judaei maneant infidelitate . Vide ibi expositionem Angelici Doctoris . Secundo habes : quomodo verum sensum illorum , quem prediximus , valide tuearis . Tertio vides : quomodo ex his &c.

Q U E S T I O N E XLIX.

*De causa mali,**In tres articulos divisa.*

Consequenter queritur de causa mali : & circa hoc queruntur tria .

Primo , utrum bonum possit esse causa mali .

Secundo , utrum summum bonum , quod est Deus , sit causa mali .

Tertio , utrum sit aliquid summum malum , quod sit prima causa omnium malorum .

A R T I C U L U S I. 258

Utrum bonum possit esse causa mali.

2. 2. quest. lxxv. art. 1. & II. dist. 1. quest. 1. art. 1. ad 2. & dist. xxxiv. art. 3. & II. cont. cap. xli. & III. cap. ix. & x. & mal. quest. 1. art. 4.

AD primum sic proceditur . Videtur quod bonum non possit esse causa mali . Dicitur enim Matth. VII. 18. *Non posset bona arbor malos fructus facere.*

(1) Sive secundum novas Editiones §. 18. versus finem ex aliorum tamē objectione) Quidnam est malum ? Ex quo principio consistit ? Quoniam in re est ? Quomodo bonus illud producere vultus ? Quomodo volens potuit ? Quod si malum existit ex alia quam causa , quoniam alia rerum causa est præter bonum ? Et §. 19. *Hac fortasse dixeris antea quispiam ac dubitans (αποτος) Sed rogaribimus cum ut ostendas ad veritatem , nec verebitur primum assertio quod malum ita non sit ex bono , ut si supponatur , ex bono esse , non sit malum : Neque enim*

2. Præterea . Unum contrariorum non potest esse causa alterius . Malum autem est contrarium bono . Ergo bonum non potest esse causa mali .

3. Præterea . Effectus deficiens non procedit nisi a causa deficiente . Sed malum est effectus deficiens . Ergo si causam habeat , habet deficiensem . Sed omne deficiens malum est . Ergo causa mali non est nisi malum .

4. Præterea . Dionysius dicit iv. cap. de div. Nom. (part. iv. lext. 23.) (1) quod *malum non habet causam* . Ergo bonum non est causa mali .

Sed contra est quod Augustinus dicit contra Julianum (Lib. I. cap. ix. parum ante med.) *Non fuit omnino unde oriri posset malum nisi ex bono* .

Respondeo dicendum , quod necesse est dicere , quod omne malum aliqualiter causam habeat . Malum enim est defectus boni quod natum est , & debet haberis . Quod autem aliquid deficiat a sua naturali , & debita dispositione , non potest provenire nisi ex aliqua causa trahente rem extra suam dispositionem . Non enim grave moveatur sursum nisi ab aliquo impellente , nec agens deficit a sua actione nisi propter aliquid impedimentum . Esse autem causam non potest convenire nisi bono : quia nihil potest esse causa , nisi in quantum est ens : omne autem ens , in quantum hujusmodi , bonum est .

Et si considereremus speciales rationes causarum , agens , & forma , & finis perfectiōnem quamdam important , quæ pertinet ad rationem boni . Sed & materia , inquantum est in potentia ad bonum , habet rationem boni (2) . Et quidem quod bonum sit causa mali per modum causæ materialis , jam ex præmissis patet (quest. præc. art. 3.) Ostensum est enim quod bonum est subjectum mali . Causam autem formalem malum non habet , sed est magis privatio formæ : & similiter nec causam finalē , sed magis est privatio ordinis ad finem debitum . Non solum enim finis habet rationem boni , sed etiam

M m m 2 iam

ignis est frigescere , neque toni facere mala &c.

(2) Ut rursus sic de illa Dionysius 4. cap. de div. nom. § 28. ubi refutat tritum illud (τολυθελητος) quod sit in materia malum : Nam (ipsa quoque inquit) pulchritudinis & ornatus & forma participes est : Deinde si nusquam & nequam est , neque bonum est neque malum : Si autem est quoniam documque ac ex bono sunt omnia que sunt , ita est iam ex bono erit &c. Jam vero si materiam ad universi consumationem necessariam suisse dicant , quomodo bonus ex malo aliqua gignat ? &c.

iam utile , quod ordinatur ad finem . Causam autem per modum agentis habet , malum , non autem per se , sed per accidens .

Ad cuius evidentiam sciendum est , quod aliter causatur malum in actione , & aliter in effectu . In actione quidem causatur malum propter defectum alicujus principiorum actionis , vel principalis agentis , vel instrumentalis ; sicut defectus in motu animalis potest contingere vel propter debilitatem virtutis motrix , ut in pueris , vel propter solam ineptitudinem instrumenti , ut in claudis (*). Causatur autem malum in re aliqua quandoque ex virtute agentis , non tamen in proprio effectu agentis ; quandoque autem ex defectu ipsius , vel materiae . Ex virtute quidem , vel perfectione agentis , quando ad formam intentam ab agente sequitur ex necessitate alterius formae privatio ; sicut ad formam ignis sequitur privatio formae aeris , vel aquæ . Sicut ergo quanto ignis facit perfectior in virtute , tanto perfectius imprimis formam suam ; ita etiam tanto perfectius corruptit contrarium . Unde malum , & corruptio aeris , & aquæ est ex perfectione ignis ; sed hoc est per accidens : quia ignis non intendit privare formam aquæ , sed inducere formam propriam ; sed hoc faciendo , causat & illud per accidens . Sed si sit defectus in effectu proprio ignis , puta quod deficiat a calefaciendo , hoc est vel propter defectum actionis , qui redundat in defectum alicujus principii , ut dictum est (in isto art.) vel ex indispositione materiae (1) , quæ non recipit actionem ignis agentis . Sed & hoc ipsum quod est esse deficiens , accidit bono , cui per se competit agere .

Unde verum est quod malum secundum nullum modum habet causam nisi per accidens . Sic autem bonum est causa mali .

Ad primum ergo dicendum , quod , sicut Augustinus dicit contra Julianum (Lib. I. cap. ix. circ. fin.) arborē malam appellat Dominus voluntatem malam , & arborē bonam voluntatem bonam (2) . Ex voluntate autem bona non producitur actus moralis ma-

lus , cum ex ipsa voluntate bona judicetur actus moralis bonus . Sed tamen ipse motus malæ voluntatis causatur a creatura rationali , quæ bona est ; & sic est causa mali .

Ad secundum dicendum , quod bonum non causat illud malum quod est sibi contrarium , sed quoddam aliud ; sicut bonitas ignis causat malum aquæ , & homo bonus secundum suam naturam causat malum actum secundum morem . Et hoc ipsum per accidens est , ut dictum est (in corp. art. & quest. xix. art. 9.) Invenitur autem quod etiam unum contrariorum causat aliud per accidens , sicut frigidum exterius ambiens calefacit , inquantum calor retrahitur ad interiora .

Ad tertium dicendum , quod malum habet causam deficientem aliter in rebus voluntariis , & naturalibus . Agens enim naturale producit effectum suum talern , quale ipsum est , nisi impeditur ab aliquo extrinseco : & hoc ipsum est quidam defectus ejus . Unde numquam sequitur malum in effectu , nisi praexistat aliquod aliud malum in agente , vel materia , sicut dictum est (in corp.) Sed in rebus voluntariis defectus actionis a voluntate actu deficiente procedit , inquantum non subjicit se actu sive regulæ . Qui tamen defectus non est culpa , sed eum sequitur culpa ex hoc quod cum tali defectu operator .

Ad quartum dicendum , quod malum non habet causam per se , sed per accidens tantum , ut dictum est (in corp.) (3) .

A P P E N D I X.

EX art. habes primo : quomodo per rationem ostendas ; recte dictum fuisse Job 5. *Nihil in terra sine causa fit* . Hoc ergo malum , vel illud non fieret in terra : nisi haberet causam . Causa vero est ens (ut patet) & ens , ut sic , est bonum : ergo per illud in Job dictum innuit Scriptura fanda , quod malum est causa boni . Secundo habes : quomodo per rationem hoc a Scripturis infinatum in sensu fano intelligas , declares , probes , tuearis . Tertio vides : quomodo , &c.

AR.

(*) Cod. Alcan. Malum autem in re aliqua , non tamen in proprio effectu agentis , causatur quandoque ex virtute agentis .

(1) Sicut contigit in fornace Babylonica , quando Angelus Hammam ignis excusit de fornace , ac medium fornacis fecit quasi venum roris flentem , Daniel. 3.

(2) Non autem juxta pravam interpretationem quam Julianus intendebat & qua favebat Manichæis

naturam malam intelligit vel concubitus nuptialis qui sit necessario malus : *Hoc* (inquit August.) *clamas pro Manichæis* (nescire quod ex natura nostra sunt mala) *Ecce in quantum voraginem tradidisti male intelligendo Dominum dicens* , *erat bona &c Cum de natura dictum non sit , sed de voluntate hominis bona a qua non sunt opera mala* .

(3) Secundum ipsam explicationem Dionysii et eodem cap. §. 32.

ARTICULUS II. 259

Utrum summum bonum, quod est Deus, sit causa mali.

III. dist. xxxii. quest. ii. art. i. & dist. xxxvii.
quest. iii. art. i. ad 1. & II. cont. cap. xl.
& Lib. III. cap. lxxi. & Joan. ix. & Rom. i.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod summum bonum, quod est Deus, sit causa mali. Dicitur enim Isai. xlvi. 6. *Ego Dominus, & non est alter Deus, formans lucem, & creans tenebras, faciens, pacem & creans malum: & Amos iii. 6. Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit.*

2. Præterea. Effectus causæ secundæ reducitur in causam primam. Bonum autem est causa mali, ut dictum est (art. præc.) Cum igitur omnis boni causa sit Deus, ut supra ostensum est (quest. vi. art. i. & 4.) sequitur quod etiam omne malum sit a Deo.

3. Præterea. Sicut dicitur in II. Phys. (text. 30.) idem est causa salutis navis, & periculi (1). Sed Deus est causa salutis omnium rerum. Ergo est ipse causa omnis perditionis, & mali.

Sed contra est quod dicit Augustinus in Lib. lxxxiii. Qq. (quest. xi.) quod *Deus non est author mali, quia non est causa tendendi ad non esse* (2).

Respondeo dicendum, quod, sicut ex dictis patet (art. præc.) malum quod in defectu actionis consistit, semper causatur ex defectu agentis. In Deo autem nullus defectus est, sed summa perfectio, ut supra ostensum est (quest. iv. per tot.) Unde malum quod in defectu actionis consistit, vel quod ex defectu agentis causatur, non reducitur in Deum sicut in causam.

Sed malum quod in corruptione rerum aliquarum consistit, reducitur in Deum sicut

in causam. Et hoc patet tam in naturalibus, quam in voluntariis. Dictum est enim (art. præc.) quod aliquod agens, in quantum sua virtute producit aliquam formam, ad quam sequitur corruptio, & defectus, causat sua virtute illam corruptionem, & defectum. Manifestum est autem quod forma, quam principaliter Deus intendit in rebus creatis, est bonum ordinis universi. Ordo autem universi requirit, ut supra dictum est (qu. xlvi. art. 2. & qu. xxii. art. 2. ad 2.) quod quædam sint quæ deficere possint, & interdum deficiant. Et sic Deus in rebus causando bonum ordinis universi, ex consequenti, & quasi per accidens causat corruptiones rerum, secundum illud quod dicitur I. Reg. ii. 6. *Dominus mortificat, & vivificat* (3). Sed quod dicitur Sap. i. 13. quod *Deus morem non facit*, intelligitur, quasi per se intentam. Ad ordinem autem universi pertinet etiam ordo justitiae, qui requirit ut peccatoribus pena inferatur. Et secundum hoc Deus est author mali quod est pena, non autem mali quod est culpa, ratione supra dicta (in princ. corp.)

Ad primum ergo dicendum, quod autoritates illæ loquuntur de malo poenæ non autem de malo culpæ. (4)

Ad secundum dicendum, quod effectus causæ secundæ deficientis reducitur in causam primam non deficientem, quantum ad id quod habet entitatis, & perfectionis, non autem quantum ad id quod habet de defectu: sicut quidquid est motus in claudicatione, causatur a virtute motiva; sed quod est obliquitatis in ea, non est ex virtute motiva, sed ex curvitate cruris. Et similiter quidquid est entitatis, & actionis in actione mala, reducitur in Deum sicut in causam; sed quod est ibi defectus, non causatur a Deo, sed ex causa secunda deficiente (5).

Ad tertium dicendum, quod submersio navis attribuitur nautæ ut causæ, ex eo quod non agit quod requiritur ad salutem navis;

(1) Sive subversionis (*κατροτης*) ut 30. textu prope finem habetur.

(2) Vel sic pleniū Omne quod deficit ab eo quod est esse, deficit, & tendit in non esse: At illo ad quem non esse non pertinet, non est causa deficienti, idest tendendi ad non esse; quia, ut ista dicam offendit cause est (quod sic modicando dicit propter verbum offendit) Boni igitur tantummodo causa & properea summum bonum est. Quo circa mali author non est, qui omnium quæ sunt author est; inquantum sunt, quia in sancta bona sunt &c.

(3) Aenea verba sunt in Cantico quod propter

Samuelis nativitatem canit: Ubi pro vivificare, gracie legitur ζωγονι quasi dicatur, vivum gigni: Ut vitam dare intelligatur quandocumque vult, vel pro libito mortem inferre.

(4) Hoc enim sensu Hieronymus *tenebras captiuitatis, afflictionem belli & mala servitus* priori loco intelligit in Isaiam: Ac in Amos 3. non malum conservans virtus, sed iterum afflictionem & cruciasum.

(5) Et fit aliqua positiva, idest entitativa, malitia? Vah exortatem! & tam sancte doctrinae præviam interpretationem!

navis ; sed Deus non deficit ab agendo quod est necessarium ad salutem . Unde Non est simile .

A P P E N D I X .

EX artic. habes primo : quomodo per rationem interimas heresim Collubii dicentis . Malum qualecumque sive culpa , sive poena non esse a Deo . Item Blasii dicentis : Matum (de malo culpa cum hic sequentibus intelligit) esse a Deo , & Deum facere mala , inon tantum permissive , sed etiam effective . Item consequenter illam , quae ad hanc reducitur (Directo . Inquisit . 2. p. qu . 10.) dicentem : mala tantum placere Deo , quantum bona . Item illas horrendissimas Calvini , q . 19. art . 9. narratas , Melanchtonis , & Manoris . Secundo habes : quomodo per rationem ostendas , omnes has rite damnari a Scripturis , Hieremias 11. ubi loquitur Deus sic . Ecce ego inducam super eos mala , de quibus exire non poterunt : clamabunt ad me , Et non exaudiam eos , Et ibunt , Et clamabunt ad Deos , quibus tibant , Et non salvabunt eos in tempore afflictionis eorum . Hieremias enim hic secundum contextum accipit ly mala pro malis poenae , sive pro afflictionibus . Item Jonas 3. Et videt Deus opera eorum , quia conversi sunt de via sua mala , Et misertus est Deus super malitiam , quam locutus fuerat , ut faceret eis , Et non fecit . Ecce , quod Jonas ly malitiam accipit pro malis poenae , idest pro subversione urbis contra Ninivitas prænunciata . Sic enim plerumque malitia sumitur in sacro eloquio , ut Matth . 6. Craftinum enim dies sollicitus erit sibi ipsi , sufficit diei malitia sua . Hoc est , sufficit cuique diei , ut pro requisitis ad illum diem necessariis afflictionem , poenam , tribulationem toleret . Et nota , quod hujusmodi malitia quandoque vocatur malignitas , & tamen semper respectu Dei malum poenae tantum significat . Ut Exod . 32. secundum unam translationem ab Ecclesia in Missis receptam , placatusque est , inquit , Dominus super malignitate , quam dixerat facere populo suo . Item , quomodo recte damnatur Amos 3. Non est malum in civitate , quod non fecerit Dominus . Ecce per Amos nulla tribulatio est , quae non veniat a Domino , vel faciente proprie , idest , effective ,

si sit poena , vel faciente admodum impropriissime , atque largissime , idest , permittente , si sit culpa . Item a , &c. ut q . 19. art . 9. vide ibi . Item ab Osee 13. Perditio tua ex te Israel , est in me tantummodo auxilium tuum . Ergo Deus nullo modo est causa peccati nostri , quod utique est perditio : & non auxilium nostrum . Item : odio sunt Deo impie , & impieas ejus . Vide etiam q . 48. art . 5. in appendice . Tertio vides : quomodo ex his bene applicatis , & consideratis Angelica doctrina presentis articuli declaretur atque confirmetur .

A R T I C U L U S III. 260

Utrum sit unum summum malum , quod sit causa omnis mali .

2. 2. quest . clxxii . art . 6. corp . Et II. dist . 1. quast . I. art . 1. ad I. Et dist . xxxiv . art . I. ad 4. Et art . 2. corp . Et III. cont . cap . XIII. Et xv . Et post . quest . IIII. art . 6. Et opus . XV . cap . XVI .

AD tertium sic proceditur . Videtur quod sit unum summum malum , quod sit causa omnis mali . Contrariorum enim effectuum contraria sunt causæ . Sed in rebus invenitur contrarietas , secundum illud Eccli . xxxix . 15. Contra malum bonum est , Et contra vitam mors : sic Et contra virum justum peccator . Ergo sunt contraria principia , unum boni , & aliud mali .

2. Præterea . Si unum contrariorum est in rerum natura , & reliquum , ut dicitur in II . de cœlo & mundo (text . 19.) Sed summum bonum est in rerum natura , quod est causa omnis boni , ut supra ostensum est (quest . vi . art . 2. & 4.) (1) . Ergo est & summum malum ei oppositum causa omnis mali .

3. Præterea . Sicut in rebus invenitur bonus , & melius ; ita malum , & pejus . Sed bonus , & melius dicuntur per respectum ad optimum . Ergo malum , & pejus dicuntur per respectum ad aliquod summum malum .

4. Præterea . Omne quod est per participationem , reducitur ad illud quod est per essentiam . Sed res quae sunt malæ apud nos , non sunt mala per essentiam , sed per participationem . Ergo est invenire aliquod summum malum , quod est causa omnis mali .

5. Præterea . Omne quod est per accidens , redu-

(1) Ubi probatum est quod quis Deus est cuiuslibet bonitatis participatus causa , debet etiam esse

summum bonum in quo bonitas excellenter inveniatur præter ceteris .

reducitur ad illud quod est per se (1). Sed bonum est causa mali per accidens. Ergo oportet ponere aliquod summum malum, quod sit causa malorum per se. Neque potest dici, quod malum non habeat causam per se, sed per accidens tantum: quia sequeretur quod malum non esset ut in pluribus, sed ut in paucioribus.

6. Præterea. Malum effectus reducitur ad malum causæ: quia effectus deficiens est a causa deficiente, sicut supra dictum est (art. 1. & 2. præc.) Sed (*) non est procedere in infinitum. Ergo oportet ponere unum primum malum, quod sit causa omnis mali.

Sed contra est quod summum bonum est causa omnis entis, ut supra ostensum est (quæst. vi. art. 4.) Ergo non potest esse aliquod principium ei oppositum, quod sit causa malorum. (2)

Respondeo dicendum, quod ex prædictis patet, non esse unum primum principium malorum, sicut est unum primum principium bonorum.

Primo quidem quia primum principium bonorum est per essentiam bonum ut supra ostensum est (quæst. vi. art. 3. & 4.) Nihil autem potest esse per suam essentiam malum. Ostensum est enim (quæst. vi. art. 4. & quæst. præc. art. 3.) quod omnis ens, in quantum est ens, bonum est; & quod malum non est nisi in bono ut in subiecto.

Secundo quia primum bonorum principium est summum, & perfectum bonum, quod præhabet in se omnem bonitatem, ut supra ostensum est (quæst. vi. art. 2.) Summum autem malum esse non potest: quia, sicut ostensum est (quæst. xvi. art. 4.) eti malum semper diminuat bonum, numquam tamen illud potest totaliter consumere: & sic semper remanente bono, non potest esse aliquid integre & perfecte malum. Propter quod Philoponus dicit in IV. Ethic. (cap.

v. ante med.) (3) quod si malum integrum sit, se ipsum destruet: quia, destructio omni bono (quod requiritur ad integritatem mali) subtrahitur etiam ipsum malum, cuius subjectum est bonum.

Tertio quia ratio mali repugnat rationi primi principii: tum quia malum causatur ex bono, ut supra ostensum est (art. 1. & 2. hujus quæst.) tum quia malum non potest esse causa nisi per accidens: & sic non potest esse prima causa, quia causa per accidens est posterior ea quæ est per se & ut patet in II. Physic. (text. 66.)

Qui autem posuerunt duo prima principia, unum bonum, & alterum malum, ex eadem radice in hunc errorem inciderunt, ex qua & aliæ extraneæ positiones antiquorum (4) ortum habuerunt: quia scilicet non consideraverunt causam universalem totius entis, sed particulares tantum causas particularium effectuum. Propter hoc enim, si aliquid invenierunt esse nocivum alicui rei per virtutem suæ naturæ, estimaverunt naturam illius rei esse malam; puta, si quis dicat naturam ignis esse malam, quia combussit domum alicuius pauperis. Judicium autem de bonitate alicuius rei non est accipiendo secundum ordinem ad aliquid particulare, sed secundum seipsum, & secundum ordinem ad totum universum, in quo quelibet res suum locum ordinatisime tenet, ut ex dictis patet (quæst. xi. art. 3. & quæst. iv. art. 2.) (5) Similiter etiam qui invenierunt duorum particularium effectuum contrariorum duas causas particulares contrarias, nesciverunt reducere causas particulares contrarias in causam universalem communem; & ideo usque ad prima principia contrarietatem in causis esse judicaverunt. Sed cum omnia contraria convenient in uno communi, necesse est in eis supra causas contrarias proprias inveniri unam

(1) Juxta differentiam hujus duplicitis entis a Philosopho assignatam libro 2. Physicorum text. 49. ac deinceps; & expressius libro 3. Metaphysicorum text. 13. vel cap. 7. ubi & insinuat ens per accidens ad ens per se reduci.

(2) *Iota Nicolejus. Rom. & Pos. adit.* Sed hoc non est.

(3) Quia nempe hoc principium supponitur esse. ens: Non potest autem dici quod contrarium a suo contrario suam originem habeat vel accipiat suum esse: Cum ergo illud quod supponitur principium & causa mali sit contrarium ei quod est causa totius entis, non potest ab eodem oriri, vel accipere suum esse: Unde falso & fictitiis supponitur: Imo & erro-

nec ac impiæ ut supponebant illi Manichei, veluti Dræm tenebrarum & qui corporalium author esset.

(4) Sed cap. 13. in antiquis exemplis ibus & apud S. Thomam lect. 13. sed in exemplaribus græco latini cap. 11. ubi paulo alteri co-structur, nempe quod malum seipsum portat, & cum fuerit integrum insolentandum etiam sit. Perperam autem prius ut ex capite quinto notabatur.

(5) Philosophorum nempe qui & hereticorum patres vel patriarchæ olim appellati. An non hoc sensu Patres vel patriarchæ Manichæorum Pythagorici qui duo quoque separatum genera posuerunt: bonorum unum, & malorum alterum?

(6) Ubi unitas Dei ex eiusmodi ordinata serie ostenditur.

nam causam communem : sicut supra qualitates contrariae elementorum invenitur virtus corporis coelestis ; & similiter supra omnia quæ quocumque modo sunt, invenitur unum primum principium essendi, ut supra ostensum est (quest. II. artic. 3.)

Ad primum ergo dicendum, quod contraria convenient in genere uno, & etiam convenient in ratione essendi : & ideo licet habeant causas particulares contrarias, tamen oportet devenire ad unam primam causam communem.

Ad secundum dicendum, quod privatio, & habitus nata sunt fieri circa idem. Subjectum autem privationis est ens in potentia, ut dictum est (quest. XLVIII. art. 3.) Unde cum malum sit privatio boni, ut ex dictis patet (quest. præc. art. I. 2. 3.) illi bono opponitur cui adiungitur potentia, non autem summum bono, quod est actus purus.

Ad tertium dicendum, quod unumquodque intenditur secundum propriam rationem. Sicut autem forma est perfectio quædam, ita privatio est quædam remotio. Unde omnis forma, & perfectio, & bonum per accessum ad terminum perfectum attenditur ; (1) privatio autem, & malum per recessum a termino. Unde non dicitur malum, & pejus per recessum ad summum malum ; sicut dicitur bonum, & melius per accessum ad summum bonum.

Ad quartum dicendum, quod nullum ens dicitur malum per participationem, sed per privationem participationis. Unde non oportet fieri reductionem ad aliquid quod sit per essentiam malum.

Ad quintum dicendum, quod malum non potest habere causam nisi per accidens, ut supra ostensum est (art. I. hujus quest.) Unde impossibile est fieri reductionem ad a-

liquid quod sit per se causa mali. Quod autem dicitur, quod malum est ut in pluribus, simpliciter nullum est. Nam generabilia, & corruptibilia, in quibus solum contingit esse malum naturæ, sunt modica pars totius universi. Et iterum in unaquaque specie definitus naturæ accidit ut in paucioribus. Ia solis autem hominibus malum videtur esse ut in pluribus : quia bonum hominis secundum sensum corporis non est bonum hominis, in quantum homo, sed secundum rationem. Plures autem sequuntur sensum quam rationem (2).

Ad sextum dicendum, quod in causis mali non est procedere in infinitum, sed est reducere omnia mala in aliquam causam bonam, ex qua sequitur malum per accidens.

A P P E N D I X.

EX articulo habes primo: quomodo per rationem peritas heresim Manichaeorum, Gnosticon, q. II. art. 3. & q. 21. art. 1. & q. 39. art. 3. & q. 44. artic. 1. narratorum. Vide ibi explicatas horum hereses, pro quanto ab hoc articulo impetruntur, ne repetantur. Item & heresim ad illas sequentem eorumdem Manichaeorum dicentium, creaturas ex aliis esse malas. Secundo habes: quomodo per rationem ostendas, has omnes recte damnari a, &c. ut quæstionibus illis ante citatis & q. 48. art. 1. Item a Concilio Bracarense primo sub Honore I. canon. 7. si quis dicit diabolum non fuisse prius angelum bonum, nec Dei opificium fuisse naturam ejus, sed dici, eum ex tenebris emersisse, nec aliquem sui habere autorem, sed ipsum esse primum principium, atque substantiam malam, sicut Manichaeus, & Priscillianus dixerunt; Anathema sit. Item can. 8. si quis

ostenditur: Et quest. 47. art. 2. ubi rerum inæqualitas hinc astruitur: Non autem quest. 44. art. 2. ut notabatur prius ; & notari potius poterat ex articulo 3. ubi obiter indicatur quod sapientia divina universi ordinem tam concionum excogitavit, ut videre est ibi. Sed quod in fine subjungitur ostensum esse de uno primo principio essendi, partim referendum est ad articulum primum predictum questionis 44. ubi probatur quod a Deo est ens quodlibet ; partim ad articulum 3. qu. 2. ubi existentia Dei ex principio illo probata est ; præsertim tum 2. tum 4. ratione.

(1) Ut est in manuscriptis & gothicis; id est suscipit gradum intensiorem vel majorem prout sit propinquior illi termino ; sicut e contrario sit privatio major prout ab eodem longius distat: Non autem sicut passionem impressa legunt, ostenditur ; quasi sit

sensus ut per ordinem ad predictum terminum consideratur: Quod non satis considerate nec attente immutatum est.

(2) Quo pertinere potest illud Ecclesiaste 1. vers. 13. flutorum infaustus est numerus; id est falsas appetitum delicias & voluptates ex Hugone; quæ nulla fluitia major, ex Richardo. Alter tamen græce ὑγείας ἡ δυνατεστατελεφθερία, hoc est, Imminutio non poseris numerari, ut Hieronymus ibidem legit: & sic explicat 1. quod mulieres cum parvulis propter debilitatem intelliguntur, nec in numero solent computari; 2. quod in mundo tanta malitia veratur, ut ad pristinam integratem suam redire vix valeat; 3. quod ad infirmum diaboli peccatis peccata cumulantur, & tantus est numerus factorum (id est eorum quos seducit) ut suppositione comprehendendi non possit.

quis credit, quod aliquas immundas creaturas diabolus fecerit, & quod tonitrua, & fulgura, & tempestates, & siccitates ipse diabolus sua autoritate facit, sic ut Priscillianus dixit: anathema sit. Item can. 14. si quis immundos putat cibos carnium, quas Deus in usum hominum dedit, & non propter afflictionem sui corporis, sed quasi immunditiam putans, ita abstineat ab eis, ut nec olera cocta cum carnisbus prægustet, sicut Manicheus, & Priscillianus docuerunt: anathema sit. Item can. 16. si quis feria Paschali, qua vocatur cena Domini, hora legitima post nonam jejunus in Ecclesiis missas non tenet, sed, secundum sententiam Priscilliani, festivitatem ipsius ab hora tertia per missas defunctorum soluto jejunio colit; anathema sit. Hæc ibi: Hunc ultimum canonom (licet forsitan videatur quibusdam superfluous in proposito) volui adduxisse ad maiorem declarationem can. 14. Vides ergo, quod Concilium istud approbat jejunium, & consequenter abstinentiam a carnisbus, & tamen damnat abstinentes a carnisbus. Ceterum semetipsum ex seipso in 14. exposuit, quod scilicet, abstinere a carnisbus pro afflictione carnis, tenendo, quod omnis creatura bona est, & quod carnes illæ sunt in usu opportuno hominum a Deo data, bonum est: abstinere autem a carnisbus (a simili intellige etiam de ovis, &c.) tamquam ab immundis credendo, scilicet, quod aliqua creaturæ secundum se sint male, peccatum est. Ex Concilii hujus canonibus præmissis cernere potes, quodnam fuerit intentum Apostoli in verbis illis 1. Tim. 4. Spiritus manifeste dicit, quod in novissimis diebus discedent quidam a fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinis demoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, prohibentium nubere, abstinere a cibis (scilicet, dicentium) quos Deus creavit ad percipiendum, &c. Ha-

bes & inde: quomodo intelligas illud ibi subjunctum: Nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, maxime si adjungas, quod Concilium iubet rejici cibos inferia illa Paschali ante nonam; id est, abstinere ab illis. Adde sic. Quomodo cum gratiarum actione cibos percipit, qui cum ingebidentia sanctæ Ecclesie percipiat? Intendit ergo semper Apostolus, quod cibi, secundum se, tamquam immundi, non sunt rejiciendi (sicut etiam, quod nuptia, quasi secundum se nubere sit illicitum) non autem, si prohibeantur a superioribus: ut egregie ibi Divus Thomas exponit, dicens, Apostolum loqui contra Manicheos, vel similes, cujus expositio, quam belle ex prefato Concilio stabilietur, patet. Ex eodem Concilio patet, quam deridendi sint haeticorum haec uniones quidam, qui contra Romanum Pontificem, & Ecclesiam illum Apostoli locum impudentissime non minus, quam ignorantissime detorquent. Audi tu Divum Petrum prium Papam de his loquentem, hos ad vivum pingentem, ab horum insidiis nos suos Filios pro nunc, & semper præmunientem, secundæ Pet. tertio. Carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scriptis vobis, sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quedam difficultia intellectu, que indotti, & instabiles (en epitheta haeticorum) depravant, sicut & ceteras scripturas ad suam ipsorum perditionem. Vos igitur fratres, præcientes custodite, ne insipientium errore traducti excidatis a propria firmitate. Hæc ille. Item: quo merito damnari a Conc. Toler. 1. c. 21. si quis dixerit, vel crediderit alterum Deum esse præcelegis alterum Evangeliorum, aus ab altero Deo mundum factum, & non ab eo, de quo scriptum est. In principio creavit Deus, &c. Anathema sit. Tertio vides: quomodo &c.

SUMMÆ THEOLOGICÆ S. THOMÆ AQUINATIS.

F I N I S I. T O M I.

REGULÆ AD LECTOREM

Pro Appendicu notitia ad Articulos appositarum.

I. **U**tilitatem, quam D. Thomas Aquinas Ecclesiæ sanctæ Dei cœlesti sua doctrina attulit vivus, assert quotidie, & afferet in secula jam beatus, ad plenum quis enarrabit? Non totam itaque, sed ex tota aliquam, mihi de ejus sacris decisionibus per articulos suos ultro oblatam (contra hæreses præcipue) per appendices enarrare curavi. Pendet enim suapte natura ex articulis illis ipsa utilitas: & ideo locus, ubi hæc explanatur, Appendix jure vocatur.

II. Per ly *per rationem* in principio appendicis positam, intelligitur ratio, vel rationes in corpore positæ ad probandas conclusiones, & etiam solutio argumentorum. Utique enim est ratio articuli: sed illa de corpore est directa, ut quæ ad veritatis ostensionem prima facie ordinetur, hæc autem de responsis est indirecta, ut quæ nonnisi per fallitatis exclusionem ad veritatem manifestandam perveniat.

III. A nomine communi quandoque denominatur hæresis, & dicitur error, quandoque a speciali, & dicitur hæresis, aliquando tamen per ly *error* non intelligitur hæresis proprie dicta, sed circa hæresim sic dictam quicumque aliis juxta subjectam materiam error. Ad discernendum autem, in quo sensu tunc sumatur nonnen erroris; inspice ad canonicas damnationes, secundo numero a nobis adductas. Si enim a scripturis sanctis, vel a summis Pontificibus, vel a legit: mis Conciliis, errorem hujusmodi damnatum reperies, tunc per ly *error* intelligi hæresim, dices. Idem etiam dicendum, quando positio denominata error, esset alias contra communem sensum Ecclesiæ in fide. Notandum quoque, ne erres, quod hæresis nomine hic sumitur illud, quod a fide discordat secundum se, etiam quod authores illius numquam suscepissent baptismum, ut sunt pagani, & Judæi. De dogmatibus namque secundum seipsa principaliter loquimur; qualesque interiori fuerint dogmatizantes.

IV. Damnantur quandoque eisdem hæreses, & errores, & consequenter adducuntur, non tantum in uno loco, sed etiam in pluribus, & hoc fit propter diversa motiva articulorum, vel etiam propter diversas partes propositionum erroriarum. Ex adductis

maxime canoniciis consultationibus errorum appetet simul, quisnam sensus fuerit illorum, ne forte bono sensu vestire aliquando velis errores, qui, secundum quod pro talibus referuntur, sic vestiendi non sunt. Non nominantur omnes errorum authores, sed antesignani, vel similes, quos memoriz proditos licuit invenire. Illorum argumenta (si qua sunt) lectori levando, & sincere veritati studens, de industria non adduxi, quoniam, præter quod frivola omnia, & solubilia sunt (sic enim habet Leo Decimus in Concilio Lateranen. sess. octava, de hæresibus) hoc in opere pro tanto errores hujusmodi adducuntur, pro quanto utilitatem, quam Doctor Angelicus, lumen Ecclesiæ, eidem multipliciter attulit, eos impugnando, ac expungando, cernere possis.

V. Sæpius videbis sic (Prat. Arnaldiste, Albanenses, aut hujusmodi) vel sic (Directorium Inquisitor. 2. par. q. 9. aut hujusmodi) vel simile. Intellige per hoc, quod Gabriel Prateolus Marcellinus illam hæresim, vel errorum recitat titulis talibus, s. Arnaldistæ, Albanenses, aut, &c. Tunc videre poteris librum suum de vitis hæreticorum, sectis, & erroribus, ubi multa scitu dignissima ad malam vitam, mortemque hostium sanctæ Ecclesiæ pertinencia reperies. Videbis, quoto millesimo, & anno evomuerint illos errores, & hinc agnosces, quod doctrina S.Th. posteriores, etiam a multis annis post suum felicem transitum, hæreticos profigavit. Adeo, quod doctrinam ipsam Angelicam in hoc sensu, non immerito propheticam, vocari posse, concludas. Per ly *Directorium Inquisitorum secunda part. q. 9.* intelliges, quod talis error a Directorio Inquisitorum in 2. part. quest. 9. recitatatur. Ex dictis alios, quandoque ad hujusmodi finem allegatos, per teipsum facilius intelliges. Nullum enim errorem attribuo ego cuivis authori, sed ab aliis hoc mutuavi, & mutuatum esse per similes allegationes intelligi volui: licet de errorum talium damnationibus secus dicendum sit. Ad servandam tamen brevitatem factum esse noviter advertas; quod allegationes ex Gabriele Prateolo tunc tantum tenui, quando in titulis aliis ab expresso authore nominati erroris ipse de tali re loquetur. Ut,

Si de Cerdonis errore in tit. Albanenses loquatur : sic dicetur . Error Cerdonis (Prat. Albanenses .) Alias semper , nisi speciales assignentur relatores , ipse pro relatore subintelligitur , etiam quod taceatur .

VI. Primo loco postquam S. Doct. per rationem naturalem damnavit hæresim ; secundo per eamdem rationem sustentat Ecclesiæ dogmata , ostendendo videlicet , quod ipsa merito , & jure condemnavit hæresim illam . Et hoc fuit necessarium , non quidem absoluere , cum per fidem constet , Ecclesiam non posse in his errare , ut habes in Additione quæst. 19. art. 3. Append. & in veritatis aureis , super totam legem veterem , Exod. 13. concl. 6. sed secundum quid , videlicet ad faciendum , in sua conscientia saltem , obmutescere imprudentium , quales proculdubio heretici sunt , ignorantiam . Possent enim ad excusandas excusationes in peccatis dicere , & forsan inter se nunc missitando mendaci bucca dicunt , quod Ecclesia Romana seipso , erroresque suos absque ratione , sed solum pro libito , condemnavit . Ut ergo convertantur retrorsum , & erubescant : monstratur per D. Th. rationes firmissimas , quod Sancta Romana Ecclesia jure optimo , seu justissime tales hereticas , & erroneas positiones pro condemnatis reprobavit . Idcirco , ut de necessitate salutis sint adstricti , se , quamdiu non resipuerint , condemnatos fateri : tacitis SS. Doct. qui multi , & veracissimi sunt , authoritatibus , Pontificum , solummodo maximorum , sacrorum Conciliorum , aut divinarum Scripturarum armis contra inimicos domus David insurreximus : arma ipsa profaniori , & vetricis veritatis , & cædendæ falsitatis notitia , ad litteram extendentes , si-va (ut ajunt) de verbo ad verbum fideliter transportantes . Una igitur manu D. Thom. prosternit hostes ; altera sustentat Ecclesiam , quorum utrumque insigniter factum in ejusdem Ecclesiæ maximam utilitatem , tamquam unum , convertitur : ita ut omnes cum Papa Julio III. pro D. Th. in officio suo veraciter exclamet ; *Alma Mater Ecclesia , Cbris-
ti fundata sanguine , sceptris confundit grandia , novi Doctoris lumine :* cuius dicti quanta sit veritas , Conclia sacra , de quibus in , De altitudine doctrinæ Thomisticæ , ut in eis est videre , mirifice probarunt . Quantæ vero sint authoritatis Concilia etiam provincialia , vide 1. p. q. 23 ar. 5. app.

VII. Tertio in appendicibus loco doctrinam illius articuli ex præmissis consolidatam esse , concluditur , & vere sic est . Nam si-

gnatum veritatis (secundum Phil.) hoc est , quando ex re illa , quæ vera dicebatur , solvuntur omnes dubitationes : maxime vero , quando ex ipsa propulsantur errores . Erroris igitur exclusio est ejus , quæ hunc exclusit , veritatis attestatio . Testimonium ergo ab ini-
micis haber Sancti Thomæ doctrina , dum ex ipsa (ut per appendices patet) hæreses ef-
fugantur . Rursus . Si verum vero non con-
trariatur , sed concordat (ut ex Leone X. in
Concilio generali , sessione oct. habetur) &
Sancti hujus doctrina Ecclesiæ veritati con-
cordat , maxime (ut ex ly secundo appendi-
cum liquet) apertissime relinquitur ex hoc ,
quod Ecclesiæ veritas hujus Doctoris verita-
tis sibi adeo concordanti reciproce suffrage-
tur . Ab amicis ergo , & ab ini-
micis (ut supra) Doctoris Angelici veritas commendatur .

VIII. Per ly quomodo (puta , primo habes : quomodo , secundo habes : quomodo , tertio vides : quomodo) excitare volui ingenium tuum ad tantæ rei studium . Quasi per hoc tibi dicatur . Cura , ut bene applies a S. Th. hic habita ad res istas nunc infrascriptas ; quoniam substantia doctrinæ , hic traditur , sed modus bona applicationis a te requiri-
tur , quatenus & tibi tradita discas ; & illa discendo , bene dispensare coneris vigili ingenio tuo . Nota , quod , quando dicitur , ly secundo habes : quomodo per rationem ostendas , banc , vel has merito damnari a Conciliis a , &c. & postea sequuntur plura Concilia , vel etiam sacræ scripturæ , ut summi Pontifices , sine replicatione de ly habes : quomodo per rationem ostendas , merito banc , vel has damnari : tunc semper ubique subintelligitur , adeo , quod semel illud prædictum accipitur pro singulis dictum . Sic enim non tantum ad damnationem errorum , sed etiam ad utilitatem a D. Th. per articulum illum Ec-
clesiæ allatum , cui intendimus , respicitur .

NOT. Sæpius invenies ly ut , ly homo , ly vel dicendum . de ly bonum , per ly facies examen ly inclinari , vel hujusmodi . Scito igitur , quod ly vel est sumptum pro vulga-
ri , ut in textu ly vel dicendum , ly vel potest dici vel sumitur materialiter , ut ly homo ly inclinari , idest , hoc vocabulum , sive hæc di-
ctio (Homo , Inclinari) vel tamquam mix-
tum cum vulgari , & materiali , ut de ly bonum , per ly facies , idest de ista dictione bonum , per istam dictiōnem , facies , vel sumitur pro aliquo simili , quod faciliter per te conjicias . Hoc autem factum ex industria est , ut & brevitati consulteretur , & confusio vocum evitaretur , & ut venientibus novitiis

e Phi-

REGULÆ AD LECTOREM:

e Philosophia, ubi sunt familiares tales modi loquendi, conformaremur.

NOT. 2. Citationes sic intellige, 1. q. &c. 1. 2. q. &c. 2. 2. q. &c. 3. de Salvatore, q. &c. 3. de sacr. q. &c. Additione, q. &c. Hoc est, 1. part. q. &c. 1. 2. q. &c. 2. 2. q. &c. 3. par. de Salvatore nostro, q. &c. 3. part. de Sacr. q. &c. Additiones, quæ insertæ sunt huic parti de sacramentis,

q. &c. Citatur & Compendium Theologicae veritatis Alberti Magni cum suis scholiis, & sic: Compend. Alb. schol. Item quodlibetta, & liber contra Gentiles, & scriptum sententiarum D. Tho. sic, quolib. 1. &c. art. 2. &c. contra Gentiles lib. &c 1. distinct. &c. 2. distinct. &c. 3. distinct. &c. 4. distinct. &c.

F N I S.

